CATHOLICA
PRÆCEPTORVM
DECALOGI ELVCIDATIO,
OPTIMA METHODO LOCORVM COMMVNIVM DISTRIBVTA.

Authore Reuerendo Patre F. Matthia Felisio, Brouwershauio, Ordinis D. Francisci Prouinciæ Inferioris Germaniæ Ministro.

ÆDITIO SECVNDA.

Ab ipso Authore diligentissimè recognita & aucta.



ANTVERPIÆ,
Apud Christophorum Plantinum, Architypograghum Regium. 1576.
Cum Priuilegio Regiæ Maiestatis.

SVMMA PRIVILEGII.

CAutum eſt Regio Priuilegio, ne quis alius præter Christophorum Plantinum *Catholicam præceptorum Decalogi Elucidationem, optima Methodo locorum communium distributam. Authore Reuerendo Patre F. Matthia Felisio Brouvvershauio*, imprimat, aut alibi impreſſam in ſuas Ditiones importet, venalémve habeat, vt latiùs in Regio diplomate expreſſum eſt, Dato Bruxellæ, Anno Domini LXXII. Decemb. XXIX.

Signat.

De Witte.

CENSVRA.

Vtiliter imprimi poterit hæc Catholica Præceptorum Decalogi Elucidatio, quam ſcripſit & recognouit Reuerendus Pater, Matthias Brouwershauius, Prouincialis Miniſter ordinis Minorum, per Germaniam inferiorem. 27. Maij. 1575.

Ioannes Molanus, Cenſor.

REVERENDISSIMO IN CHRISTO PATRI DOMINO CVNERO PETRI A BROVWERSHAVEN

Primo insignis Ecclesiæ Leouardiensis Episcopo Dignissimo, Frater Matthias BrouVVershauius sic suos regere, vt Regi regum valeat complacere.

ANIMARVM nostrarum Episcopus Christus Iesus illo insigni sermone ornatissime Præsul, quem editiori in loco habuit, quatenus terrenas Apostolorum mentes ipso montis ascensu ad sublimia eleuaret, simul atque diuersas beatitudinis semitas pandere grauatus non esset, quadam Metaphora vsus, subiunxit: Vos estis sal terræ, quod si sal euanuerit, in quo salietur? ad nihilum valet vltra, nisi vt mittatur foras, & conculcetur ab hominibus. Et iterum: Vos estis lux mundi. Quibus verbis sicut Apostolorum animos proculdubio attentos reddidit; ita nostras aures arrigendas admonuit, quando laconica verborum breuitate, tanquam perexiguæ arcæ inuolucro ingentem mysteriorum thesaurum abscondit, Ingenitam sali siquidem esse proprietatem, qua à putrefactionis corruptione præseruat, omnibus est in confesso. Caro namque sale condita, atque hoc condimento respersa, corruptionis fœtorem non admittit. Haud secus spiritualium est, meum, meiq; similium, & potissimum eorum, qui aliquo præeminentiæ titulo in Ecclesia Dei præcellunt, viuæ vocis oraculo, necnon disciplinatæ conuersationis exemplo, eos qui caro & carnales sunt, à peccatorum sordibus arcere,

Matth. 5.

arcere, ac ad meliorem vitæ frugem inducere. Tum enim carnales à putrefactione arcentur, & deprauatis moribus retrahuntur, quando superni numinis virtute, simul & fidelium pastorum cooperatione, illecebras carnis abdicantes, spirituali quadam salis prudentia incorruptibilem nanciscuntur vigorem. Verum enimuero sal suapte natura carnis squalorem non vbique locorum tuetur, quoniam vnius regionis alteri non opitulatur, sed oportet sal corrosorium manuum industria intimis carnis visceribus infricetur: ita non debet nobis esse satis rhetorica dicendi copia, elegansque verborum iunctura, instar cytharedorum aures demulcentium, sed operationis efficacia debet mentes hominum compungere. Qui enim instituti sui necessitudine exigitur summa dicere, hac eadem ratione cōpellitur & summa monstrare: illa vox namque libentius corda auditorum penetrat, quam dicentis vita commendat, quia dum aliquid imperat, ostendendo adiuuat, vt fiat. Hinc per fidelem quendam suum ministrum loquitur, dicens: Super montem excelsum ascende, tu qui euangelizas Sion, vt qui cælesti prædicatione vtitur, vana iam terrenorum operum respuēs, in rerum culmine stare videatur, tantoque facilius subditos ad meliora trahat, quanto per vitę meritum de supernis clamat. Addit etiam corporalis pabuli nutrimento saporem, & propulsata nausea, delectabilem dulcoris confert suauitatem, vt volupe sit illo vti quod alioquin esset fastidio. Non aliter spirituales præfulgidum exhibere debent perfectionis speculum, quo carnales animæ sordes intuitu pellucidi speculi deprehensas abstergere queant, & quodam spirituali emendationis pabulo quasi recreari. Sic prisci patres, sic antesignani nostræ catholicæ religionis Apostoli, Apostolici-

Oratio suadet, sed vita cogit.

Esa. 40.

ſtoliciq́ue viri Pontifices fecerunt, qui non terrenis inhiabant, non ſecularibus, non ſe præſentibus immergebant, ſed quaſi in alium tranſlati mundum, de futuris iugiter philoſophabantur, aliumq́ue orbem quodammodo inhabitantes, ſemper cæleſtia eructabant: nunc namque ſinu Abrahæ ſuſpenſi iucundabantur, nunc trophæa martyrum conſtantiores ſeipſis effecti admirabantur, nunc coronas virginum vernantibus atque coruſcantibus gemmis circumdatarum, intimis cordis medullis affectabant, nunc de bello, quo conferendæ ſunt manus aduerſus ſpirituales nequitias, prouida mentis attentione diſpiciebant, labentium rerum nulla aut perexigua erat cura, beneficiorum opimorum, redituumq́ue ampliorum quæſtio nulla. Proinde ſi quis familiari eorum colloquio vſus fuiſſet, protinus iudicaſſet eos cælo dignos, veroſq́ue Eccleſiæ ſponſos. Si aliquo dignitatis titulo inſignitus ad eos profectus fuiſſet, aut conſulendi gratia ſuper negotijs ſalutis eos interpellaſſet, veluti ad roſetum veniſſet, recipiebat quendam ſuauitatis dulcorem & virtutum eorum fragrantiam, imò vniuerſa eorum verba diligenter conſiderantibus nihil aliud quàm cæleſtem fragrantiam redolebant: Nec ſolùm efficaces fuere in ſermone, ſed multo potentiores in operatione: vt liquido conſtat apud Ioſephum de Iaddo Pontifice, qui Alexandrum furore percitum manſuetudine vicit, ac inſtitutis ſynagogæ ſolennijs in alium quaſi virum commutauit. Huc facit conſtantia Ambroſiana, quæ cuique epiſtolam eiuſdem 32. ad Valentinianum Imperatorem legenti perſpicua eſſe poteſt. Accedat his etiam Hoſius inſignis ille Epiſcopus Cordubenſis, teſte D. Athanaſio ad ſolitariam vitam agentes, qui infracto repreſsit animo Con-

Ioſephus lib. 11. antiquit. Iudaic. ca. 8.

Hoſi⁹ epiſcop. Cordubenſ.

Nicephor. li. 6. c. 33. stantij Imperatoris proteruiam. Sic Nicephorus commemorat Babilam Episcopum magno animo Numeriano in faciem restitisse, quod libere quasi per transennam inspicere arcana Christianorum mysteria præsumpsisset. Mela quoque Episcopus eodem teste libro 11. cap. 38. Ecclesiast. histor. miræ fuit patientiæ, adeo vt hostium insidias sibi tendentium animos appositis epulis sedauerit. Quod solis radiis clariore manifestat exemplo Gregorius *Paulinus Episcopus.* Magnus lib. 3. Dialog. cap. 1. de Paulino Episcopo, qui non sua duntaxat impendit, sed & seipsum pro salute subditorum hostium tyrannidi obiecit. Nec mirum, quippe qui omni qua poterat industria se irreprehensibilem, sobrium, pudicum exhibere curabat, cæterisque coloribus (quibus D. Paulus 1. Timoth. 3. & ad Titum 1. ad viuum depingit Episcopum) se adornabat. Porro hunc consideranti mihi statum, decorem, incrementum, & Christianæ religionis honorem, eum inquam, quem olim habuisse in nascentis Ecclesiæ exordio atque progressu nequaquam fugit, atque eum, quem modo pluribus in locis habet, quando sal infatua- *Thren. 4.* tum est, quando obscuratum est aurum, mutatus est color optimus, quando inquam antiquata & ve- *D. Grego. li. 27. Moral. c. 26. & lib. 35 cap. 13.* lut contempta vilescit plærisque Catholicæ religionis disciplina, magis flere lubet quàm aliquid de multis ad tuam celsitudinem, quam nihil horum latet, calamo perstringere. Quantus erat, amplissime Antistes, olim apud Catholicæ veritatis alumnos feruor? quanta pietas? mansuetudo? quantus denique & is continuus pro virtutibus comparandis conatus? omnium hominum ore laudata, nemini dignis poterat commendari encomiis; Excipiebantur Episcopi perinde atque Angeli, nec homines

mines infausta sibi euenire posse existimabant, si Episcopalem benedictionem sibi impartitam agnouissent, iucundissimum erat videre gregem Domini velut apum examina numerosum, tanto pastore præmunitum, corpus tali capite decoratum: Altiores nihilominus agebat religio in fidelium cordibus radices, nouaque Domino castra quotidie construebantur. Atqui ab eo statu eheu quàm longe res plane in diuersum mutata est, periit fidei quasi doctrina, periit morum disciplina, procul abesse iussus est in hac nostra Belgica religionis honos. Parum abest à nonnullis vt spiritualem vitam non recenseant Christianam, hinc non minor est apud plærosque sacerdotalis ordinis ignominia, quàm antiquitus fuerit gloria: contemptui habetur, scommatibus impetitur defectu legis pœnalis, & quasi Deo sacrificium ita fiat, omnis generis contumelia infertur. Verum hæc tanta vnde calamitas? vnde tanta despectus ignominia? non aliunde profecto, quàm à Deo exigentibus peccatis nostris hoc permittente. Quàm multi enim à primo instituti feruore exorbitauimus? quàm parum cordi sacra eius præcepta habuimus? quàm multi primæuæ charitati excidimus? Quotusquisque nostrum iam est, qui necessariam honestatem in amictu, frugalitatem in victu, temperatum rerum vsum in omnibus quæritet? Quotusquisque nostrum est ita resignatus, vt iniuriam illatam æquanimiter (ne dicam lætanter, exoptet) ferat? Quotusquisque, obsecro, nostrum est, qui clericalis sortis rationem, monasticæq; vitæ rigorem, prout recta viuendi linea ostendit, obseruat? Turpis mutatio studiorum, vt cui antea curæ fuerat, peregrinantē & exulem animam suam sacris diuinæ legis meditationibus, sacri Decalogi obseruantijs,

diuini officij obsequijs, tanquam celestibus pascere bonis, Dei beneplacitum scrutari, penetrare affectu cælos, mente circuire supernas mansiones, salutare patres prophetarum, alloqui coronas Apostolorum, martyrumque admirari triumphos, ac obstupescere pulcherrimos angelorum ordines: nunc omnibus his omissis, turpi se corporis mãcipare seruituti, ad obediendum carni, ad satisfaciendum ventri, ad corradendum per fas & nefas in vniuersa terra, vnde ex ea quæ præterit huius mundi figura, suam semper famelicam curiositatem aliquatenus consoletur. Fontes lachrymarum vbi vos subtraxistis? Exitus aquarum deducant oculi nostri super huiusmodi animam, quæ cum nutriretur in croceis, demum amplectitur stercora, quæque cum spiritu cœperit, carne consummet, cui cultus spiritus euanuit, ab intimis quoque ad externa, à spiritualibus ad terrena vanaque deuoluta languescit. Non tamen de omnibus hanc præcipito sententiam, absit, confido namque, & persuasissimum habeo, multos in ordine sacerdotali constitutos, disciplinatæ vitæ esse amatores, & salutis suæ desideratissimos, non terrenarum cupidini inhiare, sed spiritualia in cælestibus affectare. Omnes nihilominus tam bonos quàm malos opprobrium manet, quod idem iudicium sit vini per plateas à discursore deportati, & in vase relicti. Tanta est enim multorum tepiditas, tanta dissolutio, tanta discordia, tanta denique viget in eis passionum malarum ac vitiorum immortificatio, vt bonorum quorumuis nomen ferme offuscarint. Præterea si eorum vitam spectaueris, præter externam in vestibus quandam sacerdotij & pietatis laruam, qua secularibus reliquis præstent, offenderis nihil. Quid igitur mirum, si Dominus pariter

Psal. 118
Thren. 4.
Galat. 3.
Simile.

nos

nos omnes det in sibilum, in opprobrium, & (quod semel minatus est) in direptionem cunctis gentibus? Quid inquam mirum, si prophanis hominibus honore & nomine nos plærique inferiores habeant? quandoquidem mundanos homines Deo vtcunque deditos, quotus est sacerdotum, qui morum grauitate ac pietatis zelo antecellat? Torquet me ô Præsul amplissime huius æui nostri infœlicitas, desidia ac oscitantia nostra. Cæterum quid iuuat altis gemitibus suspirare, si non contingat emendari, quæ consolationis spes nobis affulgere poterit, si omnes plangamus nostra tempora, nostrosque mores, nec offendatur cui paroxismus curæ sit? Profecto Apostolus Paulus optimam videtur restaurandæ Ecclesiæ tradidisse methodum, inquiens: Attendite vobis, & vniuerso gregi, in quo vos Spiritus sanctus posuit Episcopos, regere Ecclesiam Dei, quam acquisiuit sanguine suo. Attendite, ait, non videte, aut habete vniuersum gregem, sed attendite, hoc est, linceis oculis, si possibile sit, dispicite, ac intimis cordis affectibus inuigilate vobis, vt correctionis officium incipiat à domo Dei: munda namque sit manus oportet, quæ aliorum sordes abstergere festinat, ne tacta quæque deterius inquinet, teste beato Gregorio, parte secunda curæ Pastoralis. Sequitur: Non huius ciuitatis aut loci, vnde magna temporalis lucri prodire possunt emolumenta, sed vniuerso gregi, cui præpositi sunt Episcopi, non vt gloria & diuitiis fastuosi intumescerent, non vt numeroso famulitio circunstipati procederent, non vt multos officij recenserent annos, sed multas lucrifacerent animas ac vniuersorum saluti prodessent. Sed & ipse Apostolorum Princeps: Pascite, inquit, qui in vobis est gregem Dei, prouidentes non co-

Act. 20.

1. Petr. 5.

acte, sed spontaneè secundum Deum, neque turpis lucri gratia, sed voluntariè, neque vt dominantes in cleris, sed forma facti gregis ex animo. His de causis infulis pontificalibus T. D. redimita, nec non Episcopi, hoc est, superintendentis nomenclatura decorata procedit; quatenus gregem Dominicum in Phrysia constitutum, diuersis reflexorum callium anfractibus palantem, variisque morum corruptelis exorbitantem, ad veræ vitæ tramitem, vt indefessa prompti animi alacritate facit, deducat, debilia infirmantium membra consolidet, ægrorum necessitudini congrua cataplasmatis adhibitione mederi studeat, horribili vulnerum atrocitate confractum, proportionatis ligaturis fouere non desinat, abiectum animo & despondentem reducat, ac perpetua damnationis pœna amissum mortis faucibus eruendo requirat. Quo autem iste commodius sequatur restaurationis effectus, istas nostras super sacrosancto Decalogo elucubrationes, iam denuo magno labore locupletatas & auctas, ac tersius recusas (quasi manum argumentoso obsequio oneri leuando supponens) tuæ decreui etiam iam consecrandas amplitudini, vt tanquam prudens architector ad istum, ceu lydium lapidem, subditorum mentes reformationis studio reducat. Possunt namque nobis esse vice regularum, notarumque, secundum quas nostrum componere debeamus animum. Si enim aliquid tortum in nobis sit, ad præcepta Decalogi tanquam ad rectæ lineæ normam reuocemus oportet. Si scopulosis hæreticæ prauitatis anfractibus collisi fuerimus, ad primum præceptum, quasi sacram anchoram (quo Deo sanctisque eius integrum suum honorem seruare iubemur) mentis nostræ acies est intendenda. Si iniusta periurij temeritate contaminati,

minati, ad ſecundum præceptum nos conuertamus, vt curuatura noſtra ipſi exemplari adæquata rectificetur neceſſe eſt. Si etiam adulterino animo alienum thorum conſpurcarimus, alia regula nobis præfixa inflexionem euitabimus. Si verò concupiſcentiæ motibus inflammati parum pudice cuſtodiendo voluntatem à recti via declinauerimus, conferendo noſtrum infrunitum animum tanquam lignum tortum huic normæ, Non concupiſces, etiam arcualem curuaturam ad debitam ſui formam redigere valebit. His quadrat characteriſmus Zeuſis pictoris, de quo memoriæ proditum eſt, teſte Cicerone, pulchram Helenam depinxiſſe in templo Iunonis collocandam, quam fœliciori omine vt inchoaret, formoſiſsimarum atq; ſpecioſiſſimarum quarumcunque virginum pulchritudinem imitatus, illum quo potiſsimũ pollebant decorem, quaſi ex ſingulis in vnam imaginem tranſmiſit: haud ſecus nobis facto opus eſt, vt perpolitam multiiuga virtutum pulchritudine exornatam valeamus habere animam, viuis præceptorum coloribus, mentis noſtræ imaginem illuſtrare. Deinde has elucubrationes qualeſcunque meas iam ſecundo præſtantiſsimi tui nominis dignitati nuncupatas volui, in aliqualem gratiſsimæ tuæ humanitatis, qua (vtpote vnius tecum loci tum municeps ciuisque tuus) à teneris (quod dicitur) vnguiculis fretus ſum, recognitionem. Accedit hinc cùm religioſa mentis tuæ pietas, tum ſyncerus in iis quæ ad fidem ſpectant Catholicam inuiolatè conſeruandam affectus, quem non obſcuris nec pœnitendis in hac turbulenta rerum tempeſtate prodidiſti indicijs, quando perdius & pernox nullis pepercisti laboribus, vt libris editis, ſynceritas Catholicæ fidei illabefacta permaneret,

Cice. lib. 2 Rhetoric.

eccle-

ecclesiasticaque disciplina ab Iconoclastarum furoribus persisteret immota. Crebris quoque, iisque pergratis ad populum declamationibus, necnon quotidianis disputationibus, magna subtilissimi ingenij tui acrimonia propositis, non obstantibus pastoralis curæ Parœciæ sancti Petri oneribus, florentissimam nostram Academiam Louaniensem, ante istam officij tui dignitatem, mirabiliter decorasti. Vel maxime etiam insignem dexteritatis tuæ constantiam manifestat, quod toga magistrali deposita, specimen viri militaris externo habitu præferendo, in arenam disputaturus cum vno, qui prouinciam prædicandi extra mœnia Antuerpiensia intolerabili temeritatis audacia sibi vindicarat, magno vitæ tuæ discrimine, quanquam exiguo fructu, descendisti. Efflagitat igitur merito hoc indefessum tuum studium, ad promouenda etiamnum omnia quæ integritatem fidei, Ecclesiæque decorem stabiliant, & opprimenda ea quæ ipsis sunt obstaculo generosè adhibitum, vt hoc nostrum qualecunque opus amplissimi nominis tui auspiciis exeat in lucem, eiusdemq; authoramento (quem lecturis omnibus precamur largius adfuturum) transeat cum fructu spirituali. Pater cælestis clarissimam T. R. diu sponsæ suæ seruet incolumem, alijsque omnibus principibus similem inspirare dignetur mentem, quo paribus sanctimoniæ & scientiæ ornamentis populo sibi subiecto præluceant. VALE.

Ex Conuentu nostro LOVANIENSI, Septimo Calend. Decemb. Anno 1575.

ORDI-

ORDINATISSIMVS CAPITVM HOC LIBRO contentorum cathalogus.

De glo-

II. PRAECEPTVM.

De vsu-

CATHOLICA PRÆCEPTORVM DECALOGI ELVCIDATIO, optima Methodo locorum communium diſtributa.

Lex quare nobis præſcripta.

CAPVT I.

LEX eſt ſententia, qua recta præcipiuntur,& mala vitantur: vel, Lex eſt conſtitutio eorum quæ promouent communitatem, quatenus bono fine potiatur, per ipſum expoſita, cui ordinaria cura eſt cõmiſſa. Quæ deſcriptiones erui poſſunt ex Aug. Et Inſtitutionibus de Iure Naturali. §. Sed & quod principi. Permittuntq; prima partitione bimembrem ſectionem, ſecundum eundem beatum Auguſt. Nam vna dicitur temporalis, altera æterna. Temporalis eſt, quemadmodum idem doctor eo loci demonſtrat, quæ quamuis iuſta ſit, cõmutari tamen per temporum interualla iuſtè poteſt. Aeterna verò deſcribitur ab eodem eſſe ratio diuina, vel voluntas, ordinem naturalẽ conſeruari iubens, perturbari vetans. Hæc diuiditur in Naturalem, & Scriptam, vti luculenter docet ſanctus Ambroſ. Naturalis eſt, non literis exarata artificum, ſed cordibus impreſſa mortalium, ſingulorumque pectoribus infuſa; iuxta illud Pauli Apoſt. Naturaliter gentes quæ legis ſunt faciunt. Nec opinio illam docuit, ſed quædam innata vis inſeruit, qua inclinatur homo, ad actus neceſſarios, in finem naturalem conducentes. Eſtque lumen vultus tui Domine, quod Propheta Regius, ſuper nos ſignatum aſſeruit, quo diſcernere bonum à malo conſueuimus, ſecundum D. Thomam. Nec characteribus forinſecus ſcribitur, nec aliquo lectionis ſtrepitu percipitur, ſed profluo quodam Naturæ fonte, in ſingulis exprimitur: Eſtque ſine fraude, conſors iuſtitiæ, expers iniquitatis, nullos honores ſibi arrogat, præferre ſe alteri ignorat, vindicare ſe nec vult, nec poteſt. Verum hanc ingenitam legem & naturalem dirupit Adam, quãdo voluit ſibi arrogare, cinis & puluis, tantum dignitatis faſtigium, vt eſſet omnium plaſmatori æquandus: itaque per inobedientiam offenſam traxit, qui ſi iuſsis cæleſtibus paruiſſet, & dictamini rationis obtemperaſſet; prærogatiuam incorruptæ naturæ atque ingenitæ ſibi innocentiæ poſteris ſuis reſeruaſſet, ac tranſmiſiſſet. Cùm autem per inobediẽtiam prærogatiua Naturalis

Lex quid.

Lib. 83. quæſt. quæſt. 31.

Lib. 1. de lib. arbit. ca. 6.

Diuiſio Legis.

Lib 22. cõtra Fauſt. Manic. cap. 27.

Subdiuiſio.

Lib. de fuga ſeculi cap. 3.

Roman. 2.

Pſalm. 4.

In ſcripto 4. diſt. 33. q. 1.

Prior cauſa lata Legis.

Legis corrupta ac interlita esset; Scriptæ Legis adminiculum existimatum fuit necessariũ, vt vel partem haberet, qui vniuersa amiserat; & cui perierat quod nascendo assumpserat, discendo saltem laborioso conamine cognosceret & custodiret, quod peccatum obnubilarat. Simul etiã, quia causa deiectionis eius, superbia extitit, quæ innocentiæ successit, propterea operæpretium fuit talem ferre Legem, quæ Deo subditum rursum & subiectum redderet, vt inquam per Legem disceret, cui reuerentiam & obedientiam exhibere deberet, quoniam sine Lege peccatum nesciebatur, teste beato Paulo Apost. Quo fiebat, vt minor esset culpa, vbi transgressionis, propter offuscationem Legis Naturalis, erat ignorantia: teste B. Ambrosio, lib. 5. Hexameron. Item August. lib. 5. contra Iulianum. Necnon sanctissimo patre Hieron. lib. de mansionibus, qui ibidem complures latæ Legis rationes assignat: Quarum prima est, vt dum iustitiam Dei ostendat, suæ vnumquemque iniustitiæ admoneat, certiorem faciat, conuincat denique ac condemnet. Est namque instar speculi cuiusdam, in quo nostram impotẽtiam & iniquitatem, præterea ex vtraq; maledictionem contemplamur, quemadmodum enim oris nostri maculas, speculum nobis repræsentat: ita ipsa Lex, nostræ cõuersationis reflexos calles, manifestat. Vel, sicut candela cauernosos præcipitiorum anfractus, euitare facit: haud secus ipse Decalogus, est nobis candelabrum, teste August. lib. de symbolo ad catechumenos, quo recti tramitis ad vitam ducentis certiores effecti, inoffenso pede currimus in semita mandatorum Dei. Postremò, Lege instruimur, vt qui nulla iusti rectique cura, nisi coacti tanguntur, dum audiunt diras in ea sanctiones, saltem formidine pœnę coërceantur. Quando enim tanquam iniecto freno, manus ab exteriori opere præcepta continent, prauitatem intus non cohibent, quam alioqui petulanter effusuri erant, ex quo nec meliores quidẽ sunt, nec apud Deum iustiores, nam tametsi vel terrore, vel pudore, quibusdam quasi cancellis conclusi, ac impediti, exercere non audeant, quod animo cõceperunt, nec suæ libidinis furias palã efflare; cor tamen non habent cõpositum ad timorẽ, & obedientiam Dei: imò quò magis sese retinent, eò fortius intus accenduntur, feruent, bulliunt, parati quiduis facere, & quouis prorũpere, nisi hic timor Legis, aut Mundi pudor obstaret; Nec id solum, sed Legẽ quoq; pessimè oderũt, & Deum legislatorẽ, execrãtur, vt eum si possint, maximè velint tollere, quem nec recta iubentẽ, nec suæ Maiestatis cõtemptores vlciscentẽ ferre possunt. Alijs quidẽ obscurius, alijs clarius, omnibus tamen nõdum regeneratis hic sensus inest, vt nõ voluntaria submissione, sed inuiti tantum, timoris violẽtia ad Legis studiũ trahantur, secundũ Ambros.

Posterior datæ Legis ratio.

Roman. 7.

Epist. 71. ad Irenaeum.

Cap. 21.

Cap. 9. Et ca. 70. lib. quæst. super Exod.

Mansione duodecima.

Similitudo.

Alia similitudo.

Cap. 18.

Psalm. 118.

Lib. 1. de Iacob cap. 4.

Vnde

Vnde crescit culpa cum proditur nec cauetur. Verum enimuero quomodo bonũ potest esse mandatum, quod nihil mihi fructus adferat, quin potius mors sit? nã certũ est quod mors mihi accessit, dum quod facio, agnosco peccatum. Quid miraris, inquit Ambrosius, si quibusdã Lex morti sit, cùm morti sit & Domini Saluatoris Aduẽtus, per quẽ redempti sumus? *Lex quomodo nobis mors est.* Etenim sicut cognitio venenatorum poculorũ, cõsummatur ad disciplinam medicinæ, sic diuinum Mandatum ad vitam æternam. Sicut autem ei qui malè vtitur noxijs potionibus, *Similitudo.* cognitio earũ in malum vertitur & periculum, & quo magis venena cognouerit, hoc se intelligit amplius periclitari: sic forma Mandati, ijs qui vel demõstrata atq; interdicta peccata vitare non possunt, nec volũt, mortis occasio est. Sicut ergo bonum antidotum, imprudenti & intempetãti non bonum: sic bonũ Mandatum, intẽperanti nõ bonum est. Qui autem per Spiritus directionẽ obtemperare parati sunt Legi cordibus fidelium insculptę, necnon literis expressæ, bifariã adhuc in Lege proficiunt. Est enim illis optimum organũ, quo melius discant, qualis sit Domini voluntas ad quã aspirant, atq; *Prodest Legis cognitio.* in eius intelligentia confirmentur. Vt, si quis seruus, iam ita sit toto animi studio cõparatus, vt domino suo se approbet, necesse tamen habet mores domini explorare accuratius, & obseruare ad quos se cõponat & accõmodet. Nec se quispiã nostrum ab hac necessitate eximat, nemo enim eo sapientiæ adhuc penetrauit, vt nõ possit ex quotidiana Legis eruditione nouos facere progressus, & puriorẽ diuinæ voluntatis notitiã. Deinde quia non sola doctrina, sed exhortatione quoq; indigemus, hanc vtilitatem ex Lege etiam capiet seruus Dei, vt frequenti eius meditatione excitetur ad obsequium, in eo roboretur, vt à delinquẽdi lubrico detrahatur. In hunc enim modũ Sanctos instare oportet, qui secundum Spiritũ quantalibet alacritate ad Dei iustitiam contendant, carnis tamen ignauia semper onerãtur quo minus legitima promptitudine pergant. Huic carni Lex flagrum est, quo instar tardi asini ad *Similitudo à flagro sumpta.* opus vrgetur: imò spirituali homini, quia nondũ carnis mole expeditus est, assiduus aculeus erit, qui desidêre illũ non per- *Alia similitudo.* mittat. Nimirum in hunc vsum respiciebat Dauid, cum insignibus illis encomijs Legẽ celebraret, Lex Domini imma- *Psalm. 18.* culata, conuertens animas, iustitiæ Domini rectæ lætificãtes corda, præceptũ Domini lucidum illuminans oculos, &c. Et: Lucerna pedibus meis verbum tuum, & lumẽ semitis meis, *Psalm. 118.* ac innumera quæ toto illo Psalmo prosequitur. Quibus ostẽdit Propheta, quãta cum vtilitate, Legis suę lectione, erudiat Dominus eos, quibus intus obsequendi promptitudinem in- *Nullum præceptũ, est nobis impossibile.* spirat: nec sola præcepta arripit, sed rebus annexam gratiæ promissionem, quæ sola facit, vt quod amarum est dulcescat.

Quòd Lex nequaquam sit seruatu impossibilis.

CAPVT II.

EX his omnibus,quæ modò dicta sunt: satis luculenter apparet, quàm impudenter Caluinus accuset legē impossibilitatis,quasi eminus valeamus spectare appositas promissiones, non tamen fructum ex ijs aliquem colligere. O inauditam callidi serpentis astutiam! ô damnandam versipellis persuasionem! Fidem corrumpendo excussit, etiam operum impossibilitate homines à Legis impletione deterret, Et dum Legem latam negare nequit, vt homines ignauiæ deditos reddat, suæque salutis extorres, Deum accusat, quando iugo impossibili nos non tam onerare, quàm opprimere satagit: Sed Christus obstruit os loquentis iniqua, Venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam vos: tollite iugum meum super vos, iugū enim meum suaue est,& onus meum leue.Si dicat Christus iugum suum esse leue, quare tu Caluine fingis laborem in præcepto? Præterea Ioannes * pronuntiat quod mandata Dei non sint grauia. Et: Præceptum quod dedi vobis, non longè est à vobis. Certè si præcepta non sint longè à nobis, secundum testimonium ipsius Moysis,nec grauia,secundum sentētiam Ioannis,nullo modo possunt dici impossibilia secundū errorem hæretici. Execramur, inquit D.Hieron. eorū blasphemiam, qui dicunt aliquid impossibile à Deo esse præceptum. Et multa præcepta Dei imbecillitate sua,non Sanctorum viribus, æstimantes, putant esse impossibilia. Sciendum est Christum non impossibilia,sed perfecta præcepisse,cui consentanea est D. August. sententia: Impossibile Deus,inquit, non potuit imperare, quia iustus; nec damnaturus est hominem pro eo quod vitare non potuit: quia pius est. Eandem videre est sententiam lib. de Spiritu & litera. Christus insuper clarioribus verbis admonet, Si vis ad vitam ingredi, serua mandata, insinuans sine mandatorum obseruatione, neminem ad vitam illam beatam admittendum.Constat autem Iustos ex hoc corporis tabernaculo commigrantes, Cælestia capessere Regna,secundum August.Requiem,inquit, quæ continuò datur post mortem,si ea dignus est,tunc accipit quisq;,cùm moritur. Et Paulus: Scimus quoniam si terrestris domus nostra huius habitationis dissoluatur, quod ædificationem habemus ex Deo,non manufactam,sed æternam in cælis. Tales igitur seruarunt mandata, absq; quorum obseruatione ad beatitudinem non potuerant peruenire, & proinde liquido constat nihil nobis per gratiam sanatis impossibile pręceptum:nam etsi lex sit onus,est tamen leue:etsi sit iugum, est tamen suaue, quemadmodum pulchrè declarant

Lib.2.Instit. Christ. cap.7. sect.3.& 5. *Caluinus plurimū fallitur.* Matth.11. *1.Ioan.5. Psalm 93. Deuter.8. *In expositione Symb.ad Damasum Papā. Super 5.cap. Matth. Serm.61.de temp. Cap.36. Et q.140.super Exod.Item de nat. et gra. cap. 43. Et beatus Basilius de dilectione inimicorum. Rursus D. Chrysost. li.de cōpunc.cordis.* Matth.19. *Tract.49. in Ioannem.* 2.Corinth.5. *Apta cōparatione,ostendit pracepta non esse grauia reputanda.* Matth.11.

rant Chrysost. super Matth. Ambros. lib. de Helia & Ieiunio, ac August. Est enim, inquit Bonauent. non onus onerans, sed alleuians: sicut pennæ in auibus, quæ licet in se alicuius sint grauitatis, tamen alarum pennatarum remigijs ad altiorem aëris regionem eleuantur: & sicut rotæ in curribus, quæ licet permagnę sint & crassæ in se, tamen currum inutile lignum, quasi quatuor pedibus, faciūt expeditum: ita licet Lex alicui grauis videri possit, eam tamen custodientibus, est causa salutis. Hinc Concilium Trident. Si quis dixerit, Dei præcepta etiam homini iustificato, & sub gratia constituto, ad obseruandum impossibilia; anathema sit.

Homil. 39. Cap. 22. Serm. 48. de tēp. & 61. ad fratr. in eremo. Lib. 4. Sent. dist. 1. q. 1. Sess. 6. can. 18

Quare Deus legem tulit, quam, à multis non obseruandam, præcognouit? CAPVT III.

IN præsentiarum occurrit inquirendum, quid causæ fuerit, quare Deus homini Legem tāquam muscipulam parauerit, qua ipsum capiendum & superandum non ignorauit? Pius enim pater, nunquam permittit filium ingredi bellum, quo præcognoscit ipsum esse interficiendum: nec pastor bonus, committere solet ouem lupis deuorandam. Et: Si petierit filius panem, nunquid porriget lapidem ei? aut si piscem, nunquid serpentem dabit illi? Si ergo non det filio serpētem, ne eius toxicum sit mortis occasio, nec Deus præcepta præscribere debuit (vt videtur) quibus occasionē mortis permultis ministraret. Sed notādum est, quod quanquam sit pijssimus pater, & pastor optimus, nihilominus tamen est iustissimus, ideoq; paterna pietas, iustitiæ decorem non excludit. Pietatis certè fuit, proponere aliquid homini, quo occasionem haberet præmiandi, quem constaret iniūcta negotia fideliter executum, præmiumque suspendere, quo legitimè certantes coronaret, teste beatissimo Patre Aug. Et cùm sic res Deus instituerit quas condidit, vt eas proprios motus agere sinat, hominem tamen in libertate arbitrij, & in manu consilij sui reliquit, vt ageret quod vellet, siue bonum, ad prę-mium, siue malum, ad pœnam. Nec Deus fuit improuidus, nec futurorum lapsuum credendus est fuisse ignarus, vt criminatur Manichæus secundum August. Nec etiam existimandum est aliquid in opere Dei esse quod indigeat alterius malo, quo ad bonum proficiat, secundum eundem lib. 11. de Genesi ad literam. Quia quadruplex reperitur ratio, quare legem non ab omnibus obseruandam præstiterit. Prima ratio est inscrutabilis, Quia expresse testatur August. se altitudinem diuini consilij in hoc argumēto penetrare non posse. Secunda, Permisit lapsum hominis, vt demōstraret naturam animæ rationalis, non in sua nobilitate gloriari, sed Deo sub-

Luc. 11. Lib. 7. de ciuit. Dei, ca 3. Et lib. de natura boni, cap. 34. & 35. Lib. 22. cōtra Faust cap. 4. Cap. 11. Quadruplex est ratio lata Legis. Lib. præmisso cap. 4.

Cap.21. Cap.35. ditam esse debere, vt clarissimè docet D. Aug. lib. 2 de peccatorum meritis & remiss. Et de natura boni. Tertia, Vt ostendatur quantum eius gratia præstare possit, quæ de tam damnata propagine, tam copiosum Christiani populi numerum colligit, vt inde suppleat & restauret partem, quæ lapsa est, angelorum; ac sic illa dilecta ciuitas, & superna Hierusalem non fraudetur suorum numero ciuium, quin & fortasse

22.cap.1. & lib.14. de ciuit. Dei, c.26. Ex malis, nouit Deus elicere bona. vberiore lætetur consortio, teste August. Quarta, Legem tulit, & hominem peccare permisit, vt ex lapsu hominis, maiora eliceret bona. Hac siquidē ratione, homo maioribus, ac cumulatioribus charismatum donis, est affectus. Christi namq; passionem, Martyrum palmas, Virginū aureolas nequaquam habuisset, nisi Mundus peccatis tāquam quibusdam flagellis confractus fuisset, vnde quodā modo Mundus in hoc rerum statu pretiosior esse potest, quàm in statu primordiali fuisset, quemadmodum indicat D. Bonauent. commodo satis exemplo. Cyphus crystallinus, inquit, est quidem secundum se pretiosus, tamen si ob rupturam aliquo lapsu sequentem annulo circumligetur argēteo vel aureo, multo pretiosior erit quàm prius, Facilis est applicatio. Malos deniq; esse permisit, quia præsciuit quibus bonorum vsibus eos applicaret, secundum

Lib. Enchirid. cap.34. August. Item alio in loco pauló explicatius: Ne putetis, inquit, gratis malos esse in hoc Mundo, & nihil boni de illis agere Deum. Omnis malus ideo viuit vt corrigatur, aut ideo

Lib.4 orthod. fidei, ca.22. viuit vt per illum bonus exerceatur. Et Ioan. Damasc. Et si illos quos præsciuit malos Deus non creasset, tunc malum hominis, vinceret Dei bonitatem. Nam præcognitum malum, prohiberet ipsius productionem, ex sola Dei bonitate proficiscentem, quod est absurdum & impium: cùm potius e-

Sapien.7.& 8 diuersò, Sapientia vincere debeat malitiam, quę attingit à fine vsque ad finem fortiter, & disponit omnia suauiter.

Triplex est Legis Moysaicæ acceptio, & prima de iudiciali. CAPVT IIII.

Deuter.4. E Loquijs sacris edocti, cognoscimus triplex esse Legis Moysaicæ discrimen, sic enim legimus: Decem verba scripsit Deus in duabus tabulis lapideis, Moysiq; mandauit in illo tēpore, vt doceret populum Cæremonias, & Iu-

Cap.6. Iudiciale præceptum, quid? dicia, quæ facere deberent in terra quam possessuri erant. Et: Hæc sunt Præcepta (vbi nomine Pręceptorum intelliguntur Moralia) Cæremoniæ atq; Iudicia, &c. Ista autem Iudicialia præcepta erant super causis & cōtrouersijs inter homines, & super voluntarijs eorum cōtractibus, ac vt vno verbo omnia dicam, super omnibus pertinētibus ad populi illius regimen

Cap.18. & directionem, quomodo Ezechiel inter reliqua dicit, Si iudicium

dicium verum fecerit inter virum & virum. Huiusmodi, inquam, præceptorum obligatio erat constituta principali ratione, non ad figurandum, seu ad aliquid significandum, sed ad pacificum illius populi statum conseruandum, secundum regulam æquitatis, & iustitiæ rigorē. Tametsi ex consequēti etiam huiusce modi præcepta quædam figurabāt, inquantum totius populi illius status præceptis talibus disponendus fuerat propheticus, teste Thoma. Istud autem Præceptum quatuor ordinibus secūdum eundem, peragebatur: quorum, primus, cōtinet Præcepta ad institutionē principū pertinentia: Secundus, erat ciuium ad inuicē certis quibusdam plebiscitis colligatorū: Tertius, respiciebat extraneos, ita vt arma hoc præcepto assumerent, loco & tempore, contra hostium truculentam rabiem, classicumq; canerent. Quartus, domesticam, rei familiaris, respiciebat, conuersationem. Quę autē, & quot sint Præcepta Iudicialia, qualiq; ordinētur ratione, expetere licet, ex præfatæ quæstionis artic. primo. Hæc iam sunt mortua & obsoleta, quia non habent iam vim obligandi, nequaquam tamē sunt mortifera: si enim Princeps aliquis ordinaret, & in regno suo statueret ista Iudicialia, oculū pro oculo, dentem pro dente, & similia, obseruari; nō peccaret, nisi fortassis hoc modo obseruarentur, vel obseruari præciperentur, hoc noui testamēti tempore, tanquā vim habentia obligandi ex Veteris Legis institutione: talis enim intētio esset mortifera, non enim instituta sunt potissimū ad figurādum, sed ad disponendum illius populi statum, qui ordinabatur ad Christum, ideoq; illius populi per Christi Aduentū statu mutato Iudicialia Præcepta obligandi vim deposuerunt: Lex siquidem fuit pædagogus, ducens ad Christum, secundum Paul. Si autē Principis authoritate rursum instituerentur, eorum obseruatio absolutè nō præiudicaret Fidei veritati, nō enim demonstrant Præcepta Iudicialia principaliter Christi Aduentum. Si autē intentio obseruādi, procedat ex obligatione Veteris Legis, præiudicaret veritati Fidei, quia per hoc concluderetur, quod status prioris populi duraret, & per consequēs Christus nō venisset, qui est benedictus in secula, Amē.

1. 2. quæst. 104. art. 2. Art. 4.

Iudicialis Lex 4. absoluebatur.

Iudicialia, quo modo seruāda, quomodo etiā obsoleta.

Deuter. 25.

Galat. 3.

De Caremonialibus Preceptis. CAPVT V.

PRæcepta Cęremonialia sunt, quibus homines instruuntur in ijs quæ pertinent ad cultum Dei, iuxta illud, Esto populo in his quæ ad Deū pertinent, ostendasq; populo Cæremonias, ritumq; colēdi, & honorādi ipsum. Cùm enim homo sit compositus ex anima & corpore, vtrunque debet Dei cultui mancipari, quocirca offerūt sese interiores actus: vt sunt, credere, sperare, diligere, quæ non præcipiūtur, quia Lex non imponitur nisi subditis: cùm autem prima hominis

Exod. 18.

subiectio ad Deum, fiat per fidem; secundum illud Apostoli, Hebr. 11. Accedentem ad Deum oportet credere: ideo fides præsupponitur ad Legis præcepta secundum Thomam, 2.2.quæst.16 Nisi enim iam homo crederet & speraret, frustra præcepta audiret, & obseruaret. Alia sunt exteriora opera, quibus homo Deo subditur, eiusque seruitio se mancipatum profitetur, & hoc varijs modis: *Sacrificium quid.* Primo, Sacrificijs, quę erant oblationes, quibus homo protestabatur se omnia à Deo possidere, illique omnia esse asscribenda, quemadmodum docetur 1. Paralip. 29. Hac ratione, sacrificium appellari potest omnis oblatio, quæ offertur Deo, in recognitionem supremi dominij, vt solutio primitiarum, Exod. 22. Primitias non tardabis offerre: sic solutio decimarũ Deut. 12. de quibus Coucilium Lateranense 2. sub Alexandro tertio celebratum. Concil. Trident. August. Iosepho lib. 20. antiquit. Et Thoma, Et qui decimas euolutis temporibus præstare recusant, cum Caim supremum Dei dominium, à quo omnia procedunt, negare probantur, Ex debito enim requiruntur, & qui dare noluerint, res alienas inuadunt, vt allegatur decima sexta quæst. 1. cap. Decimæ. Triplex autem veteribus erat sacrificium, videlicet, Holocaustum, quod in diuinæ maiestatis gloriam & honorem totum cremabatur, quemadmodum declarat D. August. & figurabat Christi sacrificium, qui tradidit seipsum pro nobis. Secundum sacrificium erat Hostia pro peccato, quod offerebatur ad consequendam peccatorum remissionem, cuius vna pars in gloriam Dei relata comburębatur, altera in vsum sacerdotum committebatur, ad signandum, quod expiatio peccatorum fieret ministerio sacerdotum, cui iam succedit Pœnitentiæ Sactamentũ. Tertium sacrificium erat Hostia pacifica, quæ in gratiarum actionem, Deo referebatur, huius vna pars cremabatur, secunda, cedebat vsui sacerdotum, tertia, erat vsui offerentium, ad demonstrandum quod salus hominis procedat à Deo mediantibus ministris, & cooperantibus, qui saluantur, hominibus, teste Thoma. Deinde erant priscis Patribus etiã Sacramenta, quibus Deo consecrabantur, quorum quædam, sacerdotes concernebant, sicut vnctio, quædam vero vniuersum populum, sicut circũcisio, & agnus Paschalis. Ista Cæremonialia Præcepta, geminam habebant institutionis causam, vnam literalem, alteram figuralem. Literalis sensus Solennitatis Paschalis, erat, in commemorationem mirabilis exitus Israëlis de Aegypto. Figuralis causa, erat, ad præfigurandum mirabilem exitum de tenebris peccatorum per Christum Agnum Dei, secundum Irençum lib. 4. aduersus hæreses. Et Thomam 1. secundæ fusius hæc prosequentem. Sic duplici de causa sacerdotes Aaronici, sacrificia litabant, Priori, ne deprauatis Aegyptiorum moribus cor-

Marginal notes: *Decima soluenda.* — *Tractatu de decimis.* — Sessio. 25. cano. 12. — Ser. 215. & 219. de temp. — Cap. 16. — 2.2. quæst. 87 — Leuit. 27. & Malach. 3. — *Triplex sacrificium.* — *Holocaustum.* — Leuit. 6. — Super Psa. 64 — *Hostia pro peccato.* — Leuit. 4. — *Hostia pacifica quid?* — Leuit. 22. — 1. 2. quæst. 101. art. 3. — *Sacramenta veteris legis.* — Leuit. 8. — *Duplex causa instituterum Præceptorum cæremonialiũ.* — Exod. 12. — Cap. 50. — q. 102. art. 2. 4. & 5.

rupti, ad idolorum eorum culturam defluerēt,quocirca permisit Deus immolare, non tamen absque discrimine omnia omnibus,sed sibi soli vero Deo, Aegyptiorum quoque Deos offerre præcepit. Olim siquidem Aegyptij deos sibi bouem, capram, columbam, turturem, & eius generis alia vendicabant,vt iam tali pharmaco expertissimus medicus, Iudæorū paroxismo,Aegyptiaca familiaritate contracto,succurreret, sacrificare indulsit,ea tamen,quæ pridē tanquam Deos cum Aegyptijs coluissent, vt probè Numen nequaquam esse cognoscerent,quod tanquam victimam vero Numini mactassent. Ideoque illos suillis carnibus abstinere voluit,quia nimirum hisce solis, Aegyptij, vescebantur, teste Theodoreto lib.7.Græcarum affectionum,quod alijs bestijs tanquam dijs suis parcerent. Hac ratione diuinum eloquium præcepit,vt non dijs gentium dæmonijs immoletur, sed soli Deo viuo & vero,nō quoduis animal,sed certa ordinatione decretum, mactetur. Altera ratio est, quia sacrificia illa figurabant, & quotidie altis quasi vocibus personabant, Vnicum futurum sacrificium,teste Augustino de fide ad Petrum. Nam omnia sacrificia Veteris Legis referebantur ad vnum Nouæ Legis, quod est Singulare & Præcipuum Sacrificium,quemadmodum docet Paulus: Dicit enim omnia illis in figuris contigisse. Nec istæ Cæremoniales Leges poterant aliquem à peccatis liberare,aut remissionē eorum impetrare: si enim data esset lex,quæ posset iustificare, frustra Christus mortuus esset. Impossibile siquidem est,secundum eūdem Apostolum, sanguine hircorum aut vitulorum auferri delicta,quare non iniusto titulo, appellantur, vacua & egena elementa. Erant tamen immunditiæ corporales,quæ cōtingebant vel attactu lepræ,aut cadaueris; ab hac immunditia habebant virtutem emundandi,sicq; est Paulus ad Hebr.9. intelligendus,quandò dicit, sanguinem hircorum & vitulorum inquinatos sanctificare. Cùm autem ista præcepta ordinentur ad cultum Dei,& ad figurandum Christum,de quo hocce tempore aliter credimus quàm patres Veteris Legis, qui fide opinabantur eum aliquando venturum, quem nos humanatū venisse iamdudum gaudemus, teste Irenæo lib.4.aduersus hæreses. Et August.lib.2. de nupt.& concupis. Itaq; Cæremoniæ debent mutari,vt Circuncisio in Baptismum,secundum Apostolum: Circuncisi estis,inquit,circuncisione non manu facta,in expoliatione corporis carnis,sed in circuncisione Domini nostri Iesu Christi,cōsepulti ei in baptismo. Et ad Galat.5.Si circuncidamini, Christus vobis nihil proderit. Istud eruditè simul & pulchrè docet Ambr.lib. de Abrahā, necnon epist. septuagesima septima ad Constātium. Quin & Baptismum suo tempore subrogandū,præuidit Dauid Propheta,

Leui 1.2.&c.

Bruta animāria, duplici causa immolari, Deus, præcepit.

Dij Aegyptiaci.

Suillis carnibus, Iudæi non vescuntur.

Altera, Sacrificiorum ratio.

Cap.21.

Hebr.10. & 1.Corin.10.

Galat 2.

Hebr. 10.

Qualis energia, & efficacia cæremoniarum.

Galat.4.

Pauli sententia declaratur.

Leuit. 22.

Vna est fides Noui & Veteris Testamenti.

Cap.28.

Cap.12.

Colos.2.

Cap. 4. Et

Epist.72.quæ est ad Irenæū.

Cap.12. *Sabbathũ, mutatum in Dominicam.* eodem teste lib. Apologiæ Dauidis. Sic quoque Sabbathum, quod significabat primæ creationis requiem, translatum est in diem Dominicum, in quo commemoratio fit nouæ creaturæ per Christi resurgentis nouitatem, sicq; de reliquis festis, de quibus singulis, fusiorem licet reperire tractatũ apud

1. 2. *quæst.* 103. *art.* 3. D. Thom. Cùm ergo ista Legis instituta quibusdam quasi velamentis, adumbrarint, veritatem futuram, & quibusdam quasi typis, figurarint, Christum venturum; meritò cessare iubentur, ne iudaizãtes Christum venisse negare videamur. Sicuti enim veteri populo inane prębuisset spectaculum, nisi mortis & resurrectionis Christi virtus illic monstrata fuisset; ita nisi cessassent, decernere hodie non liceret, quorsum fuissent institutę.

Colos. 2. Ideo Paulus, vt eorum obseruationem non superuacuam modò, sed noxiam quoque esse probet, vmbras fuisse docet, quarum nobis extat in Christo corpus. Videmus,

Cæremoniæ, habuerũt speciem vmbræ. Matth. 27. inquam, vt in earum abolitione melius præfulgeat Veritas, quam si adhuc procul & quasi obtento velo, Christum, qui palam apparuit, figurarẽt: ideo & Christi morte velum templi in duas partes scissum, cecidit, quia nimirum, viua & expressa imago cælestium bonorum, in lucem prodierat; quæ obscuris tantum lineamentis inchoata fuerat, vti docetur ad

Luc. 16. Hebr. 10. Huc pertinet dictum Christi, Legem & Prophetas fuisse vsq; ad Ioannem, ex eo Regnum Dei cœpisse euangelizari, Non quod prędicatione, quæ spem salutis & vitę æternæ continet, priuati fuerint sancti Patres, sed quia procul, & sub vmbraculis, intuiti sunt dũtaxat; quod hodie in plena luce proponitur. Nec valemus Deũ insimulare incõstantiæ,

Cæremoniæ, quare interdum mutẽtur. *Hom.* 17. *super Matth.* aut vanitatis, dicendo, Sacrificia & reliqua Veteris Legis instituta, si bona, quare mutata? si mala, quare instituta? quia secundum Chrysost. in verba illa, Est est, nõ non. Et August. epist. 5. quæ est ad Marcellinum, Non est incõstans aut mutabilis homo, si aliud mane, aliud vespere, illud hoc mense, illud autẽ alio mense vel anno præcipiat: Ita nec Deus mutabilis est cẽsendus, quod diuersis tẽporum spatijs, diuersa seruitutis, requirat, officia.

Actor. 15. Nec his obstat Scriptura, Visum est Spiritui sancto & nobis, aiunt Apostoli, nihil vltra imponere oneris quàm hæc necessaria, vt abstineatis vos ab immolatis simulachrorũ, & sanguine, & suffocato, quorũ aliqua pertinẽt

Diluitur obiectio contra cessationẽ Cæremoniarum. ad Cæremonialia, nẽpe abstinere à sanguine. Quia Apostoli non prohibuerunt hęc ad obseruãdas Cæremonias Legis, sed ad hoc solum, vt posset coalescere mutua, Iudæorũ & Gentilium simul habitantium, conuersatio. Iudæis namq;, propter aliquã consuetudinem, sanguis & suffocatum erãt abominabilia, & comestio idolis immolatorũ, poterat Iudęis generare suspicionem reditus ad idololatriam. Ideoq; ista fuerũt prohibita, pro tempore illo, in quo de nouo oportebat cõuenire

Iudæos

Iudæos cum Gentibus. Processu autem temporis, cessante causa, cessare debuit effectus, potissimùm, quando Paulus & Christus docuerint, quod intrat in os non coinquinare hominem, si cum gratiarum actione percipiatur. *1. Timoth. 4. Matth. 15.*

De Præceptis Moralibus. CAPVT VI.

HAec sunt præcepta Legis Naturæ, non ad figurãdum ordinata, sed ad consequendam & conseruãdam Dei & hominum amicitiã instituta, secundum Thomam. Quemadmodum enim intentio legis humanæ, vergit vt faciat amicitiam hominum ad inuicem, teste August. Haud secus intentio Legis diuinæ eò tendit, vt amicitiam constituat hominis ad Deum. Vos amici mei estis, inquit, si feceritis, quæ præcipio vobis. Cùm autẽ similitudo sit causa amoris, iuxta illud: Omne animal diligit sibi simile: res fieri non sinit esse amicitiam hominis ad Deum, qui est optimus, nisi homo efficiatur bonus. Sancti estote, quoniam ego Sanctus sum, Bonitas autem est virtus, quæ bonum efficit habentem, ideò operæpretium fuit, dare hominibus in antiqua Lege præcepta de actibus virtutum, quæ appellãtur moralia, quod bonis moribus conducant. Plurimum tamen discrepant à Cæremonialibus & Iudicialibus, quia hæc, ex institutione extrinseca obligãdi vim (vtpote ante expressam institutionẽ indifferentia) nanciscuntur, nec peccatũ incurrebat ante expressam institutionẽ, qui ea vel seruaret, vel nõ seruaret, teste Tho. nec sequũtur Naturã, nec extiterũt ab exordio Naturę creatæ, nec etiã erunt perpetuis tẽporibus duratura, sed per Christum euanida futura, ita tamen vt ea impleret, & in posterum aboleret. Moralia verò ex dictamine rationis naturalis procedunt, ideòque non sunt indifferentia, sed obligandi potestatem habuerunt, etiam antequam viuæ vocis oraculo, promulgarentur; nec obligare desinunt, quia manente Natura & ipsa manent. Sciendum est tamen, Legem antiquam, fuisse abolitam, & extinctam, Abolitam, inquam, omninò totam, quantum ad vinculum obligandi, quod Lex illa habebat ex institutione, vel ipsius Moysis promulgatione, siue Cæremonialia spectes, siue Iudicialia, siue etiã Moralia, quicquid enim est Moysis, in hoc institutionis genere, vel publicationis abrogatum est, De tota siquidem Lege simpliciter ait Paulus, Translato Sacerdotio, necesse est vt Legis translatio fiat. Et alibi pronũtiat Legem euacuatam, per gloriam Christi. Nisi quod cum tria ibi fuerint præceptorum genera, Moralia tanquã ius Naturę, quod vniuersum orbem semper obligat, iussa sunt denuò, explicatiusque per Christũ sancita, teste Aug. & Lactantio Firmiano. Quemadmodum prophetauerat Micheas, Lex de Syon proficiscetur, & sermo Domini

1. 2. quæst. 99 art. 2.
Lib. 4. Ciuit. Dei cap. 4. Et Serm. 31. ad fratres in ere.
Ioan. 15.
Similitudo, est causa amoris.
Ecclesi. 13.
Leuit. 19.
1. 2. quæst. 100. art. 11.
Discrimẽ præceptorũ moralium, & cæremonialium.
Lex Moysis, tota quomodo abrogata.
Hebr. 7.
2. Corinth. 3.
Tria præceptorum Legis genera.
Lib. 19. cõtra Faust. cap. 7.
Et lib. 18. de Trinit. ca. 54.
Lib. 3. ca. 17.
Cap. 4.

Domini de Ierusalem, illa namque prior Lex quæ per Moysen data est, non in monte Syon, sed in monte Oreb concessa legitur. Quin & ipse Moses, vt Propheta maximus mitteretur à Deo, qui esset super Legem, quiq; voluntatem Dei ad
Deuter. 18. homines perferret; ita scriptum reliquit: Et dixit Dominus ad me, Prophetam excitabo eis de fratribus eorum sicut te, & dabo verbum meum in os eius, & loquetur ad eos, quæ præcepero ei, & quisquis non audierit ea quæ loquetur ille in nomine meo, ego vindicabo in eum. Denuntiauit hic expressè Deus per ipsum Legiferum, quod per filium suum, viuam præsentemque Legem missurus esset, & illam Veterem per Moysen datam soluturus esset, vt denuò per eum qui est Aeternus Legem sanciret æternam. Huc facit autho-
Matth. 5. ritas Christi, Non veni soluere legem, sed adimplere. & sub-
Christus, quomodo venit legē adimplere? ditur: Dictum est antiquis, Non occides, Ego dico vobis, Ne irascamini. hic adimpletio est. Audistis dictum esse, Non mœchaberis, Ego autem dico vobis, Ne concupiscatis, & hic
Lib. 19. cōtra Faust. cap. 3. quidem adimpletio est secundum August. In his enim & similibus priora roborat, & confirmata adijciendis complet.
In 5. ca. Mat. Quemadmodum pictor (secūdum Theophyl.) non corrum-
Homil. 16. in Ezechielem. pit lineamenta prima, sed magis illustrat, & supplet desiderata: sic Lex, quod coërcebat in opere, adimpletio resecare
Lib. 18. cōtra Faustum Manich. cap. 6. Et lib. 19. cap. 7. debuit in corde, teste Gregor. Vel venit adimplere, non soluere, secundum August. quia quod nostra virtute imbecilles, viribusque confracti non valemus, eius adiutorio possumus, qui dat spiritum perficiendi ea, quibus humana infirmitas succumbit.

De mortificatione legalium. CAPVT VII.

8. 9. 19. apud August. HAVD exiguam constat fuisse controuersiam inter D. Hierony. & Augustinum, vt liquet ex epistolis vltro citroque missis. Quam etiam difficultatem exa-
Lib. 4. Sentēt. dist. 3. art. 3. quæst. 2. minat S. Bonauentura. An videlicet, simulatque Christus, nostrę salutis mysterium, per acerbam crucis passionem, operatus est, Legalia extiterint lætifera, adeò, vt eorum obseruantes mortaliter delinquerent. Certè D. Hieron. duos tem-
Diuersitas Hiero. & August. in temporū distinctione porum status constituit, Vnum ante passionem Christi, quo affirmauit legalia esse viua & proficua, Alterum, post passionem, quo existimauit ea esse mortifera, ita quod læthale crimen incurreret, qui ea à passione Christi obseruaret: Augustinus autem, tria temporum spatia distinxit, Vnum, ante Christi passionem, quo legalia adhuc vigorem suum retinebant: Aliud, post passionem, vsq; ad sufficientem Sacri Euangelij promulgationem, quo quidem tempore erant mortua, nequaquam tamen mortifera, vt modo sunt, quando Sacri Euangelij splendor vbique terrarum illuxit, Cum honore

namque

namque Synagoga, erat tumuli penetralibus recondenda, non tanquam vile scortum, cum opprobrio, abijcienda. In hoc laborioso certamine digladiati sunt præfati Patres, quatuor modis potissimum ab inuicē discrepantes. Primò, temporum discrimine, vt euasit manifestum. Secundò, in obseruatione Legalium quantum ad Apostolos, qui (secundum Hierony.) nunquam seruauerunt Legalia, persuasum sibi habentes ea esse mortua, nisi fortè quadam simulatione, ne ponerent infidelibus lapidem offensionis, & petram scandali. Augustinus verò, docet, quòd Apostoli, absque fictione Legalia seruauerint, non tamen in eis, salutis anchoram figētes. Tertiò, Hieronymus dicit, Petrum simulatione non peccasse, sed charitati officio obsequioso seruijsse, August. non item. Quartò, Hieronymus dicit quod Paulus non verè reprehendit Petrum, sed quadam simulatione, qua ipsum credebat Legalia obseruare. Ratio tamen Augustini Epist. 19. (quæ est ad Hieron. posita) videtur probabilior, qua permittere recusat aliquam in Scripturis simulationem, aut mendacium etiam officiosum, vno siquidem admisso, vnoque inconuenienti posito, nihil authoritatis Sacrę Scripturæ remaneret. Quod etiam Paulus non fuerit mentitus, ipse testatur dicens: Quæ autem scribo vobis coram Deo, quia non mentior, & si Petrus non peccasset, Paulus mentitus fuisset, dicendo, Quod reprehensibilis erat, Et quod non rectè ambularet ad veritatem Euangelij. Cuius dilucidiorem declarationem, ex elucubrationibus patris Adami Sasbour Delphij, expetere non fuerit indignum. Rationes D. Hieronymi, videre licet Epist. 11. inter epistolas Augustini, quia protestatur se sequutum sententiam Origenis, Dydimi, Apollinaris, Laodiceni, Alexandri, Eusebij Emisseni, & Theodori Heracleotis. Subnectit prætereа se motum in eadem epistola ad hanc sententiam, vt responderet Porphyrio blasphemo, qui Paulum Apostolum arguit procacitatis, quod principē Apostolorum Petrum, ausus fuerit reprehendere, & notam transgressionis inurere. Cui ipse Paulus maximè videtur obnoxius, quia Timotheum ex patre Gentili & matre Iudæa progenitum, circuncidit, vt vitaret Iudæorum præsentium scandalum, eamque ob causam persoluit votum, & secundum legem Moysi obtulit sacrificium. Si hoc ei licuit, quare non licuit Petro se subtrahere, & ad tempus cum Iudæis Legalia seruare? D Bonauentura, & Thomas, existimant sententiam Augustini esse veriorem, & scripturis conformiorem, nam authores quos sequutus est Hieronymus, dicit quatuor eorum fuisse hæreticos. Cùm sex, inquit, vel septem nominaris, horum quatuor authoritatem tu quoq; infringis, nam Laodicenū (cuius nomen taces) de Ecclesia dicis nuper egressum esse,

Præfati patres, 4. modis, dissident.

Aug. sententia videtur præferenda.

Super epist. ad Galat. 2.

Rationes, quibus D. Hiero. motus Aug. se opposuit.

Actor. 16.

Actor. 21.

Præfato loco.

Super epist. ad Galat. 2.

Epist. 19.

esse, Alexandrum autem veterem esse hæreticum. Origenem verò ac Dydimum reprehensos abs te lego, inquit, in recentioribus opusculis tuis, & subnectit eo loci August. Amb. & Cyprianum, adeoq; ipsum Paulum, suæ patrocinari sententiæ, qui expressè dicit Petrum reprehensum & reprehensibilem fuisse, quod non esset, nisi saltē venialiter peccasset, Quæ culpa Apostolis in gratia cōfirmatis non est incompossibilis, iuxta illud: Si dixerimus, quia peccatum non habemus, &c. In faciem, inquam, ei restitit Paulus, non quod Petro superior esset, cùm dictum sit non Paulo, sed Petro, Pasce oues meas. Vnde clucescit magna Petri humilitas, inquit August. lib. 1. cap. 1. Et lib. 4. ca. 11. contra Donatistas, nec non lib. 19. contra Faust. qui licet vertex esset Apostolorum, non arroganter sibi primatum asciuit, nec sibi obtemperari debere respondit, nec etiam Paulo procaciter peccata ante actę vitæ, infidelitatem nimirum, & Ecclesiæ persequutionem, improperare præsumpsit, sed arguenti, humiliter, cessit.

Apostoli confirmati in gratia, venialiter interdum delinquerunt.

1. Ioan. 1.

Ioan. 21.

Humilitas Petri hoc facto illuxit.

Ca. 17. et 18

De similitudine Veteris & Noui Testamenti.

CAPVT VIII.

Prodigiosus nebulo Seruetus, & furiosi nōnulli ex Anabaptistarum secta, occasionem scribēdi in hoc doctrinæ capite præbent, quando non aliter de populo Israëlitico sentiāt, quàm de aliquo porcorū grege, vtpote, quem nugantur à Domino in hac terra saginatū, citra spem vllam cęlestis immortalitatis. Hunc ergo pestiferum errorē, vt arceamus à pijs animis; obiter inspiciamus, quid simile duo Testamēta, quidve diuersum, habeāt, quodq; olim cum Israëlitis fœdus ante Christi aduentū Deus pepigit, & quod nunc, eo manifestato, nobiscum percussit. In tribus autem hic maximè capitibus insistendum est. Primum, vt teneamus non carnalē opulentiam, aut fœlicitatem terrenā, duntaxat fuisse Iudæis, ad quam demū aspirarent, ptopositam; sed in spem immortalitatis fuisse coaptatos, atq; huius adoptionis fidem, illis fuisse tum oraculis, tum Lege, tum Prophetijs certò factā: nam dubitationem eximit Apost. cùm ait, Euāgelium quod de filio secundum tempus prædestinatum, promulgauit; Deum Patrem, longè ante per Prophetas in Scripturis sanctis, promisisse. Item, Fidei iustitiā, quę per ipsum Euangelium docetur testimoniū habere à Lege & Prophetis. Euāgelium siquidē, hominū corda non in præsentis vitæ lætitiā continet, sed ad spem immortalitatis euehit, non terrenis delitijs affigit, sed spem in cælo repositā annuntians; illuc quodammodo transportat, vti patet ad Ephes. 1. Vos cum Euangelio credidistis, obsignati Spiritu promissionis sancto. Et: Ex qua die audiuimus

Rom. 1.

Iudæis euangelizat, quatenus fuerint promissiones.

Roman. 3.

Colos. 1.

1. Thess. 2.

mus fidem vestrã,&c. Item: Vocauit nos per Euangeliũ,&c. Quod si spiritualis sit Euangelij doctrina,& ad vitę incorruptibilis possessionem, aditũ aperiat, ne putemus eos quibus promissum fuit; neglecta animæ cura, in captandis corporis voluptatibus, instar pecudũ,obstupuisse. Nec cauilletur hic quispiam,Promissiones quæ in Lege & Prophetis de Euãgelio sunt consignatæ,nouo populo esse destinatas: nam pauló pòst,quàm illud posuit de Euangelio in Lege promisso,subiecit:Quęcunq; Lex cõtinet,ad eos sine dubio propriè dirigi, qui sub Lege sunt. Perspicuum est igitur,quod Apostolus demonstret,Vetus Testamentũ præcipuè ad futuram vitã spectasse, cùm sub eo dicat Euangelij promissiones contineri.

Secundò conueniũt,quia fœdus quo conciliati Domino fuerunt,nullis eorum meritis, sed sola Dei vocãtis misericordia fuisse suffultũ,constat,nam Euãgelica prędicatio,nihil aliud quàm magna Dei indulgẽtia peccatores iustificari pronuntiat,& tota eius summa in Christo terminatur. Quis expertes Christi Iudæos facere ausit,quibuscũ audimus fuisse percussum euãgelij fœdus,cuius vnicum fundamentũ Christus sit? Quis alienos credere à gratuitæ salutis beneficio præsumat,quibus administratam fuisse audimus iustitiæ Fidei doctrinã? Huius rei insignẽ habemus Domini sententiã: Abraham exultauit vt videret diem meum,vidit,& gauisus est. Et quod de particulari Abrahã illic Christus ostendit, Apostolus in fideli populo cõmemorat vniuersale, quãdo dicit,Christũ manere heri & hodie, & in sæcula: quo credidere illuminati Adam,Abel,Noë,Abraham,cæteriq; patres,teste D.Irenæo. Neq; enim de Christi æterna diuinitate, simpliciter illic loquitur Scriptura, sed de eius humanitate atque virtute, quæ perpetuo fuit fidelibus patefacta. Quare & gloriosa virgo Maria,& Zacharias in suis Canticis reuelatã in Christo salutem,exhibitionẽ dicũt esse promissionũ, quas Abrahæ & patriarchis reliquis,olim fecerat Dominus. Et ne alicui dubium obrepere possit,sic semper Dominus pepigit cum seruis suis, Ero vobis in Deũ,& vos eritis mihi in populũ. Quibus verbis,vitam & salutẽ, & omnem beatitudinis summam cõprehendi,Prophetæ quoq; exponere soliti sunt. Non enim Dauid sine causa subinde pronũtiat beatũ populũ,cuius est Dominus Deus eius,beatam gentẽ,quam in hæreditatẽ sibi elegit,nec terrenæ quidẽ fœlicitatis gratia,sed quoniam à morte eripit,iugiter conseruat,æternaq; misericordia prosequitur, quos in populum assumpsit. Atq; vt magis res omnibus elucescat;satis claram habes spiritualis vitę pomissionem,sententia posita:Sum Deus vester,&c. Non enim solis corporibus, Deum se fore annuntiabat,sed animis præcipuè,quę nisi per iustitiam Deo coniugantur, Quæ autem ab ipso sunt alienæ

2. similitudinis ratio vtriusq; test. ad alterũ.

Ioan.8.

Hebr.13.

Iudæi Christo qui crediderũt.

Lib.3. aduersus hæres.cap. 34.& 35. *Et August.lib.2. de peccat.mer. & remis.c.34*

Luc. 1.

Leuit.26.

Nominari, & esse populum Dei,summa in hoc mundo fœlicitas.

Psal.143.et 33

Exodi 6.

per infidelitatem aut intimoratam vitam, in morte manent si autē Deo vniantur, proculdubio perpetua salus adducitur. Tertiò conueniunt nobiscum, quia liquido constat ipsos habuisse & cognouisse Mediatorem Christum, per quem & Deo coniungerentur, & promissionum eius participes fierēt. Eadem namque fuit illis nobiscum fides, qui nondum nomine, sed re ipsa, fuere tum temporis Christiani; quia eundem Fidei Spiritum habuerunt, & si quid mutatum videatur, tempora mutata sunt, non fides alterata, quę siue à nobis, siue à priscis Patribus, non nisi in vnum Christum, tanquam primarium scopum dirigitur, secundum Irenæum. Hæc autem fidei vnitas graphicè adumbrata legitur, Numer. 13. in miræ magnitudinis vua, quam exploratorum præcedentium & subsequentium obsequium, in phalanga suspensam, detulit ad filios Israël: qua nullus alius significatur, quàm Christus Dominus in ligno crucis suspensus, qui est Vitis vera. Præterea, huius promissionis signaculum, protulit; quando Deum se Abrahæ, Isaac, & Iacob longè post eorum mortem appellauit. Quid enim? An non ridicula erat appellatio, si perierant? Perinde enim fuisset, ac si ita foret loquutus, Ego sum Deus eorū qui non sunt, quod absurdū est vel cogitare.

Iudæi, etsi non nomine, re tamē, Christiani. 1. Corinth. 4. *Lib. 4. aduersus hæreses, cap. 24. Et August. lib. 1. c. 21. Et lib 3 ca. 4. cōtra 2. epist. Pelag. Vtriusq; vnitas fidei, apta figura demōstratur. Teste August. serm. 100. de temp.* Ioan. 15. Exod. 3.

De differentia vnius Testamenti ab altero.

CAPVT IX.

Nequaquam substantia, sed potius administrationis modo, & hoc quadruplici, Vetus Testamentū à Nouo separatur. Primò, licet Dominus, olim, populi sui mentes arrectas, voluerit, in cælestem hæreditatem, spe beneficiorum terrenorum; nunc tamen, liquidius reuelata per Euangelium, futuræ vitæ gratia, absque tali imperfectionis fœdere; recto tramite, imò conculcatis hisce mundanis, ad vitam perpetuam dirigit: Pœnitentiam, inquit, agite, appropinquabit regnū cælorum. Quo etiam falsum apparet prædictorum hæreticorum cauillum, dicentium, Possessionem terræ Chanaan, Israëlitis, pro vltima beatitudine habitam fuisse, nobisque, illos cælestem beatitudinem solum adumbrasse. Nam in terrena, qua fruebantur possessione, velut in speculo, futuram quam sibi in cælis præparatam crederent, hæreditatem esse intuitos; ex similitudine elucet, quam posuit Paulus ad Galat cap. 4. Vbi comparat Iudæorum gētem, hæredi paruulo, qui ad se regendum nondum idoneus, tutoris aut pædagogi, cuius custodiæ commissus est, ductum sequitur, teste Ambros. Eadem ergo illis hæreditas, quæ nobis destinata fuit, sed cuius adeundæ & tractandæ, nondum per ætatem capaces forēt; Eadem in illis Ecclesia; sed cuius ætas adhuc

4. modis, Nouum Testamētum dirimitur à Veteri. Matth. 3. Epist. 72. ad Irenæum.

Serm. 11.

Iudæi, sub terrenis, æterna intellexerunt, adumbrata.

adhuc pueriliserat, secundum eundem. Sub hac ergo pædagogia, illos continuit Dominus, vt spirituales promissiones, non ita nudas & apertas, illis daret; sed terrenis quodãmodo adumbratas, vt manifestè patet in Abraham. Et Dauid: Dominus pars hęreditatis meæ, & calicis mei, tu es qui restitues hæreditatem meam mihi. Sitiuit in te anima mea, quàm multipliciter tibi caro mea. Defecit caro mea, & cor meum, Deus cordis mei, & pars mea Deus in æternum. Concupiscit & deficit anima mea in atria Domini. Cor meũ & caro mea exultauerunt in Deum viuum. Clamaui ad te Domine, dixi, Tu es spes mea, portio mea in terra viuẽtium. Qui sic loqui audent, se profectò Mundum, & quicquid est bonorum pręsentium spe sua transcendere profitentur. Secundum Veteris & Noui Testamenti discrimen in figuris est, quòd Vetus absente Veritate, imaginem tantum, & vmbram ostendebat: hoc præsentem Veritatem, & corpus solidum exhibet, nam ea erat Legis imbecillitas, quæ nihil ad perfectum adducere potuit, sed externas tantũ carnis, iustitias, habuit, teste Paulo, quæ cultores suos, non potuit secundum conscientiam, perfectos reddere, quia pecudũ victimis nec peccata deleri, nec vera sanctitudo haberi poterat, teste August. Concludit ergo, vmbram fuisse in ipsa futurorum bonorum specie, non viuam rerum imaginem. Hanc distinctionem signauit Christus ipse, cùm diceret, Legem & Prophetas fuisse vsque ad Ioannem, atque ex eo euangelizari Regnum Dei: vbi enim digito potest Christus demonstrari, reseratum est Regnum Dei, in quo expositi sunt omnes thesauri sapientiæ & intelligẽtiæ, quibus, propè ad ipsa cæli adita penetratur.

Genes. 15. Psalm. 15. 62. 72. 83. 141.

Legis imperfectio. Hebr. 10.

Lib. 19. contra Faust. Manic. cap. 31. Et lib. de vera relig. cap. 17. Matth. 11.

Tertium discrimen sumitur ex Ezechiele. cuius hæc sunt verba: Ecce venient dies, & feriam domui Israël & domui Iudæ, non secundum pactum quod pepigi cum patribus vestris, sed hoc erit pactum, quod feriam cum domo Israël: Ponam legem meam in visceribus eorum, & cordibus eorum inscribam eam, & propitiabor iniquitati eorum. Ex quibus occasionem accepit Apostolus huius cõparationis inter Legem & Euangelium statuendæ, vt illam vocaret Literalem, hoc, doctrinam spiritualem: Illam, diceret deformatam in tabulis lapideis, hoc, fuisse inscriptum fidelium cordibus: Illam, esse prędicationẽ mortis, hoc, vitæ: Illam damnationis, hoc, iustitiæ: illam, euacuari, hoc, permanere. Quando autem conferimus Legem Moysi ad Legem Euangelij, non comparamus Legem Moysi foris in membranis scriptam, ad Legem Euangelij foris in membranis exaratam, nec cognitionem illius Legis, ad cognitionem huius, sed id, quod Legislator Moyses, fecit, dando Legem conferimus ad id, quod Legislator

Cap. 31.

3. discrimen, vnius ab altero, Testamẽti.

2. Corinth. 3.

Per legẽ, quid intelligẽdum.

Christus fecit,dando Legem Euangelij. Moyses,solum foris exhibuit scripturam in tabulis lapideis, demonstrando præcepta, quæ vel perficere vel vitare deberent, teste Aug.

Lib. de Spiritu & lit. ca. 25.

Non enim Lex Moysi peccata exterminabat, aut à reatu peccati animas liberabat,sed peccatum ipsum duntaxat demonstrabat, quia per Legem cognitio peccati, vt clarè ostendit Augustinus ex Paulo.

Lib. 14. ciuit. Dei, cap. 5.

Atq; ita animam humanam (quæ secundum suam concupiscentiam viuens, quasi secura de sua innocentia sibi viuebat) demõstratione peccati,faciebat ream, & ex ipsius reatus solicitudine, simul & viribus stimulantis concupiscentiæ:docebat confugere ad Gratiam liberantem.

Lex Moysi, dicitur Lex mortis.

Hac ratione Lex Moysi dicitur in Scripturis Lex mortis, Litera occidens,&c. quia ostendebat viam, sed vires ad ambulandum, non ministrabat. Christus autem Legifer noster, tradendo Legem Euangelij, non chartis impressit, non celte silici insculpit,non tabulis lapideis exarauit,sed suorum cordibus fidelium infudit: qua adiuuatur,& expedita redditur infirmitas nostra,teste Ioanne,

Cap. 1.
2. Corinth. 3.

Lex per Mosen data est,Gratia autem & Veritas per Iesum Christum facta est. Et: Epistola estis Iesu Christi,ministrata à nobis,& scripta non atramento,sed Spiritu Dei viui,scribentis characteres non in tabulis externis,sed in tabulis cordis,scribentis literas spirituales,fidem nimirum,spem,& charitatem,&c.Quod enim Lex imperat,Fides impetrat, & quod Litera iubet,Spiritus sanat, vt fusè docet August.

Lib. de Spir. et lit. c. 4. et 5.

Nam Lex noua iustificat,& dat auxilium reprimendæ concupiscentiæ,viresque, implendis præceptis,ministrat.

In lege, quomodo fuerit, Iustitia.

Nemo tamen inficiari debet, quin in Lege fuerit Iustitia,quæ tamen non erat patribus per Legem,sed per fidem. Nam quemadmodum & nos,ita & illi per Gratiam saluabantur, vt declarat Augustinus de gratia Christi.

Lib. 2. ca. 24. & 25. contra Pelagium & Calestium.

Fuerunt namq; tunc temporis quamplurimi, qui dicere potuerunt cum Dauide, Spiritum sanctum tuum ne auferas à me. Et: Ne proijcias me à facie tua:

Plerique nostrũ ad legis duritiam, plerique illorũ ad gratiã noui Test. sunt reducẽdi.

Patres quidem illius temporis, sed pertinentes ad Nouum Testamentum, veluti carnales & Noui Testamenti peccatores,pertinent ad obduratam Veteris Legis seruitutem.

Alia differẽtia

Ex tertio discrimine,quartum emergit,Vetus enim Testamẽtum Scriptura vocat seruitutis, quod timorem in animis generet: Nouum autem libertatis, quod in fiduciam eosdem erigat. Sic Beatus Paulus,octauo capite suæ epist.ad Rom.ait, Non accepistis Spiritum seruitutis iterum in timore, sed Spiritum adoptionis, per quem clamamus,Abba,Pater. Huc pertinet quod habetur ad Hebr.12. Non accessiste nũc fideles ad corporeũ montem, aut incensum ignem,vel caliginẽ seu turbinem,vbi nihil audiatur aut videatur, nisi quod horrorẽ incutiat,terrore

mentes

mentes percellat,sed acceſſiſſe ad montem Syon,& ciuitatem *Exo.19.& 20*
Hieruſalem;quia de Syon exiuit Lex,& verbum Domini de *Eſaiæ 2.*
Hieruſalem.Fuſius iſtud declarat Paulus,cùm ad allegoriam *Galat.4.*
trahit duos Abrahæ filios,reſte Hieron.quia Agar ancilla,ty- *Epiſt. ad Ge-*
pum geſſit montis Synai, vbi legem accepit populus Iſraël. *runtiam. Et*
Sara libera,figura fuit cæleſtis Hieruſalē,à qua fluit euange- *Aug.lib.3.cō-*
lium:per Agar ſemen ſeruituti obnoxiū,quod ad hæreditatē *tra duas epiſt.*
nunquam peruenit,naſcitur,quia per Legem ſeruituti ſubij- *Pelag. cap.9.*
cimur, per Euangelium autem, in libertatem generamur. *epiſt.122. ad*
Quintū (quod adiungere licet) diſcrimen (præter ea quæ ſu- *Honoratū,cap.*
mi poſſunt à perſonis,loco, & tempore) in eo iacet, quod ad *19 Et Tract.*
Chriſti vſque Aduentum gentem vnam ſegregauerit Deus, *11. ſuper Ioā.*
in qua fœdus Gratiæ ſuæ contineret, quādo,inquit,Moyſes *Agar & Saræ*
diſtribuebat altiſſimus gētes, quando diuidebat filios Adam, *quid ſignificēt*
in poſſeſſionem illi ceſſit populus Iacob, funiculus hæredita- *apud Paulum.*
tis eius. Populum ergo illum,veluti ſolus ad ſe ex hominibus *Annectitur &*
pertineret, nominis ſui cognitione dignatus eſt,& præſentiā *5.diſcrimen.*
ſui numinis illis manifeſtauit. At,vbi venit plenitudo tēpo- *Lib.5.ca.32.*
ris,vt habetur ad Gal.4.inſtaurandis omnibus, exhibitus eſt
ille Dei & hominum Reconciliator,diruta maceria,quę tam
diu miſericordiā intra Iſraëlis fines concluſam,tenuerat;an-
nuntiata eſt pax, ijs qui procul erant, non ſecus atq; ijs, qui
propè,vt Deo ſimul reconciliati in vnum populum coaleſce-
rent,teſte Ambr. Quare nulla iam Græci aut Iudęi circunci- *Serm.11.*
ſionis vel præputij ratio, ſed omnia in omnibus Chriſtus,cui
datæ ſunt teſte Dauide, Gentes in hæreditatem, & termini *Pſal.2.& 71.*
terræ in peculium,vt ſine diſcrimine dominetur à mari vſq;
ad mare,& à flumine vſque ad terminos orbis terrarum.

Teſtamentum nouum, quomodo ratificatum, & confirmatum. CAPVT X.

MAgna admiratio nos inuadat oportet, quod omnes *Beatitudinis,*
cupidi cum ſint beatitudinis,teſte Auguſt.(quę pro- *omnes,cupidi.*
manat nobis ex Magno illo Chriſti Teſtamento, *Lib.de Epicu-*
vulgo quidem,nomine & titulo,non energia, noto) nos non *reis & Stoicis*
maiori ſedulitate, ineſtimabiles illos diuitiarum ſpiritua- *cap.3.*
lium theſauros,poſt mortem inquirere; quales ſint & quāti,
quibuſq; relicti,vbi reconditi,quando à tanto Patrefamilias
legati,& cōfirmati,potiſſimùm,cùm filij huius ſæculi,multò *Luc.16.*
prudentiores ſint filijs lucis,facibus auaritiæ accenſi, præſto- *Tarditas huma-*
lantes vltimum vitæ ſpiritū,& vix dum, imò, vbi nondū vi- *næ ignauiæ.*
derint,moribundū,vita exceſſiſſe;quęrunt claues,loculos ex-
piſcantur,hæreditatē ſcrutantur,& fermè eodē temporis mo-
mento,videas eos fieri poſſeſſores, quo defuncti, deſertores.

Quid ergo otio torpemus? quid moras nectimus? hæreditatem æternæ fœlicitatis, nobis esse legatam probè cognoscimus; & stupidi nobis vindicare negligemus? Regnum, sacratissima Dei ordinatione nobis esse comparatum non ignoramus, & desides, acceptare tardabimus? An fortasse ambigemus de patris clementia, ne minus ratum habeat testamentum, quod statuit? minimè, Nam istud fœdus pepigit cum patre nostro Abraham, quod ad maiorem rei euidentiam, iuramento firmauit. An fortè alia ratione, excusare queamus nostram ignauiam? nequaquam, Quia Christus mortuus est & sepultus, & proinde omnibus modis obfirmatum est, secundum Paulum ad Hebr. 9. Vbi testamentum est, mors intercedat oportet, testatoris, vti clarius demonstrat Ambros. Hinc dicitur, Tu quoque in sanguine testamenti tui, emisisti vinctos tuos de lacu, in quo non erat aqua. Quod ita intelligitur secundum Hieron. In sanguine passionis tuæ, eos qui vincti in carcere tenebantur inferni, tua clementia liberasti. De hoc sanguine & ipse Christus, discipulos alloquebatur, Accipite & bibite ex hoc omnes, hic est enim calix Noui Testamenti in sanguine meo. Quemadmodum enim ad consummationem Veteris Testamenti, sanguine hircorum & vitulorum, aspersus fuit populus per Moysen: ita Christi sanguine, in Nouo Testamento, reformamur & renouamur, vt docet Chrysost. Propterea Noui Testamẽti mediator est. Quomodo Mediator? Quia intercessit inter patrem, faciem à nobis auertentem, & nos miseros peccatores, æterno supplicio dignos, & fecit nos per mortem suam acerbam, Dei hæredes, sibi cohæredes, vt adimpletione iurisiurandi, & efficacia Testamenti Christi ac mortis eius, fruitionem æternę vitæ, & immortalis gloriæ coronam, adipiscamur. Eadem siquidem res est, quam Scriptura appellat nũc Testamentum, nunc Pactum, nunc Fœdus, nunc Iusiurandum, alia tamen & alia ratione, vt manifestum euadit ex Psal. 104. Vbi Dominus ipse, memor fuisse dicitur in sæculum Testamẽti sui, Verbi, quod mandauit in mille generationes, quod disposuit ad Abraham, & Iuramenti sui ad Isaac, & statuit illud Iacob in Præceptum, & Israël in Testamentum æternum. Et infrà, Dirupit petram, & fluxerunt aquæ, abierunt in sicco flumina, quoniam memor fuit Verbi sancti sui, quod habuit ad Abraham puerum suum. In his & similibus locis, Hieron. & alij interpretes, passim ponunt, nunc Testamentum, nunc Pactum, &c. quoniam Diuinam promissionem, & fœlicissimum Diuinæ pollicitationis vinculum, nobis insinuare contendunt: haud difficulter enim aduertere est, hic idem appellari, Testimonium, Testamentum, Iusiurandum, &c. verùm alia

Genes. 15. Genes. 22. Epist. 73. quæ est ad Irenæũ. Zachar. 9. Super eundem locum. Matth. 26. Exodi 24. Homil. 16. super illa verba epist. ad Hebr. *Christus, quomodo mediator* *Testamẽtum, Iusiurandum, Pactum, &c. quid?*

alia atque alia ratione, nam Testimonium, est dictum, vel scriptum alicuius, testificantis alicui de re quapiam, animi sui voluntatem. Pactum dicitur pacis actum, quasi & decretum inter aliquos, quod congrua ratione etiã Testamentum appellari potest, quia est tractatus, qui inter aliquos siue verbis siue scriptis consistat, adiectis conditionibus vtrinq; seruandis. Sic Lex Vetus & Noua, vocantur Testamenta; eò quod contineãt pacta Dei iubentis, & gratuitò promittentis. Nec Testamentum istud, est solum iussio vel promissio, neq; solas iustificationes & promissiones, continet; sed est omnis sermo Dei iubentis, simul & pollicentis, benedictionem, obsequentibus; maledictionem, inobedie͂tibus. Nec Testamentum istud solum factum fuit Moysi, sed ante ipsum & Abrahæ, & post Moysen, Dauidi; quod nasceretur ex semine ipsius Regnaturus ille in æternum, cuius Regni non erit finis: ac ita demum confirmentur in Christo omnia testamenta & pacta cum populo inita. Ex quibus patet sanguinem Christi propterea vocari sanguinem Testame͂ti, quia per illum succedimus, & subrogamur in hæreditatem patris cælestis, facti nõ solum amici, sed & filij, hæredes Dei, & cohæredes Christi; non tamen deuoluitur legata hæreditas in profectum hęredum, nisi sint qualificati, promptique ad seruanda onera, pacta, & conditiones Testamento annexas. *Sanguis Testa menti, quis?*

Præceptis, num Iusti obligentur?

CAPVT XI.

SVmmoperè admiranda est Lutheri & complicum eius impudentia, qua nullos Noui Testamenti gratia imbutos, asseuerat Legis obseruandæ, debitores; hoc enim docet in præfatione Noui Testamenti, inquiens, Non est nobis in Euangelio aliquod pręceptum à Deo. Quo errore, homines à semita mandatorum Dei alienat, & ad quęuis vitiorum prærupta, præcipitat. Quid enim acceptius carnis illecebris subactis, quàm nulli præcepti vinculo subdi? nullò transgressionis metu terreri? Quis illibenter in bonis ducat dies suos, si nullo præcepti stimulo, ad meliorem vitæ frugem excitetur? Vt autem luce meridiana clarius pateat, omnes fideles Pręceptis Decalogi obligatos; & quasi quibusdam funiculis esse repressos, dixit Legislator Christus, Non veni soluere Legem, sed adimplere. Super quæ verba, consulere profuerit ipsum Hieron. in eundem locum, comme͂tantem. Et Chrysost. Qui præter reliqua mandata obseruanda, docet in Noua Lege iracundiam etiam esse inhibitam, cuius Lex Vetus non meminerat. Verùm obgannient fortasse aliqui, *Lutheri impudentia.* *Omnes astringimur præceptis.* *Matth. 5.* *Hom. 16. super Matth.*

 probè

probè cognoſcentes præfatam abſurditatem, Non explodimus vniuerſa Decalogi Pręcepta, ſed Iuſtos non vinciri præceptorum ligaminibus, Scripturis edocti, arbitramur. Quibus ex diametro Chriſtum opponimus, qui Apoſtolos iam Iuſtos, & Sanctos, ſic allocutus eſt: Si præcepta mea ſeruaueritis, manebitis in dilectione mea. & quod iuſti ac ſancti fuerint, extra controuerſiam eſt, quia Chriſtus dixerat, eos jam mundos, propter ſermonem quem locutus eſſet eis. Et qui dicit, omne, nihil excludit, teſte Ambr. Habemus igitur in Euangelio ad hunc modum: Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti, docentes eos ſeruare omnia quæcunq; mandaui vobis. Qua ſententia, expreſsè docet, aliqua præcepta eſſe obſeruanda; nec iuſtum ab iniuſto diſcernit, ſed vniuerſos ſigno vniuerſali includit. Certè ſi penitius cuncta diſcutiantur, reperiemus, Lutherum ſuo ſe iugulare gladio, quando namq; affirmat, nobis nihil tempore Euangelij eſſe præceptum, quare tam magnificis verbis extollit errorem, quo docet eſſe præceptam, vtriuſque ſpeciei in ſacramento Euchariſtiæ, communionē? Si hoc Chriſtus præcepit, vt ipſe aſſerit, quomodo veritatem habebit, nullum eſſe in Euangelio præceptum? etſi nullum ſit in Euangelio mandatum; nullum potuit tempore Euangelij eſſe peccatum, quia peccatum ibi nō eſt credendum, vbi non eſt præuaricatio: nec aliqua poterit eſſe inobediētia, vbi nulla eſt tranſgreſſio. Sed aliud liquet ex Mat. Vbi Chriſtus homicidium vetuit, adulterium damnauit, periurium, & cætera vitia procul à cordibus fidelium abeſſe iuſſit: adeò vt ſi regna adoleſcens vellet capeſcere, Cæleſtia ſeruaret mandata. Nec his obſtant Scripturæ, Si filius vos liberauerit, verè liberi eritis. Et: Vbi Spiritus Domini, ibi libertas: quibus iactabundo corde gloriantur, Iuſtos non conſtringi præceptorum vinculis, cùm non conſiderent quæ eo loci apud Ioannem præceſſerint. Qui peccatum fecerit, inquit, ſeruus eſt peccati. Et: Si filij Abrahæ eſtis, opera Abrahæ facite. Liberi ergo ſumus, quando non ſeruimus peccato, nec amplius regnat in noſtro mortali corpore. Vel etiam ſerui nō ſumus, ſed liberi: qua libertate nos Chriſtus donauit, quia liberi ſumus ab oneroſa illa Legis Moſaicę ſarcina. Non eſtis ſub Lege, ſed ſub Gratia. Et: Quanto tēpore hæres paruulus eſt, nihil differt à ſeruo. Et: Si circuncidamini, Chriſtus vobis nihil proderit. Chriſtiana ergo & Euangelica libertas, nō aliud eſt, ſecundum Paulum, quàm redemptio, ſeu abſolutio à ſeruitute Legis Moſaicæ, & peccati, per Chriſtum: qua Deo conſecrati ac iuſtitiæ mancipati, adoptionem filiorū recipere mereamur. Hæc tamē libertas, quā Chriſtus nobis dedit, non eximit

Obiectio. Ioan. 15. *Omne, nihil excludit.* *Li. 2. de ſpi. S. c. 12. & li. 1. de pœn. c. 10.* Matth. 28. *Lutherus proprio ſe iugulat gladio.* *Lib. capt. Bab.* Cap. 5. Matth. 19. Ioan. 8. *Libertas Chriſtiana qualis?* 2. Corint. 3. Roman. 6. Galat. 4. d. Roma. 6. & 7. & ad Gal. 4. a. & cap. 5. a. Roman. 8. & duobus præcedentibus. & ad Gal. 5.

eximit nos à ſeruitio,quod ei impendimus, alioquin fruſtra ſeruū Dei deſcripſiſſet Paulus, quādo dicit ſeruum Domini nō oportet eſſe litigioſum. Et ad Rom.7.negat ſe ſeruū peccati,ita tamen,vt ſeruiat in nouitate Spiritus. Et:Cùm liber eſſem,omniū me ſeruū feci,vt plures lucrifacerē. Et: Vocat ſe,inſtar Petri Apoſtoli,Et:Seruum Chriſti.Quibus cōformis Dauid loquitur,Seruite Domino in timore. Deo namq; ſeruire,eſt liberum eſſe,& libertatem ſeruare, teſte Ambroſ. Imò Deo ſeruire, quēadmodum canit Eccleſia, eſt regnare. Obijciūt inſuper hęretici,& illud Pauli,Si Spiritu ducimini, non eſtis ſub lege. Et:Iuſto non eſt lex poſita,ergo,&c.Quibus occurrit D.Auguſt.dicēs:Aliud eſt eſſe in lege,aliud ſub lege:Qui eſt in lege,ſecūdum legem agit,& in lege Domini eſt voluntas eius die ac nocte: Qui eſt ſub lege, ſecundum legem agitur: Ille ergo liber eſt, qui Spiritu Dei agitur, nec ſubeſt legi Moſaicæ, nec cœrcitiua eget, quæ tanquā ſeruos compellat: ſed directiua,quæ beneuolos dirigat. Deinde opponere ſolent & illud Pauli: Pretio empti eſtis, nolite fieri ſerui hominum. Quibus reſpondemus,Quod nullus debeat fieri ſeruus, vt hominem, Deo præferat, ſicut illi qui iactitabant ſe à parte Cephæ ſtare, alij gloriabantur ſe Apollo eſſe. Itaq; ſchiſmata hic prohibentur, non eccleſiaſtica,vel diuina præcepta,exploduntur; teſte Concilio Tridentino: Si quis, inquit, hominem iuſtificatum & quantumlibet perfectum, dixerit, non teneri ad obſeruationem mandatorum Dei & Eccleſiæ,ſed tantùm ad credendum; Anathema ſit.

Libertas Chriſtiana,explodere nequit præcepta. 2.Timoth.2. 1.Corinth.9. Roman.1. 2.Petri 1. Pſalm.2. *Lib.1.de Spir. ſancto, cap.5.* *Deo ſeruire,eſt regnare.* *ex eiuſdē epiſ. 83. quæ eſt ad Demetriadem.* *Alia obiectio.* Galat.5. 1.Timoth.1. *Lib.de ſpir.& lit.cap.10. Et in cōmē.Pſal.1* *Diluitur obiectum.* *Obiectio.* 1.Corint.7. 1.Corinth.3. *Seß.6.can.19 20.& 21.*

Præcepta Decalogi,an ſint indiſpenſabilia.

CAPVT XII.

An præcepta Decalogi, ſint indiſpēſabilia? Pſalm.118.

QVando S. Propheta dixit, Tu mandaſti mandata tua cuſtodiri nimis,indiſpenſabilitatem,inſinuaſſe mandatorum Decalogi, credendus eſt. Deus enim valde mandauit,& diſtrictè,ſub magnis comminationibus præcepit,ſua mandata cuſtodiri,adeo vt quiſquis aliquid eorū,quę præcepit obſeruari, tranſgreſſus fuerit; æternæ damnationi efficiatur obnoxius. Cuius ratio talis eſt,quia tūc in ipſis pręceptis cadit diſpenſatio,ac licita diſſimulatio, quando occurrit particularis aliquis caſus, ſecundum Thomam, in quo ſi verbum legis obſeruaretur, intentioni Legiſlatoris aduerſaretur: Atqui talis non eſt in Præceptis Decalogi conſtituendus;ergo non eſt aliqua diſpenſatio,ſeu relaxatio,in illis permittenda. Minor fit perſpicua,per hoc,quod intentio cuiuſlibet Legiſlatoris, potiſſimum ordinetur ad bonum cōmune, & deinde ad ordinē iuſtitiæ & virtutis,quo bonū commune

Quando diſpēſatur in præceptis? 1.2.quæſt.70 art.8.

conseruatur. Quando igitur præcepta continent ipsam boni communis conseruationem, vel ipsum iustitiæ aut virtutis ordinem; huiusmodi continent veram legislatoris intentionem, ideoque talia sunt indispensabilia. Exemplo quod dicitur, perspicuum fiat. Si in aliqua ciuitate, aut communitate, constitueretur, vt nullus reipub. deberet esse nociuus, vel, vt nullus proderet ciuitatem, hostibus: ista præcepta essent indispensabilia, quòd nequeat hic subesse dispensationis causa. Haud secus se res habet in Præceptis Decalogi. Primæ namq; tabulæ comprehendunt ordinem ad ipsum summum bonum, omnibus commune & finale, quod est Deus: Præcepta autem secundæ tabulæ, complectuntur ordinem iustitiæ, inter homines obseruandæ, vt nulli ius æquitatis, denegetur. Sunt tamen interdum dispensabilia, quantum ad determinationem aliquorum particularium actuum, propterea homicidium, furtum, adulterium non est peccatum; quando habet Diuinæ authoritatis Decretum, Quādo namq, Deus, præcepit Abrahæ, occidere filium; nō fuit homicidium, cùm factum sit publica Diuinæ Maiestatis authoritate, cuius est mortificare & viuificare, Leges dare, atque efficere; quod iste actus non sit homicidium, qui sine hac authoritate foret scelus horrendū, testatur August. Et Bernar. Deo præcipiente, inquit, fuit obedientia: Deo non iubente fuisset dementia, & insania. Atque tantum abest vt hoc loci constituatur peccatum, vt etiam mirabile cognoscatur passionis Christi Sacramentum, vt perpulchrè declarat Ambros. Et August. Cùm autem Deus sit Dominus vniuersorum, mandauit filijs Israël, vt spoliarent Aegyptios, nequaquam tamē furtum commiserunt; quia ibi non erat acceptio rei alienæ, inuito Domino, teste D. Irenæo lib. 4. aduersus hæreses cap. 49. Et August. lib. 22. contra Faust. cap. 73. Sic præcepit Oseæ prophetæ accipere vxorem fornicariam & mulierem adulteram, nec est transgressor Legis effectus, quia eam suscepit, quæ sua diuino iussu esset effecta, secundum Bernardū. Ex quibus omnibus manifestum fit, Deum posse mutare materiam præceptorum, sed perdurante materia, in Decalogo non posse dispensare (multò minus summum Pontificem) quia seipsum non potest negare: Negaret autem seipsum, si ordinem iustitiæ suæ infringeret, cùm ipse sit ipsa Iustitia. Quare concluditur, quod Deus dispensare non valet, vt homini permissum sit, se inmoratè vel irreligiosè ad ipsum habere, aut nō subijci sanctissimæ eius ordinationi. Nec obstat quod malefactores aliquando vltimo plectantur supplicio, quia Præceptum de homicidio, intelligendum est, secundum debiti rationem, qua insontibus nihil mali inferre valemus, & maleficos

Exemplo quod docet, demonstrat.

Homicidium, quādo non est peccatum?

Immolatio Isaac, quid adumbrarit.

Lib. contra 2. epist. Gaudētij, cap. 23.

De præceptis & dispensat.

Lib. 1. de Abraham, ca. 8.

Serm. 46. de temp. Lib. 12. contra Faust. Manich. c. 25

Et serm. 40. ad fratres in eremo.

Exod. 3.

Furtum non est semper vbi ablatio rei.

Osee 1.

Lib. de præcep. & dispensat.

Summus Pontifex nequit in Decalogi præceptis dispensare.

ficos non finimus viuere, vt ſequentia facient manifeſtum.
Non impedit etiam, quod habetur, & cogitauerunt illa die
dicentes, Omnis homo qui venerit ad nos in bello in die *1. Machab. 2.*
Sabbatorum, pugnemus aduerſus eum. Quia illa cogitatio,
ſecundum Thom. magis fuit interpretatio præcepti, quàm *Vbi ſuprà.*
diſpenſatio: non enim intelligitur violare Sabbatum, qui fa- *Sabbatum*
cit opus ſaluti humanæ neceſſarium, vti probat Chriſtus. *violare.*
Quatenus verò hoc præceptum eſt cæremoniale, ſignificans *Matth. 12.*
quietem Domini in ſepulchro, eſt mutabile. Et ex Apocal.
primo liquet, tempore Apoſtolorum in diem Dominicum
eſſe mutatum.

De diſcrimine Præceptorum & Conſiliorum.

CAPVT XIII.

PLurimi in hoc doctrinæ capite hallucinantur hæretici,
aſſeuerantes nullum prorſus eſſe diſcrimen, inter Præ-
cepta & Conſilia, neque aliqua eſſe in Euangelio Con-
ſilia, ſed vniuerſa quæ nobis in Scripturis cõmendantur, eſſe
Præcepta. Hunc errorem, inducere conatus eſt Philippus
Melanchon, & Ioannes Caluinus. Vt autem hos clariori me- *Error Melan-*
thodo perſtringamus, & conuincamus; opetæpretium forè *thonis et Cal.*
duximus, inſinuare, quid nomine Præcepti, quidve Conſilij *Lib. locorum*
ſignificetur, Cui rei multùm lucis adfert nobis D. Hieron. *cõmunium tit.*
inquiens, Quod præcipitur imperatur, quod imperatur ne- *de diſcrimine*
ceſſe eſt fieri, quod neceſſe eſt fieri, niſi fiat, pœnam habet: *præceptorũ &*
fruſtra enim iubetur, quod in arbitrio eius ponitur, cui iuſ- *conſiliorum.*
ſum eſt. Vbi autem conſilium datur, operantis arbitrium ad *Lib. 2. Inſtit.*
bonum excitatur, cuius obedientia, laudi ducitur; & pręuari- *Chriſt. cap. 8.*
catio, culpa carere creditur. Hanc profectò diuerſitatem, in- *ſect. 56. et 57*
tueri licet in adoleſcente, qui cùm interrogaret; Quid fa- *Lib. 1. contra*
ciendo Regno potiretur æterno; tale reſponſum meruit à *Iouinianum.*
Chriſto: Si vis ad vitam ingredi, ſerua mandata. Cùm autem *Præceptum*
intuliſſet iuuenis, ſe à iuuentute ſua omnia ſeruaſſe manda- *quid?*
ta, dixit illi Chriſtus, Si vis perfectus eſſe, Vade, & vẽde om- *Conſiliũ quid?*
nia quæ habes, & da pauperibus; & habebis theſaurum in *Matth. 19.*
cælo, & veni ſequere me. Qua ſententia, Chriſtus inſinuat,
aliud eſſe neceſſarium ad perfectionem obtinendam; aliud
ad vitam æternam conſequendam. Nam vt quis vita fruatur
æterna, Pręceptorum obſeruantia requiritur: Ad apicem ve- *Lib. Enchirid.*
rò perfectionis, propriæ poſſeſſionis abdicatio, quæ non om- *ca. 121. Et li.*
nibus vitam cæleſtem capeſcentibus neceſſaria eſt, imponi- *de adulter. cõ-*
tur. Huic aſtipulatur D. Auguſt. Dominus, inquit, in Euan- *iugijs, cap. 18.*
gelio, vt inimicos diligeremus; non dedit Conſiliũ, ſed Præ- *Serm. 61. &*
ceptum: qua ſententia, Caluinus prædicto loco tanquam *205. de temp.*

gladio confoditur, falsò docens, nos arbitrari esse consilium, dilectionem inimicorum. & subnectit Augustinus, aliud est Consilium, aliud Præceptum: Consilium datur, vt virginitas conseruetur, vt à vino & carnibus abstineatur, vt omnia diuendita, pauperibus erogentur. Præceptum autem datur, vt iustitia custodiatur, vt omnis homo diuertat se à malo, & faciat bonum. Denique de virginitate dicitur, Qui potest capere capiat: de iustitia verò, non dicitur, qui potest facere faciat, sed, Omnis arbor quæ non facit fructum bonum, excidetur, & in ignem mittetur. Consilium libenter qui audierit & fecerit, maiorem sibi accumulabit gloriam. Præceptum qui non impleuerit, nisi pœnitentia subuenerit, in æternum peribit. Ex quibus colligere promptum est, admonitionem excellentioris vitæ, esse Consilium. Quibus cõformis Chrysost. Et Hierony. dicit, In voluntate nostra esse, an velimus esse perfecti, vti Apostolus Petrus indicat Ananiæ: Nónne manens tibi manebat, & venundatum in tua erat potestate? Erat in Ananiæ potestate, quia nullo præcepto vendere constringebatur, sed in libertate illius fuit vendere, & post venundatum agrum, liberum ei fuit offerre vel non offerre ad pedes Apostolorum, agri venditi, pretium. Præthereà plurium eunuchorum habetur eodem capite apud Matth. mentio, quorum tertium genus, meretur Regnum Cælorum. Sed quia hæc res magnis difficultatibus erat obnoxia, noluit Christus de illa Præceptum dare, sed Consilium ponere, dicẽs: Qui potest capere capiat. & Paulus: De virginibus Præceptum Domini non habeo, Consilium autem do, &c. Et Matth. 5. dixit Christus, Ne resisteremus alicui nobis iniuriam inferenti. Et, Si quis percuteret nos in vna maxilla, præberemus ei & alteram. Et si quis in iudicio vellet nobiscum contendere, & tunicam tollere, dimitteremus ei & pallium, cæteraque eius farinæ alia eo loci posita. Ad quæ omnia, si obligati essemus, ex vi præcepti; non esset iugum Domini suaue, & onus eius leue, sed onus non minus importabile quàm legis Mosaicæ. Ideo August. multa dicit ex illis esse consilia, & non præcepta. Item lib. 22. contra Faust. dicit ista impleri in præparatione cordis, etiamsi nõ exhibeantur gestu corporis, quod nequaquam diceret, si Præcepta existimaret. Nec Paulus Præceptum Domini seruauit, si Præceptum sit, aliam maxillam præbere: quoniam percussus, dixit principi sacerdotum, Percutiat te Deus, paries dealbate, Sedens iudicas me secundum Legem, & contra Legem iubes me percuti. Imò & ipse Christus, percutienti in faciem, respondit: Si malè dixi, testimonium perhibe de malo, si autem benè, cur me cædis? Cùm autem Christus singulare fuerit

Consilia. *Præcepta.* Matth. 19. Matth. 3. Homi. 64. super Matth. Super prælibatũ Matth. locũ. Actor. 5. Cap. 19. 1. Corint. 10. Matth. 11. In expos. serm. Dom. in mõte li. 1. c. 20. & 21. Cap 79. Actor. 23. Ioan. 18.

fuerit patientiæ ſpeculum, & perfectionis exemplum, nec tamen præbuerit alteram maxillam, ſed potius prohibuerit, ne aliam inferens contumeliam, augeret culpam; liquidò conſtat, non omnia iſta eſſe Præcepta, ſed quædam eſſe Conſilia ſecundum Auguſtinum, & in præparatione animi cuſtodienda: Da mihi Domine Ieſu Mandata & Conſilia tua ſacra cuſtodire nimis, vt refloreat caro mea vigore pudicitiæ, & anima mea miſera propoſiti nouitate, vt maiora, cæleſtium donorum quotidie mereatur percipere chariſmatum incrementa. Amen.

Epiſtola 5. ad Marcellinum.

An operibus charitate formatis, adimplenda Præcepta. CAPVT XIIII.

PAulino teſtimonio edocti, nullatenus dubitamus, quin liberum hominis arbitrium, abſque gratia gratum faciente, aliqua Decalogi Præcepta facere queat: ſic namq; legimus ad Roman. 2. Gentes naturaliter ea quæ Legis ſunt, faciunt. Nec iſta ſententia derogat ſequenti propoſitioni poſitæ, Plenitudo Legis, eſt dilectio. Nec Auguſt. ſententiæ, quam habet, quando ait: Illud quod dicunt, homini ſufficere liberum arbitrium ad præcepta Dominica implenda, etiam ſi gratia, Spiritus ſancti dono, ad opera bona non adiuuetur, omnino anathematizandum eſt, & omnibus execrationibus, deteſtandum. Quia impletio mandatorum, bifariam intelligi debet ſecundum Bonauent. Et Thom. Priori modo obligatione abſoluta, qua quis ſimpliciter aſtringitur ad aliquid faciendum vel omittendum, adeò vt ſi minus obſeruetur, reus tranſgreſſionis, peccato omiſſionis, vel commiſſionis efficiatur. Hac cõſideratione, tenemur ad ſubſtantiam operis, quod abſque gratia gratum faciente, à peccatoribus & Paganis fieri poteſt, quemadmodum demonſtrat ex 2. cap. ad Roman. Auguſt. Qui nunquam tamen ſuis virtutum operibus, (vt Zuingliani hæretici falſiſſimè ſibi perſuadent) Regnum cælorum conſequentur, teſte Auguſt. Mitiori tamen pœnarum genere, in inferno fortaſſe torquebuntur, ſecundum eundem lib. de Spiritu & Litera cap. 28. & Tractatu 89. in Ioannem. Poſſumus ergo Mandata ſeruare, etiã charitate deſtituti. Poteſt ſiquidem filius malignus, & minus frugi, patri apertione capitis, abſq; gratia inhabitante, exhibere reuerentiam: Sic, ſi quis charitate deſtitutus ieiunet, non neceſſariò illi incumbit, adepta charitate, ieiunij parſimoniam iterare: licet namq; talis actus ieiunij, aut reuerentiæ exhibitio, ſoluat obligationem præcepti cui aſtringimur; nequaquam tamen eſt Vitæ æternæ meritoria, ſoluit,

Cap. 13. Epiſt. 89. ad Hilarium.

Duplex eſt præceptorum impletio.

Lib. 3. Sentẽt. diſt. 37. q. 2. 1. 2. quæſt. 109. art. 4.

De ſpir. & lit. cap. 17. 26. & 28.

Lib. 4. contra Iulianũ, ca. 3.

soluit, inquam, atqui modus solutionis displicet, Et quòd iteratio minus sit necessaria, constat vel ex hoc, quod si plenaria solutione satisfaciat hostis, simul atque fuerit reconciliatus, alteri solutioni nullo modo erit obnoxius, teste Ioanne
Lib.4. Sent. distinct.15. Scoto. Tamen, vt quis potiatur fructu & pręmio, Legem implentibus promisso, necessario requiritur Charitas, & Gratia, ex qua tanquam radice procedant Pręceptorum opera. Et quia Legislator Christus, vitam æternam, tanquam coronam & præmium consequendum suspendit; meritò intentio Legislatoris, modum adimplendæ Legis hunc præscribit. Vnde
1.Timoth.1. benè dicitur, Finis Legis est dilectio. Et: Si vis ad vitam in-
Matth.19. gredi, serua Mandata. Nemo autem vitæ futurę beatitudine perfruetur, per opera bona, nisi charitate fuerint formata. Sed, vniuersi concupiscimus habitare in atrijs Domini, ergo etiam videtur quod astringamur operibus charitate formatis, implere Præcepta, modò digni esse velimus promissionibus Christi. His suffragatur Ambros. Et August. inquiens,
Lib. de Iacob et vita beata, cap.5. Mandatum Dei si timore potius, quàm amore iustitiæ fit, seruiliter non liberaliter fit; & ideo nō fit: non enim fructus
Super Psa.32 præmiorū sequitur bonus, quando non ex charitate elicitus.
Lib. Enchir. cap.101. Et: Omnia Præcepta Diuina referuntur ad charitatem, de qua dicit Apostolus, Finis præcepti est charitas, quod verò fit
1.Timoth.1. vel timore pœnæ, vel aliqua intentione carnali, vt non referatur ad illam charitatem, quam diffundit Spiritus sanctus in cordibus nostris, nondum fit, quemadmodum fieri oportet, quamuis fieri videatur: Fac Domine nos proinde idoneos, qui dignatus es nos, tales quales, habere seruos.

De distinctione Præceptorum Decalogi.

CAPVT XV.

OBnixissimis votis, diuinum præsidium est obseruandis præceptis, implorandum, iuxta cantatissimam il-
Lib. de bono perseue.ca.20 Necnō lib.10 Confess. cap.29.& 37. lam D. Augustini sententiam, qua precabatur, Domine Deus, da quod iubes, & iube quod vis. Quam diuinæ voluntatis iussionem, duabus tabulis, obtutibus nostris exhibitam; decem verbis absoluit Sanctus Legifer noster, quæ memoriæ iuuandæ causa, hisce comprehenduntur hexametris:

Exod.20. Leuit.19. Deuter.4.5. & 10.

Vnum crede Deum, Nec iures vana per ipsum,
Sabbatha sanctifices, Habeas in honore parentes,
Non sis occisor, Mœchus, Fur, Testis iniquus,
Alterius nuptam, nec rem, cupias, alienam.

Quare duabus Et hoc propterea, vt Priore Tabula ad pietatem, & propria Reli-

Religionis officia, quibus Maiestas sua colenda est, nos instituat: Altera, vt præscribat, quomodo propter nominis sui timorem, nos in hominum societate gerere debeamus. Qua ratione Dominus noster, vt Euangelistæ referunt, Legem totam summatim in duo capita collegit, Vt Deum toto corde, tota anima, totisque viribus diligamus, &, Proximos amemus sicut nosmetipsos. Verùm quanquam vniuersa Lex duobus capitibus contenta sit, Deus tamen noster quò omnem excusationis prætextum, tolleret; voluit fusius & explicatius Decem Præceptis enarrare, tum quæcunque ad honorem, timorem, & amorem sui spectant, tum quę ad charitatem proximi pertinent, quàm propter seipsum, nobis, erga homines mandat. Nec in diuisionem Præceptorum faciendam malè studium intenditur, modò eius generis rem esse meminerimus, in qua liberum cuique iudicium esse debeat, ob quam non sit contentiosè cum dissentiente pugnandum. Aliqui namque quorum de numero est Augus. Tria præcepta, in priori Tabula constituunt, & septem, in posteriori, quæ diuisio, non displicet etiam eidem lib. super Exodum, quòd in numero ternario, qui conficitur tribus primæ Tabulæ Præceptis, magis reluceat mysterium superbenedictę Trinitatis. Huic consonat D Hieronymus, eadem ratione motus, quando dicit; Tria mandata in vna Tabula, quæ ad fidem Trinitatis pertinent, hæc sunt. Primum: Audi Israël, Dominus Deus tuus, Deus vnus est. Secundum: Non assumes nomen Dei tui in vanum. Tertium: Obserua diem Sabbati. Reliqua septem, alterius Tabulæ, ad dilectionem proximi pertinent. Quos, vt in alijs ferè omnibus, ita quoque in hac Præceptorum distinctione, passim sequitur Schola Theologorum, quòd scripturę magis videatur consentanea: Nam ad Ephes. 6. Præceptum honorandorum parentum, dicitur primum præceptum, nempe secundæ Tabulæ. Nihilominus Origenes constituit in prima Tabula quatuor, & in secunda sex, præcepta. Ratio autē diuersitatis, emergit ex eo; quod priores pro vno habent præcepto, quod iste partitur bimembri sectione. Imò secundum Esichium, in primo Præcepto includuntur tria, ita vt primum sit affirmatiuum; Ego Dominus Deus tuus sum, qui eduxi te de terra Aegypti, de domo seruitutis. Secundum, Non habebis Deos alienos, coram me. Quæ etiam tanquam diuersa Præcepta, habuisse visus est Hieron. Tertium Præceptum esset, Esichio, Non facies tibi sculptile. Origenes existimat, duo prima præcepta esse negatiua. Non habebis Deos alienos: Et, Non facies tibi sculptile, alioquin non constarent Decem Præcepta: Nam ex phrasi Scripturæ, de vxore non concupiscenda, & rebus

tabulis tradita præcepta.
Matth. 22. & Luc. 10.
Epist. 119. ad Ianuar. ca. 11
Quæst. 71.
Super Psa. 32
Homil. 8. super Exodum.
Ratio diuersitatis in distinctione præceptorum vnde emergat.
In cōmentarijs super Ose. 10

proximi

proximi non concupiſcendis, vult duntaxat vnum eſſe præceptum. Cuius ſententiæ non ſolùm aſtipulatur Hebræa veritas; verùm etiam Latina, quam in manibus habemus, hoc modo, Non concupiſces vxorem proximi tui. Et poſtea, Non concupiſces domum eius, non ſeruum, non ancillam, non bouem, non aſinum, non omnia quæ eius ſunt. Si ſic haberemus, non deſiderabis vxorem proximi tui. & poſtea, Non concupiſces domum eius, non ſeruum,&c. Tunc profectò oſtenderet manifeſtius, duo diuerſa eſſe Præcepta. Non dubium eſt etiam, quin Ioſephus cum Philone ex communi ætatis ſuæ conſenſu, quina præcepta ſingulis tabulis aſſignârit: *Lib. 3. Antiquitatũ, cap. 6* Aduerſatur tamen rationi, quia religionis & charitatis ordinem confundit; Refutatur etiam Domini authoritate, qui apud Matth. in catalogo ſecundæ Tabulæ, mandatum de parentibus honorandis reponit. *Cap. 19.*

Ad laudem & gloriam nominis ſui.

AMEN.

PRI-

PRIMVM PRÆCEPTVM.

Ego ſum Dominus Deus tuus, qui eduxi te de Terra Ægypti, de domo ſeruitutis: Non habebis Deos alienos coram me, non facies tibi ſculptile, vt adores illud, &c.

DE ADORATIONE DIVINÆ MAIESTATIS. CAP. I.

INNVIT Dominus populos, è miſera ſeruitute, ideo liberatos; teſte Origene, vt ſe libertatis authorem obedientia, & obſequendi promptitudine, colant. Solet etiam (quo nos in vero ſui vnius cultu retineat) certis Epithetis ſeſe inſignire, quibus ſacrum ſuum Numen, ab omnibus Idolis ac Dijs commẽtitijs diſcernit. Nam noſtra ad vanitatem propenſio, cum temeritate cõiuncta, ſimul ac nominatur Deus, ſibi cauere vix poteſt, quin ad inane aliquod ſpectrum dilabatur. Huic igitur paroxiſmo, remedium dum adferre vult Deus; ipſe ſuam Diuinitatẽ magnificis quibuſdã titulis, ornat, atq; ita nos quibuſdam veluti cancellis, circumſcribit; ne huc aut illuc euagemur, & temerè nobis fingamus nouum aliquem Deum, & derelicto Deo viuo & vero, Idôlum erigamus. Hac ratione Prophetæ, quoties eum propriè deſignare volunt, illum veſtiunt & includunt quaſi ijs notis, ſub quibus ſe populo Iſraëlitico manifeſtauerat, cùm Deus Abrahæ, cùm Deus Iſraëlis vocatur, vel cũ inter Cherubim, in templo Hieroſolymitano collocatur. Iſtæ, inquã, & ſimiles loquendi formulæ, ipſum non vni loco aut populo alligant; ſed in hoc duntaxat ſunt poſitæ, vt cogitationes piorũ, in illo Deo ſiſtant; qui ſuo fœdere, quod cum Iſraële percuſſit, ſeſe ita reputauit; vt ab eiuſmodi deflectere nullo modo liceat. Fixum tamẽ illud maneat, redemptionis interdũ fieri mentionem, quò alacriùs Iudæi ſe Deo addicant, qui ſibi iure eos vendicat. Nos autem reputare conuenit, Aegyptiacam Iſraëlis ſeruitutẽ, typum fuiſſe ſpiritualis captiuitatis, in qua omnes vincti detinebamur, donec Brachij ſui virtute liberatos, in Re-

Homil. 8. ſuper Exod.

Eſaiæ 37. Amos 1. & Abac. 2. &c.

Aegyptiaca ſeruitus, quid prætenderit?

in Regnum libertatis, nos cœlestis vindex, traduxerit. Quemadmodum ergo cùm dissipatos olim Israëlitas, ad cultum sui Nominis recolligere vellet; eos ab intolerabili qua premebantur Pharaonis dominatione eripuit, ita quibus hodie se in Deũ esse profitetur, eos omnes iam ab exitiali Diaboli potestate tuetur, quæ illa corporali fuit adumbrata, teste Aug. Quamobrem nemo est cuius animus inflammari non debeat, ad auscultandam Legem, quàm à summo Rege profectam audit, à quo, vt suam originem ducunt omnia, ita æquum est, vt finem suum vicissim in ipsum destinent, ac diriganr. Nemo, inquam est, qui nõ rapi debeat, ad amplectendum Legislatorem, ad cuius obseruanda mandata, peculiariter se delectum esse docetur, à cuius benignitate cum bonorum omnium affluentiam, tum immortalis vitæ gloriam, expectat; cuius mirabili virtute ac misericordia, è faucibus Mortis se liberatum nouit, vt fusiùs prosequitur Venerabilis Pater, Thomas Herentalensis, insigni libello de Septem Sacramentis, & decem Præceptis in lucem emisso.

Serm. 48. de tempore.

Deus quare colendus?

Thomas Herentalensis.

De Diuinis nominibus. CAPVT II.

QVVM non valeamus rei nomen alicui indere, nisi secundum quod eam mente concipimus ac cognoscimus, quód voces secundum Aristotelem, sint earum quæ in animo sunt passionum, notæ; Sequitur Deum ob suæ maiestatis immensitatem, vtpote incomprehensibilem, non habere in terris aliquod nomen, quo perfectè immensa eius essentia exprimatur, quippe qui est super omne nomen, quod nominatur, non solùm in hoc sæculo, verùm etiam in futuro, teste Apostolo. Vnde D Gregor. Nazianzenus inquit, Deus noster est innominabilis. Et Lactantius commemorat Socratem disputantem apud Xenophontem, dixisse, Formam Dei non oportere conquiri. Similiter & Plato in legum libris asseuerat non esse quærendum, quid omninò sit Deus, cùm nec inueniri possit nec enarrari valeat. Vnde idem Lactant. ex Trismegisto pronũciat Deum anonymũ. i. sine nomine. Et D. Basilius, Diuina natura, inquit, nullis nominibus exprimitur, sed vt nos arbitramur, ignota & abscondita manet. Quod enim beneficus dicitur Deus, Iudex, Bonus, Iustus, & quæcunque alia huiusmodi, de illo dicimus: His omnibus operationum illius differentiam edocti sumus, operantis autem naturam haud quaquam per operationum considerationem cognoscere possumus. Nam, si quãdo ratio cuiusuis istorum reddenda est nominum, deinde & naturæ quæ per ista nomina exprimitur, non eadem vtriusque ratio assignari poterit, Nam quorum ratio non est eadem, horum

Lib. priori Perihermenias, cap. 1. Et Damasc. in Dialect. cap. 14.

Ephes. 1.

Libro 4. de Theologia.

De ira Dei, cap. 11.

Lib. 1. ca. 6.

Epist. 80.

horum & natura differens eſt. Ac proinde graphicè Attalus
martyr Præſidi interroganti, Quod nomen habet Deus? *Lib. 5. Eccleſ.*
Reſpondit, Qui plures ſunt, nominibus diſcernuntur, qui *hiſt. cap. 3.*
vnus eſt, non indiget nomine, teſte Euſebio Cæſarienſi.
Scriptura verò ſacra, vt quoquo modo ſupremum illud Nu-
men intellectui noſtro ingerat, quędam nomina ei attribuit,
quæ euidenter ſecundum B. Ambroſium proprietatem diui- *Lib. 2. de fide*
nitatis oſtendunt. Quorum quædam perſpicuam diuinę ma- *ad Gratianũ.*
ieſtatis exprimunt veritatem, alia verò tranſlatiuè per ſimili-
tudinem de Deo dicuntur. Inter ea autem quæ diuinitatis
naturam magis exprimunt, primum eſt nomen illud tetra-
grammaton יְהוָה אֵל vel אֱלֹהִים Hæbræis, vel ἰσχυρὸς i. for-
tis, aut θεὸς, id eſt Deus Græcè. Ad cuius prolationẽ, vt habet *Lib. 1. de doct.*
D. Aug. humana mẽs ſtatim aſſurgit ad illius ſummi numi- *Chriſt. cap. 6.*
nis contemplationem, quod aliquando in ſcripturis ſacris na-
turam diuinam tribus perſonis communẽ ſignificat, vt Deu-
ter. 6. Deus tuus Deus vnus eſt, vt habet Auguſt. aliquando *Lib. de fide ad*
verò vnam in Trinitate perſonam, vt: Caput Chriſti Deus. *Petrũ cap. 4.*
Et: Qui cùm in forma Dei eſſet, &c. quemadmodum inter- *Philip. 2.*
pretatur D. Auguſt. quibus in locis, primam in Trinitate per- *1. Corin. 11.*
ſonam ſignificare dicit, quod in ſcripturis ſacris paſſim ad- *Lib. 1. de Tri-*
iungitur huic nomini, Dominus: teſtis eſt Dionyſius lib. de *nit. cap. 6.*
diuinis nominibus cap. 12. Vbi obſeruandum eſt quod ſupre-
mum illud numen ante conditum hominem nuſquam vo-
cetur Dominus, ſed ſemper Deus, condito verò homine, pri-
mum nomen Dominus accipit; cauſam reddit Tertul. dicẽs: *Lib. cõtra Her-*
Deus eſſentiæ nomen eſt, Dominus autem potentiæ, & ideo *mogenem in*
poſtquam eſſet creatura, in quam haberet dominium, Domi- *principio.*
nus appellatur. Vide de hac re plura apud Aug. lib. 8. de Gen.
ad lit. cap. 11. De Deo autem nihil aſtruere debemus aut pro-
loqui, præter id quod ſacra nobis vtriuſque teſtamenti elo-
quia aperuerunt & enarrauerunt (teſte Damaſceno) ne ſi im- *Lib. 1. de or-*
becilles noſtræ mentis oculos inacceſſæ diuinitatis luci per- *tho. fide ca. 2.*
tinacius infigere conemur, nimio diuinorum ſplendore he-
betes effecti, exiguum illum (qui cæleſti munere nobis in-
dultus eſt) viſum animi perdamus, & cæcutientes in denſis *Lib. de diuinis*
obuerſemur tenebris. Cui planè ſententiæ accedit beatiſſi- *nominib. ca. 1.*
mus Dionyſ. Nulla, inquit, ratione præſumendum eſt ali- *Nomen tetra-*
quid de superſubſtantiali ſecretiſſimaque deitate, aut dicere, *grammaton.*
aut cogitare, præter illa quæ nobis ſacra eloquia tradiderunt. יְשׁוּעָה
Ioannes Scotus tamen (quamuis Thomas Caietanus refra-
gari videatur) arbitratur hoc efficere illud nomen Admira- יֵשֻׁעַ
bile, Iudæiſque Ineffabile: nomen, inquam, Tetragramma- יְהוָה
ton, id eſt, quatuor literarum, Iehoua, quæ cum ſeua, holem,
& camets, efficiunt Iehoua, quibus ſi interſeratur ſchin litera, הָיָה

C poteſt

poteſt haberi nomen Ieſu: Schin namque pronuntiantes dentes ſuperiores inferioribus coniungimus, quatenus ſignificemus diuinæ naturæ maieſtatem carnis humilitati coniunctam, ad quam alludere videtur ſanctus Propheta ſignificationem, quando protulit Saluator eius vt lampas accendetur. Præfata ſiquidem ſchin litera ſpeciem refert lampadis, Chriſtum ſignificantis, Elichnus tremulo lumine ardet, quia Iod in medio, deitatis eſſentiam in Chriſto deliteſcentem, manifeſtat: Teth reſidua literæ forma, humanitatis ſpeciem prætendit. Eſtque hoc nomen nouum inter reliqua diuina à diuo Hieron. tom. 3. epiſt. ad Marcellam in medium adducta. Nec ita paſſim exprimitur, vti apud Hebræos in ſolis ſacris Biblijs, aureis ac argenteis characteribus exaratur, ſed eius vice aliud legendo, pronũtiatur, videlicet Eloim vel Adonay, & hoc duplicem ob cauſam: Prior eſt, reuerentiæ qua nullis creaturis, teſte beato Gregorio Nazianzeno, attribuitur ſicut Eloim, quod aliquando Iudices mortales, perinde atque Deum ſignificat immortalem. Tantæque Iudæis eſt venerationi, teſte beato Bernardo & Ambroſ. vt nullis liceat illud pronuntiando, niſi certis temporibus ſummo Sacerdoti, magnis cum ſollennijs ac cæremonijs in templo proferre, teſte Moyſe Aegyptio. Poſterior eſt ob periculum: Si enim irreuerenter aut minus articulatè pronuntiarent, timerent vniuerſæ machinæ mundialis ſubuerſionem inducere, ſecundum Iſaacum Leuitam. Hinc ſi Iudæis obijciamus, Quamobrem Chriſto eiuſque fidei ſe non ſubiugârint, propter opera & multiplicia quæ fecit miracula? Reſpondent (vt habet V. pater Nicolaus de Lira in Apologia contra Iudæos:) Nobis quidem conſtat Chriſtum veſtrum creberrimis choruſcaſſe miraculis ac inſolitis fulſiſſe prodigijs, ſed non eſt mortalium quiſquam, qui non idem factitare poſſit, ſi eius ſale conſperſus, ac ſapientia præditus eſſet. Ipſe ſiquidem inuenerat lapidem, ſuper quem antiquitus arca Domini quieuerat, in quo ſculptum erat illud ineffabile nomẽ, ex quo didicit articulatiſſimam, diſtinctiſſimamque eius pronuntiationem, atque huius optimæ pronuntiationis virtute, nihil non præſtabat, adeò vt mare tranſeuntibus ſolidum præbuerit obſequium, & triduani in ſepulchro, vitales auras reſumpſerint. Sed hæc, ceu vaniſſima figmenta miſſa facientes; properemus ad ſequentia. Quàm enim abſurdum ſit hoc mendacium, & quàm ſacris literis diſſentaneum, nullus eſt qui non videat. Hoc interim infallibiter tenendum videtur, quod prælibatum nomen principalius accedit ad exprimendam diuinæ naturæ eſſentiam. Quando enim Moyſes requiſiuit, iam ad populum liberandum, mittendus, Si interrogaue-

Eſa. 62.

Duplici de cauſa nomen Dei non exprimitur.

Lib. de Theolog.

Serm. 15. in Cant.

Lib. 3. de virginibus, ac lib. 2. de Abrahã, cap. 5.

Lib. 1. perplexorum.

In proœmio grammaticalis inſtitutionis.

Iudæi, quare nõ credãt miraculis Chriſti?

Exod. 3.

rogauerint filij Israël, quod est nomen eius, cuius legatione fungeris, Quid dicam eis? Respondet Dominus: Non dices, Ego sum mundi fabricator aut populi liberandi defensor, sed אֶהְיֶה אֲשֶׁר אֶהְיֶה Ehie aser ehie, id est, ero qui ero. quasi dicat, pollicitus sum, quod inducerem populum manu forti in terram lacte & melle manantem, id est, omnium rerum fertilissimam (per cathacrésim:) Stabo promissis, ero quod ero, votis respondebo. Neminem tamen inuadat admiratio, aut exuscitet indignatio, quod noster interpres transtulerit, Ego sum qui sum, quia sic habent etiam Septuaginta Interpretes, quando dicunt, ἐγώ εἰμι ὁ ὤν, propterea quod significatio futuri temporis apud Hebræos, ampliari queat ad tempus præsens, præteritum ac futurum. Sic & ista propositio, præsentis temporis adsciscit significationem, quæ tamen ponitur in futuro. De viro sciscitante quid Ioseph quæreret, quando fratres quærebat, Quid quæres? nemo ambigit quin de præsenti tempore sit intelligenda, quia iam actu in solitudine conspiciebat, vt fratres offenderet aberrãtes, secundum D. Gregor. Nazianzenum, oratione in Theophania, Hierony. in epistolam ad Ephes. 3. August. tractatu 38. super Ioannem, homilia 2. in epistolam Ioannis, libro de prædest. & gratia cap. 5. de natura boni cap. 19. lib. 5. de Trinitate cap. 2. tractatu super Ego sum qui sum, in calce Tomi sexti: necnon Diuus Gregorius libro 18. Moralium cap. 33. Maluit quoque interpres noster transferre, Ego sum qui sum, & non ero qui ero, propter absolutam significationem, quam præsens tempus super alia præ se ferre consueuit. Videtur siquidem principalius omnium de Deo dictorum nominum esse: Qui est, totum enim in seipso comprehendens, habet ipsum esse: veluti quoddam substantiæ infinitum & interminum. Nam cùm sint tria potissimum genera, quæ de Deo asciscì solent, Primo negatiuorum: quid Deus non est ostendentium, vt increatum, ingenitum, incorporeum, secundo eorum quæ indicant quandam habitudinem Dei ad creaturas, vt dominus, rex, conditor, pastor. Tertio, eorum quæ designant aliquod consequens naturam Dei aut operationem, vt iustum, bonum, sanctum. Hoc nomen, qui est, primarium ac præcipuum est, diuinam substantiam in se perpetuo vna & eadem permanentem, sine vlla accidentaria affectione & operatione significat. Neque huic obuiat quòd D. Dionysius primum Dei nomen dicit esse, bonum. Diuinam totam, inquit, substantiam (quicquid illa est) ipsa bonitas diffinire atque aperire à sacris eloquijs dicitur. Et rursus: Ac primum quidem perfectissimam bonitatem appellantes, omniumque Dei processuum interpretem boni appellationem

Marginalia: Genes. 17. — Actor. 7. — Diuersitas lectionis, Hebraici, et Græcanici codicis. — Genes. 37. — Alia nostræ lectionis ratio. — Damas. lib. de ortho. fid. c. 12. — Lib. de diuinis nomin. cap. 2. & 3. & 4.

Philo. lib. de somnijs. nem intueamur. In his & huiuſmodi locis, boni appellatio prima eſt ad inſinuandam nobis diuinam ſubſtantiam per beneficos ſuorum munerum in hæc inferiora proceſſus: qui ratione boni potiſſimum nobis innoteſcūt, ob idipſum quod boni proprium eſt in alia ſe diffundere, quemadmodum per ſuorum ad nos radiorum deriuationem Solis ſubſtantia noſtris oculis inacceſſa, mortalium oſtenditur aſpectui. Nomen verò, qui eſt, diuinam deſignat ſubſtantiam, vt in ſeipſa eſt occultiſſimè latens, omnium entium gradus ſupereminenter & ſuperexcellenter in ſe continens, vna & eadem in ſe perpetuò manens, cuius comparatione res conditæ entia non dici merentur, cùm ſint in continua ſui viciſſitudine. Proinde dixit Hilarius, eſſe in Deo, non eſſe accidens, ſed ſubſiſtentem veritatem. Diuus verò Auguſtinus reſpicit hoc nomen, quatenus ſignificat præſens tempus, quod Deo maximè conuenit, cuius eſſe non nouit præteritum vel futurum, ſed omnia illi ſunt præſentia, ac ipſe præſens in omnibus. Extat proprius tractatus diui Aug. in fine tom. 6. de eo quod dictum eſt ad Moyſen, Ego ſum qui ſum. Item tract. 2. in Ioannem poſt principium. D. Bernardus lib. 5. de conſideratione ad Eugenium. Gregorius Magnus etiam homilia 2. in Ezechielem, ſub finem, in omnibus iſtis locis affirmant patres, quòd Deus ſit eſſentia & natura immutabilis, nos quidem ſubſiſtimus, ſed Dei beneficio. Anne tunc temporis Angeli erant, quando iſta verba formauit? vtique, fuerúntne homines? & innumerabiles. Iecerátne iam rum fundamenta terræ? Extenderátne iam tum ſicut pellem, orbium cæleſtium molem? & præclarè. Adſciſcit tamen ſibi: Ego ſum qui ſum, peculiariter; quia qualicunque res polleat excellentia, ſi mutabilitati ſubiecta ſit; non verè eſt. Non enim ibi eſt verum eſſe, vbi timetur nō eſſe: Quicquid enim mutationis viciſſitudini ſubiacet; mutatum eſt aliud quàm erat. Si autem non ſit, quod prius erat; mors quædam ibi eſſe conuincitur. Sic nigredo, mortua perhibetur in capite ſenis caneſcentis, mortuaque loquutio, in lingua ſilentis. In omnibus autem creaturarum actionibus, duo tempora eſt reperire, præteritum, & futurum, præſens nequaquam: quod enim modo dixi, elapſum euanuit; quod prolaturus ſum, nondum in rerum natura exiſtit. Atqui in veritate, quæ immutabilis perſeuerat, præteritum, & futurum nequaquam locum obtinent; ſed præſens duntaxat. Deus namque, cùm omnium rerum tam præteritarum memoria, quàm futurarum cognitione plenus ſit; non volubili modo ad præteritum & futurum exorbitat; ſed in conſpectu eius, iugiter præſenti luce cuncta viſuntur. Hinc manifeſtum euaſiſſe arbitror, quòd

Lib. 6. de Trinit.

Lib. 5. de Trinit cap. 2.

minus

minus propriè dicatur de Deo, erit vel fuit, nisi quippiam excludendæ imperfectionis gratia annectatur, vt; Deus fuit ab æterno, Deus regnabit in æternum. Et proinde rationi magis fuit consentaneum, transferre: Ego sum qui sum, quàm ero qui ero. Neminem etiam fugere debet, quin prælibatum nomen Tetragrammaton, hinc deriuari atque formari agnoscatur, quia est vox futuri temporis verbi substantiui, cuius primitiua vox est Haia, id est, fuit, cum duplici camets: cui in futuro tertiæ personæ præfigitur Iod, fitque Iehoua, id est, erit, in qua vocula, si Iod medium protrahatur ad quantitatem vau (quod haud difficulter fieri potest, propter nimiam affinitatem) habebitur nomen Tetragrammaton, de quo vaticinatus est Isa. inquiens, Et vocabitur tibi nomen nouum, quod os Domini nominauit, quia nulli, ante Meschiam, imponendum erat: Nullus enim in sacris literis extitisse legitur, qui hoc nomine vocatus fuerit (licet, V. D. Ioannes Eckius refragetur) quia teste Petro Galatino, non Iesouach, sed Iehosouach, dicti fuerunt, quæ vocabula sicut literis differunt, ita sensu distinguuntur, priùs enim nomen, interpretatur saluator, salus, saluatio, in abstracto; Posterius, Deus saluabit. Complures quidem fuisse, nulli ambiguum est, qui hac nomenclatura gloriarentur. Tres tamen fuère præcipui qui & nominis ratione, vt prælibatum est, & typica operatione Christum adumbrarunt. Quorum primus dux fuit ille fortissimus, & insignis athleta Dei, Iosue filius Naue, qui Moysi successit, vt Christus legi; Moyses namque, non introduxit populum in terram promissam, sed Iosue, quòd lex Mosaica neminem saluare præualuerit, sed gratia Christi, Lex per Moysen data est; Vt Iosue, Madianitas, Iebusæos, Hethæos, Amorthæos, valido conflictu prostrauit; ita Christus diabolum potenti virtute superauit; Vt Iosue imperio, sol stabili gradu perstitit immobilis, ita erit immobilis, quando Christus exurget in iudicio contra insensatos; Et quemadmodum Iosue distribuit terram desiderabilem, non Moyses; ita pater omne iudicium dedit filio. Deinde sicut Iosue nullam sibi partem reseruauit, sed Ephraim (in qua ciuitatem habitationis constituit) à populo oblatam recepit; ita sibi mansionem Christus facit, vbi cor contritum & humiliatum sibi fuerit exhibitum. Secundus dicitur Iesus filius Syrach vir eximiæ sapientiæ, Author libri, qui Ecclesiasticus dicitur: hic figurauit Iesum Euangelicæ veritatis magistrum. Vos vocatis me, inquit, magister & domine; Cuius doctrinam, tria potissimum reddunt commendabilem, primò facilitas. Palam loqueris & non est necesse, vt quis te interroget. Beati paupe-

Nomen Iehoua vnde deriuetur?

Esa. 62.

Ser. 4. de circuncisione.

Lib. 3. ca. 20.

1 Mach. 2 & 2 Macha 12.

Iosue Christum quomodo adumbrarit?

Ioan. 1.

Iosue 10.

Ioan 5.

Iosue 19.

Iesus filius Syrach, typus Christi.

Ioan. 13.

Tria commendant Christi doctrinam.

Ioan. 16.

Matth. 5.

res spiritu; Facilis est quoque obseruatu, quid enim facilius quàm non occidere, & diligere? Vt scribit discipulus ille quem diligebat Iesus plurimum. Hæc est charitas Dei, vt mandata eius custodiamus,& mandata eius grauia non sunt. Secundò commendatur quia infallibilis est: Cælum & terra transibunt, verba autem mea non peribunt. Hanc quoque confirmant miracula innumera Christi, Apostolorumque virtute patrata. Tertiò, vtilitate hæc doctrina Christi multis est encomijs extollenda, quia hæc vna ad beatitudinis brauium perducit, Domine verba vitæ æternæ habes. Tertius Iesus, typum veri Meschiæ gessit, filius Iosedech, qui intercessit pro salute populi, & dirutum à Chaldæis templum, postliminio reuersus, reædificauit. Sic noster Pontifex, Iesus, sordidis extitit vestibus, quando liuidum corpus squalebat, purpurea ac sanguinolenta veste circundatum, secundum beatum Ambrosium, libro 1. de Spiritu sancto capite 9. & libro 3. de fide capite 4. sed resurrectionis gloria squalorem deposuit, ac nouum Ecclesiæ templum, abolita synagoga, restaurauit. Siue autem sit nomen quod diuinam essentiam exprimat, vt Ioannes Scotus opinatur, dist. 3. & 22. super primum Sententiarum, siue non sit, vt Cardinalis sanctæ Romanæ Ecclesiæ Thomas Caietanus malle videtur, super primam partem summæ D. Thom. quæst. 13. siue aliquid propius accedat, vt arbitratur Beatus Gregorius Nazianzenus, oratione tertia. Hoc persuasissimum nobis habemus, diuersa esse nomina Deo attributa, quorum quædam sunt Metaphorica, quædam autem propria, secundum B. Tho. in scripto primi dist. 4 art. 1. & dist. 8. art. 3. necnon parte prima quæst. 13. art. 3. Inter propria nomina, potissimum est nomen, Deus, quod quidam deductum putant à dando, quod omnibus det. Alij putant dici ab eo quod nihil ei desit. Alij putant (quod verisimilius est) à Græco nomine originẽ habere θεός, quod dicitur à Græco verbo θεωρῶ, quod est speculari. Nam ipse Deus omnia videt & contemplatur, ac disponit vniuersa suauiter, vel dicitur à θέω, quod quod est currere, quia vbique, cùm opus est, accurrit, & opem fert, teste Damasc. vel ab αἴθω, quod est vrere, cùm Deus noster, teste Apostolo ad Hebr. 12. ignis consumens; & Christus dicat, Luc. 12. Ignem veni mittere in terram, & quid volo nisi vt succendatur? Apud Germanos Dei vocabulum à bono deriuatum videtur, *Godt, Goet*. Metaphoricorum quædam attribuuntur Patri, sic Pater dicitur fons: Me dereliquerunt fontem aquæ viuæ. Nonnulla Filio, qui interdum appellatur lapis angularis, nonnunquam vitis, aliquando securis. Tertio aliqua Spiritui sancto attribuuntur, qui

1. Ioan. 5. *Luc. 21.* *Ioan. 6.* *Iesus filius Iosedech sacerdos Christi figurã præsignauit.* *Aggei 2.* *Zachar. 3.* *Psal. 109.* *Diuinorũ nominũ alia propria, alia metaphorica.* *Athana. tract. de definitionibus tom. 4.* *Hebr. 4. & Ecclesi. 23.* *Lib. de orthod. fide cap. 12.* *Ierem. 2.* *Ephes. 2.* *Ioan. 15.* *Matth. 3.*

qui aliquando nomine aquæ significatur, Omnes sitientes venite ad aquas: Haurietis aquas de fontibus Saluatoris: Aquam quam ego dabo, &c. Propria autem nomina sunt bipartita, quædam enim sunt personalia, quædam essentialia, secundum beatum Ambros. Personalium, quædam tantùm ad vnam referuntur personam, vt nomenclatura Pater, soli competit Patri, sic Filius, soli illi personæ. Quædam ad duas, nempe ad Patrem & Filium, vt spirans, donans: Aliud est quod omnibus congruit personis, estque hoc vocabulum, persona, de quo intueri licet D. August. Alia sunt nomina essentialia, quorum quædam sunt absoluta, quædam relatiua, teste D. Thom. Absoluta sunt bonus, sapiens; non tamen imaginari licet, Deum bonum, quòd causa existat bonorum; quia sequeretur quod esset corpus cùm causa sit corporum, sed bonus dicitur, quia quicquid bonitatis est in creaturis, incomparabiliter excellentius est in Deo; quippe qui est ipsa bonitas & sapientia, secundum Gregorium Nazianzenum: Alia sunt essentialia relatiua, quæ bimembri partitione diuiduntur. Nonnulla enim habent istam ad creaturas relationem, ab æterno, vt prædestinare, reprobare. Alia ex tempore, & rursus bifariam: Quædam enim significant ipsam habitudinem ad creaturam, vt dominus, nec directè huiusmodi significant substantiam diuinam, sed indirectè, ac secundariè important habitudinem ad creaturas. Non est verò præsentis loci omnia quæ ad diuinorum nominum spectant rationem, sed primi sententiarum differere: vbi, Deo volente, ea quæ præ manibus de ijs elaborata & trutinata fuerint, ac in lucem edita, me satisfacturum spero abundè in hoc negotio Christiano Lectori.

Esa.12.& 55. Ioan.4. Lib. de fide cōtra Arrianos, cap.6. Lib.7. de Trinit. ca.4. et 6. 1. part. q.13. art.2. & 7. Deus quomodo dicatur bonus? Li.4. de Theologia.

Qui eduxi te de terra Ægypti, & de domo seruitutis.

De omnipotentia Diuina.

CAPVT III.

Hisce verbis modum cognoscēdi seipsum aperit, vel insinuat Deus opt. max. nā cùm (quod ad essentiā eius attinet) incomprehensibilis ac inuisibilis sit, sicut scriptum est: Non videbit me homo & viuet. Et iterum: Deum nemo vidit vnquam, necesse erat vt certum opus ac testimonium adderetur, quo veluti à posteriori apprehendi posset, ne quis hæsitaret quisnam is Deus esset qui se mandatis istis

Exod.33. Ioan.1.

colendum præcepiſſet, quaſi dicat: Is ego ſum verus ille Deus, qui hoc ſpectatiſſimum opus peregi, qui populum meum ex Aegypto mirabiliter eduxi, idque tam manifeſtis verbis & ſignis, quæ vidiſti, vt negare non poſſes hæc me authore facta fuiſſe, & hunc qui fecit, verum Deum eſſe. Eatenus enim (nempe per verba ac ſigna) Deus alioqui inuiſibilis agnoſcitur: atque ita conciliantur ſcripturæ, quæ alibi Deum videri negant, alibi Iacob & Moyſi facie ad faciem viſum fuiſſe perhibent. Ergo cùm Moyſes Deuter. 5. dixiſſet: Nullam ſpeciem Dei vidiſtis, citra vllam repugnantiam addidit, facie ad faciem locutus eſt vobiſcum in monte de medio ignis. Deinde Deus hoc opus & teſtimonium adiecit, vt intelligeres id verum eſſe quod dixerat, nempe ſe eſſe Dominum Deum tuum, ſua omnipotentia te regentem, gubernantem, redimentem, reſpicientem, curantem & ſaluantem. Inſignis enim omnipotentia ſimul & bonitas declarata ſunt ob nunquam ſatis admirandum opus eductionis filiorum Iſraël de Aegypto; in quo prophetæ omnes maieſtatem, & magnificentiam Dei erga populum ſuum illuſtratam vbique prædicant ac collaudant. Procopius Gaſæus Græcus, admonet hæc verba diuina loco eſſe procemij, quibus ἀναγόγικῶς ſignificatur, omnis qui contempto præſenti ſeculo, ſermonis diuini inſtinctu fuerit iuſſus iter facere in regnum cælorum: is, inquam, exiuit de Aegypto liberatus & ſolutus mundi negotijs & malis, quæ nos excruciant. Hæc meritò quis appellauerit domum ſeruitutis. Sua verò omnipotentia maximè relucet eius diuina eſſentia, quæ inuiſibilis cùm ſit, viſibilis tamen ſingulari gratia aliquibus apparere dignatus eſt: ſua forti prouidentia, qua dilectione diuina quoſdam eligit, vocat, prædeſtinat, iuſtificat, ac tandem beatos reddit: alios verò ſua præſcientia, reprobat, deſerit, ac ſuis demeritis æterna morte damnat. De his igitur effectibus æternæ vitæ ac mortis, qui diuinæ omnipotentiæ innituntur, tanquam effectus cauſæ, ante elucidationis Decalogi exordium, iuſto ordine tractabimus, vt cognita in his Dei omnipotentia, tanto arctius, firmiuſque diuinæ voluntati inhærentes, Decalogum eius cuſtodiamus, ne reprobi tandem effecti inter eos inueniamur, quibus dicturus eſt Dominus, Ite maledicti in ignem æternum. Deus igitur, cùm ex ſacris literis, (Geneſ. 17. Exod. 15. Tob. 13. Apocal. 1. Luc. 1. Dionyſ. Areopagita de diuinis nominibus cap. 8. Auguſtinus lib. 20. cap. 30. & lib. 21. cap. 7. de ciuit. Dei, ſermone 181. de tempore. Enchirid. cap. 95. Damaſc. lib. 1. cap. 20.) tum ex Symbolo Apoſtolico, necnon ſancti Athanaſij, creditur omnipotens eius voluntas, ſiquidem ſempiterna cum ſit, &

Ioan. 1. Geneſ. 32. Exod. 33. Deuter. 5. Exod. 15.

Pſal. 14. 113.

In hunc locum Exodi.

Quare effectus æternæ vitæ ac mortis, Decalogo præponatur?

quæ mutari, impediri quoque nequeat, poteſtatem habet omnia faciendi: quæ licet maior non ſit, quàm diuina voluntas, cùm vtraque ſit diuina eſſentia, eius tamen poteſtati, plura ſunt ſubiecta quàm eius voluntati: omnia namque quæcunque vult poteſt, non autem quæcunque poteſt, protinus vult. Poteſt nos exigentibus peccatis noſtris, demergere, & ad Plutonica regna ablegare, ſed non vult nos perdere, nec vult mortem peccatoris. Verùm enimuerò, non modica eſt difficultas, quid per Dei omnipotentiam ſit intelligendum, cùm multa non poſſit, Pater enim non generatur, nec inæqualem poteſt gignere Filium, non poteſt eſſe etiam malus, nec mentiri, neque efficere vt verum ſit falſum, nec cadit in ipſo peccatum, & Spiritus ſanctus nequit ſpirare. Hæc & huius generis alia, non poteſt Deus. Vnde ſequi videtur, quod non ſit dicendus omnipotens: & quia homo hæc poteſt, videtur Deo eſſe potentior; & in prælibatis robuſtior. Dicendum eſt, doctorem maximum, lapidem aut puerum in cunabulis docere non valere, non ex ſe, ſuiq; defectu; ſed pueri & lapidis, doctrinæ minùs capacis. Quod etiam Spiritus ſanctus ſpirare non legatur, perinde eſt atque ſi Rex Hiſpaniæ, caſtri ciuitatis vel regionis alicuius hæres ex aſſe, dominium illius caſtri, ciuitatis, aut etiam regionis, largiatur alteri regi, vtpote Galliæ, Angliæ, Poloniæ, nequaquam tamen illud propriè dici poteſt elargiri Regi Hiſpaniæ, hoc eſt ſibiipſi. Nemo enim quod ſuum ſibiq; proprium eſt, dare ſibiipſi poteſt. Non enim pecuniam quam iure iuſteq; poſſideo, mihiipſi dare poſſum. Ita Spiritus ſanctus, nulla ratione dare ſibiipſi poteſt ſuam deitatē, nam illa ſibi naturalis non ambigitur. Nomen quoq; omnipotētiæ, tripartita acceptione vſurpatur; Prima, diſtributiuè, vt extendatur ad quæcunque in infinitum; ſic formaliter non eſt in Deo, quia potentia currendi, ſaltandi, comedendi eſſent in Deo formaliter, quę vtpote imperfectiones, nequaquam ſunt Deo adſcribendæ. Nihilominus virtualiter, & cauſaliter exiſtūt in Deo, quippe qui eas in alijs efficere non deſinat ſecundum Thom. Bonauent. & Richard. Secunda, accipitur extēſiuè, vt ſenſus ſit, Deum poſſe omnia poſſibilia, quæque admittunt rationem poſſibilitatis, nec includunt contradictionem. Contradictoria ſiquidem, licet Deus ſimul vera efficere nequeat, hoc non prouenit ex diuinæ potentiæ defectu, ſed ex parte contradictorij, quod nullo modo habet rationem poſſibilitatis. Cuius ratio, curioſè ſcrutanti, non alia eſt reddenda, quàm quòd habitudo & natura affirmationis & negationis nihil aliud permittat. Si enim Deus, poſſet facere eandem rem ſimul eſſe, & non eſſe; poſſet etiam ſimul velle

Deus multa poteſt, quæ non vult.
Ezech. 18.
Omnipotentia tripliciter accipitur.
1. part. q. 25. Super diſt. 42 lib. 1. Sentent.

& non velle, itaque Deus posset sibi esse contrarius, quod est impossibile. Tertia accipitur intensiuè; hoc modo, Deus filius potuit chlamidem nostræ mortalitatis assumere, vt nos à tyrannide diaboli liberaret. Pater autem & Spiritus sanctus habuerunt æqualem potentiam, idem, si congruisset, faciendi; quia potentiam habuerunt æquè intensam, vnde non ex impotentia pater non est incarnatus: Habuit enim pater eandem potentiam intensiuè, vt saccum nostræ vilitatis indueret, sed sibi hoc opus, extensiuè & extrinsecus, facere non conueniebat. Insuper nec minus est omnipotens, quia non potest inæqualem gignere filium, quia magis firmatur potentia, quando cognoscitur eadem in vtroque essentia, quæ nullum permittit diuersitatis discrimen, teste Thom. Hinc August. Potenter hoc non potest, nec est infirmitas ista, sed firmitas, quo falsa esse non potest veritas. & alio loco, Quomodo intelligis, inquit, Deum factorem omnipotentem? Atque mox subuectit, Omnia quæ quisque facit, aut ex se facit, aut ex aliquo, aut ex nihilo, homo qui non est omnipotens, de se filium generat. Artifex ex aliquo, puta ex ligno arcam, ex argento vasculum efficere potest. Faber lignarius potuit fabricare arcam; sed non potuit producere lignum, aurifex potest fundere, & formare calicem; sed non potest facere argentum. Ex nihilo, nullus hominum aliquid efficere potest, Deus autem quia est omnipotens, & de se æqualem genuit filium; & ex nihilo mundum creauit, atque ex limo terræ hominem plasmauit. Hisce tribus potentijs demonstrauit efficaciam suam in omnibus valere, adeò vt deitas integra, humanitas vera, vnus Christus Iesus, sua omnipotenti virtute, sub specie modici panis consecrati, & vini, in tremendis altaribus, vsque ad consummationē seculi nobiscum permanere, à fidelibus non dubitetur. Hac potissimum causa & similibus, arbitror sanctos Apostolos sacro spiritu repletos, symboli statim in exordio, tanquam sacram anchoram constituisse, Deum omnipotentem esse credendùm, qua oculos mentis rerum & articulorum sequentium sublimitate, & mysteriorum abditissimorum profunditate, reuerberatos; captiuemus in obsequium Christi, firmissimè nobis persuadentes, quòd quæcunque dixerit, potens sit & facere. Nec obstat etiam quod peccare, mentiri & mori nequeat, quia hæc important à vera perfectione defectum. Quemadmodum enim maioris est potentiæ, solem non posse obtenebrescere, quàm obscurari, & neruos opticos, ac organum visus non posse obnubilari, quàm caligine obduci, sic se res habet in Deo, qui eo semper est perfectior, quo ab istis inuenitur alienior. Propterea dicit

In scripto 1. dist. 20. ar. 2.
Li. 15. de Trinit. cap. 14.
Lib. 2. contra Felicem Manichæū ca. 18.

In Symbolo, Deus quare omnipotens appelletur?

Roma. 4. & 2. Corin. 10.
Aug. ser. 119. de temp.

Anselm.

Anselm. libro Prosologij cap. 7. & August. serm. 119. de temp. lib. contra sermonem Arrianorum cap. 14. epistola ad Euodium de natura & gratia cap. 49. lib. 5. de ciuit. cap. 10. quod Deus potenter peccare non possit. Denique mori non potest, nec aliquatenus ideo censendus est minùs omnipotens, qui rectè omnipotens dicitur, qui mori & falli non potest. Dicitur enim omnipotens, faciendo quod vult, non patiendo quod non vult, quod si ei accideret, nequaquam omnipotens esset. Consideratione tamen inpræsentiarum opus est, propter Ioannem Bucerum, & eius farinæ homines, adfirmantes falsò, Deum nihil aliud posse quàm faciat, nec ea quæ facturus est posse prætermittere, hoc est, Deum omnia necessaria agere, nec posse fieri, vt alia agat quàm agit, verùm horum temeraria præsumptio, facilè conuincitur per sacras scripturas, Deum in suis actionibus liberrimum esse, pronuntiantes: Oblatus est, inquit, quia ipse voluit. Potestatem etiam habuit, ponendi animam suam, & iterum sumendi eam. Et alio in loco: Hæc autem operatur omnia vnus atque idem spiritus, diuidens singulis prout vult. Et iterum: Non impossibilis erat omnipotens manus tua, quæ creauit orbem terrarum ex materia inuisa, immittere illis multitudinem vrsorum, aut audaces leones, aut noui generis iræ plenas, & ignotas bestias, aut vaporem igneum spirantes, aut fumi odorem proferentes, aut horrendas ab oculis scintillas emittentes; quarum non solùm læsura poterat illos exterminare, sed & aspectus per timorem occidere. Nam & sine his, vno spiritu poterant occidi, persecutionem passi ab ipsis factis suis, & dispergi per spiritum virtutis tuæ. Sed omnia in mensura, & numero, & pondere disposuisti. Hunc locum citat Diuus Augustinus de spiritu & litera cap. 35. docens ex ea, Deum multa plura posse producere in lucem & facere quam eloqui possit, vt etiam testatur Dionysius libro 8. de diuinis nominibus. Cùm igitur quidam cauillentur, hoc pacto: Deus non potest seipsum negare, mentiri, mori, quorum primus videtur fuisse Elimas Magus, act. 13. vt refert Dionysius capite citato, ac Porphyrius, teste Eusebio de præparatione Euangelica cap. 4. libri 6. Huic cauillo respondent patres generaliter, quod (non posse) non semper significat impotentiam, teste Cyrillo lib. 6. Dialogorum, de Trinit. à fine. Sed significat durationem in qua res consistit. Vnde Chrysostomus homilia 37. in Ioannem ad illud, Non potest filius à se facere quicquam. Illud, inquit, quod impossibile dicit, Non imbecillitatis est, sed potentię. Et Aug. lib. 5. de ciuitate Dei cap. 10. potestas Dei non minuitur, cùm dicitur mori, fallique non posse; Sic etiam soluit idem cauillum

Quis verè dicendus omnipotens?

Tractatu de libero arbitrio.

Deus est in operibus suis liberrimus.

Esa. 53.

Ioan 10.

1. Corin. 12.

Sapient. 11.

Non posse quid est?

lum

lum lib. 22. de ciuitate Dei, cap. 25. Ex quibus perspicuum fit, Deum nulla necessitate esse, ad hoc vel illo modo operandum, constrictum. Præterea Deus quicquid facturus est, præsciuit, ac ab æterno stab.li decreto firmauit; & quicquid non est facturus, id quoque præsciuit, & non facere decreuit. Ex scripturis nihilominus non potest non constare Deum multa præsciuisse, & proposuisse non facere; quæ tamen potest facere. Et rursum: Multa facere proposuisse, quæ tamen potest non facere. Potest enim de lapidibus suscitare filios Abrahæ. Et in sequentibus: An putas quia non possum rogare patrem meum, & exhibebit mihi modò plusquam duodecim legiones angelorum? Sic gentes simul exterminare potuit, quas tamen paulatim contriuit. Necnon Sydrach, Mysach, & Abdenago dixerunt ad regem Nabuchodonosor, Deus quem colimus, potest nos eripere de camino ignis ardentis, & de manibus tuis, ô rex, liberare. Quod si noluerit, notum sit tibi, quia deos tuos non colimus. Istud etiam comprobat beatus Augustinus: Deus, inquit, quia Lazarum suscitauit, sine dubio potuit, quia verò Iudam non suscitauit, nunquid dicendum est, non potuit? Potuit ergo, sed noluit, nam si voluisset, eadem hoc potestate fecisset, quia filios quos vult viuificat. Imò quod præmissi hæretici negant in Deo, luce meridiana clarius, reperitur in homine corruptibili; qui quodammodo multa facere posset quæ non facit, & versa vice multa non facit, quæ facere posset. Frustra alioquin Deo fuisset curæ iracundia ipsius Laban, nec dixisset, Caue ne loquaris contra Iacob quicquam durius. Iustus alio loco collaudatur, Qui potuit transgredi, & non est transgressus: mala facere, & non fecit. Et Eleazarus: Domine qui habes sanctam scientiam manifestè, tu scis, quia cùm à morte possim liberari, duros corporis sustineo dolores: secundum animam verò, propter nomen tuum, libenter hæc patior.

Multa non fecit, quæ tamen potest facere.
Matth. 3.
Matth. 26.
Exod. 23.
Daniel. 3.
De natura & gratia cap. 7.
Enchir. c. 96.
De spir. & lit. ca. 1. 5. et 35.
Lib. 2. de pec. merit. & remiss. cap. 6.
Lib. 4. de ciui. Dei, cap. 33.
Genes. 31.
Ecclesi. 31.
2. Machab. 6.

Omnipotentia ex creatione rerum elicitur.

CAPVT IIII.

RELVCET verò diuina omnipotentia primo, maximè creatione cæli & terræ ex nihilo, quod proprium est ἰδίωμα diuinum in sacris literis. vt: Adiutorium nostrum in nomine Domini, qui fecit cælum & terram. Et: Domine tu qui fecisti cælum & terram; Qui autem omnia creauit Deus est. Hoc ipsum pulchrè docet Augustinus, dum ait, omnipotentem Dominum ac Deum nostrum ipsa eius inprimis opera testantur, qui fecit hunc mundum totum

Psalm. 123.
Actor. 4.
Hebr. 3.
Serm. 192. de tempore.

totum de nihilo, & totam quæ magna est, pulchritudinem tamque speciosas rerum formas, ex nulla materia extante composuit. de ipso enim dicit scriptura diuina: In principio fecit Deus cælum & terram. Et rursus: Quoniam ipsius est mare, & ipse fecit illud. Quis ergo neget omnipotentem esse, quem tam clara cognoscit operatum? Sed multò magis eum esse omnipotentem fatebimur, cùm hæc ipsa, quam facilè operatus sit, agnouerit; Propheta loquitur in Psalmo: Ipse dixit & facta sunt, ipse mandauit & creata sunt. Absque vllo labore, absque vlla difficultate res condidit, quicquid ratio humana miratur, non labore Deus, sed iussione reformauit. Imperio eius extiterunt omnia, quæ ante non fuerant: cùm ex nihilo tanta procedunt, omnipotentem profectò loquuntur authorem. Neque verò à Deo ista sola creata sunt quæ videmus, sed maiores potentiæ diuinæ diuitias, inuisibilia eius opera testantur. Et alibi Augustinus: Omnipotentem, inquit, Deum credimus, quia omnia faciens factus non est; & ideo omnipotens est quia de nihilo fecit quæcunque fecit. Hoc est enim esse omnipotentem, vt non solùm fabrica ipsa, sed etiam ipsa materies ab illo inueniatur esse, qui non habuit initium vt esset, vt is qui sempiternus est, crearet non id quod ipse esset. Vide hac de re Hieronymum in Psalm. 61.

Genes. 1. *Psalm. 94.* *Psa 32. & 148* *Li. 2. de symbolo ad catech. cap. 4.*

Omnipotentia etiam relucet in rerum conseruatione. CAPVT V.

DIVINA rerum creatarum conseruatio est euidentissimum omnipotentiæ Dei argumentum, vti perpulchrè deducit B. August. Verùm quia istud doctrinæ caput extitit in Secundum Sententiarum declaratum, nolo idem iterata vice inculcare, eo namque studiosum remitto Lectorem.

Lib. 5. de ciui. Dei, cap. 11. Et serm. 192. de tempore. Enchir. c. 96.

Omnipotentia quid vtilitatis in nobis operetur? CAPVT VI.

PLVRIMVM verò vtilitatis ad obseruantiam mandatorum Dei, adfert Christiano, viua & efficax memoria omnipotentiæ diuinæ, primò enim ea fides nostra ac spes confirmatur, Genes. 17. Ego Dominus omnipotens, ambula coram me, & esto perfectus. Cui innixus Iacob confidenter dicebat: Deus autem meus omnipotens faciat vobis eum placabilem, & remittat vobiscum fratrem vestrum quem tenet in vinculis. In quam diffidens Sara reprehenditur,

Vtilitas omnipotentiæ Dei. *Genes. 43.*

ditur, Genes.18. Nunquid Deo est quicquam difficilè? Et beata virgo non dubitans de oraculo, sed quasi læta de nuncio, confortata fide ab Angelo audit, Non erit impossibile apud Deum omne verbum. Hic respondet August. epist. 2. & 3. quæ est ad Volusianum, & sermone 11. & 147. de tempore, vbi etiam ex fide omnipotentiæ Dei, statuit resurrectionem carnis. Secundò, quod si boni etiam aliquid expectandum sit, nunquam animus rei magnitudine, quam exoptat frangitur, sed erigit sese atque confirmat, sæpè illud cogitans, nihil esse quod ab omnipotenti Deo effici non possit. Quare hac fide præcipuè munitos nos esse oportet, vel cum admiranda aliqua opera ad proximorum vsum, & vtilitatem edere cogimur, vel cum à Deo precibus aliquid impetrare volumus. Alterum enim ipse Dominus docuit, cùm
Matth. 17. Apostolis incredulitatem obijciens diceret: Si habueritis fidem sicut granum sinapis, dicetis monti huic, transi hinc, illuc, & transibit, & nihil impossibile erit vobis. De altero au-
Iacob. 1. tem S. Iacobus ita testatus est: Postulet in fide nihil hæsitans. Tertio ad omnem modestiam, & humilitatem, & timorem, eius omnipotentia nos instituit. Sic enim inquit princeps
1. Petr. 5. Apostolorum: Humiliamini sub potenti manu Dei. Ti-
Luc. 12. mete eum, qui postquam occiderit, habet potestatem mittere in gehennam. Quartò valet ad immensa erga nos Dei beneficia cognoscenda & celebranda. Nam qui Deum omnipotentem cogitat, tam ingrato animo esse non potest, quin
Luc. 1. sæpius exclamat: Fecit mihi magna qui potens est. Sic To-
Tob. 13. bias ait: Ideo dispersit vos inter gentes, quæ ignorant eum, vt vos enarretis mirabilia eius, & faciatis scire eos quia non est alius Deus omnipotens præter eum, qui sit gloriosus & benedictus in secula, Amen.

De voluntate diuina. CAPVT VII.

1. Thess. 4. Ephes. 5. NON ignorandum est, quòd voluntas Dei propriè sit in intellectu. Cùm autem Deus sit intelligens, necessariò est etiam volens per essentiam, cùm diuina voluntas, non sit aliud, quàm diuina essentia; nec aliquid de Deo dici potest secundū accidens, teste August. lib. 5. de Trinit. cap. 4. & 5. Aliquid tamen discriminis est inuenire, inter scientiam, potentiam, & voluntatem, secundum Bonauent. in 1. Sent. dist. 45. quæst. 2. Quia quicquid scit Deus, potest quantum ad actum; quia nihil efficit, nisi per sciētiam, potentiam, & voluntatē. Ratione tamē obiecti, & cōnotati: sunt inæqualia. Sciētia namq; latius se diffundēs; extēditur in bonū & malum. Potentia in bonū possibile, tam futurū, quàm non

futu-

futurũ. Quare perfectius est in Deo, quàm in nobis; quia in nobis, est mobilis varijsque obnoxia passionibus; mœroribus, doloribus, & eius generis alijs, teste Aug. & Ansel. Thom. In Deo autem est diuina essentia. Idcirco nullis subiacet mutationibus, sed ab æterno in Deo, vel potius ipse Deus, existit; & proinde nulla eius potest reddi causa. Qui quærit, inquit Augustinus, quare voluerit Deus mundum facere, causam quærit voluntatis Dei. Omnis autem causa efficiens, maior est eo quod efficitur, ergo non est causa illius aliquatenus inquirenda, cum Dei voluntate nihil maius sit. Et lib. 1. de Genesi contra Manichæos cap. 2. Si qui dixerint, quid placuit Deo facere cælum & terram? Est respondendum, quia ipse voluit, voluntas enim Dei, causa est cæli & terræ; & ideo maior est voluntas Dei, quàm cælum & terra. Qui autem dicit, Quare voluit facere cælum & terram? maius aliquid quærit, quàm est voluntas Dei, nihil autẽ maius inueniri potest. Compescat se ergo humana temeritas, & id quod nõ est, non quærat; ne id quod non est, inueniat. Et Ansel. Sufficere nobis debet ad rationem; volũtas Dei, cum aliquid facit, licet non videamus cur ita velit: voluntas namque Dei nunquam est irrationabilis. Præmissis contraire videtur, axioma, quo dicitur, Nihil esse volitum, nisi præcognitum, igitur prima rerum causa nequit dici Dei voluntas. Verùm sciendum est secundum Tho. quòd quamuis scientia, voluntatem antecedat, secundum intelligendi rationem; tamen scientia & potentia non habent rationem actualis determinationis & prõptitudinem ad operandum; nisi per voluntatem. Vnde voluntatis est vt scientia disponat, & vt potentia exequatur, cum autem ratio actualis causalitatis prius inueniatur in voluntate, quam in scientia & potentia; queadmodum testatur Hilar. Omnibus creaturis, inquit, substantiã, Voluntas, dedit. Et Aug. voluntas Dei, est prima causa, & summa omnium corporalium specierum. Necnon Hugo de S. Victore. Cùm sint tres in Deo, ait, scientia, potentia, & voluntas, primordiales quidem causę, à voluntate diuina quasi proficiscuntur, per scientiam diriguntur, per potentiam producuntur, & propterea magis voluntati; quam scientiæ; prima causa attribuitur. Hæc autem voluntas, licet incompleta esse nequeat, iuxta illud Apost. Voluntati eius quis resistet? bipartita tamen diuisione secatur, nimirum, vt vna dicatur voluntas beneplaciti, altera signi voluntas: Beneplaciti est, qua omnia quæ fiunt, conuenientem accipiunt gubernationem. Hæc namq; nunquam non impletur, vt testatur August. Quantum ad ipsos attinet, inquit, quod Deus voluit, fecerunt, quantum verò ad Dei omnipotentiam; nullo modo id efficere potuerunt. Hoc

quippe

Lib. 22. ciuit. Dei, cap. 2. & lib. 5. cap. 11. & lib. 3. de Trinit. cap. 4.

Lib. Cur Deus homo, c. 5. et 8

1. part. quæst. 19. art. 4.

Volũtatis Dei non est causa quærenda.

Lib. 1. de Gen. cõtra Manich. ca. 2. Et li. 83 quæst. q. 28.

Lib. Cur Deus homo cap. 8.

1. part. q. 19. art. 11.

Lib. de Synodis dictus.

Lib. 3. de Trinit. cap. 4.

Lib. 1. de Sacra. cap. vlt.

Roman. 9.

Duplex volũtas Dei.

Beneplaciti quæ sit?

Lib. 22. de ciuit. Dei, ca. 1.

Enchir. c. 100 & 107.

quippe ipſo quod contra voluntatem Dei fecerunt, de ipſis facta eſt eius voluntas: Propterea namque magna opera Domini, exquiſita in omnes voluntates eius, vt miro & ineffabili modo, non fiat præter eius voluntatem, quod etiam fit contra eius voluntatem; quod non fieret, ſi non ſineret, nec vtiq; nolens ſinit, ſed volens, vnde ſi quis diſcedat à diuina volūtate, ſecundum vnum ordinem; relabitur in ipſam, aliam. Sicut peccator, qui quantum eſt in ſe, recedit à diuina voluntate iuſſa voluntatis eius, præuaricando; & incidit in ordinem diuinæ volūtatis dum per eius rigoroſam iuſtitiam, pœnas dare

Ca. 23. cogitur. Huic conſonat Conc. Arauſic. 2. docens: Quòd quādo homines faciunt quod volunt; Dei voluntati nihilominus

Voluntas ſigni qua? ſeruiunt. Voluntas ſigni, proponit leges, imperat ac præcipit, hæc non eſt efficax nec perpetuo impletur, quia leges à Deo latas, homines ſubinde tranſgrediūtur. Huius generis eſt ſen-

Matth 6. tētia Dominica. Fiat volūtas tua. Et Paulus: Hęc eſt voluntas

1. Theſſ 4. Dei, ſanctificatio veſtra. Quæ quintupartito modo diuidi-

Voluntas ſigni eſt quintuplex tur, vt hoc verſu memoriæ iuuādæ gratia poſito; ſignificatur:

Præcipit & prohibet, permittit, conſulit, implet.

dicūturq; Dei volūtas, per Metaphorā, quia huiuſmodi conditiones non ſunt in Deo propriè; ſed Deo attribuuntur, propter talium paſſionum ſigna, nec varios in Deo actus conſtituunt, ſed in rebus creatis multos deſignant effectus. Quando namque aliquid præcipit, ſignum eſt, quod talē effectum fieri velit. Sedula mentis inueſtigatione eſt hic explorandum,

1. Tim. 2. quonam ſenſu dixerit Apoſtolus: Deus vult omnes homines

Sentētia Pauli exponitur. ſaluos fieri, & ad agnitionē veritatis venire; cùm permultos videre ſit, in ſordibus peccatorum conſeneſcere, & ab orthodoxa fide deſciſcere. Profectò duorum elucidatione patrum, præ ſentis loci tenebræ, diſpellūtur. Auguſtini doctoris clariſſimi epiſtola 107. ad Vitalem, & Ioannis Damaſceni, quorum prior, bifariam nodum ſoluere cognoſcitur. Vno modo, oculos mentis dirigit ad vniuerſale ſignum, vt in vniuerſali, omnes homines intelligantur, nequaquam tamen abſolutè, ſed quotquot, & omnes qui ſaluantur, per ipſum ſalutem conſequantur oportet. quemadmodum alio loco diuina te-

Ioan. 1. ſtantur eloquia, quę adſeuerant, Deū illuminare omnem hominē venientē in hūc mundū, & ſicut vulgati modo loquēdi

Auguſt. de corrept. & gratia cap. 14. dicere conſueuimus. In hanc domū omnes ingrediuntur hac ianua, quod eſt, Nemo intrat in domū, niſi per hāc ianuam, quia nemo ſalutē, niſi per Chriſtum capeſſit. Altero modo, vt

Enchirid. 107 admittatur diſtributio pro generibus ſingulorum nō pro ſin-

Lib. 6. contra Iulianum. gulis generū, ſicut in hac propoſitione: omne animal fuit in arca Noë, id eſt, de omnibus generibus aliqua animalia, pari

Enchir. c. 103 modo Deus de quolibet genere hominūq; ſtatu, aliquos vult

gloria

gloria præmiari cælesti. Expositio autem Ioannis Damasceni, non est prorsus absona; quin porius reliquis scripturę passibus consentanea. Docet namq; Deum velle omnium salutem, voluntate antecedenti; non consequenti: Voluntas verò antecedens dicitur, quę est secundum absolutam rei considerationē, prout in se consideratio locum obtinet. Thom. Consequens dicitur voluntas, quæ intuetur rem cum omnibus suis circunstantijs. Quemadmodum si hominē respicias, qui res inuasit alienas secundum se, vt est homo & amicus; proculdubio Iudex vellet eum Nestoreos attingere annos, fœliciq; incolumitate perpetuo gaudere. Verum si eum consideres tanquam Prædatorem ac Reipublicæ perturbatorem, sic absolutè Iudex iustus & fidelis, vult eū vltimo plecti supplicio. Illa igitur vocatur antecedens, quæ est absq; aliquibus circunstantijs meritorum & demeritorum. Hæc consequens, siue consequentis; quia considerat rem, eiusq; circunstantias; nimirum hominem, & eius merita & demerita, Licet enim nostrorum operum merita, commodi aut incommodi nihil conferant, quia tamē est summum bonum, & quo magis bonum, eò magis sui diffusiuum; res ita instituere prætulit; vt eas ad bonum ordinauerit, & cùm alias ad alia; hominē æternæ beatitudinis capacem plasmauit. Hinc si hominem per se absoluteq; respicias, Deus omnem hominem vult saluum fieri, estque illi multò gratissimū, quod pace fruatur æterna; si verò sibi obicem ponat, per ipsum stat, quò minus saluus fiat. Sicut pater filium non generat, vt ipsum legitima paternæ hæreditatis portione destituat; sed, vt paternorum bonorum efficiat consortem, & successorem: & quadam humanæ fragilitatis possibilitate vitam optat in filio prorogatam. Si autem filius paternorum iussorum minus fuerit obseruans; pater insolescentem filium & procacem, præter animi sui decretum exhæredabit; nec aliquid discedet ab optimi patris munere. Sic agricola, frutices inserit terrę, humana industria, excultæ; vt vberrimum maturrimumq; fructum producere queant, si quæ inter eas tamen sterilescant, excidit, ne frustra terram occupent, non ex propriæ intentionis arbitrio, sed arbustorū vicio. Sic Deus Optimus Maximus, Præceptorum obseruandorum præscriptione occasionem nanciscitur, vt nos suæ gloriæ faciat participes. Si autem ad eius Præcepta obsurdescimus, nostra culpa non immeritò perimus. Possumus nihilominus, nostram voluntatem conformare voluntati increatæ & Diuinæ; non secundum æqualitatis participationem, quia finiti ad infinitum nulla est proportio, sed secundum participationem similitudinis & imitationis. Res manifestior euadit, adsumpto solis & ignis exemplo? Diffuso

D siquidem

Lib. 2. Ortho. fidei, cap. 29.

Voluntas antecedens.

1 part. quæst. 19. art. 6. Et q. 23. art. 4.

Voluntas consequens.

Similitudine probat quod docet.

Bonauē. lib. 1. dist. 48. q. 1. Et Richard. hoc loco.

Exemplo res clarescit.

siquidem lumine aliqualiter conformantur, quanquã improportionabiliter excedat. Hoc sensu iubemur facere voluntatem Patris qui in cælis est. Hæc tamen conformitas pluribus creditur fieri modis: Primò in ratione obiecti, siue in re volita, quando videlicet concordat creata voluntas, diuinæ, ita vt illud ipsum quod Deus desiderat, homo cõcupiscere debeat, nisi iussu Dei aut reuelatione, aliud cõstiterit. Non enim absoluto Dei decreto refragari debemus, quod docet nos Samuël, Domini Propheta, Qui vbi resciuit apud Deum stare sententiã, Saul Regem esse a facie Dei abiectum, nõ quidem pro eo deinceps, vicibus iteratis, preces frequentauit, cunctis tamen vitæ suæ, pro eo luxit, diebus. Haud dissimili modo, Dauid certior factus, dãnationis sui filij Absolonis, vt comprobat Aug. nõ quidem pro eo taurorum aut vitulorũ obtulit holocausta, aut crebra applicuit illi orationũ suffragia, certò certius cognoscẽs, in inferno nullam esse redemptionem, eius tamen misertus, frequentia, amari cordis ingeminauit suspiria, dicens: Absolon fili mi, fili mi Absolon. Sic etiã Dominus Iesus, humanitatis affectu flebat super ciuitate Hierosolymitana, quã tamen Deitatis voluntate, subuerti volebat. Secunda conformitas reperitur in causa efficiente, quãdo homo vult, quod Deus vult ipsum velle; Voluntatis suæ autẽ imperiũ, legibus nobis latis exprimitur. Quocirca omnium refert, animaduertere, ac perficere in mandatis diuinis, præscripta. Subinde tamen Deus suę voluntatis beneplacito, aliquid vult; quod nobis velle, nequaquã licet. Sicut mortẽ patris, licet enim Deus velit, vt inuida parca patrem rapiat, & è viuis excedat; tamen, vult me peroptare in patre superstite longæui temporis diuturnitatem. Itaq;, quanquã in re volita, sit quędã voluntatis disparitas; in causa efficiẽte nihilominus est cõformitas, quia volo quod Deus vult me velle, vti manifestum facit nobis D. Aug. pluribus in locis. Et scriptura approbat cogitationes cordis Dauid, quibus decreuerat dignũ Deo tẽplum, quodq; vniuerso orbi miraculo esse posset, excitare. Tamen hoc Salomoni eius filio magis congruere pronuntiauit, quòd multum sanguinis effudisset. Tertia conformitas est, respectu causę formalis, vt id nimirũ quod vult homo, affectu velit charitatis, sicut Deus perpetua dilectione, nos, proprio filio suo nõ parcẽdo, redemit. Posset iam quispiã tacita mẽtis altercatione secum cõfligere, An velle possimus mortẽ Christi? Sanè Petro dicẽti, Absit à te Domine, nõ erit tibi hoc, respondetur, Vade post me Satana, scandalo mhi es, quia non sapis ea quæ Dei sunt, sed quæ hominũ; Ergo sapere videmur quę Dei sunt, si velimus mortẽ Christi, cum tamẽ insontem leges damnare non consueuerint. Dicendum est,

Quòd

Matth. 21. | *1. Re. 15. & 16* | *2. Reg. 18. & 19.* | *Lib. 22. cõtra Faust. Manic. cap. 66.* | *Lib. 22. de ciuit. Dei, ca. 1. & 2. Et Enchir. ca. 101.* | *2. Reg. 7.* | *1. Paralip. 22.* | *August. tract. 110. in Ioan.* | *An aliquis possit velle mortẽ Christi.* | *Matth. 16.*

Quod acerbam eius passionem, amatamque mortem, triplici respectu considerare liceat, teste D. Bonau. Primò considerari potest cruciatus insontis Christi acerbus, durissimaque afflictio, quam nullus velle potest, quia est contra Iustitiæ Legem, interimere insontem. Secundo attenditur passio Christi, respectu infligentium, nempe diaboli, Iudæ proditoris, & perfidorum Iudæorum. Nec hac ratione Christi mortem velle licet, ob peruersam eorum voluntatem. Tertiò consideratur modus, quo Deus ab æterno præordinauit humanum genus tyrannidi diaboli, sicut in die Madian eripere. Huius mysterij sancti Dei homines certiores effecti, largissimis lachrymarum imbribus, efflagitabant diu desiderabilem passionem, cuius cum Petrus inscius esset: vtpote, nondum virtute ex alto indutus, non immeritò fuit à Christo reprehensus. Nec obstat, quòd eadem sit actio voluntatis diuinæ & Iudæorum: secundum August. Quia eadem actio, diuersis fieri potest respectibus, vt bona sit, vel mala, teste D. Thom. Bona vtiq; fuit actio, qua Pater proprio filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum, Filius quoq; seipsum obtulit, quia legitur, Quod tradiderit in mortem animam suam. Et apud Ioannem: Animam meam pono pro ouibus meis. Et paulò post: Nemo tollit eam à me, sed ego ponam eam à meipso. Potestatem habeo ponẽdi eam, & potestatem habeo iterũ sumendi eam. Et conformiter his Paulus: In fide viuo filij Dei, qui dilexit me, & tradidit semetipsum pro me. Et sicut Pater Filium, ac Filius semetipsum; ita Spiritus sanctus Filiũ tradidisse legitur, necnon quando ductus est in desertũ à Spiritu sancto, vt tentaretur à diabolo. Alia est actio & traditio mala ac odiosa, quia Iudas tradidit eum auaritię facibus accẽsus. Quid mihi vultis dare, inquir, & ego vobis eum tradam? Iudæi liuore & inuidia. Sciebat namq; Pilatus quod per inuidiam eum tradidissent summi pontifices & sacerdotes. Pilatus verò ex timore mundano. Vnde liquido constat, eorum voluntates à diuina intentione fuisse alienissimas, quẽadmodum docet perpulchrè D. Aug. Quarta conformitas est respectu causæ finalis, quando vniuersa quæ proponit sibi & vult homo, scopum sibi constituit Deum, ad cuius gloriam cuncta peragere satagit.

Lib. 1. dist. 48
Triplex cõsideratio Dominica passionis.
1.
2.
3.
Iudicum 7.
Esa 9.
De prædest. sanct. cap. 18.
Enchir. c. 101
3. part. q. 47. art. 3.
Roman. 8.
Esaiæ 53.
Ioan. 10.
Hebr. 9.
Matth. 4.
Matth. 26.
Marc. 15.
Ioan. 19.
Tract. 7. in epist. Ioan.
Et epist. 48. ad Vincentiũ.
Et Ambr. lib. 1. de Spiritu sanct. cap. 12.

Deus vbique locorum creditur præsentissimus.

CAPVT VIII.

CLaritudinis ergò, bimembrem reperimus loci acceptionem apud D. Ioan. Damasc. Intellectualem nimirum & corporeum: Intellectualis est, vbi incorporea adest

Lib. 2. orthod. fidei, cap. 16.

adeſt & operatur natura, non corporaliter, ſed ſpiritualiter certo quodam limite determinata. Spiritus namq; & anima rationalis, habent definitum quendam ſuæ plenitudinis locum, extra quem, ſuam non exhibent præſentiam vel operationem. Sicut tęda ſuccenſa, diffundit tremulum lumen per locum in quo conſiſtit; quæ ſi auferatur, atque in alium locum tranſportetur, eundem micantibus radijs illuminabit; non tamen prius derelictum. Haud ſecus Angelus cùm eſt aut operatur in ſublimibus cælorum, locum ibidem intellectualē obtinet, quod ſimul alibi, nec ſit, nec operetur. Quando autē deſcendit ad iſtas inferiores orbis partes, legationem obiturus, impoſitam; nō ſimul eſt & operatur in cælo. Quod autem diuerſis in locis maxima locorum intercapedine diſſitis videatur ſimul eſſe operarique, hoc fieri credendum eſt, ob ſubitum, & quaſi inſtantaneum eius motum, ab vno loco ad alium; ob quam celeritatem nobis aliquando imperceptibilem, ſignificandam; depingitur alatus paſſim, non quòd verè alas habeat, aut volatu celerrimo aëra ſecare debeat. Locus autem corporalis, ſecundum Aug. eſt (vt Ariſtotelem miſſum faciamus) ſpacium quod lōgitudine, latitudine, & altitudine occupatur, ita vt cuilibet locati parti, pars reſpōdeat loci; hoc modo, tantùm corpus eſt in loco, quòd certo limite claudatur & circumſcribatur. Nec Angelus, nec anima ſic eſt in loco, quia anima eſt ita in corpore tota, vt tota nihilominus exiſtat in ſingulis corporis locati partibus, ſecundum D. Auguſt. Si igitur hæc præmiſſa deſcriptio non cōueniat animæ, nec angelis, nulli ambiguum eſt, quin multò minus Deo, qui nullis concluditur limitibus. Atque ſecundum hunc ſenſum, quem iam ex vtraque deſcriptione elicuimus; intelligendæ veniunt Scripturæ quę videntur nobis Diuinam ſubtrahere præſentiam, quibus etiam noſtri aduerſarij aburentes inurunt nobis erroris notam, quia confitemur Deum in Templis manufactis & materialibus habitare: ita enim obganniunt. Scripturæ clamant, Ergo ne putandum eſt, quod verè Dominus habitet ſuper terram? Si enim cælum, & cæli cælorum te capere non poſſunt, quanto magis domus hæc quam ædificaui? Et iterum obijciunt, Stephanum Spiritu ſancto plenum dixiſſe, Excelſus non in manufactis habitat, ergo non ſine magnis errorum nebulis Deum eſſe in Templis veſtris ſtatuitis, cùm fixa ſit ſententia, Cælum, Dei ſedem eſſe, & terram, ſcabellum pedum eius. Quæ ſi penitius loca inſpiciamus, & linceis quibuſdam oculis, perluſtremus; offendemus, quòd proprio ſe iugulent gladio, Quia ſi cæli cælorum ipſum non capiant, & quaſi locorum anguſtijs non concludant, neceſſarium eſt concedere ipſum in alijs eſſe lo-

Angelus, quomodo in loco.

Angelus quare depingatur alatus.

Lib. 83. quaſt. quaſt. 20.

Epiſt. 28. ad Hieron. contra epiſt. Manich. quam vocant Fundam. c. 16

Anima quomodo in corpore humano.

3. Reg. 8.

Act. 7. & 17.

Deus, quomodo in templis.

Eſaiæ 66.

cis

eis extra cælum. Si inquam vasta terrarum spatia, amplissima cælestium mansionum regna, ipsum non capiant; quis suum inducet in animum, Deum excelsum & immēsum, angustia Templorum concludi & circumscribi? Ipsum tamen esse in Templis præsentem, manifestat eo loci Scriptura, Impleuerat, inquit, gloria Domini domum Dei. Et: Erunt oculi mei *3.Reg.9.*
& cor meum in Templo cunctis diebus. Quod ad Stephani sententiam attinet, Obiectio videtur suam secum ferre solutionem, quando dicitur: Deus non in manufactis habitat, *Cap.17.*
indigens aliquo, vt Athenien. & reliqui pagani sibi habebāt persuasum. Qua particula (indigens aliquo) liquidò constat, sanctum Stephanū discreuisse falsos Deos à vero, illi namq; non sunt ex omni parte beati, sed multorum, quibus iniurias sibi & cōtumelias illatas propellere possent, indigi. Est namq; compertissimum ex Valerij Maximi libro 8. Quendam exti- *Cap.15.*
tisse, qui sacrilega gloriç cupiditate, magnç Dianç deæ Ephesiorum Templum incendit, vt posteris nomen suum, si non honore, saltem pessimo facinore transmitteret celebre, atque vt factum velocius omnium aures percelleret, omnibusque innotesceret; sese tanti mali authorem intrepida voce proclamauit, teste Hieron. & Amb. Verùm si efflagites, qui fue- *Templū Dianæ cōbustum.*
rit hæc fieri flagitia? Cur non fecit horrendo hiatu terram ipsum deuorare? Aut si impotētior, vtpote fœmina, Cur non *Lib. contra*
suppetias interpellauit ab ipso Vulcano vel Minerua, quo- *Heluidium.*
rum industriæ commissum est fulmen Iouis? Et si interdum *Lib.1. de Spi-*
iaculentur, in hoc rerum discrimine illud curæ vel maximè *ritu san. c.10.*
debuerat esse Dianæ, verùm excusatione imperfectionem eius & indigentiam ostendit, Cicero lib. 2. de natura Deorum, Quia profecta erat peregrè, vt obsequiosum, facilis enixus genitrici Alexandri impartiretur, seruitiū. Non absimi- *3.Reg.18.*
le est huic, quod improperat idololatris Helias, Deus enim *Deuter.4.*
vester est, inquit, & forsitā loquitur, aut in diuersorio est, aut *Cap.26. & epist. 57. ad*
in itinere, aut certè dormit. Hæc eo commemoraui, vt luce *Dardan. epist.*
meridiana clarior fiat opinio Gentilium, opinantium Deos *101. ad Euo-*
ita existere & operari in hoc loco, vt non tamen in alio. Sed *diū, epist. 122*
non est alia natio tam grandis quæ Deos habeat appropin- *ad Honoratū,*
quantes sibi, sicut adest nobis Deus noster. Ita siquidem adest *& epist. 56.*
nobis primò, & per se, vt nullis desit, adeo vt cælum, terramq; *ad Dioscoru.*
impleat, & vbiq; sit per præsentiam, potentiam, & essentiam, *Tho. par.1. q.*
quæ de Deo indifferenter dici possunt, secundum August. de *8. ar.4. & 3.*
Genesi ad literam. Possunt nihilominus distingui. Probant *Ambro. lib.1.*
etiam patres Dei Maiestatem, vbique esse, omniaq; intueri. *de fide cap.7.*
Putasne Deus è vicino ego sum, quem scripturæ locum ex- *Hierem.23.*
ponit Hilarius ad versum: Prope es tu Domine, alio (inquit) *Psalm.118.*
in loco legimus, Deus appropians ego sum, & non Deus de *Hierem.23.*

longinquo dicit Dominus. Non corporalibus locis Deus continetur, neq; finibus aut ſpacijs diuinæ virtutis immenſitas coarctatur, adeſt vbique & totus vbique eſt: non pro parte vſquam eſt, ſed in omnibus omnis eſt. Beatus Apoſtolus Athenienſibus philoſophiæ inanitate ridiculis, pro concione reſpondens ait; Non longè à nobis manentem quærimus Deum: in ipſo enim viuimus, mouemur, & ſumus. Et

Sapient.1.
Hierem.23.

Spiritus Dei ſecūdum Prophetam, repleuit orbem terrarum. Et rurſum: Nónne cælum & terrā ego impleo, dicit Dominus? Nihil à Deo vacat, nihil indiget, vbique eſt, modo animæ incorporalis: quæ in membris omnibus diffuſa, à ſingulis quibuſque partibus non abeſt. Sic totum illum Auguſt. de fide ad Petrum intelligit. Ipſe enim, inquit, eſt Deus qui ait: Cęlum & terram ego impleo. Omnia igitur quæ fecit, id eſt, ſpiritus & corpora, ſumma & ima, cæleſtia atque terreſtria, viuentia, & quibus viuendi facultatem non dedit, ineffabiliter vbique totus Dominus & implet & continet. Clariſſima habet de hoc argumento idem Auguſt. epiſt. 57. quæ eſt ad Dardanum q. 1. vbi eaſdem ſcripturas citat. Vbi etiā reſpondet, quomodo cùm Deus vbique ſit totus, non tamen in omnibus habitat? Fatetur quidem Deum vbique eſſe per diuinitatis præſentiam, ſed non vbique per habitationis gratiam, ob eam cauſam, vbi proculdubio gratia dilectionis eius agnoſcitur, non dicimus, Pater noſter qui es vbique, cùm & hoc verum ſit, ſed, Pater noſter qui es in cælis: vt templum eius potius in oratione commemoremus, quod & nos ipſi eſſe debemus, & inquantum ſumus, intantum ad eius ſocietatem

Cap. 3. (margin)

Vide eundem 22. de ciuit. Dei cap. 29. Et Tract. 26. in Ioā. Et ſer. 10. de verbis Domini.
Lib. 1. de Tri.
Lib. 2. de Trinit. cap. 5.
Lib. 1. Officiorum ca. 14.

& adoptionis familiam pertinemus. Theodoretus hunc Hieremiæ locum ſerm. 10. de Græcanicis affectionibus, qui eſt de prouidentia, doctiſſimè elucidat. Alium locum citant patres ex Pſal. 138. Quo ibo à ſpiritu tuo, &c. De hoc Hilarius Et Auguſt. Hoc loco, inquit, oſtendit Deum vbique eſſe præſentem. Item conc. 1. in Pſal. 30. & conc. 1. in Pſal. 32. & tract. 36. in Ioan. ac 111. in Ioan. Vbi probat etiam impios eſſe vbi Deus eſt, & tamen eos non eſſe cum Deo. Inſignis eſt etiam locus Eccleſ. 23. Quis me videt, tenebræ circundant me. De hoc Ambr. Citant etiam patres locum ad Hebr. 4. Omnia nuda & aperta ſunt oculis eius. Hoc argumentum ex propoſito tractatur à pub. Scholæ Chriſtianæ Doctor. in 1. Sent. diſt. 36. vbi Deo dante latius hanc materiam proſequemur. Fuerunt enim aliqui, qui arbitrati ſunt Deum non habere cognitionem, omniumque rerum prouidentiam; ideo Doctores prædicti dixerunt, Deum eſſe in omnibus rebus per ſuam potentiam, id eſt, per æternam prouidentiā ſuam, & gubernationem. Et quia quidam calumniati

niati sunt Deum non omnia videre aut cognoscere; dixerunt, Deum vbique esse per præsentiam. Et quia effrenis ipsorum hæreticorum animus non fuit sedatus: rebantur enim, Deum omnia per potentiam & præsentiam facere, sicut Rex facit per suos ministros, ideo dictum est, Deum esse vbique, per essentiam veram, & perfectam. Non tamen distenditur aut diffunditur loco, quasi in vno loco, maior sit & in alio minor; sed totus vbique sicut veritas, cuius nemo dicit partem esse in hoc loco & partem in alio loco, quia partibus non diuiditur. Non igitur per spacia locorum, quasi mole est diffusus; ita vt in dimidio mundi corpore sit dimidius, & in alio dimidio dimidius, atque ita per totum totus; sed in solo cælo totus, & in sola terra totus, & in cælo & in terra totus solus, nullo locó conclusus, sed in seipso vbique totus. Nec mundum diuisere inter se tres personæ, in tres partes, quas singulas singulæ implerent, quasi non haberet Filius, aut Spiritus sanctus quicquam in mundo, si vniuersum occupasset Pater: non enim sunt corpora, vt Anthropomorphitæ existimarũt, quorum maior est in tribus, quàm in singulis magnitudo, teste Augustino. Et licet Deus aliquando legatur opera fecisse, quæ non nisi corporum sunt, sicut ambulare, sedere, stare, ore loqui, manibus operari; non nisi Metaphoricos intelligi debent, quia secundum nostræ intelligentiæ insufficientiam videtur in loco esse; ac operari instar corporum. Sic oculos habere dicitur, quia vniuersa contemplatur, omniaque sunt oculis eius aperta. Thom. 1. parte quæst. 3. art. 1. Facies eius, dicitur cognitio diuinitatis. Os Domini, dicitur Verbum eius. Manus dicitur potentia & filius Dei, secundum Aug. tract. 48. in Ioan. Et epist. 111. ad Fortunatum. Item beatus Gregorius lib. 32. Moralium cap. 6. Deus aliquando à corporibus hominum, aliquando à mentibus, aliquando verò ab auibus, aliquando etiam ab insensatis rebus, quasdam longè dissimiles in se similitudines per scripturam trahit, plerunque enim à corporibus, vt per Prophetam ad Israël dicit, Recordatus sum tui, miserans adolescentiam tuam. Et rursum per sponsæ comparationem loquens, ait, Et si illa oblita fuerit, ego tamen non obliuiscar tui. Quis enim nesciat, quia Dei memoria nec obliuione rumpitur, nec recordatione farcitur? Sed dum aliqua deserens prætermittit, more mentium obliuisci dicitur; & cùm post longum tempus, quæ voluerit visitat; nostræ mutabilitatis consuetudine, recordatus vocatur. Quo enim pacto diuinitatis eius vim obliuio dissipat, cui ipsa quoque laudabilis memoria essentialiter concordat? Nulla namque nisi aut præterita, aut absentia, recordãtur. Quomodo ergo Deus

Hæref. 50. Et epist. 157. ad Optatum.
Sedere, ambulare Dei quid?
Genes. 3.
Math. 25.
Actor. 7.
3. Reg. 8.
Hebr. 4.
Membra Dei μυστικῶς.
Psalm. 79.
Esaiæ 58.
Hierem. 2.
Isa. 48.

præteritorum reminiſcitur, cùm ipſa quæ in ſemetipſis prætereunt, eius nutui ſemper præſentia aſſiſtāt? Aut quo modo abſentiū recordatur, dum omne quod eſt, per hoc illi præſto eſt, quod in ipſo eſt? Quod ſi ei præſto nō eſſet, omninò non eſſet; nam non exiſtentia, videndo creat; exiſtentia, videndo continet. Quicquid ergo creator non videt, eſſentia ſubſiſtendi caret. Aliquando autem ab auibus in illum ſimilitudo trahitur, ſicut per Moyſen dicitur: Expandit alas ſuas & aſſumpſit eos. & ſicut Propheta ait: Sub vmbra alarum tuarum protege me. Quia enim nos paruulos dum protegit, nutrit, & non graui atque oneroſa, ſed leui & blanda protectione nos refouet, dum ſuas in nos miſericordias exerit, quaſi more, ſuper nos auium, alas tendit. Aliquando etiam inſenſatis rebus propter infirmitatem noſtram alta condeſcenſione ſe comparat, ſicut per Prophetam dicit: Ecce ego ſtridebo ſuper vos ſicut ſtridet plauſtrum onuſtum fœno. Quia enim fœnum eſt vita carnalium, ſicut ſcriptum eſt, Omnis caro fœnum. In eo quod dominus vita carnaliū patitur; more plauſtri, fœnum ſe portare teſtatur. Cui ſub fœni onere ſtridere, eſt pondera & iniquitates peccātium, cum quærela tolerare. Cùm ergo longè in ſe diſſimiles ſimilitudines trahat; ſolerter intuendum eſt quod quędam talia aliquando dicantur in Deo, propter effectum operis, aliquando ad indicandam eius ſubſtantiam Maieſtatis. Nam cum in Deo, Oculus, Scapulæ, atq; Alæ nominantur; effectus quidam operationis oſtenditur. Cùm verò manus, Brachium, Dextera, vel vox in Deo dicitur, per hæc vocabula, conſubſtantialis eius filius demōnſtratur. Ipſe quippe, eſt & Manus & Dextera, de cuius aſcenſione per Moyſen pater loquitur, dicens: Tollam in cælum manum meam, & iurabo per Dexteram meā. Ipſe Brachium de quo Propheta ait: Et Brachium Domini cui reuelatū eſt? Ipſe Vox, quia eum Pater gignendo dixit: Filius meus es tu, ego hodie genui te. Et de quo ſcriptum eſt, In principio erat Verbum, & Verbū erat apud Deum, & Deus erat Verbum. Per hoc Verbum, feciſſe patrem omnia: Dauid aſſerit, dicēs, Dixit & facta ſunt. Deum ergo Brachium habere, eſt operātem Filium gignere. Voce tonare, eſt conſubſtantialem ſibi Filium mundo terribiliter demonſtrare. Licet autem Deus vbique locorum ſit; non tamen habitat vbique: Non enim omnibus dici poteſt: Neſcitis quoniam corpora veſtra Templum ſunt Spiritus ſancti? Et iterū, Neſcitis quia Templum Dei eſtis vos & Spiritus Dei habitat in vobis? Quanquam igitur vbiq; ſit, non tamen vbique habitat, ſed in Sanctis duntaxat, quos charitate replet, qua neceſſe eſt, vt homines ex tēpore gaudeant profectu fideliū, & bonis operibus ſecundum

Margin notes: Deuter. 32. Pſalm. 16. — Amos 2. Iſa. 40. — Deuter. 32. Eſaiæ 53. Pſalm. 2. Ioan. 1. — *Deus licet vbiq; ſit, non tamen vbique habitat.*

August. Necesse est etiam, vt mœrore contabescant lapsis aliorumque delictis, de quorum fide ac pietate gaudere maluerant. Hæc tristitia laudabilis est, quia procedit ex dilectione, quam Deus sanctis suis infundit. Propter hanc habitationem, non orare consueuimus, Pater noster qui es vbiq; quamuis & hoc verum sit. Sed, Pater noster qui es in cælis. Quemadmodum enim Episcopalis sedes, dicitur ciuitas ea, in qua potissimum munia exercẽtur pontificalia; pari modo cælum sedes Dei dicitur, quia ibi præstantiores nobilioresq; actus exercentur. Hinc dicit Bernard. Quod Deus ita sit in Cælo, vt eius comparatione vix credatur esse in terris. Præterea licet in Iustorum cordibus (anima siquidem iusti sedes est sapientiæ) Deus inhabitare dignoscatur, nõ tamen æqualiter: vnde Elizæus duplicem Eliæ spiritum postulauit, quia alij, inueniuntur, alijs in virtutibus, præstantiores, secundum Bern. Sicut, inquit August. in homine, qui est Microcosmus, id est minor Mundus, eadem anima est tota in toto corpore, & in qualibet parte tota; nec maior est in sene, quam in iuuene; nihilominus aliquibus in partibus, intensius vel remissius operatur. Sicut in eodem homine, remissius in decrepita ætate, quàm in iuuentutis flore. Non secus Deus in Macrocosmo, id est, magno mundo totus existens, vbique in vniuerso Mũdo, & totus in qualibet eius parte, & qualibet creatura, in aliquibus tamen plenius habitat, perfectius operatur, atque mansionem facit; quàm in alijs. Nec ista inæqualitas est solum in animabus Iustorũ, claritate, vt stella à stella distinctorum, verumetiam in rebus inanimatis. Magis siquidem Dominus operari consueuit in vno templo, quàm alio, & exaudire vota precantum magis in hoc loco, quàm alio. Vnde liquidò constat perperam colligere Lutheranos & eorum sequaces, Deus est vbique, non est ergo quærendus in aliquo, quasi carceratus, loco: Quia ex propria ipsorum pharetra nõ venit ista sagitta, sed eam primitus iaculatus est impius Ieroboam, Et Iosephus, Nos non ligamus Deo manus & pedes, quando ipsum in Templo esse credimus, nec quasi cãcellis quibusdam inclusum, & circumscriptum asserimus; quin potius qui vbique inuocantibus se præsto esse possit. Ieremias siquidẽ in cœno eum inuocauit, Ezech. in lectulo, Iob in sterquilinio, Daniel in lacu, Ionas in ventre cœti, Latro in cruce; & votis potiti sunt: multò tamen acceptiores erunt, si preces fuerint fusæ in tẽplo Diuinæ Maiestati consecrato. Domus mea, inquit, domus orationis vocabitur: non solum ob loci reuerentiam, verumetiam propter frequentem fidelium populorum confluxum, etsi fortassis singulis petentibus, optatum negaret effectum, multorum tamen vnanimitate

Li. 4. de Gen. ad lit. cap. 9.

Serm. 1. in Psal. Qui habitat.

Sapient. 7.

Verbus nonnihil immutatis à vulgata nostra editione Latina.

4. Reg. 2.

Ser. 2. in ascẽsione Dom.

De Spir. & ani. cap. 30.

Homo μικροκόσμος.

Μακροκόσμος.

1. Corint. 15.

Deus plura operatur in vno loco, quã in alio.

Lutheri argumentum.

3. Reg. 12.

Lib. 8. ca. 8.

Cap. 38.

Esa 38.

Cap. 2.

Cap. 7.

Cap. 2.

Esa. 56. c.

Matth. 21.

nimitate precantum, quasi victus indulgebit: impossibile est namq; multorum preces non exaudiri. Insuper aliorum exemplo tanquam calcari excitati, ardẽtius precibus instamus, quemadmodum tædæ, facilius incenduntur vnitæ, quàm dispersæ. Sic nos alijs charitate flagrantibus coniuncti, præsertim Angelis qui leguntur igniti: Qui facis Angelos tuos Spiritus, inquit Propheta regius, & ministros tuos, ignem vrentem. Ex his patet Deum specialiori modo, non solum esse, sed habitare in Iustis, & aliquibus Templis, quàm alijs in locis. Templa namque orationibus deputauit, Arcam miraculis. Et nisi Dominus magis operaretur in vno loco, quàm in alio; non diceret Moysi, Inde loquar ad te. Et August. Si Deus est vbique totus, quomodo in alijs amplius, in alijs minus? Respondet propriẽ obiectioni. Non negligẽter intuendum est, quod diximus, In seipso esse Deum vbique totum, non in eis, quia alij plus eum capiunt, alij minus, & illi longè abesse dicuntur, qui dissimiles facti sunt peccatis, quibus tamen totus adest per potentiam, præsentiam, & essentiam. Nõ hinc sequitur quod Deus operetur malũ, quia licet malis adsit prẽfato modo; non est cũ malis, nec ipsi sunt cum Deo, sicut oculis capti, solis, in cælis radiantibus fulgoribus, adumbrantur & circundantur; non tamen lucis beneficio perfruuntur, teste August. Solum enim est in auersis, ratione naturæ conseruandæ, & proinde non congruit Diuinæ Maiestatis reuerentiam, dicere, Deus est in inferno, Deus est in dæmonibus, aut peccatoribus, nisi prælibata restrictione, qua iusta iustè exequendo, pulchro debiti ordinis decore, vniuersa in suo vigore & natura conseruat. Corpus Christi sanctissimum, vt est corpus Christi; secundum Thom. Et Richard. cui est diuinitas coniuncta & vnita, non habet in pluribus locis existere, habet tamen hoc ratione consecrationis & transubstantiationis, inquantum diuersi panes, qui in ipsum transubstantiantur, sunt in diuersis locis. Et quia substantia panis transit in corpus Christi, accidentibus permanentibus, ideo manet quantitas, & per consequens eius locus. Vnde sequitur, quòd corpus Christi non sit vbique: secundum August. Deitas tamen est vbique quæ corpus improportionabiliter excedit, queadmodum Genus apud Logicos, hoc est, animal & Species, id est homo, inseparabiliter vnita sunt in Petro, alicubi tamen est natura Generis, vbi non est natura Speciei. Vnde D. August. secundum formam humanam, non est putandus Deus vbique diffusus: Cauendum enim est ne ita diuinitatem adstruamus hominis, vt veritatem corporis auferamus. Nec est etiam necessarium, vt quod in Deo est, ita vbiq; sit, vt Deus, quia & de nobis pronuntia-

Psalm. 103.
2. Reg. 6.
3. Reg. 8.
Iosue 4. & 6.
Exod. 25.
Epist. 57. ad Dardanum.
Deus adest malis, non tamen operatur malum.
Epist. 120. ad Honoratum.
In scripto primi dist. 2.
Dist. 37. lib. 1
Epist. 57. q. 1 ad Dardanũ.
Præfata epist.

nuntiatur, quod in illo viuimus, mouemur & sumus, nec tamen, sicut ille, vbique sumus. Vbique ergo est, secundum id, quod Deus est, in sedibus regni cælestis, & in tremendis illius sacrosanctæ Eucharistiæ mysterijs, est etiam secundum quod homo, vt eruditè docet August. sanctæ matris Ecclesiæ doctor insignis, Reliquit, inquit, mundum corporali discessione, perrexit ad patrem, hominis ascensione; nec mundum deseruit, præsentiæ gubernatione. Fortassis iam quispiam, curiosa vagæ mentis inuestigatione cogitat, Fuerit Deus in cælo, permanserit in terra nobiscum, sed vbi delituit antequam iaceret terræ fundamenta, & sicut pellem cælorum amplitudinem extenderet? huic respondet Athanasius: Impium est quærere, aut cogitare vbi sit Deus, aut quem locum obtineat, quóve domicilio claudatur, insipiens haud dubiè esse probatur, quicunque sese istiusmodi vanis phantasmatibus frustratur. Stultorum & vecordium ista sunt verba, oculis & loco volentium apprehendere, id, quod est incorporale, Demus tamen, inquit, quandam similitudinem, Animus Moysi recepit in se omnem sapientiam Aegyptiacam, necnon etiam eam quæ sibi à Deo fuit impartita. Et Daniel susceptis omnium Chaldęorum disciplinis; capax adhuc erat ad varios diuinæ sapientiæ intellectus, quia dicitur de illo, Nunquid sapientior es Daniele? Si ista spiritualis sapientia & doctrina secularis, sicut cælum & terra distinctæ, vni mẽti se adiungant, intelligamus quæso ea, quæ supra nos sunt, & per se incorporalia, Patrem, Filium, & Spiritum sanctum receptaculis non distingui, aut locorum angustijs concludi. Et D. August. existimat dementiæ summę esse, curiosè indagare, vbi fuerit Deus, antequam substiterint cælum & terra. Respondet tandem, quod in se, & apud se habitabat: Imitatus scripturam dicentem, In seipso permanens Sapientia. Simili curiositate, sciscitari quis posset, vbinam locorum degebat Deus, priusquam montes fierent, hoc est, sancti in rerum natura existerent. Dicendum quod sancti non sint, sic domus Dei, vt ipsa subtracta, cadat Deus, tu habitas in domo, si subtracta fuerit; cadis, Deus autem sic habitat in sanctis, vt si ipse discesserit, illi decidant.

Actor.17. — *Tract.102.in Ioannem.* — *Deus vbi fuit ante creationẽ cæli & terræ.* — *Oratione contra gregales Sabellij.* — *Ezech.28.* — *Lib.de fide cõtra Manich. c. 37. Super Psal.122. & Epist 57.ad Dardanum.* — *In expositione Psalmorum.* — *Sapient.7.*

Quid vtilitatis adferat memoria præsentiæ Dei?

CAPVT IX.

PLurimum certè profuerit ad Decalogi obseruantiã viua & fructuosa fide hoc argumentũ habere præfixũ obtutibus mẽtis. Nihilq; post Christi gratiã, homini ad auertendũ se à delicto suo, efficacius putẽ, quã vt sui delicti habeat con-

Lactan.lib.6. cap.24. conſcium Deum, inquit, qui omnium cordium nouit ſecreta. Scit enim ille in cuius conſpectu viuimus, & ſi vniuerſos homines celare poſſumus, Deum non poſſumus, cui nihil abſconditum, nihil poteſt eſſe ſecretum. Quod in exhortationibus ſuis Seneca mirabili ſentētia terminauit: Magnum, inquit, neſcio quid, maiuſque quam cogitari poteſt: Numen eſt, cui viuēdo operam damus. Huic nos approbemus. Nam nihil prodeſt incluſam eſſe conſcientiam: Patemus Deo. Quid verius dici potuit ab eo, qui Deum noſſet, quā dictum eſt ab homine veræ religionis ignaro? Nullus ergo mēdacio, nullus diſſimulationi locus eſt, quia parietibus oculi hominum ſubmouentur: Dei autem diuinitas nec viſceribus ſubmoueri poteſt, quo minus totum hominem perſpiciat & norit. Idem Seneca in eiuſdem operis præcepto: Quid agis, inquit? Quid machinaris? Quid abſcondis? Cuſtos te tuus ſequitur. Alium tibi peregrinatio ſubduxit, alium mors, alium valetudo, hæret hic quo carere nunquam potes. Quid tecum abditum legis, & arbitros remoues? Putas tibi contigiſſe, vt oculos omnium effugias demens? Quid tibi prodeſt non habere conſcium, habenti conſcientiam? Non minus mirabiliter de Deo Cicero. Meminerit, inquit, Deum ſe habere teſtem, id eſt, vt arbitror mentem ſuam, qua nihil homini dedit Deus ipſe diuinius. Itaque cum de iuſto & bono viro loqueretur, talis vir, inquit, non modo facere, ſed nec cogitare quidem quidquam audebit, quod non audeat prædicare. Purgemus igitur conſcientiam quæ oculis Dei peruia eſt, ſemper ita viuamus, vt rationem nobis reddendam arbitremur: putemuſque nos momentis omnibus non in aliquo (vt ille dixit) orbis terræ Theatro ab hominibus, ſed deſuper ſpectari ab eo, qui & Iudex & teſtis idem futurus eſt, cui rationem vitæ repoſcenti, actus ſuos inficiari non licebit. In eandem ſententiā, inquit Euſeb. Cæſarienſis ex Platone 11. de legibus: Deū, ait, iam ambo conceditis, videre, audire, ſcireque vniuerſa, nihilque ipſum penitus effugere, atq; latere poſſe. & poſt aliqua. Nec enim neglexeris rectè faciens, nec ſi in profundum terræ deueneris, aut ſi in cælum euolaueris: ſed ſupplicio congruenti vexaberis, aut hic aut apud inferos: quod mihi de illis dictum putato, quos tu, quoniam magnos de paruis ſcelere quodam euaſiſſe vidiſti, à miſeria in beatitudinē veniſſe dicebas. Hæc nónne ſimilia illis ſunt à Quo ibo à ſpiritu tuo? & vbi à facie tua me abſcondam? Si aſcendero in cælum, tu illic es: ſi deſcendero ad infernum, ades. Si ſumpſero pennas ventorum, & habitauero in extremis maris. Etenim illuc manus tua deducet me. Hactenus Euſeb. & perpulchrè beatus Baſilius lib. de virginitate. Cùm

Lib. 11. de præparatione Euang. c. 28.

Pſalm. 138.

igitur

igitur testimonio sanctorum Patrum, Ethnici tam sublimiter de diuina præsentia vbique senserint, quanto firmius debet Christianus fide illustratus, perpetuo Deum sibi præsentem credere, & talem ei præbere seruum, qualem describit Dauid: Ecce sicut oculi seruorum in manibus dominorum suorum. Sicut oculi ancillæ in manibus dominæ suæ: ita oculi nostri ad Dominum Deum nostrum donec misereatur nostri? Clamet talis igitur, O tu Domine qui lucem habitas inaccessibilem, cuiusque sedes sunt electorum corda, me miserum peccatorem exaudi: nam ad te oculos meos subleuo: quos nõ leuarem: nisi tu mecum & attolleres & leuares: quin potius nisi in me magis tu, quam egomet in meipso, præsentia tua esses. Cui in æternum omnis lingua promat osanna pium. Amen. Psalm 123.

Diuina essentia triphariam quomodo appareat?

CAPVT X.

NVllus fidelium vnquam inficias iuit, filium in carne nostræ mortalitatis, & Spiritum sanctum in visibili specie apparuisse. Cæterum an Pater similiter apparuerit, difficultatem habet, præsertim cùm dictum sit, Deum nemo vidit vnquam, ob quem locum Manichæi reprobant Vetus Instrumentum, quo creberrimè discere licet, Deum obtutibus hominum, visibilem apparuisse, secũdum August. Cui consentanea est sententia eiusdem Ioannis, Non quia patrem vidit quispiam. Sciendum est autem quòd diuina persona, tripartitò modo apparere, potest. Primò, tanquam missa, quo modo pater nunquã apparuit, quia mitti non conuenit patris primitati, teste August. Alio modo vt operans, sic tota Trinitas apparet in qualibet creatura, vbique enim relucet, superbenedictæ Trinitatis, vestigium. Non tamen Trinitatem natam de Virgine, sub Pontio Pilato crucifixam, sepultam, ac tertia die resurrexisse dicimus, sed duntaxat Filiũ. Nec eandem Trinitatem descendisse in specie columbæ, aut ignis, in die Pẽtecostes, Sed tantum Spiritum sanctum. Nec Trinitatem dixisse, Tu es Filius meus dilectus, sed tantum Patrem, quanquam Pater, & Filius, & Spiritus sanctus, sicut inseparabiles sunt, ita inseparabiliter operari sunt vocẽ Patris, carnem Filij, & columbam Spiritus sancti: Quemadmodum cùm memoriam, intellectum, & voluntatẽ nomino; singula quidem nomina, ad res singulas referuntur; sed tamen ab omnibus, singula sunt facta: Nullum enim horum trium nominum est, quod non memoria, & intellectus, & voluntas simul operata sunt. Ita Trinitas simul operata est

Ioan. 1. Contra Adamant. ca. 9. Et lib. 3. contra Maxim. ca. 9. lib. quæst. vet. & noui test. quæst. 71. Ioan. 6. Triplici modo, fit apparitio. Lib. 2. de Trinit. cap. 12. Matth. 3. & Marc. 1.

vocem

vocem Patris, carnem Filij, & ignem Spiritus sancti, cùm ad singulas personas hæc singula referantur. Tertiò diuina persona apparere potest, vt inhabitans. Sic putatur Pater patriarchis & prophetis apparuisse. Sæpe, inquit August. Deus patribus apparuisse memoratur.

Lib. 10. de ciuit. Dei ca. 13

Angelus interdum vice Dei apparet.

CAPVT XI.

VErùm quæstio adhuc in dubio hæret, An Deus in sua propria palam apparuerit persona an non? Quod non apparuerit patribus, diuersis scripturæ locis videtur consentaneum, Non videbit me homo & viuet. Et: Deum nemo vidit vnquam. Et: Regi sæculorum immortali, inuisibili. His atque alijs scripturæ locis, conformis est August. & celeberrimi iuxta ac S. patris Diony. Areop. sententia. Quomodo ergo locutus est patribus? Secundum August. respondendum est, Omnia sensibilia, exhibita fuisse per subiectam creaturam, & dispensatione congrua, humanis sensibus omnia fuisse disposita; seruienti creatori creatura. Huius sententiæ, reddit nos certiores Protomartyr Stephanus, loquens de Moyse, Hic est, inquit, qui fuit in Ecclesia in solitudine cum Angelo, qui loquebatur ei in monte Syna, & cum patribus nostris, qui accepit verba vitæ dare vobis. Et paulò post: Accepistis legem in dispositione Angelorum, & non custodistis. Et ne quis fortè sibi persuadeat, diuinam essentiam, in subiecta creatura, quasi chlamide latuisse; itaq; Abrahæ apparuisse, quando illud mirabile Trinitatis sacramentum sibi fuit ostensum, vt tres videret & vnum adoraret; teste Aug. Testatur scriptura, non solùm vbi res gesta describitur, verumetiam clarius in Epistola ad Hebr. vbi significantur Angeli apparuisse. Paulus enim, magnis laudum præconijs, extollens hospitalitatem; Per hanc, inquit, quidam nescientes, hospitio receperunt Angelos. Si autem nec Pater, nec Filius, nec Spiritus sanctus ita passim apparuerit, quid sentiendum nobis de illis vocibus cælitus lapsis, quæ nulli creaturæ conuenire queunt, Hic est filius meus dilectus, & eius generis alijs? Dicẽdum est probabiliter, eas voces quidem principaliter à Deo fuisse formatas, sed sensibiliter per causas secũdas, hoc est, per creaturas & operationem angelicam. Nec obstat, quòd sæpenumero reperiatur in scriptura, dixit Dominus, & non potius dixit Angelus. Quia cùm sententiã Iudicis, præco profert; non solemus prçconi illam ascribere, sed voluntatem Principis per præconem publicatã esse. Sic etiã loquẽte propheta, & si dicamus prophetã dixisse, nihil aliud tamẽ quàm Deum

Exod. 33. Ioan. 1. 1. Timoth. 1. Epist. 111. ad Fortunat. De celest. hierarch. cap. 4. 2. de Trin. c 6 & epist. 112 ad Paulinũ. Actor. 7.

Lib 2. de Tri. ca. 10. & 11. Lib. 3. contra Maxim. c. 26 De ciuit. lib. 16. cap. 29. Gen. 18. & 19 Angeli, vice Dei apparuerunt.

Aug. serm. 16 de verb. Dom. Ambros. lib. de incarnat. Dominicæ Sacramento cap. 3.

Deum in ipso, & per ipsum vaticinatum, intelligi volumus.
His objici possunt, quæ habentur in scriptura, Loquebatur Exod. 33.
Dominus ad Moysen, facie ad faciem, sicut loqui solet homo
ad amicum suum, nec solùm faciem, sed & gloriam Domini
sibi ostēdi efflagitabat. Super quo Augus. & Greg. Si inueni Epist. 112. ad
gratiam ante te; ostende mihi temetipsum. Quid ergo? ille Paulinū ca. 7
non erat ipse? Si non esset ipse, non diceret ei, ostendi mihi Li. 18. ca. 2.
temetipsum, sed ostende mihi Deum. Ipse ergo erat, sed in Item lib. 27.
ea specie qua apparere volebat; non autem ipse apparebat in cap. 2. Moral.
natura propria, quam Moyses flagranti cordis affectu, con-
templari concupiscebat. Moysi, ait August. se diuinitas de- Lib. 2. contra
monstrauit, per subiectam creaturam, non per naturā suam, Maxim. c. 15
quia Trinitas est inuisibilis, & quanquam natura & gloria
Moysi (præmisso Exodi cap.) sit negata; alibi tamen videtur Num. 12.
ipsius Moysis votis satis esse factum, secundum sententiam
Aug. Non est, incredibile, inquit, quibusdam sanctis excel- Epist. 112. ad
lentiam reuelationis Dei concessam esse. Quod existimo co- Paulinū c. 12
gitasse illum, qui noluit dicere, Nec Apostoli Christū vide-
bant, credens quosdam eorum diuinitatis ipsius visionē po-
tuisse contueri. Certè propter B. Paulum, qui suam ineffabi-
lem gratiam non tacuit, 2. Cor. 12. & Moysen cui concessum
est quod petiuit, vt videlicet claritatem Dei videret, cui dixe-
rat, Si inueni gratiam ante te, ostende mihi manifestè temet- Exod. 33.
ipsum. Et dixit diuinum respōsum, Prophetis in visione ap- Numer. 12.
parebo, & in somnis, Moysi autē per speciē, non per ænigma-
ta, vbi & addidit, dicens, Et gloriam Domini vidit. Quid est
quod eum fecit sic exemptum, nisi forte tali contemplatione
dignum habuit, populi sui fidelem rectorē & ministrum, vt
quemadmodū cōcupierat, ita videret Deum, sicuti est? Quæ
contemplatio, cunctis filijs, post huius vitæ terminū promit-
titur; Hæc quidem magnifica est prærogatiua, sed non vide-
tur assertiuè à D. Aug. prolata, potissimum cùm per aduer-
bium dubitandi (fortè) sentētiam absoluat. Profectò Paulus
videtur distinctè admodum dicere, Quod Deus solus habeat
immortalitatē, & lucem inhabitet inaccessibilem, quam nul-
lus hominum vidit, sed nec videre potest. Ex quibus verbis
manifestū euadit, Diuum Paulum Apostolum, etiā raptum,
in tertium cælum, non vidisse diuinam essentiam, & Dei glo-
riam; cum negatione vniuersali seipsum includat. Similiter 1. ad Tim. 6.
nec Moyses, cui dicitur, Faciem meam videre non poteris. Lib. 4. de Sym
Qui ergo fiet vt diuinæ visionis particeps effectus, & cælestis bolo ad Cathe-
gloriæ consors; in terris existens, fuerit? Nihilominus faten- cumenos ca. 3.
dum est quod habet August. Quod Deo dilectus Moyses Prærogatiua
& Paulus per augustiora perfectioraque signa, ad huius- Moysis &
modi Dei visiones, sublimius cæteris, & altius reliquis, euecti Pauli.
sint:

sint:& per diuinam similitudinem in ipsorum mentibus angelico ministerio efformatam, propinquius ad diuinitatis aditum accessere. Vnde palam vidisse Deum, & ad ipsius obtutum admissi fuisse dicuntur.

Spiritus sanctus quomodo se visibilem aliquando prabuerit. CAPVT XII.

Epist. 111. ad Fortunatianũ. Lib. 4. aduersus hæreses cap. 37. De columba apparente.

VErùm Spiritus sanctus, quomodo sese nobis visibilem præbuerit; inpræsentiarum sedula mentis consideratione requirendum restat. D. August. post Scripturas sacras, & Irenæus, adserũt Spiritum sanctum ex se esse inuisibilem; propter certos tamen effectus, quos visibiliter operari est dignatus, vsus est certis creaturis, tanquam organis; sensibili, scilicet columba, igni, & similibus, vt ipsa extrinseca species: spirituali, qui conferebatur & monstrabatur; effectui responderet. Sic columba, plenitudinem gratiæ in Christo demonsttauit, &, Vt alios suę Religioni initiatos, merito passionis redderet fœcundos, quemadmodum in Lege, per columbæ oblationem primogenita significabantur redempta; lingua, dona omnium linguarum, flatus, quo viuens respirat, vitam gratiæ; ignis, charitatis significat ardorem. August. Nequaquam tamen credendum, columbam verum fuisse animal brutum, aut illam speciem, claritatem ignis præferẽtem, verum naturalemq́ue fuisse ignem, secundum Bonauent. Thom. Richar. eo loci, adeoq́ue ipsum August. Fuere tamen illæ species corporales, sensibus perceptibiles, alioquin non fuissent veræ apparitiones, sed illusiones dæmonum, instar præstigiorũ Magicorum, atque expleto officio, in præiacentem materiam sunt protinus resolutæ, teste August. Quod & ipsa litera indicat, dicens: Descendit Spiritus sanctus corporali specie, sicut columba. Vocula (sicut) non identitatem, sed similitudinem innuit, secundum Aug. Et: Item apparuerunt illis dispartitæ linguæ, tanquam ignis, Cùm dicit, tanquam, similitudinem indicat. Quanquam Filius Dei apparuerit in humanitate, pro nobis assumpta; non tamen Spiritus sanctus apparere debuit in vtero bruto, quia humanitas fuit vnita Dei filio, sed columba non fuit vnita vnione hypostatica personę Spiritus sancti, quare nec adoratione latrię, adorari debuit; sicut corpus Christi, ratione vnionis. Nullo modo hic imaginandum est etiam, aliquam vnquam per has apparitiones, in Spiritu sancto, factam esse mutationem; quia cauendum est, ne Dei natura vel Patris, vel Filij, & Spiritus sancti, commutabilis aut cõuertibilis esse credatur; quia Spiritus sanctus angelico ministerio, cuncta extrinsecus operabatur,

Lib. 2. contra Max. 19.

Lib. 1. dist. 16 3. par. q. 39. Lib. 2. Trinit. cap. 12. Epist. 102. ad Euodium, & lib. 2. de Trin. cap. 6. & 7. Luc. 3. Tract 4. & 9 in epist. Ioan. & Psal. 125 Actor. 2. Columba, non est adorãda vt Christi humanitas. Ambros. lib. 3. de Spiritu S. cap. 1.

batur, ad designandnm notabilem aliquem effectum, cùm alioquin sit in omnibus creaturis. Huc pertinere arbitramur, quòd licet sub speciebus corporearum rerum scribatur, Apocalypsis, & nonnulla alia scripturæ loca: creditur tamen Ioannes omnia ea vidisse, atque intellexisse quæ ibi figuraliter descripsit. ad edomãdum primò hominum fastum; secundò ea descripsit eximia quadam rerum magnitudine, ad reuocandum nostrum à fastidio intellectum, quibus pleraq; inuestigatu facilia, vilescunt; Tertiò ob mysteriorum occultationem talibus inuolucris, vsi sunt sancti Dei homines, quæ non passim omnibus propalanda sunt, ne rosæ ante porcos spargantur, & eas pedibus, non cognoscentes, conculcent. Itaque exerceantur digni, & ab intelligentia mysteriorum sacrorum, arceantur indigni; Figuraturq́ue per velum ante Sancta Sanctorum expansum, intra quod non populo, sed solis Sacerdotibus accessus patebat. Atque istæ figuræ, licet spiritualem ac mysticam habuerint significationem; nemo tamen eo vesaniȩ prolapsus creditur, vt vera animalia essent, quæ in specie videbantur: Non enim verum est, substantialiter in cælo esse oues, boues, & aquilas; sed merita, vel virtutum cælestium officia, harum proprietatibus bestiarũ, significabantur. Insuper indubitata fide tenemus Christum corporaliter in cælis perenni diademate regnare, glorificatum; nec iteratis vicibus, secundum carnis suæ veritatem, nasci, crucifigi, vel mori: mors enim nec vlla calamitas illi vltra dominatur. Subinde tamen pe:fectis, & magnæ virtutis hominibus apparuisse cognoscitur, natus, infantulus in matris gremio, vel expansis brachijs in patibulo; non quòd ita secundum rei veritatem contigerit; teste Thom. sed talibus, ob singularem consolationem, vel significationem, taliter manifestando amaris cordibus, impressa vulnerum Christi Iesu consideratione sauciatis: se visibilem forinsecus exhibuit. Et vt habet Ambrosius, Petrus vrbem egressus, obuium habuit Dominum, cui & dixit, Domine quo vadis? Respondit Christus, venio Romam iterum crucifigi. Intellexit ergo Petrus, ad suam crucem, diuinum pertinere responsum.

August. epist. 102. ad Euodiũ. Lib. 2 de Trinit. cap. 5. et 7. Et Tract. in epist. Ioan. Aug. lib. 12. de Gen. ad lit. multis capit.

Apparitiones lib. Apocalypseos, quales?

Roman. 6.

Christus, quomodo aliquando infantulus, aut cruci affixus, apparuit? 3. part. quæst. 57. art. 6. Oratione ad Auxentiũ to. 3. post epist. 32.

Prouidentia an sit? & de ea errores.

CAPVT XII.

DIVINA essentia, licet nullis varietatibus alteretur, aut permutationibus subijciatur; varia tamen de ea verificantur nomina, Qualia sunt prouidentia, præscientia, prædestinatio, quæ nequaquam qualitates seu habitus in Deo sunt credendi, secundum August. & Thom. sed

Lib. 6. contra art. sibi falsò impos. 2. part. quæst. 14. art. 1.

secundum substantiam, quæ est immutabilis in Deo, constituendi sunt, vel potius Deus sunt, & de Deo dicũtur; propter relationes ad creaturas, & diuersos effectus à Dei voluntate, præordinatis temporibus, prodeuntes; quęque enim in suum ordinantur finem diuina prouidentia. Suscepto igitur illustrandæ veritatis officio, putaui necessarium ab hac quæstione principium sumere, quæ videtur prima esse natura: sit ne prouidentia, quæ rebus omnibus consulat, an fortuito vel fata fiunt omnia, vel regantur. Cuius obscœnæ sententiæ author est Democritus, teste Lactantio, confirmator Epicurus. Sed & ante Protagoras, qui deos in dubium vocauit: & postea Diagoras, qui ipsos exclusit, & alij nonnulli, qui non putauerunt Deos esse: quid aliud effecerũt, nisi vt nulla esse prouidentia putaretur? Hæc verò eorum fœda disciplina & pestiferus error, multò celebrior fuit quàm cæterorum philosophorum, maximè eo tempore quando Dominus arcano suo consilio gentes permisit ingredi vias suas: non quia veri aliquid adferrent, sed quia multos populare nomen ac voluptas inuitat. Nemo enim non in vitia pronus est. Et quia (alibi, vt ait Lactant.) virtutibus amaritudo permista, vitia verò voluptate condita: illa offensi, hac deliniti feruntur in præceps: ac bonorum specie falsi, mala pro bonis amplectuntur. Propterea, vt ad se multitudinem contraheret Epicurus, opposita singulis quibusque moribus loquitur. Desidiosum vetat literas discere; studiosum, diligentem in officio vult. Auarum, populari largitione liberat. Liberalem hortatur esse munificum. Ignauum prohibet accedere ad rempub. Qui odit vxorem, huic enumerantur cœlibatus bona. Qui Venerijs deditus est, Sardanapali vestigia sectetur, &c. Ita homo astutus ex varijs modis, hominumque moribus circulum colligit, & dum studuit placere omnibus, maiore discordia secum ipse pugnauit, quam inter se vniuersi. Aliam occasionem sumpsit sibi Epicurus sui erroris: videbat bonis aduersa semper accidere, paupertatem, labores, exilia, charorũ amissiones. Malos, contra beatos esse, augeri potentia, honoribus affici: videbat innocentiã minus tutam, scelera impunè committi, videbat sine delectu morum, sine ordine ac discrimine annorum seuire mortem, sed & alios ad senectutem peruenire, alios infantes rapi, alios jam robustos interire, alios in primo adolescentiæ flore immaturis funeribus extingui, in bellis meliores potius & vinci & perire. Maximè autẽ commouebat, homines imprimis religiosos, grauioribus malis affici, ijs autem, qui aut Deos omnino negligerent, aut non piè colerẽt, vel minora incommoda euenire, vel nulla. Cùm hæc igitur cogitaret Epicurus, earum rerum velut iniquitate inductus,

Lib. 1 diui. Instit. cap. 2. Et lib. de ira Dei, cap. 9.

Quare prouidẽtia fuit negata à multis?

Præfat. lib. 1.

Idem lib. 3. cap. 17.

Alia occasio negandæ prouidentiæ.

Vide ne an hodie sint Epicuri sectatores, qui Ecclesiam Dei oppugnãt.

ductus, existimauit nullam esse prouidētiam: quod cùm sibi
persuasisset, suscepit etiam defendendum, sicq; in errores in-
extricabiles se coniecit. Nulla est, inquit, prouidentia, in rerū
natura, nulla dispositio in mundi situ, in procreādis anima-
libus nulla prouidētiæ molimina, sed omnia sua sponte fieri
necesse est. Vnde ergo nascuntur, aut quomodo fiunt omnia,
quæ geruntur? Non est, inquit, prouidentię opus. Non enim
semina per inane volitātia, quibus inter se temere congloba-
tis, vniuersa gignūtur atq; concrescunt. Sic eum quia falsum
susceperat in principio, consequentium rerum necessitas, ad
deliramenta perduxit. Et cùm nemo præter vnum Leucip-
pum ista corpuscula somniasset, à quo Democritus eruditus
hęreditatem stultitiæ Epicuro tandem reliquit. Cuius Achil-
licum contra prouidentiam hoc fuit argumentum, teste La-
ctant. Firmiano: Deus, inquit, aut vult tollere mala, & nō po- *Lib. de ira*
test: aut potest, & non vult: aut neque vult, neque potest, aut *Dei cap. 13.*
& vult & potest. Si vult, & non potest, imbecillis est: quod in *in fine.*
Deum non cadit. Si potest & non vult, inuidus: quod æquè *Achilleū Epi-*
alienum est à Deo. Si neque vult neque potest, & inuidus & *cureorum.*
imbecillis est: ideoque nec Deus. Si & vult & potest, quod
solum Deo conuenit: vnde ergo sunt mala? aut cur illa non
tollit? His & huiuscemodi delusi futilibus argumentis multi
philosophorum qui prouidentiam tuebantur, hoc dilemmate
turbabantur, & inuiti penè vt Deum nihil curare faterentur,
adacti sunt. Tantæq; Epicurus cum suis fuit indulgentiæ, vt
omnē metum mortis supremiq; numinis sectatoribus adi- *Indulgentia*
meret, quo sublato, quid homine truculētius? quid immitius, *Epicuri.*
si dempto metu superiore, vim legū aut fallere potuerit, aut
contemnere? Cùm timor Dei solus sit, teste Lactant. qui cu- *Lib. eodē c. 12.*
stodit hominum inter se societatem, per quem vita ipsa su-
stinetur, munitur, gubernatur, ac Aristoteles asseueret, homi- *Libris de na-*
nem sine metu legum pessimum esse animalium. Idem suos *tura animaliū*
asseclas metu mortis exemit, de qua hęc ipsius verba expressa *& libris Poli-*
sunt. Quando nos sumus, mors non est: quando mors est, nos *ticorum.*
non sumus: mors ergo nihil ad nos. Mortuo homine intereūt
(inquit) animæ: nam quod cum corpore nascitur, cum cor-
pore intereat, necesse est. Vnde, teste Lactantio, fuit turpissi- *Lib. 3. diuin.*
mæ voluptatis assertor, cuius capiendę causa nasci hominem *Instit. ca. 17.*
putauit. Quis cùm hæc affirmari audiat, vitijs & sceleribus
abstineat? Nam si perituræ sunt animæ, appetamus diuitias,
vt omnes suauitates capere possimus, quæ si nobis desint, ab *Perditorū ho-*
ijs qui habent, auferamus, clam, dolo, vi: eo magis si humanas *minū non phi-*
res Deus nullus curat. Voluptatibus igitur quoquo modo *losophorū, bla-*
possumus, seruiamus. Breui enim tempore nulli erimus om- *sphemia, non*
nino. Ergo nullum diem, nullum deniq; temporis punctum, *dogmata.*

fluere nobis sine voluptate patiamur, ne, quia ipsi quandoque perituri sumus, idipsum quod viximus, pereat. Hæc ille Epicurus, tametsi non dicit verbo, re tamen ipsa edocet, quod nedum Lactantius Firmianus, citatis locis: verum & vniuersitas patrum affirmat. Irenæus qui asserit Epicurum finxisse Deum otiosum. Origenes contra Celsum. Athanasius oratione de humanitate verbi. Gregorius Nissenus de prouidentia. Epiphanius hæres 8. & August. Libuit parum immorari enucleando huic pestifero errori; vt sciat diligens Lector vnde originem trahant, qui hodie Ecclesiam Dei disturbantes post carnis illecebras abeunt, fluctus feri maris, suas spumantes libidines, sine vllo freno diuinæ legis dominationem spernẽtes, qui quoduis sibi licitum legi Dei aduersum, ex professione putãt, qui edunt, bibunt, dormiũt, ac si post mortem, sceleribus nulla pœna, & virtutibus nulla esset merces reposita. Epicurũ secutus est Lucretius, quem refellit eleganti stilo Ludouicus Viues. Stoici eam etiam negauerunt, quia fatum ponebant. Similiter & Cicero, qui cum (teste Lactant.) in disputationibus & libris ferè omnibus diuinæ prouidentiæ fuisset assertor, & qui acerrimis argumentis impugnauerit eos, qui prouidentiam non esse dixerunt: idem postea quasi proditor aliquis aut transfuga, prouidentiam in libro de natura deorum, conatus est tollere. Nec mirum, cum Augustino teste, omnes qui legent ipsum, aut alios seculi sapientia præditos, intelligant, quam nihil sit acutum ingenium & lingua expolita, nisi à Domino gressus hominis dirigantur, cùm multi acerrimi & facundissimi deserti adiutorio Dei, ad hoc velociter & pertinaciter currerent, vt à via veritatis longius oberrarent. Alij fuerunt, teste Origene, extendentes prouidentiam vsque ad sublunarem orbem, inferiora verò non curare Numen, cõtra quos acerrime disputat ac conuincit Nissenus & Theodoretus, testaturq; vterq; huius erroris fuisse Aristotelem, vt habet Euseb. Cæsariẽsis, citans verba Attici Platonici contra Aristotelem. Aristoteles, inquit, non nisi ad Lunam vsque porrigere se diuinum existimás: reliquas mundi partes omnes à diuina gubernatione excludit. Fingensq; cum Epicuro Deos non posse ad hominum descendere curas, tanquam in peregrina quadam regione habitare eos finxit, & extra mundum eos alicubi collocauit, nullum esse posse propter tãtum interuallum eorum in res illas efficaciam docens. Huius videtur fuisse erroris amicus Iob, qui dixit, Deus circa cardines cæli perambulat, nec nostra considerat, quẽ scripturæ locum in fine capitis de prouidentia exponemus. Tertij fuerunt qui dixerũt: Si quid in terris curant Dij, non nisi maxima curant; quemadmodum

Lib. 3. cap. 1.
Lib. 3.
Cap. 31.
Lib. 18. de ciuit. Dei, c. 40
Cur diutius immoratũ est enucleationi erroris huius?
2. Petr. 2.
Iudæ epist.
Lib. 1. de veritate Christ. fidei cap. 9.
Lib. 2. cap. 9. diuin. Inst.
Contra Faust. Manich. lib. 1
Li. 3. in epist. ad Romanos.
2. Negantes prouidentiam ex parte.
Lib. 3. de prouident. cap. 4.
Li. 6. de Græcanicis aff. &
Et serm. 2. de prouidentia.
Lib. cõtra Philosophos. ca. 4. in principio.
3 Errant prouidentiam esse

dum maximi Reges non ad quæuis se dimittunt. Vnde sunt illi versus apud Lucanum Cæsaris ad milites tumultuantes: *circa maxima tantum.*

Nunquam se cura Deorum
Hic premit vt vestra vita vestraq; saluti
Fata vacent, procerum motus hæc cuncta sequuntur.
Humanum paucis viuit genus.

Cuius ipsum fuisse erroris asserit Ludouicus Viues. Verùm alij fuerunt qui ad veritatem propius accesserũt, quales fuerunt Socrates, Plato, & horum discipuli, quorum postremus cognouit Dei prouidentiam vsq; ad folia, qualis fuit & Plotinus Platonis discipulus, vt testatur Theodoretus lib. 6. de Græcanicis affectionibus, vbi ibidem refert verba Platonis, & Euseb. Cæsa. lib. contra Philosophos, citans Plotinum contra Aristotelem, hunc eam ob causam multum commendat August. Proinde Platonici prouidentiam diuidebant in vniuersalem & particularẽ, vt narrat Ludouicus Celius lectionum antiq. Alexander similiter de prouidentia non malè sensit, vt testatur de eo Cirillus lib. 1. contra Iul. Item lib. 5. contra eundem à fine, vbi etiam refert prolixam sententiam Porphyrij, qui hausit sua ex Plotino, vt refert Theodoretus loco citato. Plotinus verò vixit tempore Origenis. Nec hi duntaxat athei, hisce nebulis caliginosis, fuere offuscati; verumetiam illi, qui Christo nonnunquam fuerunt initiati, vt Symon Magus & eius sequaces, qui considerantes Iustos, simul atque timoratos, magna miseriarum mole premi: flagitiosos autem, & homines minus frugi; sæpenumero magna rerum abundantia, necnõ omnium rerum splendore florere; recusarunt, Deo esse vniuersarum prouidentiam rerum, potissimum cùm iustus Deus, non nisi iusta exequatur, & à bono, non nisi bonum promanare posse credatur. *In 14 cap lib. 10. de ci. Dei. Qui Philosophi benè senserint de prouidentia? Cap. 15. 16. & 17. Lib. 10 de ciuit. cap. 14. Lib. 4. c. 4.*

Ratione & testimonio creaturæ statuitur prouidentia. CAPVT XIII.

NEmo est tam rudis, tam feris moribus, quin oculos suos in cælum tollens, tametsi nesciat cuius Dei prouidentia regatur hoc omne quod cernitur: aliquam tamen esse intelligat ex ipsa rerũ magnitudine, motu, dispositione, constantia, vtilitate, pulchritudine, temperatione: nec posse fieri, quin id, quod mirabili ratione constat, cõsilio maiori aliquo sit instructum. Quod cum consilium istud, diuina sit voluntas, quæ prouidentia est: omnino necesse est omnia, quæ prouidentia fiunt, secũdum rectam rationem optima & Deo decentissima fieri, vt & non sit ea melius fieri. Necesse enim est, eundem esse eorum quæ sunt & factorem & prouisorem. *Lactant. lib. 1. cap. 2. 1. Ratio ab opifi[c]io. Damasc. lib. 2. de orthod. fide cap. 29. 2. ab opifice.*

uisorem. Nam neque decet, neque consequens est, alium factorem esse eorum quæ sunt, & alium prouisorem. Sic enim imbecillitati, debilitatiq; vterq; subiaceret, hic non faciendi, ille non prouidēdi. Deus igitur est: qui est factor & prouisor.

3. Ab vnius potestate omnia regentis. Et cùm nemo est qbidem qui sapiat, rationemq; secum putet, qui non vnum Deum esse intelligat, & qui condiderit omnia, & eadem qua cōdidit virtute moderetur, (quid enim multis opus est ad mundi regimen sustinendum? nisi fortè

Lactan. lib. 1. cap. 3. abitremur, si plures sint, minus habere singulos neruorum atque virium, siquidem singuli sine auxilio reliquorum, tale molis gubernaculum sustinere non possent.) Deus autem qui æterna mens ex omni vtique parte perfectæ consummatæq; virtutis. Quod si verum est, vnus sit, cuius virtute &

4. A minori ad maius. prouidentia omnia gubernentur, necesse est. Præterea si quis concipiat animo, quanta sit diuini huius operis immensitas, cùm antea nihil esset, tamen virtute atque consilio Dei ex nihilo esse conflatā, quod opus nisi ab vno inchoari, perficiq; non potuit (cùm omne quod est, ab alio sui originem trahere verissimum sit, nihil est enim causa sui ipsius) multo facilius ratio cogit, vt ipsius prouidentia gubernetur, fateamur, cuius

5. Si partes, prouidentia, & totum. & prouidentia conditum est. Deinde si singularum partium vniuersitatis ad vnam prouidentiam videmus referri, cur non multo magis ipsa vniuersitas prouidentia vnius regatur, rationi magis est consentaneum? nisi enim prouidentia fuerit ad omnia ac singula, vniuersa soluentur & corruent, sicut videre est in exercitu, in quo si fuerint tot Imperatores, quot legiones, quot cohortes, tot cunei, & nullius esse prouiden-

6. Si prouidentia fiunt quæ ab homine, multò magis quæ à Deo. tia, omnia vt corruant necessum est. Videmus enim etiam, nihil esse in omni mundo, quod non habeat in se maximam mirabilemq; rationem. Quæ quia supra hominis sensum & ingeniū est, cui rectius quàm diuinæ prouidentiæ tribuenda est? an simulachrum hominis & statuam ratio & ars fingit, ipsum hominem maioris mundi microcosmum, frustra fieri putabimus? Et quid simile veritatis in ficto, cùm summum & excellens artificium, nihil aliud, nisi vmbram & extrema corporis lineamenta possit imitari. Num humana solertia dare operi suo, aut motum aliquē, aut sensum: omitto vsum videndi, audiendi, odorandi cæterorumq; membrorum, vel apparentium, vel latentium mirabiles vtilitates: quis artifex potuit cor hominis, aut vocum, aut ipsam quæ in homine est sapientiam fabricare? Quisquam ne igitur sanus existimat, quod homo ratione & consilio facere posset. vniuersam mundi machinam sine prouidentia fieri & regi quis putabit? Est igitur diuina prouidētia, cuius vi ac potestate omnia quæ videmus, & facta sunt, & reguntur. Nec enim tanta rerum

magni-

magnitudo, tanta diſpoſitio, tanta in conſeruãdis ordinibus, temporibuſq́ue conſtantia, aut olim potuit ſine prouidentia oriri, aut conſtare tot ſeculis ſine incola potenti, aut imperpetuum ſine prouido rectore gubernari, quod ratio ipſa, vt videmus luce meridiana, clarius declarat. Quicquid eſt enim quod habet rationem, ratione ſit ortum, neceſſe eſt. Ratio autem, ſentientis ſapientiſq́ue naturæ eſt: ſapiens verò, ſentienſq; natura nihil aliud eſſe poteſt, quàm Deus ſua prouidentia. Mundus autem quoniam rationẽ habet, à Deo fieri & prouidẽtia regi ratio docet. quod ſi cõditor Deus eſt mundi ab ipſo regi prouidentia quis dubitet? Authori enim rerum parentiq́ue communi ſuus honos & veneratio debetur. *7. Ratione omnia conſtant, ergo & prouidentia gubernantur.*

Ad cognoſcendum autẽ ex veſtigijs rerũ conditarum diuinę prouidentiæ curam indefeſſam, id vnum omnibus facilè eſt perſpicuum, quod vnica primitiua forma eſt, quæ ſuam diuerſis imprimit ſpeciem, cuique pro ſua conditione, vt ſigillum vnum effigiatur in hac & in illa cæra multipharìam: pro varia cæræ diſpoſitione. Sic vnica lux Solis multiplicatur in ſubiectis corporibus, cuique pro ſuo captu tradens primariæ lucis conſortium. Ita quoq; fons in riuulos deriuatur: & vnitas in quotuis numerorum ſpecies. Eadem prorſus ratione prouidentia Dei ad omnia ſe extendens, cunctaque ſuauiter diſponens: veſtigia ſuæ ſapientiæ prouiſionis rebus conditis indidit, ex quibus vt tenui quodam ſimulachro ipſa legeretur, cognoſceretur & laudaretur. Hanc ob rem naturali inſtinctu, Parentes ſuis liberis prouident, ſubminiſtrantq́ue ad vitæ ſuſtentationem neceſſaria, quod ſi non egerint, decidũt ab archetypo, exemplariq́; ſuo, nobis animę corporiſq́; vitam abundè adminiſtrãte. Et bruta animalia hanc etiam ſuis fœtibus prouidendi inſitam habent curam, vt ſui referant authoris prouidentiam. Hinc canicula ſolicitè ſuos lactat catulos, & anxia gallina congregat pullos ſuos ſub alis ſuis. Neq; vegetabilia deſtituta ſunt diuinę prouidẽtiæ veſtigio, in quibus folia ad cooperimentum exiſtunt fructuum, ne nimio Solis ardore contabeſcant, & folliculi aut duriuſculæ teſtę: ad ſeminis conſeruationem & munimentum ſunt ordinatæ. In Mineralibus itidem, pluuia, ventis, nubibus & elementis non deſunt ſigna ſummæ prouidentiæ, tanquam notæ quædam digito Dei impreſſa atq; inſcripta, vt ne minimum quidem ſubſiſtentium genus dari queat: quod vacet illo ſignaculo, aut ſummam Dei prouidẽtiam ſubterfugiat: quòd loca etiam ſcripturarum poſtea citanda, luce clarius illuſtrabunt. Et reuera ita omnium eſt diuina prouidentia diſpenſatrix, vt ſine eius nutu, nec folium arboris defluat, quemadmodum in vita ſancti Pauli primi Heremitæ à beato Hiero- *Ex veſtigio creaturarũ prouidentia habetur.* *Tomo 1.*

Prouidẽtia humana quã imperfecta?

nymo conscripta, inquit S. Antonius luculenter. Veruntamen quo magis admirarę hanc diuinam omnium administrationem: si qui homines sua cura, toti prouident, multitudini vnius rei publicæ, impediuntur eo ipso ne singulis possint sigillatim curam impendere, & qui singulis administrant necessaria, id facilius paucioribus, quàm multis præstant, & non ita integrè possunt toti prouidere multitudini, quod cura vniuersorum impediat singulorum curam, & singulorum itidem solicitudo, est impedimento curæ vniuersorum. Quemadmodum qui vno obtutu totam conspicit paginam libri: non potest simul oculos habere intentos in singula illius paginę verba legenda, aut qui oculos patẽtes habet circa dictionis vnius lectionem: non potest simul animum intendere ad aliarum dictionum anterius aut posterius ibidem lecturam, aut ad totius paginæ inspectionem. Deus verò sic vniuersis prouidet rebus cõditis, quod simul etiam singulis, & ita singulis peculiariter prospicit quod & vniuersis, vt neq; vniuersorum & omnium simul cura: impediat prouidẽtiam singulorum. Neque cuiusque eorum quæ condita sunt singularis prospicientia: impedimento est aut alijs singulis, aut omnibus simul prouida solicitudine curandis. Huic fidei argumento exemplo esse possit diuina imago in homine, quæ cùm sit tota in toto humano corpore, est etiam tota in singulis eius membris illis omnibus & singulis, simul & semel vegetationem motum & sensum subministrans: quod considerans D. Paulus, apposite dictum Arati poëtæ Atheniensibus dicebat: Ipsius enim & genus sumus, genus ergo cùm sumus Dei, non debemus existimare auro aut argento, aut lapidi sculpturæ artis & cogitationis hominis diuinum esse simile. Plura hac de re videre licet apud Clementem libro 8. Recognitionum, vbi de prouidentia disputat. Similiter apud Theophilum ad Amphilochium lib. 1. & Theodoret. qui sermones 10. habet de prouidentia, in quibus prouidentia, in quibus prouidentiam probat ex omnibus creaturis. Deinde argumenta eorum soluit, qui prouidentiam tollebant. August. lege 3. de Triuit ca. 4. & lib. de Ordine cap. 1.

Diuina prouidẽtia perfectissima quòd ad omnia & singula se protendat.

In anima valde relucet diuina prouidentia.

Scripturarum loca ac patrum testimonia prouidentiam comprobantia. CAPVT XIIII.

Scriptura quare nobis ingerunt prouidentiam?

NON est nostri propositi, præsenti loco, omnia scripturarum argumenta quę ad diuinam prouidentiã comprobandam essent quam comprobatissima hic inserere: sed tantum pauca selectiora subnectere: ex quibus Christianus Lector se & alios ad diuinæ prouidentię ancoram, in omni

omni ſpiritus tempeſtate, recipere debeat, tanquam ad aſylum & portum tutiſſimum, Paruuli enim ſumus quotquot in hac valle lachrymarum filij Euæ terrenam noſtram inhabitationem ingemiſcimus. & niſi vbetibus conſolationis diuinæ prouidentiæ continuo foueamur; deficiamus propemodum neceſſum eſt. Ob eam cauſam Spiritus ſanctus per amanuēſes ſuos in ſcripturis ſacris, caput mentis noſtrę ad hæc vbera ſugenda perpetuo eleuat, nobis ingerens, quæcunque nobis contingant, cùm proſpera tum aduerſa, de occultis theſauris diuinæ prouidentiæ ad ſalutem euenire certò perſuadeamus, quod conſiderans S. Ioſeph ſuam in Aegyptum per fratres venditionem illorum malitiæ non imputans, ſed diuinæ prouidentiæ aſcribens dicebat: non veſtro conſilio, ſed Dei voluntate huc miſſus ſum. Ne cogitetis, inquit Chryſoſtomus, quod proprio conſilio hæc contra me egeritis, non eſt tantum veſtra iniquitas contra me, ſicut eſt diuinæ prouidentiæ ineffabilis miſericordia, illa ſeruitus principatū mihi conciliauit, illa venditio in hanc me gloriam euexit, illa afflictio, huius mihi honoris occaſio fuit, illa inuidia hanc mihi claritudinem peperit. Hæc nos non ſolum audiamus, ſed & imitemur: & ita ſolemur eos qui nos afflixere, non imputantes eis quæ in nos admiſerunt, & omnia magna ferentes, beneuolentia, ſicut ille admirandus, ſuperemus. Hanc diuinam prouidentiā circa ſe cūctā diſponentē conſiderās in hæc verba prorupit Sara, Nō eſt enim in hominis poteſtate conſiliū tuum. Hoc autem pro certo habet omnis qui te colit: quod vita eius ſi in probatione fuerit, coronabitur: ſi autē in tribulatione fuerit, liberabitur: etſi in correptione fuerit, ad miſericordiam tuam venire licebit. Non enim delectaris in perditionibus noſtris, quia poſt tempeſtatem tranquillum facis: & poſt lachrymationem & fletum exultationem infundis. Sit nomen tuum Deus Iſraël benedictum in ſęcula. Proinde Euangelica veritas, nos ex fœno vireſcente in agro & lilijs agri manuducit ad conſiderandum eius admirabilem circa homines prouidentiam. Conſiderate, inquit, lilia agri quomodo creſcunt, non laborant, neque nent. Si enim fœnum agri, quod hodie eſt & cras in clibanum mittitur, Deus ſic veſtit, quanto magis vos modicæ fidei? Et rurſum: Reſpicite volatilia cæli quæ non ſerunt, neque metunt, neque congregant in horrea, & pater veſter cæleſtis paſcit illa. Nónne vos magis pluris eſtis illis? D. Hieronymus nomine cæli intelligit aërem. D. verò Baſilius hæc verba aduerſus ſpiritualia in cæleſtibus explicat. D. verò Chryſoſt. ex his verbis prolixè docet, bruta nos quæ ſunt diuinæ prouidentiæ inſtruere. D. Aug. iungit hanc ſententiam Chriſti & verba Plotini Platonici,

Geneſ. 45.

Homil. 64. in Geneſ.

Tob. 3.

Maximè valet pro hoc loco Thobiæ explicando, prior pars lib. 1. de prouident. ipſius Chryſoſt.

Matth. 6.

In 6. caput ad Epheſ.

Homil. 3. Hexameron.

Homil. 12. & 39. ad Antio.

Lib. 10. de ciuit. Dei ca. 14

tonici, ex quibus latè astruit prouidentiam diuinam. Idem in Psal. 145. eandem prouidentiam ex hoc loco astruit. Iterum apud Matth. Nònne duo passeres asse væneunt? & vnus ex illis nõ cadet super terram sine patre vestro? vestri autem capilli capitis omnes numerati sunt. Nolite ergo timere: multis passeribus meliores estis vos. Et Luc. 12. reperitur eadem sententia. Celeberrimus est hic locus aduersus eos, qui in fatis constituunt hominum euentus, contra quos acerrimè disputat D. Chrysost. nam etsi de prouidētia intitulentur, ex proposito tamen contra eos agit qui fatū constituentes prouidentiā Dei in singulis negabãt. Lubet Basilij Magni hanc Matthæi sententiā exponētis testimoniū adijcere: Eius filij, inquit, è vita excessus ingentem parenti attulit plagam, cùm enim familia amplissima, ac genus illustre, quasi vnico sublato sustentaculo, concidit. Hęc & similia animus doloris impatiens nobis subijcit, quæ singula quis, quæso, verbis consequi potest? Sed istis posthabitis, credas mihi velim, res nostras Dei prouidentia non carere, quemadmodū nos sacrum Euangelium apertè docet, in quo scriprum legimus: Passerculum non cadere sine volūtate Patris cælestis. Quare quicquid factum est, voluntate conditoris factum esse credito, cui quis, quæso, obuiam ibit? Feramus itaque æquo animo quodcunq; nobis humanitus eius volūtate accidit: nam molestè ferendo malum non corrigimus, & nosmetipsos pessundamus. Ne obsecro, in crimen voces iustum Dei iudicium. Stolidi atque inepti sanè sumus ad exquirenda eius iudicia inuestigabilia. Istud est tempus quo dominus charitatis in se tuæ periculum facit, istud, quo tibi licet, eadem premia ac bona ob tolerantiā consequi, quibus & martyres affecti sunt. Imitare Machabæorum matrem, quæ quamuis septem filios morte damnatos vidisset, non tamen lachrymis ac luctui se tradidit, neq; vocem emisit muliebrem, sed Deo egit gratias, quod sua prouidentia illos igne, ferro, ac alijs molestissimis vinculorum supplicijs ab hac carne dissoluisset, quam etiam ob causam adeo probata est, & ab hominibus in hunc vsque diem celebrata. Citatur & hæc scriptura pro Dei prouidentia astruenda ab Origene. Cyrillus similiter. August. in Sent. Prosperi, Sent. 281. quam hausit ex lib. 5. de Gen. ad lit. ca. 21. & de agone Christiano cap. 8. Patres scholæ Christianæ, citant communiter pro prouidentia astruenda locum Sap. 14. Tu autem pater prouidentia ab initio cuncta gubernas, ac locum Iob 5. Nihil in terra sine causa fit. Quem locum versat D. Thom. 1. 2. q. 75. art. 1. Est & alius insignis locus: Quis ignorat, inquit, quod omnia hæc manus Domini fecerit, in cuius manu anima omnis viuentis est: quem pro prouidentia

Margin notes: *Matth. 10.* — *2. 3. 4. 5. & 6. oratione de prouidēt. To. 5* — *Orat. 24. de morte, post medium.* — *2. Machab. 7.* — *Li. 5. in epist. ad Rom.* — *Lib. 2. contra Iulianum.* — *Iob 12.*

dentia diuina Ambros. his verbis exponit: Cum iusta & omnipotens prouidentia Dei incessabiliter vniuersa diiudicet, & nemo in hunc mūdum veniat, neq; ab hoc mundo exeat, nisi eo ortu atque decessu, quem rerum arbiter secundum altissimam scientiam suam sapientiamq; decernit, sicut scriptum est in libro Iob: quis ignorat quòd omnia hæc manus Domini fecerit, in cuius manu, anima omnis viuentis est, & spiritus vniuersæ carnis hominis? Inscrutabile enim est, valdeq; secretum, cur tantis differentijs conditio humana variata sit. Sed quid in citandis sacris scripturis immoror, cùm prouidentiam & dispensationem (teste D. Athanasio) sacra scriptura comprobari videas? Sed ex omnibus vel hæc sola verba ad fidem sufficerint, quibus vtuntur viri, in rebus diuinis diserti: fundasti terram & permanet ac ordinatione tua perseuerat dies, quoniam omnia seruiunt tibi. Ac rursum: Psallite Deo nostro operienti cælum nubibus, præparanti terræ pluuiam, & progermināti in montibus fœnum, & herbam seruituti hominum, tribuētiq; pecoribus pabulum. Per quem autē tribuit? nónne per eum, per quē vt omnia facta sunt, ita quoque omnia ipsius ordinatione prouidentiaq; gubernantur? Et Hilarius in hunc totum Psal. Frequenter, inquit, admonet propheticus sermo, vt eum vniuersitatis huius esse Dominum credamus, quem omnis lex Deum locuta est, qui se nuncupari Deum Israël voluerit, vt nunc in eodem hoc Psalmo, cùm dixisset: Aedificans Hierusalem Dominus, & congregans dispersos Israël, ad laudem eius cohortans, adiecit: Qui operit cælum nubibus, qui parat terræ pluuiam: vt non alius legis datæ, & creationis istius Deus, posset intelligi. In his omnibus Dei & prouidentia significatur & bonitas. Diuinæ igitur prouidentiæ virtute, creaturæ vniuersæ in essentiali suo statu conseruentur. Quomodo enim posset, ait Sapient. 11. aliquid permanere, nisi tu voluisses? Quo loco vtitur D. Thom. ad probandū Dei voluntatis prouidentiam causam esse omnium rerū. Et D. August. expressè subiectis in locis, docet nihil esse quòd non à Deo iubeatur aut permittatur. Salus igitur totius creaturæ est ipsa prouidentia Dei. Vnde rectè in Psal. canitur: Oculi omnium in te sperant Domine, quandoquidē omnia prouidentia fiunt & eueniunt, Deo permittēte. Sed dicet aliquis: Si Deus omnia prouidet, & eo permittēte fiūt, & resistēte nō fiūt, cur tot & tāta mala fiūt, potissimū cum iustus Deus, nō nisi iusta exequatur, & à bono non nisi bonū promanare posse credatur? Hoc argumēto delusi nedum illi Epicurei, verum & Simon Magus cum suis asseclis, prouidentiam Dei, luce meridiana clarius in rebus relucentem, pertinaciter negarunt. Verum

ex isto

Lib. 2. de vocatione Gentium cap. 8.

Oratione contra idola, uno folio à fine.

Psalm. 146.

Hilar. in Psal.

Prouidentia, omnia in suo statu permanent.

1. part. q. 19. art. 4.

Lib. de fide ad Petrum cap. 3. Sentē. Prosper. sen. 58. 277.

Li. 4. de Gen. ad lit. cap. 12.

Lib. 12. de ciuit. Dei c. 25.

Lib. 3. contra Iul. c. 9. & li. 6. contra eundem cap. 8.

Lib. de Soliloquijs cap. 6.

ex isto ipsorũ argumento, prorsus sanctus Petrus Apostolus, qui creberrimè, acerrimeq; disputauit, cũ præfato Simone, euidentissimis rationibus, & scripturarum monumentis, statuit Dei prouidentiam, vt liquet ex decursu librorum diui Clementis de Recognitionibus. Similiter Gregor. Nissenus demonstrat ipsius Solis fulgoribus clarius, prodigia Aegyptiaca, & miracula in deserto facta, vatum scripta, necnon Babylonica flagella, nihil aliud crepare, quàm Diuinã prouidentiam, qua fortissima ac virilis Iudith superbi illius Holofernis caput præcidit, & Susannam castissimam impudenti neci, exemit. Si autem nostræ mentis obtutus, ista vetera, tanquam antiquata, missa faciendo, ad nouæ legis monumenta referamus; protinus obuiam nobis fit, Dei Incarnatio obstupenda, amara Passio, gloriosa Resurrectio, reliquaque huius modi beneficia, haud exiguo charitatis affectu, exhibita. Deniq; rerum ordinatissima vicissitudo, Gentibus & Paganis non potest non facere persuasissimam: mare siquidem ipsum, quãquam turbinibus procellosis agitatum, ac crispantibus vndis tumidum, violenter ad terram propellatur, harenæ tamen obices, ac repagula, agnoscit; neque præfixos limites transilire præsumit. Sicut enim equus, calcaribus ad cursum incitatus, freno retrahitur, & currentis impetus reprimitur; ita mare, cùm Dei legem nullis quidem in tabulis scriptam, sed in ipso littore positam cõremplatur; non secus pedem refert, ac si habenis quibusdam cohibeatur. Pari quoq; modo, & flumina sui cursus tenorẽ, seruant, quẽ tueri ab initio iussa sunt. Ita & fontes scaturire visuntur, & putei, humanis vsibus aquas, subministrare cernuntur. Quatuor item anni stationes, interrupta successione sese excipiunt, ac seruata inter se temporis æqualitate; quod nimium sit, minimè appetunt. Hanc eandem legem, indefesso conamine dies ac noctes obseruant, neque cùm protenduntur superbè se efferunt, neque cùm contrahuntur, iniquo animo ferunt: sed alternis vicibus tempora mutando conspirant. Rursus, cùm ratio exigit sine altercationis vlla disceptatione, debitum soluunt, neque inuicem reluctantur, sed quietissimè accipiunt, redduntque. Illud præterea opificis Dei prouidentiam planè, potentiamq; ostendit, quòd neque ipsa tellus, quanquam per tot millia annorum tanquam rudis campus, aratris proscindatur, fœcundetur, excolatur, ac consitis diuersi generis seminibus, ac fruticibus impleatur; quãquam effodiatur, immissa falce radatur, imbribus, niuibusque subsidat, atque ardoribus alteretur; vllam sui diminutionem perpessa est, minoresque agricolis fœtus, aut pauciores educit, teste Theodoret. Neque ipsum mare, quanquam inde nubes vim aquarum

Exod. 3.
2. Paralip. 39.
4. Reg. 24.
Hierem. 52.
Iudith 13.
Daniel. 13.

Diuinæ prouidentia vis mirè stupenda, in rebus etiã insensibilibus.

Pulchra rationes prouidẽtiã comprobantes.

Lib 4. de materia et mũ.io.

rum

rum inceſſanter exhauriant,imbreſque pariant, terriſq; diffundant,imminutum olim,exhauſtúmve eſſe cernitur ; non ab ijs deniq; littoribus receſſiſſe, quæ olim fluctibus ſuis obduxit. Neq; verò nunc differendum puto,vnde iugis fluuiorum copia deuoluatur: Ineffabilis enim penituſque abſtruſa hæc quoque reperitur ratio. Quo autem pacto Sol natus ſit, humidam aquę vim comminuere,promptum eſt,cunctis volentibus edoceri. Paludes enim exiccat,aquarũ inſuper congregationes ac ſtagna conſumit,corpora quoque hominum, ſicciora efficit. Quinetiam fluuios videmus decreſcẽdo,ſubduci, cùm Sol, relictis Auſtralibus climatibus, ad Boreales tractus concedit, æſtatemque nobis efficit. Eamque ob rem Nilum, non eodem tempore, quo cæteri ſolent fluuij, extra alueum inundare; ſed media æſtate, aquis exuberantibus Aegyptum perfundere; Sole tunc ad Borealem circulum accedente, ac cæteris quidem fluuijs, radijs ardentioribus incubante; ab ipſo autem Nilo magnis ſanè ſpatijs abſcedente. Quotieſcunque igitur, omnia hæc videmus, quoties Solem modò ad Boreales tractus, modò ad Auſtrales, modò ad æquatas cæli partes excurrere; quoties & Lunam modò lumine plenam, modò imminutam, nec minus & ſtellas certis Orientes temporibus & Occidentes; meſſis maturæ, præterea & ſementis tempus ſignificantes; tum & nautis oſtendentes hyemem ac tranquillitatem, ne quæſo aliud, quàm Deum ipſiuſque prouidentiam, magnis laudum præconijs extollamus. Cùm itaq; ſtationes anni videbimus, ſuis quæq; pertranſire temporibus, cùm terræ pluuiam diſpenſari, cùm terram germinare ac virentibus obduci herbis, abundare ſegetes, prata floribus reuireſcere atque ridere, comare ſyluas, arbuſta ſilueſcere, ramos arborum fructibus prægrauari; linguam moueamus in eius laudem, qui hæc terræ dona contribuit. Ne verò montium Nymphas, neve fontium ac fluuiorum, neve filias Nerei referamus in deos, nec cantemus Iulum Cereri, neve ipſi Rheæ Lytiërſan; ne Baccho Dithyrambum; Ne Pæana Pythio Apollini, neve Dianæ, concinamus Hypoæpum, Sed rerum omnium conditori Deo, hymnos Dauidicos promamus, cumque eo pariter exclamemus, Quàm magnificata ſunt opera tua Domine, omnia in ſapientia feciſti. Quotieſcunque canoras aues auribus hauriemus varios emodulare cantus, cicadaſque tremulos euibrare concentus, Muſis Sirenibuſq; dimiſſis, ſapiẽtiſſimum Deum eundemq; potentiſſimum ac prouidentiſſimum, qui & eiuſmodi auibus tantam tribuit muſicæ harmoniam, dignis gratiarum actionibus adoremus, ac in æternum gratitudinis holocauſtis, proſequamur.

Natus, id eſt, aptus ſeu diſpoſitus. Iuxta illud: Et ſpina lædere nata. Itemq́: Fruges cõſumere nati. ἑλληνισμος *eſt.*

Pſalm. 103.

Deo

Deo cùm ſit prouidentia, cur mali non ſtatim puniantur? CAPVT XV.

QVare autem via impiorũ proſperetur, & impius conculcet iuſtiorem ſe, alta & ſublimis eſt quæſtio quam vt altiore repetamus principio, inquirendum occurrit. Cur Deus, qui eſt author mali pœnæ, non protinus puniat malos? Et quia pulchram habet philoſophiam hæc quæſtio fidelibus obſeruatoribus mandatorum Dei neceſſariam, lubet diutius huic enucleandæ immorari, quam ex profeſſo tractat Ludouicus Celius, vbi ſua hauſit ex lib. 2. Plinij naturalis hiſtoriæ cap. 7. & ex Plutarcho de ſera Numinis vindicta in prima parte libelli. Rationes autem ſunt variæ.

Cur mali non ſtatim puniantur?
Lib. 6. lectione antiq. ca. 14.

Prima eſt ex Lactantio: Si, inquit, omnes qui peccant ſtatim punirentur, pauciſſimi ſuperuiuerent. Nullus eſt enim qui nihil peccet, & multa ſunt quæ ad peccandum irritent, ætas, vinolentia, ægeſtas, occaſio, præmium; adeò ſubiecta eſt peccato fragilitas carnis qua induti ſumus, vt niſi huic neceſſitati Deus parceret, nimium fortaſſe pauci viuerent, propter hanc cauſam patientiſsimus eſt, & iram ſuam continet. Si iniquitates obſeruaueris Domine, Domine quis ſuſtinebit? miſericordiæ ergo Domini quia non ſumus conſumpti. Hæc tractat Auguſt. vbi præclaram hanc habet ſententiam, qui malos odit, omnes odit: quia omnes mali ſumus.

1. Ratio cur mali non ſtatim tollantur è medio.
Lib. de ira Dei, cap. 20.

Secunda eſt, vt commendet diuitias bonitatis ſuæ ac patientiæ longanimitatiſq; : non ſolùm vt experiamur, verum etiam vt ſedulo imitemur. Perpulchrè hoc habet Plutarchus, & citat exempla ethnica: noſtra refert vnum adferre ex ſacra ſcriptura, de venditione Ioſephi, de ingratitudine populi Iſraël erga Moyſen, Dauidis, cùm à Saule perſequeretur, & Iob cùm affligeretur. Vnum etiam ex D. Chryſoſt. de bonitate Dei erga primum parentem peccantẽ grauiſſimè oſtenſa adferam. Cumque illum, inquit, ſui notione dignatus eſt, ac ſuo dedit frui contubernio, quantum frui homo poterat. Immortalitate preterea donandum promiſit, ſummaque impleuit ſapientia, ſpiritualem illi gratiam adijciens, adeò vt nonnulla etiam prædiceret. Itaque illi omnia largitus eſt, cùm tamen ab eo nulla ante rectè facta manauiſſent. Quid igitur ille? poſt tanta, tamque ſingularia beneficia, fideliorẽ parente ac donatore ſuo inuicem arbitratus eſt, ſpretoque mandato conditoris, fallaciam illius prætulit, qui ſe perdere omnino, boniſque omnibus eijcere, atque honore omni expoliare cupiebat. Prætulit autem, cùm tamen nullum neq; magnum neq; paruum beneficium ab eo eſſet conſecutus, ſolaq; verbum eius aure percepiſſet. Num verò deleuit illum Deus

2. Vt imitemur bonitatem Dei.
Lib 1. de prouidentia poſt princip.

tanta ingrati animi signa ab initio statim, atq; ab ipsis, vt ita dixerim, lineamentis præ se ferentem? Hoc enim iustitiæ ratio poscebat, vt is qui innumeris antea affectum beneficijs ab inobedientia statim, atque ingratitudine vitæ initia cœpisset, deleretur, atque de medio auferretur. Deus verò sua inexhausta bonitate non minus quàm antea benè illi facere perstitit, ostendens per hoc, & liquido comprobans, quod nos etsi millies peccemus, illumque auersemur, ipse tamen saluti nostræ prospicere nunquam desistit, vt si quidem conuersi fuerimus, seruemur: sin autem in vitijs perseuerauerimus, ipse tamen quod suum erat, vt ostendat bonitatis suæ & patientiæ diuitias fecisse aduertatur. Lege hac de re Gregor. Nyss. lib. de prouidentia cap. 1. Vbi refert vnde ortum sit illud prouerbium quo vtebantur gentiles, Dij laneos habent pedes, reperit Deus tandem nocentes, quod vulgò apud nos dicitur, *Het sal vvt comen, al souden die rauen vvt brenghen.*

Tertia causa, vt sit locus pœnitentię peccantibus. Iustè, inquit August. lib. Soliloquiorum ca. 18. millies damnasses me, si voluisses. Noluisti, quia amas animas, & dissimulas peccata hominum propter pœnitentiam Domine Deus meus, multę misericordiæ in omnibus vijs tuis. Et Chrysost. in Psalm. 7. oportet, inquit, nos in anima affici, lugere quidem & deflere non eos qui puniuntur: trahuntur enim ad sanitatem, sed eos qui cum peccant, non dant pœnas. Et si pœnæ, inquit, peccata prohibent, cur non quotidie damus pœnas nostrorum peccatorum? Quoniam si hoc factum esset, præreptum fuisset humanum genus, & sublatus fuisset fructus pœnitentiæ. Considera in Paulo: Si ille enim dedisset persecutionis pœnas, & fuisset sublatus, quomodo habuisset tempus agendi pœnitētiam, & post pœnitentiā agendi bona innumerabilia, & vniuersum, vt semel dicam, terrarum orbem deducendi ab errore ad veritatem. Non vides etiam medicos, quando quis multis affectus est vulneribus, non tantam adhibere medicinam, quantam postulat natura vulnerum, sed quantam ferūt vires eius qui est sauciatus, ne dum vulneribus medentur, ægrotum de medio tollant. Ea de causa Deus nec omnes simul punit, nec omnes pro meritis, sed sensim & aliquantum cędens, & sæpe vnum puniens, multos per illum castigauit. Et Lactant. Quam multi, ait, ex peccatoribus iusti, posterius effecti sunt, ex malis boni, ex improbis continētes? quā multi in prima ætate turpes, & omniū iudicio damnati, postmodum tamē laudabiles extiterunt? quod vtiq; non fieret, si omne peccatum pœna sequeretur, quod si omnes eos qui humanam pœnam effugiunt, censura diuina damnaret: esset homo aut rarus, aut etiam nullus in terra. Et rursus idem:

3. Vt sit locus pœnitentiæ.

Chrysost.

Lib. de ira Dei, cap. 20.

Lib. de ira Dei cap. 21. idem: Si prorsus fuisset immortalis ira eius, non esset satisfactioni aut gratiæ post delictum locus, cùm ipse homines ante Solis occasum reconciliari iubeat. Sed ira Dei in æternum manet aduersus eos qui peccant in æternum. Itaque Deus non thure, non hostia, non pretiosis muneribus, quæ omnia sunt corruptibilia, sed morum emendatione placatur:& qui peccare desinit, iram Dei mortalem facit, idcirco enim non ad præsens noxium quemque punit, vt habeat homo resipiscendi facultatem. Exempla Dauidis, Ezechiæ, Pauli, Petri, Magdalenæ, Zacheæ, & omnium aliorum peccatorum, qui tandem per pœnitentiam vitam emedarunt, hanc eandem causam adfert etiam Plutarchus. *Lib. 2. Naturalis hist. c. 7.*

4. *Vt boni exerceātur, et mali corrigantur.* Quarta causa: Ideo differt infligere pœnam, vt per malos mali puniantur & affligantur, vt tandem vexatio posset dare intellectum, Virga furoris mei Assur, & baculus ipse est. In manu eius indignatio mea. *Esaiæ 10.* Hinc August. malos vocat malleos, quibus diabolus quasi flagellare consueuit. Non enim persequitur bonos nisi per malos. Et alibi: Contristatus sum in exercitatione mea, inquit Propheta. *Serm. 85. de tempore.* Homines malos quos patitur commemoratus est: eandemque passionem malorum hominum exercitationē suam dixit: Ne putetis gratis esse, malos esse in hoc mundo, & nihil boni de illis agere Deum. Omnis malus aut ideo viuit vt corrigatur, aut ideo viuit vt per illum bonus exerceatur, & quoniam hæc tibi regula dilectionis figitur, vt imitās patrem diligas inimicum. Diligite, inquit, inimicos vestros: in hoc præcepto quomodo exercereris, si nullum inimicum patereris? Vides ergo prodesse tibi ad aliquid, vt quod Deus parcit malis, prosit tibi ad habendum misericordiam, quia & tu fortè si bonus es, ex malo factus es bonus: etsi Deus non parceret malis, nec tu qui gratias ageres appareres. Eandem habet sententiam, sent. 202. Prosp.

5. *Quod ex malis oriantur boni.* Quinta ratio: Ideo parcit, non statim inferendo pœnam malis, quia subinde gignunt optimos filios, quemadmodum legimus ex pessimo idololatra Achaz rege Iuda, de quo scribitur, quod ambulauit in via regum Israël, natus est optimus ille & laudatissimus Ezechias, qui fortiter ambulauit in via Dauid patris sui, cui ostendit Dominus futura & abscondita antequam euenirent. *4. Reg. 16. 4. Reg 18. Ecclesi. 48.* Et ex Timothei patre gentili natus est ille Timotheus sanctus. Refert etiam Plutarchus, quod veneficæ non occidebantur, nisi cùm peperissent. His igitur causis prælibatis liquet, quamobrē Dominus sua inscrutabili prouidentia, non statim malos puniat. *Quæstio cur via malorum prospera est?* Et facilius proinde erit propositæ quæstioni respondere, scilicet, quare via impiorum prosperetur, & impius conculcet iustiorem se? Cui quæstioni respondet Lactant. dicens: Cur, inquiet aliquis, & *Lib. de ira Dei, cap. 20.*

qui

qui peccant, sæpè fœlices sunt: & qui piè viuunt, sæpè miseri? Quia & fugitiui & abdicati liberè viuunt, & qui sub disciplina patris aut domini sunt, strictius & frugalius. Virtus enim per mala & probatur, & constat: vitia per voluptatem, nec tamen ille, qui peccat, sperare debet perpetuam impunitatem, Deus enim potestatem habet & viuos præcipitare de summo, & mortuos æternis afficere cruciatibus. Prolixissimè digreditur in hunc locum homil. 3. in dictum Apostoli: Habentes aurem eundem spiritum, docēs omnino esse necesse, vt & fidelium genus afflictionibus prematur. Omnes enim qui piè volunt viuere in Christo Iesu, persecutiones patientur. Et rursum: Fili dum accedis ad seruiendum Domino, præpara animam tuam ad tentationem: rectè fac & perdura. Bella verò promissio, statim ab exordio in tentationes incidere, egregia verò exhortatio & consolatio, eius seruitute pericula confestim degustare. Planè egregia simul & admiranda & maximum lucrum adferēs. Quodnam illud? Audi quæ sequuntur: Sicut enim igne probatur aurum, sic homines accepti in fornace tentationis, quod autem dicit sic accipe. Sicut aurum igne examinatum purius redditur, pari modo etiam anima, quę inter afflictiones versatur ac inter pericula hilarior ac splendidior per illa euadit, omnemque peccatorum maculam abstergit, &c. Idem luculenter admodum nos *Homil. 1. ad* erudit D. Ioan Chrysost. octo rationes adsignando; atque in *pop. Antioch.* eandem sententiam, quasi pedibus eunt reliqui veteres, *& serm. 1. de* Chrysost. Gregor. Nissen. August. Hieron. Gregor. Damasc. *resurrect.* Consequenter quid sit prouidentia, despiciendum occurit; *Lib. 8. de pro-* quam Origenes homil. 3. in Genes. sic describit: Prouidentia *uidentia Dei,* est qua Deus procurat, dispensat, & prouidet omnia quæ geruntur. *cap. 8. & 9.* Damasc. lib. 2. orthod. fidei cap. 29. Et Gregor. Nissenus *Lib 20 ca. 2* duas assiguat definitiones: prior est, Prouidentia, inquit, *de ciuit. Dei.* est quæ ex Deo est, atque ea quæ sunt curat. Nam si poneretur *Epist. 54 ad* alius esse factor eorum quæ sunt, & alius prouisor: tunc *Maced. Tract.* prouisor subiaceret imbecillitati non faciendi mūdum, cum *3. in Ioan.* per hypothesin, non ipse prouisor, sed alius quispiā mundum *In epistola ad* fecisset. Et factor similiter mundi subiaceret impotētiæ non *Paulā de obitu* prouidendi mundo: quādoquidem non sua, sed alterius pro- *Blesillæ.* uidentia, vnumquodque suæ naturę congruentem guberna- *Homil. 15. li.* tionem susciperet. At mundi factor & curator Deus est, qui *40. homil. lib.* mundum condidit; & sapientissimè illi prouidet. Posterior *2. c. 2. Moral.* definitio quæ & describitur à Greg. Nysseno, esse Dei volun- *Lib. 2. de or-* tas, per quam omnia quæ sunt & fiunt, conuenientem susci- *tho fid. c. 29.* piunt deductionem. Qua descriptione prouidentiam con- *Lib. 8. de pro-* stituere videtur in voluntate, cùm tamen D. Thom. Boëtio *uident. ca. 2.* consentaneus lib. 5. de cōsolatione Philosophię prosa 6. dicat *1. part. q. 22.*

eam esse in intellectu, ita tamẽ, vt præsupponat voluntatem, non enim res in finem dirigũtur per determinatas virtutes, nisi prius instituto & intellecto fine, ad quem Deus tãquam

Matth. 6. primaria causa, dirigit vniuersa. Respicite, inquit, volatilia

Matth. 10. cæli. Nec passer cadit in terram sine patre vestro. & Regius Psaltes Psal. 144. Oculi omnium in te sperant Domine, & tu das escã illorum in tempore opportuno. Item alius quidam,

Sapient. 12. Non est alius Deus quàm tu, cui cura est de omnibus, quiq; attingit à fine vsque in finem fortiter, & disponit omnia suauiter. Hinc præclarum illud sanctæ Ecclesiæ lumen ac præ-

Lib 9. de ciui. Dei, cap. 13. fulgidum speculum, August. Prouidentia Dei summi, & non fortuita temeritate regitur mundus. Et Ambros. Porrò (vt

Lib. 1. Offic. ca. 12. & 4. sequent. propẽsa sunt ad vanas argutias hominum ingenia) fieri vix potest, quin se perplexis nodis impediant, quicunque non tenent probum, rectumque, huius doctrinæ vsum. Ac primò quidem notandum est, tam in futurum, quàm in præteritum tempus, considerandam esse Dei prouidentiam; deinde sic moderatricem esse rerum omnium, vt nunc medijs interpositis, operetur, nunc sine medijs, nunc contra omnia media. Propterea docet nos præfatus author quod prima ratio ordinis rerum in suum finem, quę in summo omnium Deo constituta reperitur; per occultam Dei administrationem, etiam in lignis, herbis, & fruticibus, quibus incrementum præstat,

1. Corinth. 3. offendatur. Atque si Deus per se solùm, omnia administraret

Causis secundarijs vtitur Deus. & gubernaret, nihil inordinatè in vniuerso fieri posset, quia quæ à Deo sunt, ordinata sunt. Secunda est huius ordinis executio, quam fieri voluit secũdarijs causis; Deus siquidem

Roman. 13. tãquam summus Rex in cælesti sede, velut in domo sua præ-

Lib. 7. de ciui. Dei, cap. 30. & lib. 3. de Trinit. cap. 4. sidens, inquit August. Inde quibusdam ordinarissimis creaturæ motibus, primò spiritualibus, deinde corporalibus, se per causata diffundit; quemadmodum corpora inferiora & crassiora, per subtiliora, & interiora reguntur; & omnia corpora, per spiritum vitæ, & spiritus vitæ irrationalis, per rationalem, sicut Rex quispiam, qui ditioni suæ subiectos populos, ob insufficientiam, qua omnibus & singulis, etiam in minimis præesse nequit; exequendo gubernat per consules, prætores, & tortores. Deus tamen istis secundarijs causis non vtitur, propter insufficientiam vel virtutis suæ defectum, sed propter bonitatis suæ manifestationem, qua vult vt dignitas causalitatis, aliquo modo etiam cõmunicetur creaturis, teste

1. part. quæst. 22. ar. 3. et 4 D. Thom. Hinc est quod Psalmographus cantat, Benedicite Dominum omnes virtutes eius, ministri eius, qui facitis vo-

Psalm. 102. luntatem eius. Et iterum alio loco, Ignis, grando, nix, gla-

Psalm. 148. cies, spiritus procellarum, quæ faciunt verbum eius. Ex his luce meridiana clarius euadit, quod diuina prouidentia, quæ

res gubernat, non impedit, quin corruptio, defectus, malumque in rebus reperiri possit. Diuina namque gubernatio, non excludit operationem secundarum causarum: Contingit autem inuenire defectum causæ secundariæ, absque eo, quod sit defectus in causa primaria. Et primò agente Deo, sicut in effectu artificis perfectè artem callentis, contingit aliquis defectus, propter instrumenti rubiginem, aliúmve defectum, & sicut hominem, cuius vis motiua est fortis, contingit claudicare, non propter defectum virtutis motiuæ, sed propter tibiæ curuitatem, Itaque defectus locum sortitur, etiam in illis quæ Dei curæ commissæ creduntur, non propter Dei inaduertentiam aut negligentiam; sed propter causarum secundarum imperfectionem. Insuper quemadmodū diuina prouidentia, vniuersaliter malum non repellit à rebus; ita nec earum contingentiam excludit, nec necessitatem imponere satagit, quia admittit causas secundarias & proximas; ex quibus aliqui defectus dicuntur necessarij, vel contingentes. Ex remotis autem causis, non item; quia fructificatio plantæ, est effectus contingēs propter causam proximam, quæ est vis germinatiua, quæ potest varijs modis impediri, etiamsi causa remota, agat ex necessitate. Cùm igitur inter causas proximas, multæ sint quæ deficere possint, non omnes effectus qui prouidentiæ subijciuntur, erunt necessarij, sed plurimi sunt contingentes. Tertio loco consideratione dignum est, Prouidentia sit ne vniuersalium, an particularium? Plato namque & Aristoteles cæterique scriptores, quos reperire promptum est apud Gregor. Nissenum, dogmatizabant; Deum circa cardines cęli tantum versari, atq; ipsos orbes cælestes, Solem, & circulum Zodiacum, hæcque inferiora, nec moderari, nec gubernare, indignum existimantes, Dei intellectum, istis vilissimis intēdere. Quos triplici ratione refutat Gregorius: Prima est: Si cōstituamus, Deum, istis inferioribus etiam, particulariter nō prouidere; videbimur iam illi ignorātiæ notam inurere. Ignorantiæ autem, est ab illa beata essentia alienissima, cùm ipsa Dei scientia, sit eius essentia; & proinde nihil eum latere potest, Vno enim intuitu, & simplici, ita singula singulariter conspicatur, quod simul omnia vniuersaque eodem conspectu intuetur, perinde atque foret ille, qui simul totam paginam, vno oculorum intuitu, obiret; & singulas itidē paginæ dictiones, eodem temporis momēto percurrereret: Ita Gregor. Nicen. August. Gregor. Nec magis cōtaminatur, aut sordibus polluitur, quàm Sol, cùm suis radijs solatibus, quibusuis fœtidis etiam cloacis, illuxerit. Secunda, Si non prouideat singulis, hoc fit, quia non vult, tuncq; videbimur ipsum inuidiæ labe

Defectus vnde in rebus?

Lib. 8. de prouident. & seq.

Deus inferiorum istorum curam habet.

Lib. 8. cap. 6. & 7.

Lib. 15. de Trin. ca. 14.

Lib. 16. Moral. cap. 3.

Tract. 19. in Ioannem. conspergere, teste August. Tertio autem, Quia nequit singulorum habere curam, tum arguetur omnipotẽtia, infirmitatis. Non leuis etiam coniectura existit, singularia gubernarii Dei prouidentia; quòd cognitio eius sit hominibus naturaliter insita: Necessitudine enim, aut aliqua anxietate prægrauati, quasi natura, nos, absque præceptore, diuinum auxilium, edocente; ilicò ad Deum, tanquã ad sacram quandam, confugimus, anchoram. Nequaquam autem ad id natura nos instruit, quod natura non habet, vt fiat. Neque obstat sententia illa, Nec nostra considerat, & circa cardines cęli perambulat, Quia Eliphaz improperabat Iob, iniustè inopes oppressisse, aquam non dedisse lasso, esurienti panem subtraxisse, viduas ac orphanos, perfricta fronte lacessiuisse. Et subdit: Propterea circundatus es laqueis, & conturbat te formido subita, & arbitraris (inquit) nubes latibulum Dei, eumq́ue circa cardines cæli perambulare, & proinde nostra non considerare, tuamq; iniquitatem nequaquam attendere. Verùm Iob, sanctissimus patriarcha, aliter credit, aliterq́ue sequenti capite profitetur, dicens; Ipse verò scit viam meam, & probabit me quasi aurum quod per ignem transit, Vestigia eius sequutus est pes meus, viam eius custodiui, & non declinaui ex ea, A mandatis labiorum eius non recessi, & in sinu meo non abscondi verba oris eius. Quo liquet Eliphaz veritatem non propalasse, sed virum sanctum, patulis rictibus momordisse. His annectere lubet scripturam, quę declarat neminem à prouidentia exclusum, licet plurimi his ce verbis, Deus ab initio constituit hominem, & reliquit eum in manu consilij sui, tanquam scopulis quibusdam collisi, impingant; quia luce meridiana clarius, ostendit hominem non esse determinatum ad vnum aliquid, sicut res naturales, quæ altero tantum agente, in finem diriguntur. Homines siquidem habent potestatem eligendi aut respuẽdi. Vnde benè dicitur, In manu consilij sui. Huc pertinet quod eruitur ex Apostolo, Nunquid cura est de bobus Deo? Quia secundum Thom. Quanquam prouidentia, sese ad minima quæque, extendat: specialiori tamen modo, hominem tanquã rationis capacem, respicit; eo quòd futurus sit cælestium gaudiorum particeps, quæ boues & animantia bruta nequaquam expectare possunt.

(Margin notes: *Iob 22.* — *Exponitur sententia D. Iob.* — *Iob 23.* — *Eccles. 15.* — *1. Corinth. 9.* — *1. part. quæst. 22. art. 2.*)

De Præscientia Diuina. CAPVT XVI.

PRæscientia cùm importet ordinem ad posterius, sitq́ue scientia ante rem, describitur esse futurorum scientia à beato August. Quæ si perinde esset in Deo, atque in homine; videretur mutationis vicissitudo, locum in Deo obtinere, dum modo aliquid futurum præsciret; quod exiguo tempo-

(Margin note: *Lib. 2. contra Simplicia. q. 2*)

temporis ſpatio erit præteritum. Homo namque, heſterna die præſcientiam habere valuit, infantis noctu naſcituri, cuius non habet modò natiuitatis præſcientiam; ſed præteritæ rei, ſimplicem notitiam. Itaque mutatio quædam cognoſcitur in hominis ſcientia, verùm longè aliter eſt præſciētia ſeu ſciētia in Deo, qui ab æterno, ſtabili ac perpetuo intuitu, necnon vnico actu iugiter eodem modo perſeuerante, qui eſt ipſius eſſentia, omnia præſciuit; Nec mutatio in ipſum cecidit, quando res productæ extiretūt; ſed in ipſis quæ de nouo, quo ad ſe, eſſe ceperunt, non autem quoad Deum, cùm ab æterno præuiderit ſe; eas illo temporis inſtanti, quo productę ſunt, producturum. Exemplo, quod dicitur, manifeſtum fiat, Mundus licet ex tēpore ceperit, tamen in illa diuinæ ſapientiæ luce faciendus, nullum habuit principium, atque quotquot ab Adam vſque in præſens nati ſunt, vel poſt noſtram ætatem, generationis propagine ſunt naſcituri; apud Deum iam nati ſunt, qui vocat ea, quæ non ſunt, tanquam ea quæ ſunt. Et: Cui omnia cognita ſunt antequam crearentur. His ſcripturæ locis, conſentanea eſt Auguſt. ſententia, dicentis: Item Gregor. Niſſen. Deo futura eſſe quaſi præſentia. Vnde liquidò conſtat, in Deo nullam eſſe mutationē, licet res præterita videatur, quę prius futura expectabatur; quia vniuerſa in æterna ſuæ maieſtatis ſapientia, intuetur tanquam præſentia; adeò vt in Deo, propriori loquendi modo conſtituēda ſit ſcientia, quàm præſcientia: Quemadmodum teſtatur D. Anſelmus, Præſcientia, inquit, Dei, non propriè dicitur præſcientia, cui enim omnia ſimul, atque ſemper, ſunt pręſentia; non habet futurorum præſcientiam, ſed præſentium ſcientiam. Quemadmodum prouidentia generalior eſt prædeſtinatione, eo quòd ſua generalitate, comprehendat irrationales & inſenſibiles creaturas; nempe pulices & vermes, atque arborum frondes, teſte D. Auguſt. quæ nequaquam ſubſunt prædeſtinationi diuinæ; Ita præſcientia prior eſt, atq; communior prædeſtinatione; prius enim (ſaltem naturæ ordine) cognoſcitur res aliqua, & finis; quàm diſponatur ad finem. Hinc Paulus præponit præſcientiam, dicēs: Quos præſciuit, & prædeſtinauit; Non enim omne quod præſcit, prædeſtinat Deus, bona ſiquidem tantùm præſcit, & etiam prædeſtinat: mala autem non item Habent igitur ſeſe, vt magis & minus communes ſecundum Auguſtinum. Prælibatis obſtant quidam ſcripturarum loci, qui innuere videntur contra quàm ſuprà expoſitum eſt, nec firmum, ac cōſtare ſtabile Deo conſilium, ſed pro rerum diſpoſitione, mutabile. Primùm quia aliquoties Dei pœnitentia commemoratur, vt quod illum pœnituerit hominis creati, Saulis in regnum euecti. Quòd

In Deo eſt aliter præſciētia, quàm in nobis

Roman. 4.
Eccleſ. 23.
De prædeſt. & grat. cap. 5.
Lib. 5. de Tri. cap. 2. lib. 15. cap. 14. de natura boni c. 9.
Li. 8. de prouident. cap 5.
Deo, futura ſunt quaſi præſentia.
Lib. de caſu diaboli, ca 21
Diſcrimē inter præſcientiam, prouidentiam, & prædeſtinationem.
In Pſal. 48.
Roman. 8.
Lib. 6. contra art. ſibi falsò impoſitos in princip. lib 2. de prædeſtin. ſanct. cap. 10.
Videtur Deus mutabilis, non ſtabilis, quod ipſum facti pœniteat.
Geneſ 6.
1. Reg. 15.

eum pœnitebat mali,quod infligere populo suo statuerat, simul atque conuersionem eius aliquam senserat, Ierem.18. deinde nonnullę Decretorum eius abrogationes,referuntur.

Ionæ 3. & 4. Nam per Ionam dixerat Niniuitis, Quadraginta diebus elapsis perituram Niniuem, atqui mox eorum pœnitentia, ad clementiorem sententiam,inflexus est. Ezechiæ mortem

Esaiæ 38. per os Esaiæ pronũciarat, ad quam differendam,eius lachry-

Obiectio. mis & precibus, commotus est. Hinc argumentari quidam possent,Deum non æterno Decreto res hominũ constituisse; sed prout sunt, cuiusque merita,vel prout iustum ac æquum censet, singulos in annos, dies, & horas; hoc vel illud decernere.

Solutio. De pœnitentia,sic habendũ; Non magis in Deum eam

Pœnitẽtia Dei ἀνθρωποπαθῶς accipienda. cadere,quàm vel ignorantiam, vel errorem aut impotẽtiam. Si enim nemo sciens ac volens se in pœnitẽtiæ necessitatem conijcit, Deo pœnitentiam non tribuemus, quin aut ignorare dicamus, quid futurum sit,aut effugere non posse, aut præcipitanter & inconsideratè ruere in sententiam, cuius statim pœniteat. Id autem tãtum abest à sensu Spiritus san-

1.Reg.15. cti, vt in ipsa pœnitentiæ mentione, neget Deum pœnitudine duci,quod homo non sit, quẽ alicuius pœnitere queat. At notandum est in eodem cap. sic vtrunque coniungi, vt comparatio,speciem repugnantiæ,optimè conciliet. Mutatio figuratè traditur,quòd Deum pœniteat Saulis in regẽ creati, pauló post additur,Non mentietur fortitudo Israël,nec pœnitudine flectetur,quia homo non est vt eum pœniteat. Quibus verbis palam, absque figura, immutabilis asseritur. Itaq; Dei ordinationẽ,in rebus humanis administrandis,& perpetuam,& omni pœnitentia superiorem esse,certum est. At ne dubia eius esset constantia, testimoniũ illi reddere sui quoq;

Num.23. aduersarij,coacti sunt; Balaam enim vel inuitum in hanc vocem prorumpere oportuit: Non esse Deum instar hominis, vt mentiatur, nec quasi hominis filium, vt mutetur; ac fieri non posse,vt non faciat quicquid dixerit,vt nõ impleat,quicquid loquutus sit. Quid ergo sibi vult pœnitentiæ nomen? nempe quod aliæ omnes loquẽdi formulæ,quæ Deum,nobis humanitus describunt. Quia enim ad altitudinem non pertingit nostra infirmitas,quę nobis traditur,eius descriptio;ad captum nostrũ submittenda est,vt à nobis intelligatur. Hæc

Quare prædictu Niniuitis excidium, & Ezechiæ mortem, quorum tamẽ neutrum influxit? est portò submittẽda ratio,vt se nobis talem figuret,nõ qualis in se est, sed qualis à nobis sentitur. Nec sacra historia,dũ Niniuitis narrat remissum,quod promulgatũ fuerat iam excidium Ionæ 3. Et Ezechiæ vitam,denuntiata morte,prorogatã,abrogata fuisse Dei decreta ostẽdit, Esa.38. Nam qui sic sentiunt,in denũtiationibus hallucinantur; quæ tametsi simpliciter adfirmant, tacitam nihilominus in se conditionem

conti-

continere, ex fine ipso intelligetur. Cur enim ad Niniuitas Dominus Ionam mittebat, qui ruinam vrbis prędiceret? Cur per Esaiam mortem indicabat Ezechiæ? Poterat enim & hos & illum perdere sine cladis nuntio: Aliud ergo spectauit, quàm vt mortis suæ præscij, venientem illam eminus cernerent; nimirum, non perditos voluit, sed ne perderētur, emendatos. Quod ergo Niniuen, post quadraginta dies ruituram, Ionas vaticinatur; ideo fit, ne ruat. Quod Ezechiæ, spes vitæ longioris recusatur; ideo fit, vt longiorem vitam impetret. Quis iam non videt Dominum eiusmodi comminationibus, voluisse ad resipiscentiam expergefacere, quos terrebat, vt effugerent quod peccatis suis meriti erant iudicium? Duo enim sunt prophetiæ genera, comminationis: quod non prædicitur, quasi sit omninò futurum, sed secundum præsentia hominum merita, si non à diaboli laqueis resipiscant. Repente, ait, loquar aduersum gentem & regnum, vt eradicem, destruam, & disperdam illud: Si pœnitentiam egerit gens illa à malo suo quod loquutus sum aduersum eam, agam & ego pœnitentiam. Alterum genus prophetiæ, dici consueuit, prædestinationis, quæ semper implenda profertur, Huius generis est promissio Christianæ salutis. In præsentiarum studiosa indagine perquirenda se offert quæstio, An Dei præscientia sit rerum futurarum causa? Pro cuius quæstionis clariori intelligentia, sciendum est; quod mundus iste visibilis, nobis notus esse non posset, nisi existeret; Deo autem, nisi notus esset, omnino esse non posset; vniuersas enim creaturas, spirituales simul & corporales, non quia sunt, ideo nouit, sed ideo sunt, quia nouit, teste Aug. & Thom. Vnde sequitur, Dei præscientiam rerum futurarum esse causam; Res namque futuræ, nunquam fierent, nisi ea Deus præsciret. Nec fieri potest, quin eueniant, quascunque præsciuit. Nequaquam tamen est causa malorum, potissimum si præscientia intellectus cognitionem, simul & voluntatis beneplacitum, importet. Iuxta quem modum Christus reprobis legitur dicturus, Non noui vos. Quid est quod ille non nouit, qui vtique omnia nouit, siue bona, siue mala? nisi tales vos non fecit, id est peccatores, secundum August. Deus enim nihil nesciens fecit, quod & veritatem in quouis artifice habere valet, teste Thom. Ex his liquidò constat, scientiam solam nō esse completam futurorum causam; quia tum præscientia etiam mali causa existeret, cùm scientia non sit forma rerum actiua, & proinde nec causa, sed inquantum voluntas & Dei beneplacitum accedit, efficitur causa. Sed difficultas non dissimulanda manet. Qui fieri possit, vt Deus præscius sit futurorū, & nulla necessitate peccemus; quisquis

Duo prophetiæ genera.

Hierem. 18.

Præsciētia Dei est rerū causa.

Li. 15. de Tri. cap. 13. lib. 11 de ciui. Dei, c. 10. & 21.

Lib. de gratia Christi ca. 14.

In scripto 1. dist. 28. ar. 1.

Præsciētia Dei nulla ratione potest esse causa malorum.

Math. 7.

Epist. 47. ad Valentinum.

1. part. quæst. 14 ar. 8. Et in scripto primo dist. 38.

Obiectio.

enim dixerit, aliter euenire posse aliquid, quàm Deus ante præsciuit; præscientiam Dei insanissima impietate destruere molitur. Si autem sciat quod præsciuit, peccatores præsciuit, ergo necesse est ita esse. Sed non expendunt insani isti, artes inspiratas hominibus esse à Domino, quibus prouidentiæ eius subseruiatur in vitæ propriæ conseruatione; quemadmodum negligentia & socordia, mala sibi accersunt. Qui fit enim, vt vir prouidus, dum sibi consulit, imminētibus etiam malis se explicet; stultus inconsulta temeritate pereat? nisi quod & stultitia & prudentia diuinæ sunt dispensationis instrumenta, quasi in vtramq; partem. Ideo nos celare futura omnia voluit Deus, vt tanquam dubijs occurramus, neq; desinamus parata remedia opponere; donec aut superata fuerint, aut omnem curam superauerint. Deus nulli foueam, in quam incidat, facit, nec alicui occasionem perditionis (si modò saluari velit) præstat; queādmodum pulcherrimo demonstrat exemplo Seuerinus Boëtius, Quando Deum præscientia sua haud dubiè cognoscere dicit, malos in mortem perpetuam lapsuros; Ipsum tamen nullam perditionis præstare occasionem. Sicut in editissima turri vrbis aliquis constitutus, & omnes vias eius circumspiciēs, videt hunc quidem ingredientem vnum vrbis vicum, & pręcognoscit eum ad hanc vrbis partem ea via peruenturum: Alium verò conspicit subeuntem alium vicum, & illius ductu, deuenturum in aliam vrbis partem, hunc rursus videt equo insidētem, istum curru subuectum. Attamen huiusmodi inspectio ambulātium per plateas vrbis facta, ab eo qui in sublimiori turri est collocatus, neque necessitatem inducit, vt hanc vel illam capiant viam, neque aliquo modo pręstat causam, quare ille hanc, iste illam ingrediatur viam; & quisque ambulantium per vrbem, non minus sua sponte pertransit viā, animo suo constitutam; quàm si speculator in ipso turris culmine constitutus, non conspiceret. Subiungitur & alia non minus clara similitudo: Fingantur duæ viæ, quarum altera est senticosa & aspera, anfractibus salebrosis plena, ducēs ad vrbem tutissimam, splendidissimam omniumque bonorum refertissimam. Altera est plana & primo aspectu amæna, spirantissimis redolens floribus, perducit tandem in nemus vmbrosum, quo delitescunt latrones, sicarij & grassatores, sitq; quispiam, omnium in illo biuio constitutorum, hortator, vt viam ipso ingressu difficilem carpant; seq; illis comitem itineris ac ducem spondens, nec minus dissuadeat alterius viæ, introitum; quod ducat ad exitium. Is difficilem viam facientibus comes, præcognoscit eos graues post vitæ anfractus, suo ductu, tandem ad quietissimam vrbem peruenturos. Aliud verò iter facientibus, & sponte

Diluitur argumētum obiectum.

Lib. 5. de consolat. Philoso.

Simile.

Simile.

ſponte carpentibus; præſentiſſimum præ noſcit interitũ, quos tamen derelinquit, quia priores, eum deſeruerunt, maturis conſilijs fidelibuſq; admonitionibus nequaquam obtemperantes; & proinde neque culpam habet, neque cauſa exiſtit, quòd tanquam præda petita, incidant in malignantrium caſſes. Pari modo, Deus, quoniam omnia cognoſcit, & aperta ſunt oculis eius, quin & ad ſe etiam inuitat, nulli tamen neceſſitatem infert, vt declarat inſignis Eccleſiæ doctor Aug. Qui iam tum refutauit art. 27. Ioan. VVitcleff in Concil. Conſtantienſi ſeſſ. 8. poſtea poſitum & damnatum, Necnon Lutherum, qui omnia abſoluta opinabatur fieri neceſſitate, qui damnatur ab ipſo ſuo diſcipulo Ioãne Caluino, Nec immeritò: Nam ſententia eorum vera ſi eſſet, humana periret induſtria, reſte Auguſt. Non enim agris colẽdis vacaret agricola, nec ægris medici adhiberent vellent medicinam, dum cogitarent, Deus præſcit vos conualituros, aut emorituros; Si conualituros, fruſtrà adhibentur à nobis medicamenta, ſi è vita exceſſuros, non proderunt adhibita. Imò, ſi neceſſitate abſoluta omnia fiant, quid proſunt conciones? Quid opus eſt Decalogi præceptis? quid conferunt Sacramentorum remedia? Imò, quid obſunt furta & latrocinia, & huius farinæ ſcelera? Profectò, ſic euerterentur omnia rectiſſimè tradita. Verùm Verbi Dei præcones aliquando proficere, vel ex eo conſtat, quod dicit S. Iacobus Apoſt. Qui cõuerti fecerit peccatorem ab errore. Et Lucas de S. Petro, & reliquis Apoſtolis, His auditis compuncti ſunt corde, & dixerunt: Quid faciemus? Et quanquam Petrus dixerit, Oportet impleri ſcripturam, quam loquutus eſt Spiritus ſanctus, tamen ſtatuit duos in medio, quod non fuiſſet neceſſarium; ſi noſtra non requireretur induſtria. Licet etiã certò certius, infallibilitate nimirum promiſſionis diuinæ, Spiritum ſanctum præſtolarentur venturum; nihilominus ſeſe præpararunt, perſeuerantes vnanimiter in oratione, cũ mulieribus, & Maria matre Ieſu, reſte Leo, Chryſoſt. Damaſ. Cùm autem Deus omnia cognoſcat, vecors quiſquam & inſulſus ſciſcitari poſſet, An Deus plura ſcire queat? Ad cuius quæſtionis dilucidam expoſitionem, operæpretium duximus, à tripartita diuiſione ordiendum, Bonauent. & Thom. Prima enim ſcientia, dici aſſolet viſionis, qua Deus videt ea, quæ ſunt, erunt, vel fuerunt. Hac ſciẽtia poteſt Deus ſcire plura vel pauciora quàm nouerit; quia poſſunt eſſe in rerum natura plura, quàm erunt vel fuerunt, quæ ſi faceret, tunc ſciẽtia viſionis plura cognoſceret, quàm ante, eâdem ſcientia, ſciebat: quia iam ſunt de numero futurorum, ad quæ extendit ſe iſta ſcientia. Hinc aliqualiter eluceſcunt propoſitiones illæ, quas paſſim ſcho-

Hebr. 4.

Lib. 3. de lib. arbit. ca. 2. & duobus ſequẽ.

Inſtitut. lib. 1. cap. 17 ſect. 3 & duabus ſequent.

Lib. 5. de ciui. Dei ca. 10. de bo. perſe. c. 21

Nil fit abſoluta neceſsitate, contra hæreticos.

Cap. 5.

Actor. 2.

Actor. 1.

Serm. 16. in paſsione Dom.

Homil. 60. in Matth.

Lib. 2. orthod. fid. cap. 30.

Deus an plura ſcire queat.

Super primum diſtinct. 39.

Super ſcriptũ primi eo loci.

Scientia viſionis.

Quæstiones aliquot Scholasticæ acutè soluuntur. laſtici ſolent ventilare: An Deus valeat ſcire, quod nunquam ſcit, & an poſſit non ſcire aliquid, quod ſcit, id eſt, An Deus poſſit ſcire plura vel pauciora quàm ſciat? Sicut eſt aliquis, qui non eſt prælecturus hodie; tamen poteſt eſſe vt legat hodie, nihil autē poteſt fieri, quod non poſſit à Deo ſciri. Poteſt ergo Deus ſcire hunc lecturum hodie. Poteſt ergo aliquid ſcire quod ſcit, & per conſequens, eius ſcientia poteſt augeri vel mutari. Eadem videtur poſſe minui; Eſt enim hodie aliquis prælecturus, quem Deus ſcit lecturum; atqui poteſt eſſe vt non legat, ergo Deus poteſt ſcire hunc non lecturum, poteſt igitur ſcire quod non ſcit, & per conſequens poteſt eius ſcientia diminui. Reſpondendum eſt, quod huiuſmodi propoſitiones, intelligi poſſunt bifariam, aut in ſenſu cōpoſito, vel in ſenſu diuiſo, hoc modo; Deus poteſt ſcire quod non ſcit, vel quod nunquam ſciuit: In ſenſu compoſito, eſt falſa, ſicut falſa eſt; ridentem flere vel album eſſe nigrum, quia ſignificat, quod Deus poteſt ſcire aliquid quod nunc non ſcit, nec ante vnquam ſciuit, quod eſt manifeſtè falſum, ſicut falſum, quod idem album, eodem tempore ſit nigrum. Verùm in ſenſu diuiſo veræ ſunt propoſitiones, quia denotant, quod in poteſtate Dei ſit ſcire, & non ſcire, hunc hodie lecturum vel non lecturum, moriturum vel nō moriturum: hoc ſenſu, Corpus Chriſti, ſi reſeruatum fuiſſet in Euchariſtia tempore paſſionis, fuiſſet vulneratum, cùm idem fuiſſet cum eo, quod in cruce immolabatur; non tamen in ſenſu compoſito, quia non vt in Euchariſtia, ſed inquantum in propria ſpecie viſibili, corpore ſcilicet & tangibili, in cruce idem vulnerabatur.

Senſus diuiſus & compoſitus.

Regula Philoſophica memorabilis. Quocirca quædam hic memoriæ inſculpenda traditur regula, Quod omnis propoſitio quæ in ſenſu diuiſo conceditur, & non conceditur in ſenſu compoſito; non eſt ſimpliciter & abſolutè admittenda, niſi cum determinatione, quæ dat ſenſum diuiſionis intelligere. Quemadmodum ſi dicatur, Deus in cælo punit homines, ſimpliciter eſt negāda, Sed hęc, Deus qui eſt in cælo, punit homines, eſt admittenda: Deus igitur ab æterno, in ſua libertate habuit velle, vel non velle; non tamen velit & non velit, vel vt nunc, & poſtea non velit. Tali modo & de ſciētia eſt dicendum, quia voluntas & ſcientia in Deo idem ſunt cum eſſentia, vnde nequeunt mutari.

Aug. lib. 15. de Trin. c. 13. Veruntamen aliquid poteſt eſſe ſubiectum potentię diuinæ, quod prius non fuit ſubiectum; eoquòd non realiter exiſtebat, ſicut infans hodie natus, heri non fuit natus. Et iterū poteſt eſſe aliquid quod modò eſt ſubiectum Dei ſcientiæ, & poſtea nō erit ſubiectum, quia eſſe deſijt: Sciuit namq; Deus ab æterno Chriſtum naſciturum; quod iam eum latet. Hanc propoſitionem, licet ab æterno ſciuerit, quia ab æterno vera

fuit,

fuit;iam tamen eum fugit,quia in æternum falſitatem obtinebit. Sic iſta ab æterno extitit falſa, Chriſtus eſt natus, vſq; poſt Chriſti natiuitatem, propterea ab æterno Deus eam neſciuit,& deinceps perpetuò eam ſciet,quia perpetuam habebit veritatem. Nequaquam tamen ex hoc credenda eſt aliqua mutatio,augmentatio,vel diminutio in Dei ſciētia: Sed ex parte obiecti producti, hoc eſt creaturæ, in qua mutatio cognoſcitur, ſecundum Auguſt. Scientia namq; Dei eſt vna & inuariabilis, ſicut vlna eadem, varij menſurantur panni, nec tamen ad variationem pannorum menſuratorum, variatur vlnæ menſura;ſic ſe res habet in Deo. Poteſt igitur Deus hac viſionis quæ dicitur ſcientia, plura ſcire quàm ſcit,quippe qui ſcit ea quæ ſunt duntaxat, erunt vel fuerunt, Thom. Secunda ſcientia,dicitur approbationis,quę ſe tantummodò ad diuinæ voluntatis beneplacitum extendit, Hæc eſt bonorum, hacque malis ac fatuis virginibus Chriſtus dicturus eſt, Necio vos;quod eſt,non approbo vos,ſed reprobando relinquo; hæc ſcientia haud dubiè poteſt eſſe plurium. Tertia ſcientia dicitur intelligentiæ, qua Deus cognoſcit omnia, non ſolùm creata & creanda; verumetiam omnia poſſibilia & imaginabilia,falſa perinde atque vera;quæ ſcientia,nequit eſſe plurium. Hinc Auguſt. Vna eſt ſapientia Dei, in qua ſunt immēſi & infiniti theſauri. Et Regius Pſaltes, Magnus Dominus noſter,& magna virtus eius,& ſapientiæ eius non eſt numerus. Superuacaneum hic non arbitror,indicandum fore,Triplicem eſſe rerum futurarum differentiam, propter eos qui Deum mali authorem aſſerere non pertimeſcunt, quales fuerunt Florinus & Blaſtus, ſecundum Euſeb. Auguſt. Gnoſtici, Cerdoniani, Manichæi, Seleuciani, Hermiani, Lutherani atque Caluiniſtæ, qui dixerunt Dauidis adulterium, Iudæ proditionem, non minus eſſe opus Dei, quàm Pauli vocationem: Quædam enim ſunt, quarum Deus eſt tota cauſa, per voluntatem; vt ſunt creaturæ Dei, earumque creatio. Secundò, quædam ſunt, quarum non Deus, ſed creatura eſt tota cauſa per voluntatem, ſed deprauatam, vt ſunt peccata. Tertiò quædam ſunt, quarum Deus ſimul & creatura ſunt tota cauſa, licet Deus ſit principalior, vt ſunt moralia bona, & opera pietatis, quæ Deus nobis cooperantibus, in nobis operatur. Pro manifeſtiori tamen prædicti erroris refutatione; non ignorandum ſecundum D. Ioannem Damaſcenum, duplicem eſſe malorum ſpeciem, culpæ videlicet & pœnæ. Horum duorum ſimul malorum, meminit ſcriptura, Hierem. 18. Si pœnitentiam, inquit, egerit gens illa à malo ſuo, agam & ego pœnitentiam ſuper malo, quod loquutus ſum contra illam, vt facerem. Et ite-

Lib. 10. de ciuit. Dei c. 12.
Lib. 11. ca. 4.
Et Tract. 19. in Ioannem.
Triplex ſciētia
1. part. queſt. 14. art. 15.
Sciētia approbationis.
Matth. 25.
Luc. 13.
Scientia intelligentiæ.
Lib. 11. de ciuit. Dei c. 10.
Pſalm. 146.
Error hæreticorum.
Lib. 5. Eccleſ. hiſtor. ca. 20.
Lib. ad Quoduultdeum, hæreſ. 66.
Hæreſ. 6.
Hæreſ. 21.
Hæreſ. 46.
Hæreſ. 59.
Lib. 1. Inſtit. ſuæ cap. 18. ſect. 2. & 3.
Triplex rerum futurarū differentia.
Lib. 4. cap. 20 orthod. fid.
Duplex malū, culpa et pœna.

Et iterum: Dereliquerũt Dominum, propterea adducet Dominus super illos malum. Hîc derelinquere Dominum, est malum culpæ, puniri; est malum pœnæ. De priori malo, cul-
Genes 8. pæ scilicet & peccati, seorsum habet scriptura alia, Sensus & cogitatio humani cordis, ad malum prona sunt, id est, ad pec-
Malum culpæ 2. in se complectitur. catum; Quod malum, duo in se complectitur, auersionem à summo bono, & conuersionẽ ad commutabile bonum. Hinc dicitur Hierem. 2. Duo mala fecit populus meus, me dereliquerunt fontem aquæ viuæ, & fecerunt sibi cisternas dissipatas, &c. Horum malorum, vel huius peccati, Deum nõ esse
Lib. 2. Reip. authorem, non solum perspicuum est ex Platone, qui iussit huiusmodi criminatores ciuitate extrudi, sed etiam ex sacris
Genes. 6. literis, Videns, inquit, Deus quod multa malitia hominum esset in terra, pœnituit eum quod hominem fecit in terra. Et
Esa 1. iterum: Auferte malum cogitationum vestrarum ab oculis
Sapient. 14. meis. Item: Odio sunt Deo impius & impietas eius. Et: Non
Psalm. 5. Deus volens iniquitatem tu es. Et: Iniquos odio habui. Et
Psalm. 118. expresse dicit Oseæ 13. Perditio tua ex te Israël. Et: Vos ex
Ioan. 8. patre diabolo estis. Deus intentator malorum est. Et: Con-
Iacob. 1. cupiscentia carnis & praua desideria non sunt à Deo. Idem
Hebr. 6. comprobant prisci patres ex prælibatis scripturis varijs in locis. Quo patet, quòd causa iniquitatum, in nos authores referenda sit, in Deum verò nequaquam; cùm ipse etiam latis
Lib. 22. de ciuit. Dei ca. 1. legibus contraria fieri mandarit, vti docet August. Theodor. Thom. Et beatus Athanasius oratione contra idola, nõ pror-
Lib 1. contra epist. 2. Pelag. cap. 6. De eccles dog. c. 57. Tract 42. & 44. in Ioan. Lib. 3. de lib. arbit. cap. 8. Epist. 20. ca. 19. ad Honor. Lib. Græcarũ affec. 5 de natura hom. 1. & 2. quæst. 79. art. 1. sus incongruum ad idem adstruendum profert exemplum; Nullum malum, inquit, nec à Deo, nec in Deo, nec ab initio extitisse, neque vllam esse eius substantiam constat. Sed homines comminisci cœperunt, finxeruntque pro libidine, ea quæ non erant: vt enim, si quis Sole præsente, & vniuersum hemisphærium nostrum suo iubare illustrante, cõniueat oculis clausis, ac inde tenebras quæ nullæ sunt, animo fingat; ac postmodum quasi in tenebris ambulans oberret, vt nunc labante gradu procidat, nunc ad præcipitia sese incitet, arbitratus interim, non lucem, sed tenebras esse, seseque intueri, cùm nihil videat; ita quoque mens humana clausis oculis, quibus Deum contemplari poterat, effictis suę imaginatione malis, in ijs sese agitet inscius, interim se nihil agere, dum se maximoperè negotiosum præbet? Non enim qualis in principio condita fuit, permanet, sed qualem se contaminando
Simile. reddit. Et Concil. Trident. Si quis dixerit non esse in pote-
Sess. 6. can. 6. state hominis, vias suas malas facere; sed mala opera, ita vt bona operari Deum, non permissione solùm, sed etiam propriè & per se; adeò vt sit proprium eius opus, non minus proditio Iudæ, quàm vocatio Pauli; anathema sit. Secundum

malum

malum dicitur pœnæ; huius generis sunt mors, tribulatio, & id genus alia. De hoc malo dicitur, Sufficit diei malitia sua. Huius causa effectiua, dicitur Deus, contra Collutianos, qui negarunt Deum huius mali pœnæ authorem, teste August. Isidor. Cùm apertè istud doceat scriptura, Ego Deus creans pacem, & faciēs malum. Et: Non est malum in ciuitate, quin faciat Dominus. Et iterum: Bona & mala, vita & mors, paupertas & honestas à Deo sunt: Hanc veritatem corroborat vniuersa orthodoxorum scriptorum vetustas. D. enim Hieronymus in locum: Declina à malo & fac bonum, huius mali culpæ meminit idem in epist. ad Celeutiā, & tom. 4 de laude virginitatis, & in lib. Sent. Prosperi, sent. 98. Chrysost. homil. 10. in Matth. & homil. 16. in epist. ad Ephes. Chrysost. homil. 6. in 2. ad Timoth. in illud 1. Esa. Auferte malum cogitationum ab oculis meis. & homil. 36. ad populum Antioch. Gregor. 3. parte pastoralis curæ, admonit. 31. Bernard. epist. 42. *Malum pœna.* *Matth. 6.* *Haeres. 25.* *Lib. 8. Etym. cap. 5.* *Esaiæ 45.* *Amos 3.* *Ecclesi. 11.*

Quid verò sit hoc malum culpæ, cuius dicimus Deum non esse authorem, operæprecium scitu est, quòd Manichæi ponebāt malam aliquam naturam, vt refert August. (qui 9. annis adhæsit erroribus Manichæorum, vt de seipso refert, lib. de moribus Ecclesiæ Cathol. cap. 18.) & tunc sensit aliquam esse naturam malam ante conuersionem, vt lib. 5. Confess. cap. 10. refert suam opinionem de natura mali, quam tunc asserebat. Sed post conuersionem contrarium docuit, vt liquet lib. de vera relig. cap. 20. nimirum, nullam esse mali naturam, sed quod omnis natura & substantia bona est, vt docet Enchir. cap. 11 de fide ad Petrum cap. 21. vbi docet malum non esse naturam, sed præuaricationem boni, quòd propriè & absolutè non est, vt docet Basilius, homil. quod Deus non est causa malorū, quod malum culpæ definiens obscurè Epiphanius hæres. 44. & 66. sic ait: Malum nunquam erat, neque radix maliciei vnquam fuit, neq; in substantia malum existit; verum inductitium per occasionem vnicuique facienti malum inest, non facienti non inest. Et D. Gregorius in locum Esa. 45. citatum: Non, inquit, mala quæ nulla sui natura subsistunt, creantur à Domino, sed creare se mala Dominus iudicat, cùm res benè creatas, nobis malè agentibus in flagellum format, vt ea ipsa & per dolorem quo feriunt, delinquentibus mala sint: & per naturam qua existunt bona. *Malum culpa quid?* *Lib. 1. Retrac. cap. 9.* *Li. 8. de Gen. ad lit. c. 14. & lib. sent. Prosp. sentent. 176. 227. 285.*

Et cùm constet Deum non esse authorem huius mali culpæ, vt prius demonstrauimus: & cùm sit in rerum natura, vt priuatio boni, profuerit sciuisse vnde sit. August. lib. 1. Retract. cap. 9. & lib. Confess. cap. 3. fatetur se multum in hoc negotio laborasse. Verùm sciendum est, malum hoc exortum esse ex malo arbitrio illius angeli mali, de quo legis Ioan. 8. Diabolus *Malum culpa vnde?*

bolus mendax est & pater eius, vt Hierony. in 14. cap. Esa. itaque est pater mendacij fons & origo, Vbi nomine mendacij intelligitur omne peccatum, quod ab essentia diaboli dinoscitur diuersum (per eius) intelligitur aliquid diabolo proprium, quod nõ est eius natura, scilicet peccati, quod est malum culpæ, quanquam Epiphan. hæres. 38. & 40. interpretetur locum illum Ioannis de Iuda, quòd Iudax mendax esset & pater eius, id est diabolus, sed hunc sensum non videtur habere scriptura. Malum etiam culpæ ex hominis malo vsu liberi arbitrij prouenit, de quo intelligitur citatus locus Ozeæ 13. Perditio tua ex te Israël; alij legunt ex tua, id est, tuum est quod malum exortum est ex libero voluntatis arbitrio, vt August. Improba, inquit, voluntas omniũ malorum est causa. Et lib. de moribus Manichæorum vsque ad cap. 11. disputat vnde sit malum. Item in lib. contra Fortunatum. Si igitur malum istud ortum est ex lib. arbitrio angeli vel hominis, ortum est ex bono, non quidem summo bono, quod Deus est, sed ex lib. arbitrio, quod est Dei donum, & ideo bonum est, quod malum fit, teste August. dicit esse Dei donum, sed tale quo vel benè vel malè vti possumus: & ideo medium bonum est, eius enim vsus malus peccatum est, eius verò bonus vsus, virtus: vti docet August. Proinde affirmat in Enchirid. cap. 13. & 14. hic regulam Dialecticorum non habere locum, qua dicitur, Contraria non possunt eidem simul inesse, quia vt docet lib. 83. quæst. q. 16. bonum potest esse sine malo non contra. Et lib. 1. contra Iulianum cap. 3. malum est ex bono mutabili non summo. Deus verò cùm mali culpæ non sit author, iustus tamen & omnipotens est ordinator; præuidet enim omnia peccata, quamuis eorum non sit author, sed peccata facientes Deus ordinat inuestigabili suo iudicio, teste August. lib. de anima & eius origine cap. 7. Et dicit Deum benè vti nostris malis voluntatibus. Non est igitur vnde ad hominem peruenerint peccata, interrogandum, aut quæ prauitas diuini instituti regulam ad peiora detorserit, cùm sit ad iustitiam genitus, opera tamen efficiat iniusta: nam vt doctè respondet Lactant. Deus cùm formasset hominem veluti ad simulachrum suum, quod erat diuini opificij summum, inspirauit ei sapientiam soli, vt omnia imperio ac ditioni suæ subiugaret, omnibusque mundi commodis vteretur, proposuit ei tamen bona & mala, quia sapientiam dedit, cuius omnis ratio in discernendis malis ac bonis posita est. Non potest enim eligere quisquam meliora, & scire quod bonum sit, nisi sciat simul reijcere ac vitare quæ mala sunt. Inuicem enim sibi alterutrum connexa sunt, vt sublato alterutro, vtrunque tolli sit necesse. Propositis igitur bonis

Lib. 1. Retrac. ca. 9. & lib. 1. de lib. arb. cap. 11. li. 3. c. 17

Volũtas mala, causa est mali.

Et lib. 83. q. q. 24. & lib. 12. de ciuit. Dei, cap. 6.

Malum, ortũ habet ex bono.

De spir. et lit. cap. 35. Et li. 1. contra Iul. cap. 3.

1. Retract. c. 9

Deus malum culpæ in bonũ ordinat.

Lib. de ordine ca. 6. & 7.

Lib. de ira Dei, ca. 13.

bonis malisque, tum demum opus suum peragit sapientia, & quidem bonum appetit ad vtilitatm, malum reijcit ad salutem. Nam si malum nullum sit, periculumque, nihilque denique quod lædere hominem possit, tollitur omnis materia sapientiæ, nec erit homini necessaria. Positis enim tantummodo in conspectu bonis, quid opus est cogitatione, intellectu, scientia, ratione? quocunque porrexerit manum, id naturæ aptum & commodum sit: vt si quis velit splendidissimam cœnam infantibus, qui nondum sapiunt, apponere, vtique id apperent singuli, quo vnumquemque aut impetus, aut fames, aut etiam casus attraxerit: & quicquid sumpsetint, id illis erit vtile ac salubre. Quid igitur nocebit, eos si curi sunt, permanere, & semper infantes ac nescios esse rerum? Si autem admisceas vel amara, vel inutilia, vel etiam venenata: decipiuntur vtique per ignorantiam boni ac mali, nisi accedat his sapientia, per quam habeanr malorum reiectionem, bonorum delectum. Vides ergo magis propter mala, opus bonis esse sapientia, quæ nisi fuisset proposita, rationale animal non essemus. Idem Lactan. varijs exẽplis probat.

Delectus boni & mali, radix est meriti.

Paradigma quomodo astruit mali cognitionem esse necessariam.

Lib. de ira Dei, cap. 15.

De diuina dilectione, & electione.

CAPVT XVII.

DEVS qui est summa iustitia, iniquitatem, quam in omnibus nobis conspicit, amare non potest. Vnde habemus quòd odio Dei digna sit; Proinde secundum corruptæ nostræ naturæ, & accedentis prauæ vitæ, respectũ; in offensione Dei, reuera sumus omnes in cõspectu eius, rei, & ad gehennæ damnationem, nati; verùm quia Dominus quod suum est, in nobis perdere non vult; adhuc inuenit aliquid, quod pro sua benignitate amet; vtcunq; enim peccatores vitio nostro sumus, manemus tamen eius creaturæ; vtcunq; mortẽ nobis asciuerimus, ipse tamẽ ad vitã nos condiderat, sic meta & gratuita nostri dilectione excitatur ad nos. Cùm autem perpetuum, & irrecõciliabile dissidium sit, inter iustitiam & iniquitatẽ; quamdiu peccatores manemus, suscipere nos totos non potest. Itaque vt sublata omnis simultatis materia, nos sibi prorsus recõciliet, proposita in morte Christi expiatione; quicquid in nobis mali est, aboler, vt iusti in eius cõspectu & sancti appareamus, quia antea immũdi eramus & impuri. Proinde sua dilectione præuenit, & anteuertit Deus Pater nostram in Christo reconciliationem, ac prius diligit, vt postea nos sibi reconciliet, Sed quia in nobis, donec sua morte succurrat Christus, manet iniquitas, quæ Dei indignationẽ meretur, & est corã eo maledicta & dãnata; non

1. Ioan. 4.

ante

ante plenam,firmamque cum Deo habemus cōiunctionem; quàm vbi nos Christus coniungit. Adeoque si Deum nobis pacatum ac propitium volumus polliceri, in Christum oculos menteśque defigere conuenit;vt reuera per ipsum consequamur remissionem peccatorum,quorum deletio,iram Dei

Ephes.1. remouet. Itaque hac ratione dicit Paulus eam dilectionem, qua nos ante mundi creationem cōplexus est Deus,in Christo constitisse fundatam. Hæc perspicua sunt, & scripturæ consentanea,locośque illos optimè inter se conciliant, vbi di-

Ioan.3. citur,Deum suam erga nos dilectionē in eo declarasse, quod vnigenitum filium in mortem dederit, & tamen fuisse ini-

Roman.5. micum, antequam morte Christi in gratiam reductus esset. Verùm quò firmiora sint apud eos, qui veteris Ecclesiæ te-

Lib. 13. de Trin.c.16.& Tract. 11. in Ioan. stimonia etiam requirunt,citabo locum Augustini,vbi idipsum docetur: Incomprehensibilis,inquit,ac immutabilis est Dei dilectio,non enim ex quo ei reconciliati sumus, per sanguinem filij eius,cœpit nos diligere, sed ante mundi constitutionem dilexit nos, vt cum eius Vnigenito etiam nos filij eius essemus,antequam omninò aliquid essemus. Quod ergo reconciliati sumus per mortem Christi;non sic accipiatur quasi ideo nos reconciliauerit ei filius,vt iam amare inceperit,quod oderat:sed iam nos diligēti,reconciliati sumus;cum quo,propter peccatum,inimicitias habebamus. Quod verùm

Rom.5. verum dicam, attestabitur Apostolus: Commendat,inquit, dilectionem suam erga nos, quoniam cùm adhuc peccatores essemus;Christus pro nobis mortuus est. Habebat itaq; erga nos ille charitatē,etiam cùm inimicitias aduersus eum exercentes, operaremur iniquitatem. Proinde miro & diuino modo,& quando nos oderat,diligebat;oderat enim nos,quales ipse non fecerat, & quia iniquitas nostra, opus eius, non omni ex parte consumpserat; nouerat simul in vnoquoque nostrum, & odisse quod feceramus, & amare quod fecerat. Cùm igitur ista dilectio Dei æterna, secundum scripturas,&

Tract.110.in Ioan. D.August.in diuina mente existat; sciendum est etiam,electionem esse in Deo, quæ quosdam, vt ad salutem æternam perducat; præsupponit hanc in Dei voluntate, dilectionem,

1.2.quæst.23 art.4. teste D.Tho. & Bonauent. Qua homines sic dilexit, vt velit eos perducere ad regnum cælorum. Sicut namque prædesti-

Distinct 40. lib.2.art.2. natio præsupponit electionem;ita electio dilectionem: quia prædestinatio est pars prouidentiæ,qua aliqua ordinantur in finem. Nihil autem ordinatur, nisi præexistente voluntate finis. Vnde prædestinatio aliquorum ad æternam salutē præsupponit,quod Deus illorum velit salutem,quod est dilectionis & electionis:dilectionis quidem,inquantum vult eis hoc

Diligere quid? bonum salutis, Diligere namque est alicui bonum velle: Electio-

Electionis, inquantum hoc perpetuæ salutis bonum, aliquibus præ alijs vult. Licet ergo electio, cum prædestinatione in Deo inseparabiliter coniungatur; nihilominus tamē electio, natura & ratione prædestinationē præcedit. Primum siquidem intelligimus, Deum velle alicui æternam vitam, quam præ alijs secundum misericordiam suam magnam prælegit. Deinde, intelligimus eum disponere certa quædam media, quibus sic electum ad salutem dirigat, quod est prædestinationis: Hęc autem electio huius, prę alio; non fit ob prǽmissæ fidei meritum, vt D. August. sensisse videtur aliquando, licet palinodiam cecinerit, quia Deus nullum dignum eligit, sed eligendo dignum efficit.

Differentia inter electionem & prædestinationem.

Aug. lib. 1. ad Simplic. q. 2. Lib. 1. Retrac. cap. 9. & 23. Lib. de correp. & gra. cap. 7. De prædestin. et gra c. 5. 16

De prædestinatione diuina. CAPVT XVIII.

QVanquam tractare de prædestinatione Dei, sit res magnis labyrinthis obnoxia, & intricatis perplexitatibus inuoluta, & proinde acerrimis ingenijs operosa; non ita passim est rudioribus & simplicioribus proponenda, secundum August. de prædestinatione Dei, imò nec prædicanda quidem, Tamen cùm partiū nostrarum sit, vel pauca hac de re proponere, videaturque filum nostri instituti hoc ipsum postulare; cum timore & tremore, quæ nota sunt; (abdita quæque sacramenta diuinis secretis commendanda, missa facientes) declaremus: Melior siquidē est fidelis ignorantia, quàm temeraria scientia.

De prædestin. sanct. cap. 16. 17. & 18. Lib. 5. contra Iulia. cap. 3. De prædestin. sanct. cap. 21. Cap. 1. De bono perseuer. cap 20. 21. & 22.

γνώμη memorabilis.

Quid, & quorum sit prædestinatio? CAPVT XIX.

NON est ignorādum duplicem esse prędestinationem, alligationis nempe & conditionis, teste B. Aug. Vt lucidiori methodo hæc prosequamur, neminem fugere arbitramur, Deum creasse cælum & terram, Solem, Lunam, diem ac noctem, prędestinauit autem cælum perpetuo motu cieri, terram autem immobilem circumnoluenti cælo, vice centri haberi, Ista est prædestinatio quæ dicitur alligationis. Vnumquodque enim illorum, alligatum est suo operi, per diuinæ prædestinationis constitutionem, vt ab eo diuelli, aut ordinantis intētioni refragari nequeat. Creauit autem Deus & hominem, & prædestinauit, vt si diuina iussa capesseret, atque à fructu pomi noxialis, abdomen insatiabile refrenaret; perpetuo diademate coronatus, regnaret. Sin autem; perpetuas daret pœnas. Hæc conditionis dicitur prædestinatio, quæ significat diuinam essentiam, tanquam gratiæ & gloriæ causam, quantum est de se, non solùm importat scientiam,

August. lib. 1. contra aduers. legis cap. vlt.

Duplex prædestinatio.

Lib de prædest. ca. 2.

Genes. 1.

sed etiam voluntatem atque potentiam. Cùm autem causalitas gratiæ & gloriæ, principaliter attribuatur voluntati, tanquam causæ efficienti; scientiæ tanquam disponenti; potentiæ, vt exequenti; nascitur eius triplex descriptio. Prima est in genere voluntatis, quæ sic describitur, Prędestinatio est propositum miserendi, teste August. Secunda, respicit scientiam disponentem; Estque hæc, prędestinatio præparatio beneficiorum Dei, quibus certissimè liberantur, quicunque liberantur. Tertia, concernit potentiam exequutiuam, ideo dicitur prædestinatio hac acceptione, gratiæ præparatio. Non est autem descriptio adæquata quam ponit D. Fulgentius, qua prædestinationem arbitratur esse operum præparationem, quæ Deus in æterna sua dispositione, misericorditer aut iustè se facturum præsciuit. Quia generaliter etiam impiorum supplicia comprehendit, cùm prędestinatio duntaxat sit bonorum, nefas est dicere, inquit D. August. Deum aliquid, nisi bonum prædestinare, hæc, dicitur à præuidendo, vel præordinando aliquod futurum. Ideoque Deus, cui præscientia non accidens est, sed essentia fuit, & est iugiter: quicquid etiam fit, antequam fit, præscit, atque prædestinat, & propterea prædestinat, quia quale futurum sit, præscit; non tamen omne quod præscit, prædestinat: malum namq; tantùm præscit, & non prædestinat; bona verò & præscit, & prędestinat. Nequaquam tamen intelligendum est Deum aliquid passiuè in prædestinato constituere, secundum D. Tho. Sed sicut humanus obtutus in parietem defixus, nihil in eo constituit, cùm prædestinatio sit actio immanens, & ordinis ratio aliquorum ad salutem, in mēte diuina existens; nec aliquid immittit in prædestinatum, sicut ignis transmittit in sibi assidentem calorem; nihilominus huius ordinis exequutio, passiuè fit in prædestinato.

Triplex prædestinationis descriptio, vnde? De prædestin. sanct. cap. 3. De bono perseuer. cap. 14. De fide ad Petrum cap. 35. In princip. li. 2 ad Monimū. Definitio Fulgentij, non est adæquata. Li. de prædest. Dei, cap. 1. Lib. 6. contra art. falsò sibi impositos. Prædestinatio bonorum, malorū non item. 1. part. q. 23. art. 2.

An aliqua sit prædestinationis causa?

CAPVT XX.

CONSIDERATIONE opus habet quæstio, An sit aliqua causa, ob quam Deus aliquem ab æterno prædestinet, profectò hæc mala cognoscitur esse descriptio; Prædestinatio est sempiterna voluntas, qua Deus vult alicui vitam dare æternam, propterea, quòd præuiderit infallibiliter, bona illius hominis opera; & finalem bonæ vitæ statum, in quo est moriturus. Quia Pelagiani, teste August. hanc descriptionem bonam opinantes, docuerunt eos quos credituros pręsciuit, & in fide rectè victuros, per liberum voluntatis arbitrium esse ad regnū cęlorum prędestinatos, quia

Lib. ad Quoduultdeum, hæres. 88.

cos

eos nouit sua æterna præscientia, ex hoc corporis ergastulo, fideles decessuros. Vt autem illud enucleatius disputare valeamus; notandum est, quosdam fuisse, qui dogmatizarunt, Deum in sua æterna prædestinatione, respexisse opera futura, atque hæc sententia prima facie non absurda, sed plausibilis, ac sacris literis aliqualiter consentanea videtur, quæ meritis, atque bonis operibus, vitam pollicentur æternam. Gaudete & exultate: quoniam merces vestra copiosa est in cælis. Venite benedicti patris mei, percipite regnum, Vbi & ratio non subticetur, Esuriui enim, &c. Ex his, & huiuscemodi alijs scripturæ locis, videtur prædestinatio esse propter præuisa opera. Quam sententiam, imò errorem comprobat Origenes, qui existimat vniuersa hæc fieri, & dispensari, secundum merita in alio seculo acquisita; atque patriarcham Iacob, docet ob merita in alio seculo consequuta, antequam istas carperet auras, electum fuisse. Verùm ista sententia multipliciter deficit, quia prædestinatio nullam permittit causam aut meritum, teste Apostolo, qui pronuntiat, nos iustificatos gratis, & vocatos vocatione sua sancta, non secundum opera nostra, sed secundum propositum suum & gratiam quæ data est nobis in Christo Iesu ante tempora secularia. Et iterum: Non ex operibus iustitiæ quæ fecimus nos, sed secundum misericordiam suam saluos nos fecit. Et alibi: Elegit nos ante mundi constitutionem, non quia eramus sancti, sed vt essemus sancti. Et Paulus prædestinatus & segregatus fuit, vt sanctus esset. Sed ista segregatio bifariam accipi potest; Aut qua oues ab hœdis in nouissimo die segregabuntur, Aut qua Deus ab æterno prædestinando, segregat vnum præ alio. Certè priorem segregationem, non esse propter merita, adseuerare; redoleret hæresin Lutheranam. Atqui hæc æterna prædestinatio & segregatio, nullam causam habet meritorum; sed solam pientissimam Dei clementiam, & gratuitam eius bonitatem, testante Paulo, qui dicit: Volens ostendere diuitias gloriæ gratiæ suæ. Vnde Concil. Arausicanum: Ipse Deus, nobis nullis præcedentibus bonis meritis, & fidem & amorem inspirat; Cui adstipulatur generalissimum Concil. Tridentinum, nostro lamentabili seculo celebratum. Deinde error Origenis à Paulo damnatur, quando dicit: Cùm nondum nati essent, aut aliquid boni aut mali egissent, vt secundum electionem, Dei propositum maneret; non ex operibus, sed ex vocante dictum est: Maior seruiet minori. Ex quo loco perspicuum est istos gemellos nihil boni aut mali egisse, antequam nascerentur, quod etiam comprobat D. Augustinus varijs in locis. Et Concil. Braccarense primum can. 6. Si quis animas

Opera nostra, non sunt prædestinationis causa.

Matth. 5. Matth. 25.

Lib. 2. Periarchon cap. 9.

Rom. 3. 2 ad Tim. 1. Titum 3. Ephes. 1. Galat. 1.

Duplex segregatio.

Matth. 25. Roman. 8. Canon. 25. Sess. 6. can. 5. & 8. Roman. 9. Genes. 25. & Malach. 1.

Li. 1. ad Simplic. q. 2. Lib. 2. cõtra Pelag. & Celest. de peccat. origine, cap. 31. De prædestin. sanct. li. 1. ca. 18. De grat. et lib. arb. cap. 7. Tract. 8. in Ioann. Epistola 105. ad Sixtũ. Et epist. 106. ad Paulinum.

humanas, dicit prius in cælesti habitatione peccasse, & ob hoc, in corpora humana in terrã deiectas, sicut Priscillianus dixit;anathema sit. Fuére & alij,qui nõ opera,sed fidem præuisam,dixerunt prædestinationis causam, In quo errore fuit sanctus Augustinus ante Episcopatum, vt manifestum euadit ex libro expositionum quarundam propositionum, epistolæ ad Rom.6. Non elegit, inquit Deus,opera cuiusquam in præscientia,quæ ipse daturus est,sed fidem in præscientia, vt quem sibi crediturum esse præsciuit, ipsum elegerit, cui Spiritum sanctum daret. Verùm hanc sententiam, ceu erroneam,retractauit. Nondum,inquit, diligentius quæsieram, nec adhuc inueneram,qualis sit electio gratiæ, de qua Apostolus ad Rom. 11. cap. dicit,quòd reliquiæ per electionem gratiæ saluæ factæ sunt; Ex qua sententia,liquet,quod fides gratis detur: est enim donum Dei, Qui prædestinauit nos in adoptionem filiorum per Iesum Christum in ipsum, secundum propositum volũtatis suæ,in laudem gloriæ gratiæ suæ. Et alius quidam, Cui occulta sapientiæ suæ manifestârat: Pro nihilo saluos facies eos. Vnde Paulus appositè adducit paradigma figuli,super quo sic habet Ambrosius: Quemadmodum figulus, vasa eiusdem massæ eiusdemq; substantiæ. facit differẽtia,vt alia sint in honorem, alia in contumeliam, quæ sola differunt voluntate artificis; In potestate namque eius est,vel tale,vel tale vas condere; ita & Deus,inquit,omnes ex vna massa eademq; cùm simus, & cuncti peccatores, vnius miseretur, & alterum despicit; sed hoc non sine iustitia,scit enim,cuius debeat misereri. Qua sententia est compertissimum,nos omnes peccatores,nec meritis,aut fide; sed sola miserentis Dei clementia,vnum segregari, vt sit vas misericordiæ; alterum despici, quatenus vas iræ permaneat. Tertio,quorundam fuit opinio,quod gratię bonus vsus,esset causa prędestinationis, vt illis Deus constituisset gratiã suam communicare,quos præsciuisset benè illa vsuros: quẽadmodum si rex prouidus,in prælio eum donaret equo,quẽ nosset strennuè illo bellaturum, illique aciem concrederet, quem existimaret constanter propugnaturum, teste Prospero. In qua opinione complures fuisse leguntur in epist. Prosperi ad D. August. licet scripturis refragetur, vti ex præmissis manifestum euadit. Ac etiam, nihil potest esse comparatione eiusdem, causa & effectus; Cùm autem opera sint prędestinationis effectus,quia in illa includũtur, nequaquam possunt existere causæ; Prædestinatio namq; est destinatio ad finem vltimum,quem naturæ viribus consequi nequimus, & proindè quodcunq; medium illuc producit,effectus est ipsius prædestinationis. Si autem Deus prædestinaret ob gratiæ bonum vsum;

Vides, non est prædestinationis causa.

Lib.1.Retrac. cap.23.

Li.1 ad Simplician q 2.

De prædest. sanct. cap.3.

Ephes.1.

Psalm.55.

Rom.9.

Gratiæ bonus vsus, non est causa prædestinationis.

Lib.1. de vocatione Gentiũ c.5. & 7.

vsum;sequi videretur necessario,quod ipse nos diligeret,quia præuidit nos ipsum dilecturos: quod quàm sit diuinis eloquijs aduersum,nemo est qui non videat;potissimùm si Ioãnis & Pauli Apostolorũ testimonia attendat, In hoc quippe est charitas, non quasi nos dilexerimus Deum, sed quoniam ipse prior dilexit nos. Quis prior dedit illi & retribuetur ei? Et alio loco: Elegit nos ante mundi constitutionem, vt essemus sancti;nõ ait,quia præuidit nos sanctos,aut gratia benè vsuros,sed vt essemus sancti. Cui consentaneum est verbum Christi: Non vos me elegistis,sed ego elegi vos. Denique si hanc operum & boni vsus gratiæ,in ratione prędestinationis præuisionem,cognouisset Paulus; profectò recordatus fuisset, quando Esau à Iacob discreuit, Et quando Israëlitas à Gentibus discriminauit,nec in talem exclamationem: O altitudo diuitiarum,sapiẽtiæ & scientiæ Dei prorupisset. Nec his obstat beati Petri Apostoli sentẽtia: Satagite,vt per bona opera,certam vestram vocationẽ & electionem faciatis; quia non vult absolutè opera esse causam prædestinationis, sed solùm causam, per quam Deus instituit ipsum exequi; quibus tanquam medijs vtitur, vt nos ad prædestinatum finem perducat.Nec etiam obstant quæ ex Origine contra prę missam veritatem adferri possint,Super illud Rom.9; Cuius vult miseretur. Et ex Chrysostomo, super illud, Cùm nondum nati essent. Et ex prologo sancti Hieronymi in Malachiam, Necnon ex diuo Ambrosio, super, Miserebor cuius misertus,&c. vbi sic habet, Et misericordiam dabo,quem præsciui recto corde, ad me reuersurum. Et paulò post, Eum vocat quem scit obaudire, & eum non vocat, quem sciuit minimè obaudite. Qui patres,præfatis locis,videntur docete,propter opera præuisa esse prædestinationem. Sed intelligendi sunt, quantum ad vltimum prædestinationis effectum,secundum D.Thom.quem in adultis præcedunt merita, quæ sunt causa,non prædestinationis, sed effectus eius, nimirum glorificationis; Vel si intelligatur de prima gratia, tunc præuisa opera,licet non sint prędestinationis causa,sunt tamẽ dispositiones;Haud tamen ita,vt præuisio sit causa prædestinationis ad gratiam;sicuti nec opera ipsa,sunt eiusdem causa gratiæ;sed quod præuisa,veluti præparamenta ad primum iustificationis effectum.

1.Ioan.4. & Roman.9.
Ephes.1.
Ioan.15.
Roman.9.
Roman.11.
Occurrit tacitæ obiectioni.
2.Petr.1.
Lib.2.Periarchon cap.9.
1 part. q.23. art.5.

An prædestinatio sit certa,& infallibilis;ita vt nullus prædestinatorum queat damnari? CAP. XXI.

PRO huius quæstionis pleniori decisione neminẽ latere oportet,hîc exutisse hęresim Ioannis Hus,dicentis,gratiam

Error Ioannis tiam prædestinationis esse vinculum, quo corpus,& quodli-
Hus. bet eius membrũ, iugiter Christo capiti,teste Concil.Con-
Sess.15.ca.2. stantien. tam inseparabiliter adhæret, vt Paulus aut similis
3.5.& 21. eius, nunquam fuerit membrum diaboli, licet fecerit actus
quosdam, actibus ecclesiæ malignantium,consimiles. Huc
pertinere videtur error Beguardorum, & quorundam nostri
temporis, constituentium hominem semel iustificatum; à
fide & gratia Dei semel percepta,non posse exorbitare,ac ex-
cidere. Verùm, aliud docuit communis fragilitas, in peccato
Dauidis,qui profectò prædestinatus ad vitam, miserabili ta-
2.Reg.11. men peccatorum sarcina collisus,perhibetur, quãdo in adul-
& 24. terij præcipitium lapsus, homicidij quoque crimen admisit,
denique & impotentis superbiæ fastu, intumuit turpiter,se-
Matth.26. seque extulit insolentius. Sic Petrus Apostolus in negatio-
nis baratrum præcipitatus legitur. Ergo illi qui sunt præde-
stinati,possunt esse,& ad tempus permanere in peccato;quia
homo non fit per prædestinationem,ita immutabilis, & im-
peccabilis, quin per voluntatis vertibilitatem, queat delin-
Matth.27. quere,& in peccatis(quemadmodum latro ille) vsq; ad mor-
tem perseuerare. Hinc commonefacit nos Paulus, dicens:
Rom.11. Tu fide stas,noli altum sapere. Et alibi 1.Corinth.9. Castigo
corpus meum,& in seruitutem redigo;ne cùm alijs prædica-
Cap 10. uero,ipse reprobus efficiar. Et paulò post: Qui stat videat ne
Eccles.31. cadat. Et Sapiens quidam: Potuit transgredi,& non est trans-
Cõmune vul- gressus. Perperam ergo inferunt aduersarij non solùm nostri
gi argumẽtum temporis,sed & idiotæ,& plebei quos legimus tempestate D.
tẽpestate Aug. August.ita cauillatos. Si sim ad vitam æternam prædestina-
Lib. de bono tus, non est quòd me multum bona ac timorata vita reddat
perseuer.cap. sollicitum, infallibiliter enim eueniet, quod ipse sua æterna
14.& 15. prædestinatione disposuit; Quia prædestinatio Dei,non est
completa nostræ salutis causa,cùm etiam dependeat à nostri
arbitrij libertate. Cain enim præscitum cùm non ignore-
mus,& desperatione, damnationem incurrisse, omnibus sit
Genes.4. in confesso; nihilominus tamen dixit illi Dominus, Quare
iratus es, cur concidit facies tua? nónne si benè egeris reci-
pies? Ex qua sententia,clarum est, Deum promittere homini
ad damnationem præscito, præmium bonorum, si ea facere
minus recusasset; Si namque nouerimus à malo agere pœ-
Hierem.18. nitentiam,aget & ipse pœnitentiam, nec faciet quod loqu-
Ezech.33. tus est super nos. Vnde sanctus Hieronymus in Epitaphio
Fabiolæ. O fœlix pœnitentia,quæ ad se Dei trahit oculos,&
furentem Dei sententiam,confesso errore,commutat! Extat
autem paradoxum in sacra Theologia, Quod quicquid Deus
extra se velit,contingenter fieri cupiat;quò liquet,quòd præ-
destinatio,non inferat prædestinato,necessitatem: Quando
enim

enim aliquis effectus dependet ex cauſa neceſſaria & contingenti, tunc totus effectus denominatur à contingenti, vt habet Ariſt. Ex vna de neceſſario, inquit, & altera de contingenti, illata propoſitio non poteſt eſſe niſi contingens, quia, concluſio ſequitur partem præmiſſæ debiliorem, vt ſi homo eſt, animal eſt, animal contingenter eſt album, ergo homo contingenter eſt albus. Pari modo, prædeſtinatio dependet ex cauſa neceſſaria, prædeſtinatione Dei nimirum, & cauſa contingenti, id eſt, libero arbitrio, ergo prædeſtinatio quoad nos, eſt contingens; quia diuina voluntas non impedit modò, ſed permittit, vt homines prædeſtinati, perinde atque reprobati, liberè & contingenter agant, quæcunque ſub libero arbitrio agunt, & faciunt. Sic enim docet præclarum Eccleſiæ lumen ſanctus Auguſtinus: Cùm poteſtas datur, inquiens, non vtique neceſſitas imponitur; poſſunt igitur prædeſtinati etiam deficere, & in peccata præcipites ruere; propter diuinam tamen, eamque immutabilem voluntatem, cui ſubijciuntur, cuiuſque intentionem nequeunt euadere; non poſſunt in peccato mori & damnari, vtpote ad vitam cæleſtis patriæ, Dei benignitate prædeſtinati. Iſtud ſcholaſtici atque Doctores claſſici ad hunc modum efferre adſolent. Quod prædeſtinati, in ſenſu compoſito, nequeant damnari; licet in ſenſu diuiſo valeant reprobari; quatenus ſcilicet, de ratione prædeſtinationis cadunt, Sicut album, vt tale, nequit eſſe nigrum, & quamdiu quis ſedet, nequit ambulare. De his loquitur Ioannes, Hæc eſt voluntas, inquit, Patris mei, qui miſit me, vt omne quod dedit mihi, non perdam ex eo, ſed reſuſcitem illud in nouiſſimo die. Et in ſequentibus, Nemo rapiet eas, (oues ſcilicet meas) de manu mea. Et Paulus: Nouit Dominus qui ſunt eius. Et, quo nihil clarius dici poſſit, De ouibus iſtis, nec lupus rapit, nec fur tollit, nec latro interficit. Et alibi: Ex iſto numero electorum & prædeſtinatorum, etiam qui peſſimam duxerunt vitam, per Dei benignitatem adducuntur ad pœnitentiam; per cuius patientiam non ſunt huic vitæ, in ipſa ſcelerum perpetratione ſubtracti; vt oſtendatur & ipſis & cohæredibus eorum, de quàm profundo malo, poſſit Dei gratia liberare. Ex his nemo perit, quacunque ætate moriatur. Abſit enim, vt prædeſtinatus ad vitam, ſine ſacramento Mediatoris finire permittatur hanc vitam. Item alibi: Nouit Dominus qui ſunt eius. Horum fides quæ per dilectionem operatur, profectò aut omninò non deficit, aut ſi qui ſint, quorum deficit; reparatur antequam vita iſta finiatur, & deleta, quæ interea erat, iniquitate; vſq; in finem perſeuerantia deputatur. Et iterum idem Auguſt. Tract. 48. in Ioan. Et D. Proſper de vocat. Gent. cap. 1.

Lib. 1. priorũ par. 8. cap. 2.

Cõcluſio ſemper ſequi debet partẽ præmiſſæ debiliorem.

De ſpiritu & lit. cap. 31.

Cap. 6. & 10.

2. Tim. 2.

D. Aug. Tract. 48. in Ioan.

Lib. 5. contra Iulianũ, cap 3 Et 13. de Tri. cap. 16.

De corrept. & grat. cap. 7.

Secundum Dei præſcientiam & prædeſtinationem, quam multę oues foris,& quàm multi lupi intus,& quā multi lupi foris,& multæ oues intus. Et quid eſt hoc quod dixi? quàm multæ oues? &c. Quàm multi modò calumniantur & ſuggillant dogmata fidei, poſtea ad cor redituri, Quàm multi luxuriantur,caſti futuri!Quàm multi blaſphemant,in Chriſtum credituri!Qui tamen,quótve ſint prędeſtinati,Deo ſoli ſunt cogniti,adeò vt nec quiſquam illi numero, ſacratiſſima bonitatis diuinæ ordinatione,diſpoſito,adimatur; aut addatur,teſte Auguſt. Nobis tamē iſte fœliciſſimus numerus non eſt manifeſtus,quatuor potiſſimum de cauſis, Quarum prima eſt, quod ordo confunderetur. Secunda, vt quiſque ſedulò ſuæ inuigilet ſaluti. Tertia, ne reprobi ſui finis conſcij deſperent, ſicque plura faciendo mala, grauiores dent poſtmodum pœnas. Chryſoſt.& Auguſt. Quarta, ne ſaluandi intumeſcendo,ſe non prædeſtinatis præferant, quin potius ſub potenti manu Dei, humiliores fiant. Hinc Auguſt. Qualia de me,ô Domine,ſcripta ſint in libro conſiſtorij tui, ego ignoro; vnde valde timeo. Nullus ergo temerario auſu (vt habet Concil. Trident.) infallibiliter ſe accepiſſe iactitet, niſi ſibi manifeſtatum fuerit ſpecialiter,vt communiter creditur de ſancta Maria Magdalena,de qua dicitur,Quód optimam partem elegerit,quæque non debeat ab ea auferri. Et Paulo Apoſtolo: Sufficit,inquit Chriſtus, tibi gratia mea. Item de Petro Apoſtolo,Non deficiet fides tua. Necnon apud Ioannem Euāgeliſtam de eodem Apoſtolo Petro legitur: Tu autem cùm ſenueris,extendes manus tuas,& alius te cinget,& quo tu non vis,ducet. Hoc autem dixit Ieſus,ſignificans qua morte clarificaturus eſſet Deum.

De corrept. & grat. cap. 13. Tract 14. in Ioan. & epiſt. 105. ad Sixt. 4. de cauſis, numerus prædeſtinatorū, eſt nobis incognitus. Hom. 22. & 40. ad populū Antioch. Tract. 38. in Ioannem. De corept. & grat. cap. 13. Lib. Soliloq. ca. 26. & 28 Seſſ. 6. ca. 15. Luc. 10. 2. Corin. 12. Luc. 22. Ioan. 21.

Prædeſtinatio, an precibus iuuari queat?

CAPVT XXII.

QVæſtioni differēti, An prædeſtinatio precibus ſanctorum iuuari queat, Reſpondent Diui Bonauent. & Thom. Duo in hoc negotio conſiderantes, nempe, prædeſtinationem ipſam, & eius effectum: Prædeſtinatio ipſa, quia eſſentiam, & ipſum diuinæ voluntatis actum, à Deo ab æterno volitum, ſignificat, nequaquam iuuari valet; quia abſque intuitu meritorum & precum, Deus hominem prædeſtinat, vt ex ijs quæ hactenus dicta ſunt, cuique compertiſſimum eſſe poteſt. Nec Ezechias, Sua obſecratione mutauit, aut impediuit diuinam prædeſtinationem, & ſempiternam Dei voluntatem; ſed quod Deus ab æterno pręſciuit, & fieri voluit, in ipſo Ezechia voluntariè orante, fuit adim-

In 1. diſt. 40. In ſcript. ibid. Et 1. part. q. 24. art. 8. Duplex eſt prædeſtinationis reſpectus. Eſaiæ 38. & 4. Reg. 20.

adimpletum; Nam vita eius, quæ ſecundum inferiores cauſas, fuerat breuianda; ſecundum æternam Dei præſciētiam, & voluntatem, fuerat ad 15. annos proroganda; propter voluntariam eiuſdem Ezechiæ orationem, ab ipſo Deo ſimiliter præuiſam & ordinatam, teſte Gregor. Altero modo, conſiderari poteſt effectus prædeſtinationis, etſi non ſimpliciter omnis effectus, quia ſolus Deus dat gratiam, tamē quoad aliquem particularem effectum, iuuari poteſt. Prouidentia ſiquidem, cuius prædeſtinatio eſt pars, non ſubtrahit cauſas ſecundarias, ſed ſic prouidet effectus, vt etiam ordo cauſarum ſecundarum ſubiaceat prouidentiæ, & quemadmodum prouidentur naturales effectus, vt etiam cauſæ naturales ad illos naturales effectus ordinentur, ſine quibus illi effectus non prouenirent, Ita prædeſtinatur ſalus alicuius à Deo, vt etiam ſub ordine prædeſtinationis cadat, quicquid hominem promouet ad ſalutem, vt ſunt opera, preces, &c. non quaſi mutare valeamus immutabilem Dei voluntatem; ſed vt precibus nos ad ipſum trahamus, quatenus Dei prædeſtinatio in nobis perfectius expleatur, vti clariſſimis admodum exēplis dilucidat ſanctiſſimus pater Dionyſius Areopagita: Quemadmodum, inquit, ſi lucidiſſima cathena ex cęleſti ſummitate ſuſpenſa, & hucuſque protenſa, nos ſemper eam manibus alternis in anteriora porrectis capiamus, trahere quidē Deum videmur, re autem vera non illum ipſi deducimus, quippe quem ſupra infraque præſentem habemus, ſed ipſi magis, ad ſublimiores micantium radiorum fulgores, promouemur. Aut certè, quemadmodum ſi nauem ingreſſi, rudētes ex ſaxo quodam & rupe ad nos vſque porrectos teneamus, quippe quorum nitimur auxilio, non ſaxum ad nos, ſed noſipſos magis, nauimque ad rupem promouemus. Non ſecus precibus inſtamus, vt quod Deus æternaliter in nobis fore præuidit, & prædeſtinauit; compleatur per bona opera, certam facientibus vocationem. Hinc Gregorius generoſitate ſanguinis & ſanctitate vitæ inſignis. Ipſa cæleſtis regni prædeſtinatio, ita eſt ab omnipotēti Deo diſpoſita, vt ad hoc electi, labore peruenianti; quatenus poſtulando, mereantur accipere, quod Deus altiſſimus, eis ante ſecula diſpoſuit donare. Atq; exemplo ſcripturæ demonſtrat: Abraham, inquit, habuit varias de multiplicando ſemine promiſſiones, tamen ſcriptum eſt; Deprecatus eſt Iſaac Dominum pro vxore ſua, eo quòd ſterilis eſſet; qui exaudiuit eum, & dedit conceptum Rebeccæ, Si ſanctus Stephanus ſic non oraſſet, Paulum Eccleſia non haberet; Fortaſſis enim ſic ſunt prædeſtinati (inquit) vt noſtris orationibus concedantur, & accipiant eandem gratiam qua velint eſſe & efficiantur electi. Hoc ſenſu

De diuin. nomin. cap. 3.

Aptiſsima Dionyſ. Areop. ſimilitudines.

Lib. 1. Dialogor. cap. 8.

Geneſ. 17 18. & 22. & 25.

Cooperamur prædeſtinationi

Aug. ſerm. 1. & 4. de ſanct. & ſerm. 1. Apoſtolorum Petri et Pauli.

dictum existimo alibi ab eodem, Tract. 26. in Ioannem: Si non traheris, ora vt traharis.

Inquiritur quid operetur Prædestinatio qualiq́; fiat ordine. CAPVT XXIII.

CVIQVE debet esse persuasissimum, quòd operatio diuinæ prædestinationis, hoc fiat ordine, Vt primitus respiciat vltimum finem, hoc est, gloriæ collationem. Deinde, media ad talem finem proficientia: quemadmodum medicus primò vult graui paroxismo laborãti, finem, id est, sanitatem, deinde quærit media ad sanitatem optatam opportuna: Pari modo, Deus, prius prædestinauit Iacob ad vitam æternam, tum eidem contulit gratiam, adiuuando arbitrium & infirmitatem eius, vt ea exequeretur opera, quibus illuc perduceretur, secundùm Prosperum, lib. 2. de vocatione

Cap. 10. Gentium: Quicquid enim Deus facere decreuit, perficit ordinatissimè. Priùs igitur natura hominem ad gloriam ordinat, deinde præbet media, quibus illam adipisci queat, nimirum gratiam & bona opera, quæ sunt effectus gratiæ & causa gloriæ: Ex quibus perspicuum fit, quòd gloria, quæ est vltimus finis, sit quidem intentione prima; nihilominus in ratione exequutionis, est nouissima.

De Vocatione, primo Prædestinationis effectu. CAPVT XXIIII.

Descriptio vocationis. 1.2.q.113. art.1. *Lib.* 11. *Moral. cap.* 21. Roman. 10. *Duplex vocatio.* *Lib.* 28. *ca.* 2. *Moral.* *Subdiuisio.* Matth. 4. Ioannis 1. Actor. 9. Matth. 10. 28 Luc. 10. Ioan. 8. 2. Petr. 2 & ad Hebr. 11. 2. Paral. 33. 1. Corin. 2.

PRIMVS prædestinationis effectus dicitur Vocatio, quæ est auxilium Dei mouentis, & mentem ad deserendum peccata excitantis, secundùm Thom. Vel vocare Dei, est, amando & eligendo respicere, teste Gregor. Cùm autem primum Iustificationis fundamentum sit fides, quæ per auditum suscipitur, teste Paulo, & per gratiam Dei tenetur; Duplex nascitur Vocatio, externa & interna, secundum Gregor. doctissimè hac de re disserentem. Externa vocatione, rursum vocat Deus bipartito modo, aut per se, aut per nuntios: Per se vocare dignatus est Petrum, Andream, Philippum, Paulum. Deinde per nuntios, sed bifariam; aut per vocem animatam, aut inanimatam; Priori vocãrunt Apostoli & Prædicatores. Posteriori, exemplorum ab alijs factorum exhortationibus; Si filij Abrahæ estis, opera Abrahæ facite. Aliquando flagellis, quibus Manassen vocauit. Mala siquidem quæ hic nos premunt, ad Deum ire compellunt. Nonnunquam, promissionibus bonorum & premiorum. Nec oculus vidit, nec auris audiuit, &c. Si pueri

nucibus

nucibus oblectari, & oues ramo viridi tractæ, pastorem sequantur, teste August. quanto magis quibus talia bona promissa sunt in cælis? Hinc August. Velle non potest quicquam, nisi admonitus, & vocatus, siue intrinsecus, vbi nullus hominum videt, siue extrinsecus, per sermonem sonantem, aut per aliqua signa visibilia. Altera vocatio, est interna, qua Deus dignatur per internam hominem vocare inspirationem. Sic Petrum, tribus vicibus negantem, respiciendo vocauit. August. de gratia Christi. Sic latronem in crucis patibulo. August. lib. 1. de anima & eius origine. Hæc vocatio differt à prædestinatione, quia qui ab æterno in mente diuina prædestinantur, ex tempore vocantur, vt disertis verbis edocet D. Augustinus, dicens: Elegit nos ante mundi constitutionem, prædestinando vtique, non vocando; elegit prædestinando ante mundi constitutionem; elegit vocando, ante mundi consummationem. Et alio in loco: Quando creati, sumus prædestinati; quando Christiani facti, sumus vocati. Differt etiam vocatio ab electione, vt magis & minus commune secundum August. Quicunque namque electi sunt, haud dubiè sunt vocati, non autem quicunque vocati, consequenter sunt electi. Hæc habitudo probatur à Matth. Apostolo, dicente: Multi sunt vocati, pauci verò electi. Hæc vocatio bifariam diuiditur, In generalem & singularem, vti docet Augustinus. Vocatio generalis, subdiuiditur bimembri partitione, Prior nullum habet effectum, ob cordis duritiam, vt Christus insigni prolepsi ostendit, quando dicit, Quosdam neglexisse vocationem, & abijsse: vnum in villam suam, alium verò ad negotiationem. Et ne fortè causari aut cauillari valeamus, nos non includi, multorum in numero vocatorum, quando dicit, Multi vocati; alijs locis vniuersaliter loquitur: Venite ad me omnes qui laboratis. Et: Docete omnes gentes. Item apud Marcum: Prædicate Euangelium omni creaturæ. Et: Vult omnes homines saluos fieri; Nec vult mortem peccatoris, Quia in omnem terram exiuit sonus eorum. Nec est quod dictio, multi, nos anxios reddat, quia interdum induit significationem notę vniuersalis, teste August. Vnde manifestum euadit, omnes vocari, adeò vt si Christus nō venisset, & loquutus eis non fuisset, peccatum non haberent, nūc autem excusationem non habent. Posterior, effectum quidem habet, sed temporalem, secundum præsentem nimirum iustitiam. Hæc vocatio, illa seminantis euangelica, comparatione delineatur, in parte seminis, quod cecidit in petrosa, & secus viam; dedit siquidem fructum ad tempus, & partim postea exaruit, partim ab auibus est consumptū. Huiusmodi

Tract. 26. in Ioannem. Li. 83. quæst. q. 69. Vocatio interna, Matt. 26. Ca. 43. et 45 Matth. 27. Cap. 8. lib. 3. ca. 9. li. 4. contra Dona. 22 Vocatio differt à prædestinatione. Tract. 68. super Ioan. Serm. 16. de verbis Apost. Vocatio, qui differat ab electione. De corrept. & grat. cap. 7. Cap. 20. & 22 Vocatio interna, est duplex. De prædestin. sanct. cap. 16. Matth. 22. Cap. 28. Marc. 16. 1. ad Tim. 2. Ezech. 18. Psalm. 18. Nomēclatura, multi, quid importet? Lib. 4. contra Iulianum c. 8. Et lib 6. c. 12 Ioan. 15. Luc. 8.

fuit

Iudas quomodo vocatus? fuit Iudas, qui fuit ad Apoſtolatus apicem vocatus, ſecundum præſentem iuſtitiam, teſte D. Ambr. nec permanſit vt magnificaretur. Vnde Origenes, Iudas Apoſtolus vocatus eſt, non iuſtificatus, Secundum hanc præſentem iuſtitiam vocatus fuit, qui venit ad nuptias, abſq; veſte nuptiali. Hæc ille. Auguſt. hanc vocationem vocat, primam miſericordiam, quæ ſola ad rectè viuendum non ſufficit, ſi deſerat qui vocauit; ideò ſubnectitur, Et miſericordiam præſtabo, cui miſericors fuero, vt & ipſa opera Deo accepta referamus. hæcque vocatur ſingularis vocatio, ſecundùm æternam videlicet prædeſtinationem, de qua Apoſtolus; Quos prædeſtinauit, hos & vocauit ſecundum æternum Dei propoſitū. Hæc ſiquidem eſt certiſſima, velut ipſa ſempiterna prædeſtinatio, iuxta illud Iſa. 14. Iurauit Dominus exercituum, ſi nō, vt putaui, ita erit; & quomodo mente tractaui, ſic eueniet. De hac dicit Paulus: Sine pœnitentia ſunt, dona, & vocatio Dei, Quia ſine mutatione fixa ſunt & infallibilia, vti eruditè docet B. Auguſt. Horum alij, manè vocantur, hoc eſt, in pueritia, Gregor. teſte, vt infantes recèns baptizati: Alij, hora tertia, vt Samuël, in adoleſcentia: Alij, hora ſexta, hoc eſt, in iuuentutis flore, vt Paulus: Alij, hora nona, id eſt, virili ætate, ſicut Matthæus Publicanus: Alij, hora vndecima, id eſt, in extremo vitæ curriculo, ſicut Latro: quia tunc erant obtemperaturi, non ſolis ipſorum viribus, nec aliquibus præcedentibus meritis; ſecūdum Aug. Concil. Trident. ſed gratuita Dei bonitate; prædeſtinantis & vocantis; id eſt, volentis tunc ita vocare eos, taliterque adiuuare, qualiter neceſſarium nouerat, vt vocati intuſque attracti, nefas ducerent, tam plauſibili Dei inſpirationi, non obſecundare. Si autem, Vocatio, ita eſſet opus Dei, vt noſtra aſſenſio minimè eſſet neceſſaria, cogeret nos Deus potius ceu bruta animantia, aut organum inanime, non vt gallina congregaret, nec inuitaret vllo modo, rogando, alliciendoque, Venite ad me omnes, nec libertati noſtræ relinqueret dicens: Qui vult venire poſt me, &c. Nec obſtat quod dicitur Lucæ 14. Compelle intrare, Quia ſecundum Oecumenium, cogi iuſſit eos, qui ex Gentibus eſſent, non quòd violentiam inferri præceperit, ſed ſubindicans, quòd vehementiorem ac conſtantiorem adhiberi eis prædicationem oporteat, vtpote fortiter à dæmonibus detentis, & in profundis errorum tenebris, oberrantibus. Similis eſt commentarius ipſius Theophylacti, ſuper eundem locum. Nec etiam obſtat, quod dicitur apud Ioannem, cap. 6. Nemo poteſt venire ad me, niſi pater qui miſit me, traxerit illum; quia propter credentes, & non credentes: ſeſe manifeſtauit, hanc dixiſſe ſententiam: Idipſum enim alijs verbis dixit,

Super illud Rom. 9. Quos prædeſtinauit, &c. Lib. 7. in cap. 8. ad Roman. De corrept. & gratia, cap. 7. Et de prædeſtin. & gratia ca. 10. & 11. Docete omnes Gentes. Item apud Marcum Ad Rom. 8. Iſa. 14. Rom. 11. De prædeſt. Sanctorum, cap. 16. Homil. 19. Lib. 40. hom. Nō omnes vno eodemq; tempore, vocantur à Deo ad gratiam fidei. 1. Reg. 3. Actor 9. Matth. 9. Matth. 28. De prædeſt. et gratia, ca. 10. Lib. 1. retract. cap. 23. Seſſ. 6. cap. 5. Matth. 11. Matth. 16. Compelle intrare, exponitur. Ibidem.

dixit, Nisi ei fuerit datum à patre meo; Ille quippe trahitur ad Christum, cui datur vt credat in Christũ. Datur ergo potestas, vt filij Dei fiant, qui credunt in eum; cùm hoc ipsum detur, vt credant in eum; quæ potestas, nisi detur à Deo, nulla esse potest ex libero arbitrio, secundum Aug. Omnes enim Regni illius, homines, docibiles Dei erunt, non ab hominibus audient, Et si ab hominibus audiunt, tamen quod intelligant, docentique acquiescant & credant, intus coruscat, intus reuelatur, Quid faciunt homines forinsecus annuntiantes? quid facio, inquit Augustinus, modò ego, cùm loquor? Strepitum verborum ingero auribus vestris; Nisi ergo reuelet ille, qui intus est, quid dico, aut quid loquor? Exterior cultor arboris, interior est Creator, Qui plantat & qui rigat extrinsecus operatur: Hoc facimus nos, Sed neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat, sed qui incrementum dat Deus, Hoc est, erunt omnes docibiles Dei, quia docendo, delectat; non necessitatem imponendo, compellit. Quod ergo dicitur, Nemo potest venire ad me, nisi Pater qui misit me, traxerit illum, non duxerit illum; dictum ita oportuit, vt Pelagianis via erroris præcluderetur, qui putabant, hominem, gratia Dei in bono opere sic adiuuari; vt in excitanda eius, ad ipsum bonum opus, voluntate; nihil eam credant operari. Non igitur duxerit me, dixit Dominus, ne aliquo modo intelligamus voluntatem Pelagiano errore, præcedere, & anteuertere gratiam Dei; Quis trahitur, si volebat, antequam per gratiam traheretur? & tamen, nemo venit, nisi velit; quia nemo funibus, aut restibus impetuosis, instar pecudum, trahitur: nam miris modis trahitur à Deo, vt velit; qui nouit intus in ipsis hominum cordibus operari, non vt homines (quod fieri non potest) nolentes credant; sed, vt volentes, ex nolentibus, fiant: Si autem nulli Deus necessitatem inferat, neminemque compellat; quare vnũ vocat ita vt veniat, & alium sordibus peccatorum irretitum, relinquit? Sciendum est, huic, & similibus quæstionibus, opponendas sacras Scripturas, quales sunt apud Matt. 20. Amice non facio tibi iniuriam, An non mihi licet facere quod volo; tolle quod tuum est, & vade; & apud Paulum, An non habet potestatem figulus, ex eadem luti massa, facere, aliud vas in honorem, aliud in contumeliam? Et talis, teste Gregor. in omnibus captum nostræ infirmitatis transcendentibus, sufficiat, responsio.

Quis trahatur ad Christum?

Lib. 2. contra 2. epistolas Petilia. cap. 84. De bono perseuerant. cap. 14.

Lib. 1. contra 2. epistolas Pelagia. cap. 3. & 19.

Et Tract. 26. in Ioannem.

Homo cùm docet exterius ferit aures, Deus verò intus mouet corda. Vel aliter Deus, aliter docet homo.

Quare Deus vnum vocat vt veniat, alterum non?

Roman. 9.

Lib. 25. Moral. cap. 13.

De Iustificatione altero prædestinationis effectu.

CAPVT XXV.

QVemadmodum Vocatio est effectus prædestinationis, teste Apostolo. Quos prædestinauit, & hos vocauit,

Vocatio est prædest. natio-

nis effectus, & iustificatio est effectus vocationis. cauit,& quos vocauit,hos & iustificauit,ita effectus vocationis est iustificatio, non quasi posterior perpetuo esse debeat tempore, secundum Thom. sed quia natura & ordine succedit,de qua modestè sobrieque nonnulla capita ponere decreuimus, ne scopulis Manichæorum, aut cauernosis Pelagianorum anfractibus,illisi, à regia semita exorbitemus. *3.parte quæst. 85. art. 6.*

Quid est Iustificatio? CAP. XXVI.

Descriptio iustificationis. IVstificatio, est mutatio,qua voluntas mutatur ab iniustitia, ad iustitiam Deo debitam. Hoc modo accipitur à beato Paulo dicenre: Hæc, nempe fornicarij, idolis seruientes, adulteri, aliquando fuistis; sed abluti estis, sed sanctificati estis, sed iustificati estis in nomine Domini nostri Iesu Christi, vt habet Concilium generalissimum Trident. Iustificario, est translatio ab eo statu, in quo homo nascitur filius primi Adæ in statum gratiæ, & adoptionis filiorum Dei,per secundum Adam, Iesum Christum Saluatorem nostrum. Vel, ille iustificatur, qui iustus efficitur, secundum sancti Augustini doctrinam. Operæpretium fore duximus considerare, in præsentia, aliud esse, iustificationem absolutè dictam, seu dignificationem ad vitam æternam; aliud, iustificationem impij. Iustificatio absolutè dicta, est, secundum quam aliquis vita æterna dignus efficitur. Hæcque dicitur interdum & negatiua.Iustificatio impij,quę alio nomine potest dici priuatiua; est,mutatio, qua ex impio quis efficitur iustus. Hæ autem, quamuis non sint secundum ordinem in rebus nunc stantem,post lapsum Adæ,ab inuicem separatæ; vtique tamen intelligi valent,separatæ; vtpote,si extra Adæ posteritatem crearetur homo, quem Deus sibi gratificaret,ad consequendam cęlestem patriam,per gratuita Spiritus sancti charismata,teste Cõcil. Trident. & Thom. Tum esset quidem iustificatio, & ad vitam æternam dignificatio, sed non esset impij dicenda iustificatio, quippe qui nihil haberet commune,cum impia sobole nostrę corruptionis.Cùm autem in omni motu sint quatuor, teste Philosopho. Mouens, Mobile, Terminus à quo, & terminus ad quem, & in hoc argumento sit quidam motus & mutatio; necessario ista quatuor in illa concurrere creduntur;Mouens,est bonitas,& immensa Dei miserentis clementia,excitans mentem hominis ad deserẽdum peccata: Ignoras,quoniam benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit? Et quod antecedit proximè. An diuitias bonitatis eius, & patientiæ & longanimitatis contemnis? Et iterum alibi fusius idipsum in eadem epistola docet cap. 3.& 8. clarissimè conuincens, Deũ esse qui iustificet. Deus siquidem est qui iustificat.Mobile in impij iustificatione,est

1. Corinth. 6. *Sess. 6. cap. 4.* *Aliæ descriptiones.* *Li. 2. Retract. cap. 33. de Spiritu & litera cap. 2. 6.* *Duplex iustificatio.* *Sess. 6. cap. 3. 1. 2. quæst. 113. art. 1.* *Quatuor in omni motu.* *3. Phisic. ca. 1.* *Rom. 3. & 8.*

ne, est anima peccatrix, quæ spiritu Dei mouet's cōuertitur, resipiscendo à diaboli laqueis, ad Dominum Deum suum. Terminus à quo, est iniustitia & impietas, quę lumine gratię aufertur, veluti caliginosę noctis tenebrę, Solis irradiatæ fulgoribus, dispelluntur. Terminus ad quem, à quo principaliter ille motus denominátur, est, iustificatio, qua homo recedit per remissionis gratiam à peccato, & accedit ad iustitiam, quasi à tenebris ad lucem, de morte culpæ, ad vitam gratiæ.

In quo consistat Iustificatio? CAPVT XXVII.

NON ignorandum est, Ioannem Caluinum bifariam deficere, atque fœdè errare, dum quibusuis verborum illecebris, necnon sententiarum ambagibus, à Scripturis desumptis, illaqueare studet homines, & inescare nititur Fideles, constituendo iustificationem perfici, consistereque in remissione sola peccatorum. Sola enim peccatorum remissio, non absoluit totam rationem iustificationis; sed nouitatis vitæ, prosequutio, adsit oportet, quemadmodum luce meridiana clarius manifestum euadit ex ipso Paulo dicente, Traditus est propter delicta nostra, & resurrexit propter iustificationem nostram. Ex quibus Scripturæ locis colligere licet, quod hi, qui iustificationem nihil aliud esse volunt, quàm peccatorum remissionem, & cum Deo reconciliationem, toto (quod dicitur) cælo aberrant: Neque enim in hac sola consistit iustificatio, si vetus homo noster exuatur, quia necesse est insuper, induere nouum, qui secundùm Deum creatus est, in sanctitate & iustitia veritatis. Nec tantum peccato est moriendum, sed viuendum etiam Deo, nec sufficit à peccato liberari; sed seruos oportet fieri iustitiæ, nec commori tantùm, sed & resurgere opus est: Remissio namq; peccatorum, merito passionis Christi nobis communicatur. Verùm hoc satis non est, necesse est præterea, vt quemadmodum Christus resurrexit à mortuis; ita & nos simul cum eo resurgentes, in nouitate vitæ ambulemus. Non tamen hęc Paulina sententia intelligenda est, quasi mors Christi, remissionis peccatorum, resurrectio verò iustificationis & nouitatis vitæ causa sit meritoria: Manifestū namq; est, Christum resurrectione sua nihil meruisse; vtpote qui tunc erat extra statū merēdi; sed accipiēda est hoc modo vt Basilius & Greg. Traditus est in mortē; partim, vt merito passionis suæ nostra aboleret peccata; partim, vt nobis formam præberet moriēdi veteri vitę; & resurrexit, vt suo exemplo efficeret in nobis iustitiam & formam resurgendi, ad vitę nouitatē, secundū animam, vt ipse secundū corpus, quēadmodum docet Aug. Quo autē istud melius intelligatur, solent doctores docendi gratia iusti-

Lib. 3. Institutionum cap. 11. sectione 2.
Error Caluini eliditur.
Roman. 4. & ad Ephes. 2. Coloss. cap. 2. ad Titum 2.
Ad Ephes. 4.
Rom. 6. & 8.
De vita solitaria, cap. 1. Lib. 1. pastoralis cura, c. 3. Lib. 19. de ciuit. Dei, cap. 27. Concil. Mileuita. can. 3. & 4. Et Trident. Sess. 6. can. 11. 20. & 21.

Iustitia prima & secunda. iustitiam primam, & secundam constituere. Sicut duplex est *Duplex peccator.* peccator, baptizatus, & non baptizatus: Prior est, qua impij per Christum, & gratiam iustificantem, remissionem consequuntur peccatorum, quę quidem translatio sine iustitia post euangelium promulgatum sine lauachro regenerationis aut Ioannis 3. eius voto fieri non potest, sicut legitur: Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto, non potest introire in Re- *Sess. 5. can. 5.* gnum Dei. Concil. Trident. Aut iam iustificati, amici ac do- *Et Sess. 6. can. 5.* mestici Dei effecti, euntes de virtute in virtutem, renouantur de die in diem, id est, mortificando membra carnis in ipsa iustitia per Dei gratiam accepta, cooperante fide & bonis operibus, crescunt, atque magis iustificantur, qui iustus est, ait Apocal. 22. Ioannes, iustificetur adhuc. August. Concil. Trident. hæc dici *Serm. 16. de verbis Apost.* consueuit, secunda iustitia, qua iam iustus prouectior fit in iustitia. Verùm inter has duas iustitias, grandis cognoscitur *Sess. 6. can. 10. & 24.* esse diuersitas: Prima siquidem iustitia, sola Dei miserentis clementia, impetratur, Rom. 3. Iustificati gratis per gratiam *Grandis vtriusque iustitiæ diuersitas.* ipsius, id est, sine vllis operum nostrorum meritis. Non ex operibus iustitiæ, quæ fecimus nos; sed secundum misericordiam suam saluos nos fecit, per lauachrum regenerationis & Ephes. 2. renouationis Spiritus Sancti, quem effudit in nos abundè per Colos. 1. & ad Titum 3. Iesum Christum Saluatorem nostrum, vt iustificati gratia ipsius, hæredes simus secundum spem, vitæ æternæ: Non tamen absque vllis omnino meritis, quia non absque Christi meritis: magno enim constitit hæc nostra iustificatio, nimirùm pretio sanguinis, propterea benè dicit, Ex operibus iu- *Obiectio.* stitiæ quæ fecimus nos. Verùm si pretio sanguinis, quomodo gratuita Dei bonitate sumus iustificati? videntur ex diame- *Solutio.* tro secum pugnare. Dicendum, quòd hactenus Dei gratuita bonitate, quia quamuis pro nobis iustam peregerit satisfactionem, gratis tamen ipse nobis redemptionem misit, qua *Concione 26. super Psalm. 118. lib. 83. quæst. quæst. 68. Epist. 150. ad Sixtum. 2. 2. quæst. 83. ar. 15. & 16.* absque vllis nostris meritis gratuita sua bonitate liberaliter nobis concessit, Mediatorem & Reconciliatorem, secundum August. & Thom. Secundã autē iustitiã, nō solùm per fidem gratis à Deo impetramus; quin etiam per bona opera meremur: Aperta siquidem sunt Apostoli Iacobi verba. Quia ex operibus iustificatur homo, & non ex fide tantum. Ad hanc iustificationem, in Sacra Scriptura subinde monemur fouendam, & prosequendam. Rogamus vos fratres in Domino Ie- *Iustitia 2.* su, vt quemadmodum accepistis à nobis, quomodo oporteat Iacob 2. vos ambulare, & placere Deo; sic & ambuletis, vt abunderis 1. Thessal. 4. magis, & qui certat in agone non coronabitur, nisi legitimè 2. Tim. 2. certauerit. Huic secundæ iustificationi, potest adijci & tertia (quãquam includi videatur in secunda) qua quotidianorum veniam delictorum corde contrito implorare satagimus, quæ signifi-

significata est apud Ioannem: Qui lotus est, non indiget, nisi vt pedes lauet; & est mundus totus, atque à mortalibus & venialibus immunis. Quæ etiam venialia, dimittuntur certis precibus, cum cordis compunctione dictis, vt sunt; Dimitte nobis debita nostra. Hanc triplicem iustificationem manifestè approbat Diuus Augustinus. Iustificatio, ait, in hac vita, nobis secundum ista tria confertur, Prius lauachro regenerationis, quo vniuersa remittuntur peccata. Deinde, congressu cum vitijs, à quorum reatu absoluti sumus. Tertia, dum nostra exauditur oratio, qua dicitur, Dimitte nobis debita nostra. Hæc tamen iustitia, seu iustificatio, non est nobis extrinseca; qua nos Deus in gratiam receptos, pro iustis habet, ac censet; qui in nobis non sumus, sed apparemus tanquam iusti in conspectu Dei: quemadmodum Caluinus calumniatur cum suis sequacibus. Quia iustitia nobis realiter, non imputatiuè, inhæret: Absurdum namque esset, secūdum Thom. parietem dici album, albore mihi inexistente, aut aquam calidam, non ea, quæ ipsi aquę, sed igni inest caliditate; quia suo proprio calore feruet aqua, ab ipso tamen igne profecto. Sic per Christum, verè habemus peccatorum remissionem, necnon verè iustificamur, sed tamen iustitia munere Dei nobis concessa; secūdum Augustinum. Iustitia, inquam, Dei, non qua ipse iustus est; sed quam dat homini cùm iustificat impium, quēadmodum plurimis in locis eruditè differit S. Augustinus. & Cōcil. Trident. Ex quibus compertissimum cuique fidelium esse debet, quòd nostrapte iustitia iusti sumus, sed tamen ea, quæ nobis sit donata à Deo, non à nobis ipsis parta: Non enim nati, sed facti sumus iusti, Facti, inquā, non à nobis, verùm ab eo, qui creauit nos: Nec enim minus ipsius opus est, quod iusti sumus; quā quod homines sumus, contra Pelagium, opinantem nos naturam à Deo habere, gratiam autem à nobis operandi. Profectò, si nos iustos facimus, meliūs aliquid, quàm Deus facimus, quod est absurdum, vel cogitare quidem, teste D. August. de gratia Christi, libro primo, capite quinto 28. & 29 Sed quomodo verè dici possumus iustificati, inhærente nobis iustitia; si nūquam careamus peccato? Dicente Apostolo Ioanne: Si dixerimus quia peccatum non habemus, nosipsos seducimus, & veritas in nobis nō est. Et iterum. Septies in die cadit iustus. Si ergo toties in peccata labamur, verè iustificari non videmur? Promptum est respondere quod nō protinus iustus, & iustificatus esse desinat, si quis paululum à recto curriculo deflexerit, vt docet Augustinus de Ecclesiasticis dogmatibus. Neque enim ideo non sumus iusti, quia non caremus omni peccato: nam licet iustus septies cadat, nō tamē colliditur, vt docet in signis peccatorū

Cap. 13. *Tertia iustitia.* Matth. 6. Lib. 1. c. 7. de Symb. lib. 1. de nupt. & cōc. c. 34. lib. 1. cōt. 2. epist. Pel. c. 13. & 14. Li. de bon per. se. c. 2. de gra. et li. arb. c. 13. Li 2. cont. Iul. post med. libri. *Iustitia non est extrinseca.* Li. 3. Institut. Christ. cap. 11. sect. 2. & 3. & c. 14. sect. 12. In scripto primi di. 17. q. 1. *Similitudine probat quod docet.* Epist. 122. ad Honor. ca 30. Li. 1. de gratia Christi cō Pela. c. 47. Super Psalm. 30. & 70 lib. 14. de Trinit. ca. 12. Tractat 61. et 26. in Ioannē. Serm. 69. de tempore. Sess. 6. can. 10. & duobus sequentibus. *Domino verè iusti, qui nunquā omni carenus peccato.*

γνώμη Cedro dignissima. Lib. 6. cap. 2. in primum lib. Regum.

castigator, S. Hieronymus, Epistola ad Rusticum, Si cadit (inquit) quomodo iustus? si iustus, quomodo cadit? & propriæ obiectioni respondet: Iusti vocabulum non amittit, qui per pœnitentiam semper resurgit. Idem comprobat Gregor. Magnus, & Concil. Trident. Sess. 6. can. 11. Licet, ait, in hac mortali vita, quantumuis iusti & sancti, in leuia saltem & quotidiana, quæ etiam venialia dicuntur peccata, quandoque cadant, non propterea desinunt esse iusti: nam iustorum vox est humilis & verax, etiam teste Concil. Mileuita. Can. 16. Dimitte nobis debita nostra. Verè ergo nostra iustitia, iusti sumus, neque propterea nostra iustitia non est, quod à Deo donata est; nisi quis dicat, vestem propterea nostram nõ esse, quòd eam ab amico donatam habemus? Deus etiam dicitur Via, Veritas, & Vita. Vt si ambulare velis recto tramite ad ciuitatem ciuium supernorum, ipse est Via. Si falli nolis, ipse est Veritas. Si mori pertimescas, ipse est Vita. Nunquid ideo nostra non erit vita, qua viuimus, quia Deus est vita? Ita D. Bernard. Panem quoq; nostrum quotidianum petimus. Vbi liquidò constat, quod nostrum dicimus, & tamen vt concedatur, oramus; noster quippe fit, cùm accipimus, & sicut fides Christi dicitur, non qua credit Christus; sed qua credimus in Christum; ita iustitia Dei dicitur, non qua iustus est Deus, sed qua nos iustos verè efficit, vt docet D. Aug. de Spiritu & litera cap. 9. Ex his constare satis arbitror, non homines esse iustos, iustitia non solùm Dei, verumetiam nostra. Dei, quia à Deo nobis impartita, nostra, nobis intrinseca, & inhæsiua, nequaquam imputatiua. Quid aliud, inquit S. Augustinus, est iustitia cùm in nobis est, quàm interioris hominis pulchritudo? adeò vt secundũ hanc pulchritudinẽ, magis facti sumus ad imaginẽ Dei, quàm secundùm pulchritudinẽ corporis. Ex qua sententia luculenter patet, quòd sit quędam interioris hominis, non exterioris alicuius pulchritudo: Atq; ita prorsus rei veritas postulat: Si enim nemo immittat commissuram panni rudis, in vestimentem vetus, neque vinum nouum, in vtres veteres; quomodo in maleuolam animã introibit sapiẽtia? Quomodo habitabit in corpore subdito peccatis? profectò si sapientiæ stratum ita sit coangustatum, vt alter decidat, nec pallium breue vtrumque operire possit, qui amabò, iustitia locum idoneum offendet, si peccata iustitiæ sole, tãquam nix non liquescant? an fortè aliquis iustus simul & iniustus inueniri queat? An quis albus simul & niger respectu eiusdem? sed dicunt peccata quidẽ manere, sed Deum iustitia tãquam veste ea obuelare. Quis ita vnquam in ecclesia docuit? à seculis non est auditum, quod isti somniant de imputatiua iustitia: Licet namque legamus peccata non imputari,

Christus via, veritas, & vita quomodo? Ioan. 14. Ser. 14. super Cãt. & epist. 190. Matth. 6.

Epist. 85. ad Consentium. Imago Dei nõ tam in venustate corporis, quàm in pulchritudine insitiuæ cõsistit. Matth. 9. Sapient. 1. Esaiæ 28.

putari,non tamen iustitiam. Et clarè Ambros. istud inculcat. Detogaretur enim sufficientissimè passionis Christi efficaciç, quasi non valuisset sontes reddere insontes, & à labe peccati immunes,cū ipse dixerit per quendā,qui atcana multa de sacri pectoris fonte potârat, Si filius vos liberauerit,verè liberi eritis. Et postea: Pater sanctifica eos in veritate;quomodo in veritate erimus sanctificati & iustificati,si peccatis cōspurcati,iustitia tanquā veste simus velati?nec dicitur, Ego sum qui non imputo peccata;sed ego sum qui deleo iniquitatē. Agnus Dei non admittit hanc confictam imputationem, quia tollit peccata mundi. Nec Vates dixit Dauidi 2.Reg.12. Dominus non imputabit,sed transtulit peccatū tuum. Absterget quoq; omnem lachrymam ab oculis eorum. Concedere sanè his & similibus scripturæ locis oportet, quòd abluantur pœnitentium & iustificandorū peccata:alioquin nihil amplius publicanus sua humili prece obtinuisset, dēpta imputatione iustitię,quàm fastuoso animo tumidus Pharisæus. Dicitur etiam: Nihil inquinatum intrabit in eam, Ex qua sentētia cōcedant oportet,quod peccata verè dimittantur,& quod prçuaricatores per pœnitētiam verè iustificentur, teste Concil. Trident. alioqui inquinati manetēt, secundū eorū falsam opinionem: & proindè,nec Petrus,nec Paulus regna cælestia capesserent, quod nō sint omninò incoinquinati,sed dūtaxat quodam iustitiæ velamine obducti,quod quàm alienum sit à dictamine rationis,nemo est qui non videat. Sed fortè objiciūt scripturam, Beatus cui non imputauit Dominus peccatū. Quibus è diuerso dicimus,quod Deus ita remittat peccatum,vt odium pœnitus deponat,quod habet in iniquum, & eius iniquitatē, ergo ita remittit, vt etiam rationē culpæ,prorsus abstergat,vt tollat:Deum autem non imputare peccatum,procedit ex diuina dilectione,teste Thom. Quòd autem Deus eum diligat, in quo vlla superest ratio mortalis culpæ,contradictio est,tali ergo implicatur, qui dicit peccata manere, sed non imputari, Certè est Deus iustus, seipsum negare non potest; imputat autem Deus omne peccatum,ait Augustinus, quia neq; peccatum est,quicquid nō imputabitur in peccatum,quia quando regius Vates ea non imputari pronuntiauit,ita deleri censuit,secundum vetustissimum Origenē,vt nē memoria quidem eorū existeret,non tamē dicit,iustitiam imputari. Rursum, objiciunt, quod sequitur eodem capite Pauli. Sicut & Dauid dicit beatitudinem hominis,cui Deus accepto fert iustitiam sine operibus. Certè inficiari nequimus, quin multi sint nasutiores,velut puerilem increpēt affectationem copiæ verborum, quia vbi nos habemus: reputatū est illi,& merces nō imputatur,& reputatur fides & accepta fert,vna est Grçcè

Rom. 4. Psalm. 31. Li. 5. epist. 18. Ioan. 8. Cap. 17. Isaiæ 43. Ioan. 1. *De figmento imputatiuæ iustitiæ.* Apo. 7. & 21. Sapien. 7. Sess. 5. can. 10. et 11. & Sess. 6. can. 7. & 16. *Obiectio.* Rom. 4. & Psalm. 31. *Diluit obiectionem.* 1. 2. quæst. 113. art. 2. *De perfectione iustitiæ.* Lib. 4. in epist. ad Rom. & Euthym. in Psalm. 31. *Alia hæreticorum obiectio.*

eademque dictio *ἀπολύτρωσις* qua insinuatur quod cum non simus Deo soluendo, acceptum fert ipse nostrum debitum, si modo illi, fidem, pollicenti, adhibeamus. Differunt enim acceptum alicui referre, & acceptum ferre, dicitur quis acceptum quidpiam alteri referre, cùm confitetur se id ab eodem accepisse, veluti dum œconomus aliquid à Domino in expensas recepit, dicitur id Domino acceptum referre, qua ratione gratiam & gloriam, quin & dotes naturales Deo in vniuersum acceptas referimus, vt de cuius manu suscipimus vniuersas. Atqui acceptum ferre, remissionem signat debitorum: cùm enim debitum creditor remittit debitori, dicitur illi acceptum ferre.

Differunt acceptũ referre, & acceptum ferre.

Quibus via iustificationi sternatur?

CAPVT XXVIII.

VT dilucidius cognoscamus, quæ ad iustificationem requirantur, Notandum est, creationem multum differre ab ipsa iustificatione: quia, Is qui creauit te, sine te, non saluabit te, sine te, teste Aug. hac nempe ratione, nihil exigit à creandis hominibus, quid enim exigeret ab his, qui nondum in rerum natura existunt? A iustificandis autem, passim in Scripturis exigit, vt credant, resipiscant, pœnitentiam agant, orent, gratiam & remissionem peccatorum accipiant. Requiruntur igitur aliqua ex parte Dei, vt quis iustificetur, & nonnulla ex parte hominis. Ex parte Dei requiritur gratiæ infusio, & peccatorum remissio: Ex parte hominis, requiritur, præparatio. Præparate Domino corda vestra. Et: Præparare in occursum Dei tui Israel, Et alius quidam Hominis est animam præparare. Et: Conuertimini ad me, & ego conuertar ad vos. Maximoperè admiranda est Caluini peruersitas, potius dixerim, quàm temeritas, quem non pudet scholasticos doctores praui dogmatis incusare, dum præparationes, scripturis, præscriptas: iustificationi miscet, Scholas quoque vniuersalium studiorum, non veretur, priuatus homo, erroris & Pelagianismi criminari, adeoque ipsum Augustinum, impuritatis labe, conspergere, non formidat, sine ratione, absque Vetustiorum authoritate doctorum, absque scripturarum expositionibus, vt suum figmentum, contra vniuersos doctores, inuehere queat. In eandem impietatem, Lutherus tali discipulo dignus concessit, existimans nos merè passiuè habere ad Dei gratiam, sicut serra ad fabrum, verum enimuero, Dauid non est iustificatus, nisi priùs ingemiscẽdo, dixisset. Peccaui: Sic latro, Nos quidem digna factis recipimus, hic autem nihil mali gessit, Memẽto mei Domine dum veneris in regnum tuum. Ista præparatio & conuersio, (quæ

Creatio, & iustificatio discrepant.
15. de verbis Apost.
Aliqua ex parte Dei, aliqua ex parte hominis requirũtur ad iustificationem.
1. Reg. 7.
Amos 4.
Prouerb. 16.
Zach. cap. 1.
Lib. 3. Instit. cap. 11. sectione 15.
Pelagianismi.
Peruersitas Caluini.
Non habemus nos merè passiuè, vt Lutherus calumniatur.
2 Reg. 12.
Luc. 23.

(quæ includit semper, falté votum, debitè confitendi, fatisfaciendi, reftituendi, non recidiuandi) non eft merè à nobis: (vt Pelagius falsò dogmatizauit) quanquam noftra dicatur, quia à Deo greffus hominis diriguntur, Et clariffimè apud Ezechiëlem: Faciam vt in præceptis meis ambuletis. Deus in nobis, ait Paulus: operatur velle & perficere. His per omnia cōformis eft D. Auguft. fententia, dicentis: Certum eft, nos facere, cùm facimus; fed ille facit, vt faciamus: præbendo vires efficaciffimas voluntati. Et: Sine voluntate tua, non erit in te iuftitia Dei. Poteft quidem effe iuftitia Dei, fed in te effe non poteft; nifi per tuam voluntatem, quæ à Deo præparatur. Huic adftipulatur Concil. Trident. Si quis dixerit liberum arbitrium hominis, à Deo motum, & excitatum, nihil coopeperari, affentiendo Deo, excitanti, atque vocanti, quo ad obtinendam iuftificationis gratiam fe difponat, atque præparet; neque poffe diffentire, fi velit; fed velut inanime quoddā, nihil omnino agere, mereq; paffiuè fe habere; Anathema fit. Hic eft communis iuftificationis modus, vt Deo mouente interius, homo conuertatur. Primo quidem, conuerfione imperfecta, poftmodum perfecta, fecundùm Theologiam Diui Auguftini. Quandoque tamen Deus, tam vehementer animum mouet; vt protinus quandam iuftitiæ perfectionē affequatur. Talis fuit cōuerfio S. Pauli, qui cùm effet fpirans minatum & cędis, fubitanea Dei miferentis clementia præuentus; mutatum eft cor eius, tantaq; gratiæ vbertate inūdauit; vt iam vas electionis, fe promptum & fidelem prædicatorem, ex perfecutore exhiberet, dicēs: Domine quid me vis facere? Et quia hæc conuerfio fuit miraculofa, atque fuper naturalem & communem iuftificationis modum; idcirco etiam folenniter celebratur ab Ecclefia, vt docet Thom. Huius conditionis funt aliqualiter infantes, liberi arbitrij vfum nondum habentes, qui Sacramento Baptifmi, abfque præuia contriti cordis præparatione iuftificantur: Sicut namque fine fuo arbitrio corporaliter generantur, ita fine concurfu vfus liberi arbitrij, fpirituali regeneratione iuftificantur.

Pfalm. 36. Ezech. 36. Philip. 2. Lib. de gratia & lib. arbit. cap. 16. Serm. 15. de verbis Apoftoli. Seff. 6. ca. 4. 6. & 9. Communis iuftificationis modus. De natura & gratia, cap. vltimo. Actor. 9. Cōuerfio Pauli miraculofa. 1. 2. quæft. 113. art. 10.

Iuftificatio potiffimum Deo attribuitur.

CAPVT XXIX.

IVSTIFICATIONIS, primaria, & efficiens caufa eft Deus, qui fua immēfa mifericordia nos iuftificat, Thom. & Concil. Tridēt. Caufa verò meritoria, eft Chriftus. Apparuit enim gratia Dei, & Saluatoris noftri omnibus hominibus, erudiens nos; vt abnegantes impietatem, & fecularia defideria; fobriè, iuftè & piè viuamus in hoc fæculo, expectantes beatam fpem, & aduentum gloriæ magni Dei, &

Rom. 3. & 8. In fcripto primi diftinct. 17. quæft. 1. Seff. 6. can 7. Ad Titum 2.

Saluatoris nostri Iesu Christi, qui dedit semetipsum pro nobis, vt nos redimeret ab omni iniquitate, & mundaret sibi populum acceptabilem, sectatorem bonorum operum. Item alio loco. Iustificati gratis per gratiam ipsius, per redemptionem, quę est in Christo Iesu, quem proposuit Deus propitiatorem, &c. & capite sequenti: Qui traditus est propter delicta nostra, Aug. Gregor. & Concil. Trident. Istud quoque admodum luculenter exponit, fœlicis recordationis magister noster Ioannes Driedo.

Roman. 3.
De pecc. mer. & remiss. c.10.
Lib.1. pastor. cur. cap. 3.
Sess.6. can.7.
Li.2. de capti. & redemp. generis humani. Tractat. 2. memb. 1.

Iustificatio etiam fidei adscribitur.

CAPVT XXX.

Deus vtitur causis secundarijs.

VTITVR nihilominus Deus medijs quibusdam, & sæpenumero causis secūdarijs, contra Bucerum super primum caput ad Rom. commentantem, cùm Augustinus apertè declaret, nihil esse manifestius. Quia Deus ita res, quas condidit administrat, vt proprios motus agere sinat. Et: Alius est rerum modus, quod illa herba sic germinat, illa ætas parit, illa non parit, homo loqui potest, pecus non potest, horum, & talium modorum, rationes, nō tātùm in Deo sunt; sed ab illo etiam rebus creatis inditæ, & concretæ: Vti igitur consueuit Deus medijs, quibus partim præparamur, partim iustificationem consequimur; quibus etiam interdum iustificatio attribui legitur, hoc modo, fidei aliquando, nonnunquam operibus, interdum alijs adscribitur. Qui credit in filium, ait magnus ille Theologus habet vitam æternam, vt omnis qui credit in eum, non pereat, sed habeat vitam æternam. Hic fidei attribuitur, quia nempe per fidem iustitiam apprehendimus, nequaquam tamen spem, pœnitētiam, charitatemque excludimus, teste August. Si fidem, inquit, habemus, iam aliquid habemus iustitiæ. Incipit namque homo à fide, sed adde fidei spem, speique charitatem. Sic Paulus, arbitratur hominem saluari per fidem. Et postea: Iustificati ergo ex fide. Ex his, & similibus scripturæ locis, nequaquā Lutherani & Caluinus valent inferre, hominem sola fide iustificari, cum prædictæ sententiæ, in eo sensu sint intelligendæ, secundū Concil. Trident. quem perpetuus catholicæ ecclesiæ cōsensus tenuit, & expressit; vt nimirum per fidem iustificari dicamur, quia fides est humanæ salutis initium, fundamētum & radix nostræ iustificationis, sine qua impossibile est placere Deo, & ad filiorum eius peruenire cōsortium. Gratis autem ideo iustificari dicimur, quia nihil eorum, quæ iustificationē præcedunt, siue fides, siue opera, ipsam iustificationis gratiam promerentur: Si enim gratia, iam non ex operibus, alioquin gratia iam nō erit gratia. Ex his paucis cauilla Caluini, quibus

δόγμα Theologicum.
Li.3. de Trin.
Li.9. de Gen. ad lit. cap. 17.
Fidei attribuitur iustificatio.
Et eodē c. paulò superius.
Ioannis 3.
Serm. 16. de verbis Apost.
Roman. 3.
Cap. 5.
Sect. 19. li. 3. cap. 11.
Sess. 6. cap. 8.
Fides est humanæ salutis initium fundamentum & radix nostræ iustificationis.
Gratis quomodo iustificemur?

quibus ſeſe victorem iactabundus exultat, tanquam nix radiante ſole liqueſcent, ſi quodam mentis trutino penitius ea penetrauerimus. Sed dicit: Cauillantur quòd non legamus ſola hominem fide iuſtificari; Itá ne verò? Quid aliud intendit Apoſtolus dicere, quàm nos ſola fide iuſtificari, quando fidei ſecluſis operibus iuſtitiam pollicetur? Sanè iſtis verbis, ad vnitatem & cõcordiam, inducit Paulus Iudæos & Gentes, qui ſe eleuabant, & vnus alterum antecellere, ambitioſo affectu, concupiſcebat, vt habet Hieronymus. Et Apoſtolus inſinuat illis, quòd neuter eorum dignus eſſet vocatione ad fidem & ſalutem; ſed ambo peccatores, Dei gratuita bonitate ſine præcedenti merito, per Chriſtum, vocati & iuſtificati; neq; lex, neque alia opera humana, apta ſunt ſine meritis paſſionis Chriſti intercedentibus, hominem iuſtificare. At hoc modo intelligendus eſt Paulus in omnibus locis, quando diſputat de imperfectione legis & operum, quia intendit perſuadere, non eſſe neceſſariam legem, cum euangelio, contra Ebionitas, necnon opera præcedentia fidem, vel quæ fiunt, antequam iuſtificati ſumus prima iuſtificatione, hoc eſt, ex ſtatu infidelitatis ad fidem, vel ex ſtatu peccati ad ſtatum gratiæ, nequeunt mereri præfatam iuſtificationem. Super his qui plura cognoſcere deſiderat diuum Auguſtinum attenta mẽte reuoluere non omittat, de ſpiritu & litera.

Scopus Apoſtoli in Epiſt. ad Romanos, In prologo Epiſt. ad Rom.

Cap. 13 ſuper Pſalm. 109. Epiſt. 105. ad Sixtum, & 145. ad Anaſtaſium.

Operibus etiam iuſtificamur.

CAPVT XXXI.

Iuſtificatio, operibus etiam aſſcribitur.

IVSTIFICATIO, etiam nonnunquam operibus attribuitur, tanquam fructibus, ex prædicta radice promanantibus. Sic enim loquitur Sapiens: Omnis miſericordia faciet locum vnicuiq; ſecundum merita operũ. Et: Reddã eis ſecundũ opera eorum; Et ſi vis ad vitã ingredi: ſerua mãdata; Et Paulus: Reddet vnicuiq; ſecundũ opera eius. Itẽ Iacobus Apoſt. Videtis quoniã ex operibus iuſtificatur homo, & non ex fide tãtũ? Hic cõſideratione opus eſt, quia Paulus videtur Iacobo prorſus cõtrarius, dicẽs: Hominẽ iuſtificari gratis, ſine meritis operũ, & Abrahã, ſine operibus, iuſtitiã cõſequutum. Imò Paulus nõ ſolùm Iacobo, ſed & ſibi ipſi videtur cõtrarius, & quod in vno loco cõſtruit, in alio demoliri videtur, quia dicit, nõ auditores legis iuſtos eſſe apud Deũ, ſed factores legis iuſtificari, & Deũ vnicuiq; reddere ſecundum opera ſua. Verũ D. Aug. hoc modo hũc nodũ ſoluit. Iuſtificabũtur, id eſt, iuſti habebũtur, & adfert ſimilem, ex Matt. locum; Iuſtificare ſeipſum, hoc eſt, declarare ſe iuſtum, & iuſtificata eſt ſapientia à filijs, &c. Quando autẽ dicitur, neminẽ iuſtificari per legem, intelligi conuenit, de iuſtificatione qua ex impio

Eccleſ. 16. Hierem c. 25. Matth. 19. Roman. 2. Iacob 2. Ad Roman. 3 & 4.

Paulus non eſt ſibi, nec Iacobo, contrarius.

Cap. 2. ad Roman.

De ſpiritu & litera cap. 26.

Matth. 11. Luc. 10.

Ille autem volens iuſtificare ſeipſum.

Iustificare pro eo, quòd est iustus declarari, aut pronunciari. quispiam sit iustus. Atque ita accipiendus est Paulus in Epistola ad Roman. Locus autem qui est apud Iacobum intelligitur de acceptatione diuina, & de eo qui iam iustus existēs, acceptatur ad vitam, propter obseruationem legis: Alio modo, potest difficultas manifestari, vt considerentur diuersa *Alia prædictorum locorum conciliandi ratio.* operum genera, quorum quædam fidem anteuertunt, quædam subsequuntur; Paulus, loquitur de operibus, quæ fidem antecedunt; Iacobus verò, quæ fidem, siue gratiam, consequuntur. Gratiam autem vocare visum est, recōciliationem, siue cum Deo amicitiam; quæ fidelibus contingit per Baptismi, vel pœnitentiæ sacramenta, secundum Aug. *Super Psalm. 31. Et Tract. 86. in Ioannē. de prædest. sanctor. 10.* Sic Cornelij opera bona quidem, & admirabilia fuēre. Sed tamen mortua; eò quòd fidem non habuerint. Mittit igitur Deus, inquit S. Ioannes Chrysostomus, Angelum, operibus, ad acquirendum prēmia ministrantem, ita vt benè certando, ob fidem coronari possit. *Actor. 10. Tom. 3 lib. 1. serm. de fide et lege natura, & Spiritu S.* Quid dicit ei? Corneli, preces tuæ ascenderunt in memoriam coram Deo; Si igitur exaudita est petitio & eleemosynæ acceptæ sint; quid mihi deest ad iustitiam? Mitte igitur in Ioppen, & accerse Simonem, qui cognominatur Petrus, qui (vbi venerit) loquetur tibi verba in quibus *Actor. 11. ca.* saluus eris, tu, & tota domus tua. Itaque non poterant opera saluare: Nam si his, quæ Petrus prædicat, saluatur & ipse, & domus sua; nondum habuit Cornelius salutem ex operibus, donec operibus suis, fides, acquirendum præmium, afferret. *Lib. 1. ad Simplicianū quæst. 2. lib. 1. contra Donatist. cap. 8. & de prædest. sanctor. cap. 7.* & D. Aug. Eleemosynæ Cornelij sunt acceptæ, & orationes exauditæ: antequam credidisset in Christum: Solet enim dici, ideo meruit credere, quia vir bonus erat, antequam crederet, nec tamen sine aliqua fide donabat & orabat, nam quomodo inuocabat, in quem non crediderat? Sed si sine fide Christi, posset saluus esse; non ad eum mitteretur Apostolus Petrus. Quid aliud hæc doctorum sanctorum verba volunt, quàm quod scholastici, ciuiliter quidem, & moraliter bona eius fuisse dicunt opera; quæ reprehendi non possunt, quin laudem potius apud Deum mereantur; quia tamen fide carebant, inania reputabantur, quippe quæ salutem, & vitam æternam, nullatenus adsequuntur. *Opera moraliter bona.*

Iustificatio sacramentis attribuitur.

Iustificatio sacramentis quomodo attribuitur?

CAPVT XXXII.

Deinde, Iustificatio sacramentis, instrumentaliter quasi attribuitur. Saluos nos fecit per lauachrum, inquit Paulus, & Concil. Trident. & August. *1. Corint 6. Matth. 28. Ioannis 3. Titum 3. Sess 6. cap 7. Lib. Enchirid. cap. 8.* Quo manifestum euadit, non esse signa tantùm iustificationis, quæ, vel, per fidem præcedentem sit facta; vel per fidei motum, in Baptismo excitata, impetretur, vt protestantes volunt;

volunt; sed sunt organa diuinitus instituta, per quæ Deus operatur remissionem peccatorum, Concil. Trident. quam neque fidei, neque pœnitentiæ motus, vt plurimùm efficere potuisset. Dico, vt plurimùm; quia est fides tam vehemens & ardens, vt ante sacramentum adhibitum, teste sancto Augustino, remissionem impetret peccatorum. Atqui hæc dilucidiora multo emergent ex quarto Sententiarum, si Dominus ceptis fœlicem sua dulcissima benignitate faueat finem, & mihi misero peccatori varijs angustiarum febribus correpto, optatum ad salutem tribuat vigorem, Amen. *Seß. 6. can 9.* *Lib. 4 contra Donatist. cap. 22. & seqñ.*

De glorificatione vltimo prædestinationis effectu.

CAPVT XXXIII.

VT valeamus in hoc doctrinæ capite, veram & indubitatam fidem, ac catholicam attingere veritatem; profuerit præmisisse, nomine prædestinationis, tria includi. Primum, æternum Dei propositum, seu electionem æternam, Secundò, temporales in hac vita effectus; videlicet vocationem, iustificationem, imò vniuersam operum congeriem, quæ Deus in homine, & per hominẽ operari dignatur. Tertiò, Vitam æternam, secundum tenorem quem habet Paulus, Quos prędestinauit, hos & vocauit: quos vocauit, hos & iustificauit: quos iustificauit, hos & magnificauit, id est, glorificauit. Primum, videlicet, æternum Dei propositum; nec causam habet, nec sub merito cadit humano. In homine siquidem iustificato; multa sunt bonę voluntatis opera, vnius vel alterius particularis effectus, prædestinationis, meritoria; quorum voluntas humana est causa productiua; sed nequaquam sunt in eo, opera, totius effectus prædestinationis, meritoria, quorum effectuum, Deus quosdam in nobis operatur, sine nobis: vocare namque, & iustificare, nullum habent in nobis meritum, teste Paulo, Iustificati gratis per gratiam ipsius, id est, absque vllis nostris meritis, non tamen sine vllis omninò meritis; quia non absque meritis Christi. Verùm, si pretio sanguinis Christi iustificari, quomodo gratis? Dicendum, quod acerbam perpessus sit mortem, & quod peregit iustam pro peccatis nostris satisfactionẽ; gratis tamen istam satisfactionem & redemptionẽ, nobis (vt prælibauimus) impartitur. Vocauit nos vocatione sua sancta, non secundum opera nostra, sed secundum propositum & gratiam quæ data est nobis in Christo Iesu ante tempora secularia. Item: Non ex operibus iustitiæ quæ fecimus nos, sed secundum misericordiam suam saluos nos fecit. Quendam tamen effectum, operatur in nobis, cooperãtibus nobis: Nouissimus siquidem

Tria nomine prædestinationis includũtur. *Rom. 8.* *Rom. 3.* *Obiectio cõtra prædicta.* *Responsio ad obiectionem.* *2. ad Tim. 1.* *Titum 3.*

prædestinationis effectus, qui dicitur glorificatio, causam in
Matth.20. nobis habet meritoriam, diciturq; Denarius diurnus. Et ad
2.ad Tim.4. Philip.3. Brauiũ, Corona iustitiæ. Ioannes Caluinus, & mon-
1.Cor.9. strosa illa confessio Antuerpien. nuper per industriã Matthię
Lib.3.Instit. Illirici ædita, negârũt istam coronã nobis tribui ex meritis,
cap.15.sect.2 sed promissione, quàm fide se apprehendere adfirmârunt.
Errat Illiricus. Verùm diuersis scripturæ sacræ locis conuicti, non omninò palinodiam canere voluerunt, sed aliud priori simile mendacium commenti sunt; cupientes magis perire, quàm redire; dicendo opera quidem esse accidentarij merita præmij, non tamen essentialis, quia essentiale præmium prorsus gratis, vt prima iustitia, falsò ab eis creditur cõcedendum. Sed opponendus est locus Pauli eorũ falsitati, qui habetur ad Rom.2. vbi non dicitur, Retribuet vnicuique benefacienti vitam, & malefacienti damnationem, sed, Reddet vnicuiq; secundum opera sua. Idẽ insinuatur 2.Tess.1. Notandũ tamẽ est, opera
Duplicia opera esse duplicia, secundum D. Bonauenturam sanctæ Romanæ
Lib.2.Sent. Ecclesiæ Cardinalem. Et D. Thom. Priori namque modo,
dist.19.q.2. considerantur quatenus procedunt ex libero arbitrio, vt con-
art.3. sideretur duntaxat ipsa operum substantia, sic non sunt de
Part.2.quæst. condigno, meritoria vitæ æternæ: quia, Non sunt condignæ
114.art.3. passiones huius temporis ad futuram gloriam quæ reuelabi-
Rom.8. tur in nobis. Alio modo considerantur, vt procedunt ex gra-
Ioannis 4. tia Spiritus sancti, mouentis nos in vitam æternam. Fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam. Hoc modo ex condigno merentur vitam æternam: prætium namque operum, attenditur secundum dignitatẽ gratiæ, per quam homo consors factus diuinæ naturæ, adoptatur in filium Dei, cui debe-
Rom.8. tur hæreditas ex ipso iure adoptionis, Si filij & hæredes. Caluinus autem, vt euadat (τὸ secundum) in allegata Pauli sententia, non causam, sed ordinem importare contendit. Philippus Melanthon exponit secundum fidem quam indicant opera, Sed victi sunt, quia licet essentiale præmiũ vitæ æternæ, nobis Dei promissione concedatur indignis; non tamen
Sess.6.ca.16. datur, nisi propter operum conditionem, vt testatur Concil.
Genes.22. Trident. & confirmatur. Per memetipsum iuraui, dicit Dominus, quia fecisti hanc rem, & non pepercisti filio tuo vnigenito; benedicã tibi, & multiplicabo semen tuum, &c. Vbi
Psalm.118. nota causalem coniunctionẽ (quia.) Sic: Inclinaui cor meum ad faciendas iustificationes tuas in æternũ, propter retribu-
Matth.19. tionem. Si vis ad vitam ingredi, serua mãdata. Et: Nemo co-
Marc.10. ronabitur, nisi qui legitimè certauerit. Quemadmodũ si Rex
2.ad Tim 2. qui nulli obligatur, nihilominus liberè sua liberalitate & bo-
Simile. nitate se adstringat, vt qui hoc eius nomine præstet, tali præmio gaudeat; profectò rusticus quilibet quantumuis miser,
iustę

iustè potest recipere quod sibi debetur, peracta conditione, postea quam se rex hoc modo constrinxerit; Sic immensa sua Deus clementia ordinauit, vt is qui eius iussa capesseret, præceptaque seruaret; vitam æternam possideret, secundum D. August. Redde quod promisisti, inquit, quia fecimus quod iussisti. *Serm.16.de verbis Apost.* Verùm his obijcitur illud ad Rom.6. Gratia Dei vita æterna, ergo non merces. *Obiectio.* Respondendum, quòd vtrunque in sacris literis reperiatur, & vtrunq; respectu diuersorum, adstruatur: *Solutio.* nam vita æterna, est gratia peccatoribus, quales omnes nascimur; & est merces benè operanti, qualis quisque ex Dei munere efficitur. Super quo August. Vita æterna, inquir, iustitiæ quidem stipendium est, sed tibi, ô homo, gratia; cui est gratia & ipsa iustitia, tibi enim tanquam debita redderetur, si ex te tibi esset iustitia. *Epist.165. qua est ad Sixtum.* Nunc ergo de plenitudine eius accepimus, non solùm gratiam, qua nunc iustè in laboribus vsque in finem viuimus, sed etiam gratiam, pro hac gratia, vt in requie postea sine fine viuamus. Vnde Gregorius Magnus, tractans illud Apostoli, Qui reddit vnicuiq; secundum opera eius: *Lib.16.Moral.cap.10.* *Rom.2.* illum namque in extremo examine, iustitia æterni iudicis saluat, quem hic eius pietas ab immundis operibus liberat. Sin verò ad hoc saluari quisq; hic mũditia manuum suarum creditur, vt suis viribus innocẽs fiat; proculdubio erratur, quia si superna gratia nocentem non præuenit, nunquam profectò inueniet, quem remuneret innocentem. Vnde veridici Moysis voce dicitur, Nullus apud te per se innocẽs est. *Exod.34.* Superna ergo pietas prius agit in nobis aliquid sine nobis, vt subsequẽte quoq; nostro lib.arbit. bonum quod iam appetimus, agat nobiscũ; quod tamen per impensam gratiam in extremo iudicio ita remunerat in nobis, ac si solis processisset ex nobis. Quia enim diuina bonitas, nos vt innocentes faciat, præuenit. Paulus Apost. ait: Gratia Dei sum id quod sum. *1.Corinth.15* Et quia eandem gratiam nostrum lib.arbit. sequitur, adiungit: Et gratia eius in me vacua non fuit, sed abundantius omnibus illis laboraui. Qui dum se de se nihil esse conspiceret; ait, Non autẽ ego. Et tamen quia se esse aliquid cũ gratia inuenit, adiũxit, Sed gratia Dei mecũ. Non enim diceret mecum; si cum præueniente gratia, subsequens liberũ arbit. non haberet. Vt ergo se sine gratia, nihil esse ostenderet, ait, Non ego. Vt verò se cum gratia operatũ esse per liberũ arbit. demonstraret, adiunxit, Sed gratia Dei mecum. Quia ergo hic preuenitur dono, vt innocens fiat; cùm ad iudiciũ ducitur, ex merito remuneratur. *Vita æterna et gratia vocatur & merces piorum operum.* Ex quibus liquidò cõstat, vitã æternam apud Paulũ vocari gratiã, necnon operũ mercedẽ. Idem habetur apud sanctũ Aug. Ipsa vita æterna, quã certũ est bonis operibus reddi; à tanto Apostolo gratia Dei appellatur, cùm *De corrept. & grat.cap.13.*

gratia

gratia non operibus reddatur,sed gratis concedatur; sine dubitatione confitendum est,ideo gratiam vitam æternam vocari; quia his meritis redditur, quæ gratia contulit homini. Rectè quippe ipsa intelligitur, quæ gratis legitur, Gratiam

Ioannis 1. pro gratia, id est, quia pro his meritis, quæ contulit gratia. Nihilominus aliter est gratia,ipsa iustitia;aliter gloria: Nam iustitia, sic est gratia,vt nullo modo sit debita merces; gloria

Iustitia & gloria differenter est gratia. autem, non sic est gratia, quin etiam merces debita sit credenda,secũdum Paulum: Reposita est mihi corona iustitiæ, quam reddet mihi Dominus, in illa die, iustus Iudex, super

2 ad Tim.4. quo August. Fortè,inquit,quia dixit, Reddet,iam fit ex de-

Lib.de gratia & lib. arbit. cap.6. & tribus sequent. Et lib.1.q.2. ad Simplicia. bito,cùm verò ascendens in altum, captiuauit captiuitatem; non reddidit, sed dedit dona hominibus. Vnde enim ipse Apostolus,tanquam debitum sibi dari præsumeret;nisi prius indebitam gratiam percepisset; qua iustificatus, bonum certamen certaret?

Tria in reprobatione includuntur.

CAPVT XXXIIII.

Super 5. art. q.23. primæ partis D.Tho. REPROBATIONIS nomine, tria,secundum Caietanum,potissimum importantur, Permissio peccati, ipsum peccatum,& æterna punitio,quę tria licet in reprobatione includantur; non tamen sese habẽt, vt vocatio &

Tria in reprobatione includuntur. iustificatio, in prædestinatione; quoniam ista sunt veri eius effectus. Non sic omnia in reprobatione: Ipsum peccatum namq; non est reprobationis effectus, sed permissio peccati, eiusq́ue punitio;nec tamen tales sunt, quales sunt prædestinationis effectus;quoniam in prædestinatione,vltimus effectus est per se finis antecedentium,quia glorificatio,est effectus vocationis & iustificationis; non tamen sic punitio est vltimus effectus reprobationis,aut permissionis peccati;quia Deus non permittit hominem peccare vt puniat; nec delectatur in punitionibus & hominum perditionibus; habet ta-

Causa reprobationis. men causam, quia causa materialis, seu meritoria reprobationis,est peccatum: Causa finalis,est iustitiæ diuinæ decla-

Vbi supra. ratio, quemadmodum & finalis causa prædestinationis, est

Oseæ 13. misericordiæ demonstratio.Causa sine qua non est pręscien-

Li.83. quæst. quæst.68. tia & Dei prouidentia, teste D.Thoma. Quod autem meritoria sit reprobationis causa,liquidò cõstat ex scriptura,Per-

Ad Optatum. ditio tua ex te Israël. Cui conformis est August. sententia,

Lib.21. cõtra Faust. Manic. cap.2.& 3. Cui vult miseretur,&c. Hic voluntas iniusta esse non potest, venit enim de occultissimis meritis. Et epist.167.Meritò,inquit, videretur iniustũ, quod fiant vasa iræ, ad perditionem;

Et de corrept. & gra.ca 13. si non essent ipsa vniuersa,ex massa Adam deprauata; & qui non pertinent ad prædestinatorum beatorum, certissimum

& sæ-

& fœlicissimum numerum; pro meritis iustissimè iudicantur: Aut enim iacent sub peccato, quod originali generatione contraxerunt, & cum illo hæreditario debito, hinc exierunt; quod non est regeneratione dimissum, aut per liberum arbitrium, insuper alia addiderunt; & D. Gregorius, Cum quosdam temporaliter deserit, in quorundam cordibus, quę mala lateant, ostendit. Hinc liquet manifestè, peccatum, vel originale, vel actuale esse in homine causam reprobationis, vt idē August. comprobat, dicens: Quærimus meritum indurationis, & inuenimus; meritò namque peccati, vniuersa massa est damnata, reatu originis, vel additamento propriæ voluntatis, vt in diluuio, & in mari rubro.

Lib. 7. Moral. cap. 10.

Epist. 105. ad Sixtum.

Reprobatio quomodo distribuenda?

CAPVT XXXV.

HAEC autem mala est descriptio, si dixeris, Reprobationem esse æternam Dei voluntatem, proponentem suo tempore, hominem aggregare in perditionis massam, & facere eum in hac vita, vel indignum regno cęlorum, vel dignum pœnis tartarorum; Quia ad opera mala, quibus homo dignus efficitur gehenna; iustus iudex non vocat, nec excitat prauos ad hoc concupiscētiæ motus; quemadmodum Iacobi primo dicitur, Nemo cum tentatur, dicat, quoniam à Deo tentatur, Deus enim intentator malorum est. Cui adstipulatur doctrina August. Hæc autem bona est descriptio: Reprobatio est diuina voluntas, permittens rationalem creaturam, aut peccare, aut habere peccatum; præparans pœnam peccatis debitam. Hanc descriptionem comprobat D. Tho. quando dicit, Sicut prædestinatio includit voluntatem conferendi gratiam & gloriam, ita reprobatio includit voluntatem permittendi aliquem cadere in culpam, & inferendi damnationis pœnam pro culpa. Non ignorandum est autem vniuersum genus humanum, primordiali delicto esse damnatum, teste Apostolo Paulo: Eramus natura filij iræ sicut & cæteri. Et: Omnes in Adam moriuntur. Et: Per vnum hominem peccatum intrauit; & proinde æternę morti obnoxium extitisse, adeò vt iustissimè Deus vniuersum genus nostrum peccato protoparentis viciatum, gehēnalibus flammis æternaliter cruciandum tradere potuisset, vt docet August. Quosdam tamen sua benignitate & incomprehensibili bonitate, ex hac corrupta massa eripit, ad manifestandam misericordiæ suæ largitatem. Ad pulchritudinem siquidem & vniuersi decorem, diuersi in rebus requiruntur gradus, secundum Apostolū: In magna domo, inquit, non solum sunt

Mala reprobationis descriptio.
Lib. de bono perseuer. ca. 6. Tract. 42. & 43. in Ioannē. Et 4. in epist. Ioannis.
Bona reprobationis descriptio.
1. part. quæst. 23 art. 3.
ad Ephes. 2.
1. Corinth. 15
Ad Rom. 5.
Epist. 10. quæ est ad Paulinū. Epist. 105. ad Sixtū, 167. ad Optatū Lib. 83 q q. 38. & de prædest. sanct. cap. 9.
Quosdam de massa perditionis eripit.
1. ad Tim. 2.

ſunt vaſa aurea & argentea, ſed etiam lignea & fictilia. Nec iſtud contingit ex figuli impotentia ſeu inſipientia, ſed ex domus conditione neceſſaria, in qua vaſa eſſe debent, non ſolùm in honorem, verùmetiam in contumeliam. Hinc di-
Rom. 9. citur: Volens Deus oſtendere iram, id eſt, iuſtitiæ vindictam, & notam facere potentiam ſuam, ſuſtinuit in multa patientia vaſa iræ ad interitum.

Cur vnus à Deo eligatur alter relinquatur?

CAPVT XXXVI.

Cvm autem Deus omnes prædeſtinare potuiſſet, accumulatioribus diuinorum chariſmatum donis, iniquorum mentes emollire valuiſſet, vniuerſoſque ad
Lib. Enchir. ca. 98. Et lib. 11. de Gen. ad lit. ca. 6. et 9. beatitudinem perducere; haud difficulter potuiſſet, teſte Auguſt. cur quoſdam perire ſinit? Rurſus, cur illa quæ fecit in Iſraël, non fecit apud Tyrios & Sidonios, quos credituros prænuntiat fuiſſe, ſi eadem videre licuiſſet? Cur, inquam an-
Cur vnũ eligendo, alterum deſerat? terioribus ſeculis, dimiſſæ ſunt omnes gentes ingredi vias ſuas, vno tantum Iſraële, qui diuinis eloquijs erudiretur excepto, & ad cognitionem veritatis electo, cuius infidelitas lo-
Luc. 10. cum tandem ſaluandis gentibus fecerit? Tanquam ſi vnus
Actor. 14. populus in fide ſui generis permaneret, miſericordia Dei, cæteris ſe nationibus præſtare non poſſet? Cur deniq; ipſi, quo-
Roma. 11. rum diminutio ſalus gentibus eſt, ab obcæcatione ſua non liberētur, priuſquam ingrediatur Gentium plenitudo; quaſi illuminari cum omnibus nequeāt, qui omnes facta omnium Gentium adoptione ſaluandi ſunt? Aut quomodo omnis Iſraël ſublata obcæcatione ſaluandus eſt, cuius innumerabilis multitudo in ſua infidelitate deficiens, ad tempora ſaluandis promiſſa non peruenit? vel quomodo ipſarum Gentium quarum prius non eſt facta vocatio, dicatur nunc ingredi plenitudo, cùm tanta promiſcuæ ætatis & conditionis hominum milia, in omnibus nationibus quæ ſunt ſub cælo ſine Chriſti
Incomprehenſibilium myſteriorũ aſylũ. iuſtificatione moriantur? Sed horum myſteriorum iudiciorumque cauſas, pius & doctus magiſter ac doctor Gentium Paulus Apoſtolus, ad altitudinem diuitiarum ſapientiæ Dei
Rom. 11. ſcientiæque ſuſpendere maluit; quàm iuſtiſſimæ veritatis & miſericordiſſimæ bonitatis ſubtractum, ab humana cognitione ſecretum, temeraria inquiſitione diſcutere, nihil omittens de ijs quæ non oportet ignorari; nihil contrectans de ijs, quæ non licet ſciri: Multa enim ſunt in diſpenſatione operũ diuinorum, quorum cauſis latentibus, ſoli monſtrantur effectus; vt cùm pateat quod geritur, non pateat cur geratur; negotio in medium deducto, & in occultum ratione ſubducta,

vt in

vt in eadem re, & de in inscrutabilibus præsumptio comprimatur; & de manifestis falsitas refutetur. Neque enim si nescio, cur ille Græcus creetur, hic Barbarus, iste in diuitijs, ille in egestate nascatur; hunc valida proceri corporis pulchritudo sublimet, illum debilium membrorum exilitas contracta deformet; iste à catholicis æditus, in veritatis cunabulis moriatur, ille hęreticorum progenies cum ipso lacte matris hauriat virus erroris; si denique mille alias differentias, in habitu corporum, in qualitatibus animorum, in conditione temporum, in more regionum diiudicare non possum; ideo quod omnium horum Deus sit conditor atque ordinator, ignoro. Qui vtiq; singulorum hominū, ita & corpora creauit & spiritus, vt præter illam sequuturam ex vniuscuiusq; studio voluntariam diuersitatem: ipsa cōditionis exordia dissimillima numerositate variaret. Turbarent autem nos, & in diuersum distraherent multæ vaniloquiorū opiniones, qui de incognoscibilibus deuenire in inconuenientia, pręsumpserunt; & has originales inæqualitates fatis quæ nulla sunt, teste Aug. Ambros. Leone, syderibus deputârunt, nisi certissima notitia teneremus Deum creatorem, de elementis naturalibus, prout vult vas vnumquodque formare; & vnam naturā animarum, vnam naturam corporum, placitis sibi temperare mensuris. Quæ vtique opera Dei, humanæ intelligentiæ cognoscibilia essent, si innotescere debuissent, & manifestaretur cur ita quidque fieret, nisi quod ita fieret, scire sufficeret. Sciendum est nihilominus, teste beato Greg. Quia aliud est, quod omnipotens Deus misericorditer tribuit, aliud quod iratus haberi finit: Nam quod prædones, peruersè faciunt, hoc dispē-sator æquissimus fieri, non nisi iustè permittit, vt & is qui rapere finitur, cæcatus mente, culpam augeat, & is qui rapinam patitur, iam in eiusdem rapinæ damno, pro alia quam ante perpetrauit culpa, feriatur. Ecce enim quidā in montis fauce constitutus, insidiatur itinerantibus, sed is qui iter agit, eiq; omnipotens Deus malum suum in præsenti vita retribuens; atque hunc insidiatoris manibus tradens; vel spoliari rebus, vel etiam interire permittit. Quod ergo prædo iniustè appetijt, hoc æquissimus Iudex, iustè fieri permisit, vt & ille reciperet quod iniustè fecerat, & iste grauius quandoq; feriatur; per cuius nequissimā voluntatem, culpam omnipotens Deus in alterum iustè vindicauit. Ille purgatur qui opprimitur, in isto reatus augetur, qui opprimit; vt vel de profundo nequitiæ, quandoque ad pœnitentiam redeat; vel non reuertens, tantò grauius æterna damnatione feriatur; quanto diu in sua iniquitate est toleratus. In illo mala purgantur, dum vim sustinet, in isto cumulantur dum facit. Omnipotens itaque

Tract. 6. 8. & 37. in Ioan. Lib. 4. Hexameron. ca. 4. & Epist. 93. cap. 11. ad Turbiū Episcopū Asturicensem. Et Concil. Bracarē. 1. can. 9. Lib. 11. Moral. ca. 2. Item li. 33. c. 11. et 13. necnō 17.

Iustus in itinere, quare ab iniusto trucidetur & opprimatur.

itaque Deus, quod fieri prohibet, iustum est, vt fieri sinat; vt vnde nunc expectat, & non conuersos diu tolerat; quandoq; inde plus feriat. Potest etiam dici, quod Deus nulli aliquid debeat, secundum sententiam Matth. 20. positam, Tolle quod tuum est, & vade, volo autem huic nouissimo dare, sicut & tibi, An non licet mihi de re mea facere quod volo? An oculus tuus nequam est, quia ego bonus sum? Amice, non facio tibi iniuriam. Sed videtur scrupulus manere, quia nec prædestinatis aliquid debet, quare ergo hos & non illos, reprobando relinquit? Profectò D. August. voluit diligenter & reuoluit negotium geminorum vno concubitu seminatorum, Esau & Iacob; tandem infinitæ rei determinatam non inueniens mensuram, lib 1. quæst. 2. ad Simplicianum, exclamare cogitur; Nunquid iniquitas est apud Deum? absit. Non pudeat nos idem responsare, inquit, Quoniam pertinet prælibata quæstio ad illam altitudinem iudiciorum Dei, quam mirans tanquam expauit Apostolus: O altitudo, inquit, diuitiarum sapientiæ & scientiæ Dei, quàm incomprehensibilia sunt iudicia eius, & inuestigabiles viæ eius! Ideo quippe inuestigabiles illa iudicia vocat, ne quis talia fieri existimet; siue iniquitate, siue temeritate faciētis; siue casu fortuito, secundum August. Hoc nos perscrutari posse opinaris, quod Apostolus Paulus expauit? Inscrutabilia sunt iudicia eius, & tu scrutari venisti? inuestigabiles sunt viæ eius, & tu inuestigare venisti? tale est velle scrutari inscrutabilia, & inuestigabilia inuestigare, quale est velle inuisibilia videre, & ineffabilia fari. Hanc ferè solutionem, seu potius diuinorū secretorum stupendæ profunditatis, admirationem videre est apud August. Scrutetur, inquit, qui potest iudiciorum Dei tam magnum profundum, veruntamen caueat præcipitium: occulta namq; causa esse potest, secundum eundem, iniusta esse non potest. Nihilominus D. Thomas lib. contra Gentiles, triplicem videtur assignare causam, quare Deus quosdam ad pœnitentiam emolliendo, à peccatis liberet; alios verò indurando, relinquit. Prima est, vt diuinæ misericordiæ largitas, præter communem ordinem rebus inditum, omnibus innotesceret. Exempli gratia: Quando cæcum illuminat, aut mortuum suscitat, hoc facit ex sua singulari benignitate, præter communem naturæ cursum, quia non omnes cæcos illuminat, nec omnes vita functos, protinus licet possit, suscitat; vt congruus ordo seruetur in rebus. Sic quosdam liberat, alios in massa damnationis dimittit, vt Gregor. magnus docet. Secunda, vt manifestetur euidentia diuinæ pietatis: Quemadmodum enim in reprobis ostendit iustitiæ rigorem damnando, ita in aliquibus diuitias bonitatis & misericordiæ, liberando; vt liquet

Epist. 105. ad Sixtū. Et Enchirid. ca 99. Et Prosper li. 1. de vocat. gent. cap. 5.
Roman. 11.
Inscrutabilia Dei iudicia.
Epist. 59. ad Paulinum, ad solut. 7. q. de sancta virginit. cap. 42.
Tract 45. super Ioā Et ser. 20 de verbis Apost.
Lib. 2. cap. 6. contra 2. epist. Pelag. Lib. 4. ca 8. cōtra Iulianum. Epist. 105. ad Sixt.
Lib. 1. de prædest. san. c. 13. De bono perse. ca. 8. 11. & duobus sequēt. De grat. et lib. arb. c. 22. & 23. & de corrept. & gratia cap. 8. Lib. 83 q. q. 38. Lib. 1. de peccat. merit. et remiss. c. 21. Et de sancta virgin. c. 42.
Cap. 161.
Lib. 27. Moral. ca. 2. item lib. 29. ca. 9. & 18.

ſiquet in latronibus cruci adfixis, & Paulo perſequutore. *Luc. 23.*
Tertia ex complacentia diuinæ voluntatis: Sicut enim Dei *Actor. 8.*
voluntate creaturæ differentes ſunt creatæ digniores & in- *Rom. 9.*
digniores,& ſicut ex vna materia argillæ,quædam vaſa figu-
lus format ad vſus honeſtiores, nimirũ amphoras, cyphos,&
quædã ad ignobiliores,puta ollas & cacabos,&c.pari modo ſe
habet res in propoſito,quia ex quo tota natura eſt corruptio-
ni obnoxia, quoſdã iuſto iudicio præcipites ruere permittit.

Deus an ſit reprobationis cauſa?

CAPVT XXXVII.

VERVM contra prędictã permiſſionẽ in deſcriptione
ſuperiori poſitã;obijci poteſt ſcriptura,quę dicit: Ego *Exod. 4.*
indurabo cor Pharaonis. Rurſus: Cui vult miſeretur, *Roman. 9.*
& quem vult indurat. Et: Deus huius ſeculi excæcauit men- *Deus videtur*
tes infidelium. His namque ſimilibuſq; ſcripturarum locis, *cauſa indura-*
videtur Deus cauſaliter,non ſolùm permiſſiuè indurare ho- *tionis.*
minem,quo minus à diaboli laqueis reſipiſcat. Hîc ſciẽdum *2. ad Cor. 4.*
eſt,ſecundum Thom.duplicem eſſe indurationem, Prior di- *In ſcripto 1.*
cit mentem obſtinatam in malo culpæ,& quia ſic eſt pecca- *diſt. 41. q. 2.*
tum, non eſt à Deo, qui nulla ratione author peccati cenſen- *Duplex eſt*
dus eſt,ſed eſt à mala hominis voluntate,inquãtum liberum *induratio.*
arbitrium adhærens peccato, auertitur totaliter à Deo, quò
(quantum in ſe eſt) meretur gratiæ emollientis ſubtractio-
nem,manifeſtè patet de Pharaone,quem Deus præuidit ſua *Exod. 3.*
impia voluntate cor obduraturum; Scio,inquit,quia non di-
mittet vos rex Aegypti. Et: Ingrauatum eſt cor Pharaonis, *Cap. 7.*
non vult dimittere populum. Hac conſideratione,opus Pha-
raonis,& ſimilium impiorum, non eſt opus Dei, ſecundum
Auguſt. Quando enim poſuerunt cor,vt adamantem, ita vt *De prædeſt. &*
noluerint auſcultare voci Domini,tunc à talibus recedendo, *grat. cap. 14.*
gratiamque dandam, ipſorum culpa iuſtè ſubtrahendo illos *& 15.*
dimittit. Poſteriori modo, Indurare dicitur per metaphorã à *Lib. 4. Meteo-*
corporea duritiæ ſumptam: nam durũ in corporibus dicitur, *rorum cap. 4.*
quod tactui minimè cedit. Sic cor dicitur obduratum,quãdo
diuinæ non cedit inſpirationi: Et quemadmodum indurata
cæra, ſigilli impreſſionem non admittit, ita cor humanum *Similitudo*
ſponte obduratum,diuina chariſmatum dona repellit: Sicut *perelegans.*
bonus ſcriba,pingens ſuper chartam perfluidam, aut per ca-
lamum ineptum, eſt cauſa bonitatis, ſi quæ reluceat artificis
in illa ſcriptura, ſed non eſt cauſa deformitatis in opus ſcri-
ptum prodeuntis: hæc nempe oritur, non quòd ſcriba malè *Lib. 1. Sent.*
ſcripſerit, ſed quia charta erat vitiata, aut calamus ineptus, *diſtinct. 38.*
vel ſicut ſanctus Bonauent. habet: Si artifex operetur in ma-

teria nodosa,quę minus esset idonea ad receptionem speciei, præsciret, quod defectus esset in imagine, sed non in seipso, sic in obstinata hominis volũtate,est obdurationis causa,non

Epist.105.ad Sixtum.

in Deo,teste August. Et lib de prædest. & gratia cap.4. Illum Deus indurat, inquit, quem exigentibus culpis non emollit: Non enim arbitrandum est,Deum indurare malitiæ immis-

Malorum voluntates,quomodo Deus dirigat.

sione,aut quod voluntatem peccati,aut furandi impartiatur; sed tamen homini impio, & furati parato, nonnunquã immittit seu dirigit voluntatem, nocendi, potius huic genti; quàm illi, Esa. 10. Væ Assur virga furoris mei & baculus ipse est. Itaque malorum desideria,non explentur opere; nisi secundum ordinem diuinæ prouidentiæ, disponentis, hæc aut illa

Lib.imperfecto de Gen. ad lit. cap.5. Et lib.3.ca.8. de libero arbit.

in eorum peruenire potestatem, secundum Aug. & Gregor. Permissione igitur, & gratiæ subtractione duntaxat, Deus dicitur obdurare: Non enim prauorum mentes ad culpam format,sed à culpa non liberat, teste Gregor. vt cougruo satis exemplo demonstrat D.August. Quid est autem, inquit,

Lib.11. Moral.ca.5. Lib.14 cap.15. Lib 29.Moral cap.15. Serm.88. de temp.

quod dixit Deus, Ego indurabo cor eius, nisi cùm absuerit gratia mea, obduret eum nequitia sua? Et vt hoc euidentius possit agnosci, aliquam similitudinem charitati vestræ proponamus: Sicut enim quoties nimio frigore constringitur aqua,& solis calore superueniente, iterùm resoluitur, & discedente eodem sole,obduratur rursum: Ita nimirum,frigore peccatorum, refrigescit charitas multorum, ac velut gla-

Exod.4.& 7. Simile. Quæst.10.

cies obduratur. Item D.Hierony. epistola ad Hedibiam,quæ incipit,Ignoto vultu, sic habet. Sicut vnus est calor solis, & secundum essentias subiacentes alia liquefacit, alia indurat, alia soluit,alia constringit: Liquatur enim cera, & induratur lutum, & tamen caloris non est diuersa natura; Sic bonitas Dei & iustitia, vasa iræ quæ apta sunt ad interitum, indurat; alios conuersos recipit. Ex his ni fallor perspicuum fit, quod nemo à Deo optimo maximo relinquatur,nisi seipsum prius reliquerit,& se à summo bono obdurando auerterit; quem-

Sess.6. cap.6.

admodum docet generalissimum Concil. Trident. estque desumptum ex prælibato D. Aug. Sermone. Deus sua gratia,semel iustificatos non deserit; nisi ab eis prius deseratur. Et cùm semel,bis, terq;,quaterque vnusquisque grauia com-

Rom.2. Ezech.33. Deus, nunquã relinquit hominẽ, nisi desertum.

miserit peccata;expectat tamen Dei benignitas ad pœnitentiam, vt conuertatur & viuat, & quos iratus relinquere incipit, non prorinus totaliter gratiæ suæ lumen subtrahendo deserit; quin magis pro loco & tempore vt resipiscant reuertitur; pulsans ad obdurati ac obstinati cordis ostium, offertque tale præsidium, quo possent sese ad sui conuersionem accommodare; & cooperari intrinsecus inspiranti, teste Augustino, nulli agnoscendæ veritatis abstulit facultatem.

Item

Item: Et lib. contra art. sibi falsò impositos, articul. 15. Et *De prædest. & gratia ca. 13.*
lib. 2. sermonum Domini in monte. Nulla est anima, inquir, quantumuis peruersa, quæ tamen vllo modo ratiocinari possit, in cuius conscientia non loquatur Deus. Nec refragratur his sententia. Non potest corrigi quem Deus despexerit, quia explicat diuinam prouidentiam non posse falli, aut ab humana voluntate superari. Nihilominus ipsi possunt, se, Deo suppetias ferente, corrigere; quod si facturi fuissent, hoc vtique Deus ab æterno nouisset, nec ipsos reprobasset; sed quia in peccatis (secundum August. quorum multitudine desperatio nascitur, ex qua obduratæ mentis audacia) perdurare non pertimescunt, iustissimè relinquuntur, & ad omne genus flagitiorum ruere, diuino præsidio destituti, permittuntur.

3. lib. de Trinit. cap. 12. Eccles. 7. *Serm. 88. de temp.*

Tradere & Esau odio habere sacris in literis quid?

CAPVT XXXVIII.

Nec etiam his præfatis aduersatur authoritas Geneseos, Iacob dilexi, Esau autem odio habui. Quia tantùm extitit vaticinium futurorum, vti clarissimis edocet verbis D. Ioannes Chrysost. Hoc autem non est temerè factum: (inquit) sed vt Prophetia compleretur, quæ dicit: Iacob dilexi, Esau autem odio habui. Nam cùm Deus futurorum sit præscius, prædixit & huius virtutem, & mentis illius malitiam. Huic consentaneus est diuus Hieronymus, Esau odio habuit, quia præuidit ipsius iniquitatem. Et in primum caput Malach. Odium Dei, vel ex præscientia nascitur futurorum, vel operibus. His calculum suum non recusat D. Ambrosius Episcopus Mediolanen. Esau odio habuit, sicut de præscientia, Pharaonem, damnandum censuit, sciens, ipsum se non correcturum. Nec ideo tradidit dominum Iudas, quia Prophetæ prædixerunt, secundum Origenem, sed quia futurus erat proditor, ea quæ ille ex propositi sui nequitia gesturus erat, prædixerunt prophetæ. Cùm vtique Iudas, in potestate habuisset, & fuisset similis Petro & Ioanni, si voluisset; sed elegit magis æternæ perditionis baratrum, quàm Apostolicæ dignitatis consortium; & hanc eius voluntatis prauitatem futuram, præuidentes Prophetæ, librorum monumentis posteris transmiserunt. Quo perspicuum fit, quod licet Deus ab æterno omnia præsciuerit, non tamen impartitur malum culpæ, cùm tria potissimum requirantur, vt Deus causa alicuius dici queat, secundum Hugonem de sancto Victore. Primò, voluntas mouens, secundo, scien-

Cap. 25. Malach. 1. Rom. 9. *Iacob dilexi, Esau odio habui, quid?* *Homil. 51. super Genesim.* *Epist. ad Hedibiam.* *Super 9. cap. epist. ad Rom.* *Super illa verba 3. ca. epist. ad Rom. Quos vocauit, &c.* *Tria requiruntur vt Deus alicuius causa dici queat.* *Li. 20. de Sacra. par. 2. c. 6*

scientia disponens, tertiò potẽtia operans. Vnde manifestum euadit, Deum non propriè causam rerum esse ratione præscientiæ tantũ, sed ratione scientiæ dirigentis voluntatis imperantis, simul & potentiæ exequentis. Nec ex illo, Tradidit illos Deus, &c. consequitur quòd Deus sit causa peccati, quia teste Ambrosio, super præfatum scripturæ locum, Traditi sunt, non vt illa agerent, quæ nolebant; sed vt illa perficerent, quę desiderabant. Tradere enim, est permittere; non incitare aut immittere, inquit D. Ambrosius ibidem, vt ea quę in desiderijs conceperunt, adiuti à diabolo, explerent in opere. Sic Origenes: Traduntur (inquit) qui præcedentibus causis culparum, iure & meritò deseruntur à Deo. Et paulò post: Nec enim vi res agitur, neq; necessitate, in alteram partem anima declinatur; alioqui nec culpa eius, nec virtus posset adscribi, nec electio boni præmium, nec mali supplicium mereretur, sed seruatur ei in omnibus libertas arbitrij, vt in quodcunq; voluerit, declinet, sicut scriptum est: Ecce posui ante faciem tuam vitam & mortem, ignem & aquam. Atque istud aliquantò post, luce meridiana clariori demonstrat exemplo. Ponamus, ait, aliquod domiciliũ, in quo cum corpore & spiritu, velut cum duobus consiliarijs, habitet anima, pro foribus verò huius domicilij, adstare pietatem, omnesque cum ea virtutes: ex alia verò parte impietatem, omnesq; luxuriarum ac libidinum formas, expectare animæ nutum, vtrum ex duobus ante fores obseruantibus introduci ad se desideret, quem repelli. Nónne si spiritui obtemperans, & meliori vsa consiliario, pietatis & pudicitiæ ad se reuocauerit chorum; ille alius spiritus repudiatus recedet? Si verò carnis vsa cõsiliarijs, impietatis ad se & libidinis introduxerit turmam, nónne omnis illa sanctitatis & pietatis corona, cui malorum anima consilium præposuit, ista cum indignatione recedet, & membrum Christi & templum Spiritus sancti relinquẽs, eam in desiderijs cordis sui permittet?

Roman. 1. — *Tradere quid?* — *Lib. 1. cap. 1. super epist. ad Roman.* — *Idoneum paradigma.*

Error modernorum hæreticorum eliditur.

CAPVT XXXIX.

NON obstantibus tam euidentibus patrum testimonijs, Martinus Lutherus prædictum Pauli locum detorquet, vt quisq; sibi persuasum habere debeat, Deũ non modò causam peccati esse, verùm ita efficacem, vt ad malum propellat: Ait namque, non esse in potestate nostra, malas vias facere, sed Deum in impijs mala operari. Imò blasphemus Bucerus, exponens præfatum Pauli locum ad Romanos primo, adseuerare non veretur, ipsum negare

Error Martini Luth. art. 36.

Deum,

Deum, qui negat Deum cogere hominem ad peccandum, hoc enim, inquit, significat, tradidit. O incredibilem humani cordis cæcitatem, quòd vt tenebras densissimas quibus offusum est, lumen solaribus radijs rutilans appellitare queat; lumen æternum diuinæ claritatis, obscuritatis insimulare non pertimescit! O versipelles antiqui serpentis soboles, firmissimum illudque tritissimum contra vos (vt missa breuitatis ergò faciamus quæ præmissa sunt de præscientia Dei) militat axioma, ex D. August. mutuatum: Peccatum est vsque adeò voluntarium, vt nullo modo sit peccatum, nisi sit voluntarium. Contra ista bifariam replicare contendunt: Priori modo adserunt. Tradere, aliquid amplius includere quàm permittere, teste August. qui insinuare videtur, Deum non solùm deserendo, & permittendo, peccatores tradere; sed inclinando. Verùm ista sententia Augustiniana non est intelligenda, quasi Deus malitiam immittat; sed quod iusto iudicio vindicans, non solùm non gratiam apponit, qua cohibeantur prauæ inclinationes, sed etiam offert occasiones, quibus grauius, suo tamen malo impacti, vertentes bonas occasiones, in occasiones peccati, pereunt, sic Psal. 80. dicitur: Dimisi eos secundum desideria cordis eorum, ibunt in adinuentionibus suis. Et Matth. 6. Ne nos inducas in tentationem, id est, Non sinas nos induci, vel non patiatis, secundum Greg. & August. Deinde permittere, inquiunt, non est Deo mitius, quàm facere. Respondendum est istis zoilis, nihil alio mitius esse in Deo, sed vniuersa idem existere, quia in Deo nulla est cõpositio, nec formæ multiplicatio, & proinde cùm peccatum non ignoretur diuinæ voluntati contrarium, conficitur quòd nullo modo sit peccati causa alioqui enim compelleret hominem facere, quod sua diuina voluntas fieri interdiceret, quam contradictionem impossibile est cadere in Deum. Præterea, peccatum est vsqueadeò voluntarium, vt si non sit voluntarium, non sit peccatum, vti manifestum euasit ex Augustino; Ergo quòd cogente & impellente fit Deo, imputari ab ipso in peccatum est impossibile. Vltimò, si capessere iussa, consiliaque implere adeò sit Deo acceptum ac gratum, vt sit ei sacrificium nunquam non suauissimum, cunctisque victimis arietum & vitulorum præferendum; Obedientiam magis volo quàm sacrificium, ita vt coronam obtineant custodita, & peccata grauissimis cruciatibus, etiã flammis infernalibus digna, quomodo ab vno pijssimo domino, cui odio est impius, & impietas eius proficiscentur? Quomodo Phœbus lucidissimus, fulgoris radios simul, & cimmerias tenebras diffundere poterit? Vt autẽ reliquis, cũ rationibus, tum scripturarũ authoritatibus, patrumq; elucubrationibus,

Lib. de vera relig. ca. 14.
Peccatũ quale?
Lib. 5. contra Iulianũ ca. 3.
Et de grat. & lib. arb. c. 21.
Explicant hæretici.
Lib. 3. Moral. cap. 3.
De prædest. & grat. cap. 15.
Lib. imperfecto de Gen. ad lit. cap. 11.
Lib. 3. de lib. arb. cap. 8.
Et serm. 109. de tempore.
1. Reg. 15.

breuitatis amore supersedeamus, vice Colophonis subijciendus est Canon. concil. Trident. qui habetur Sess. 6. Canone 6. Si quis dixerit, inquit, nō esse in potestate hominis, vias suas malas facere, sed mala opera, ita vt bona Deum operari, non permissiuè solum, sed etiam propriè & per se; adeò vt sit propriū opus eius, non minus proditio Iudę, quàm vocatio Pauli; Anathema sit. Tertiò in reprobatione includitur damnatio finalis, quæ est diuinæ iustitiæ punitiuæ manifestatio. Hanc tanquam principalem effectum, propter peccata, Deus ordinauit; non quòd diuina iustitia pœnas ante peccatū meditetur, quia tum ex consequenti videretur intendere peccatum, cùm sine eo pœnas infligere non consueuerit, præparauit tamen, quod diuina æquitas redderet, non quod humana iniquitas admitteret. Vnde Fulgentius: Nihil aliud accipiendum existimo in illo 5. Aug. sermone, quo ad interitum quosdam prædestinatos dimittit, nisi ad interitum supplicij, non delicti, neque ad malum, quod iniustè admittunt; sed ad cruciatum, quem iustissimè patientur, quemque illis propria iniquitas meritò parit, & diuina æquitas iure optimo retribuit. Quemadmodū bonus & fidelis iudex, nō vult aliquem in ciuitate delinquere vel perire, quin potius omnes trāquillam vitam ducere. Nihilominus seditiosum furem, & homicidam vult extremo supplicio perdere. Cuius quidem vitam, primaria & antecedente voluntate, quantum in se est, desideraret: voluntate tamen secundaria & consequenti, vult eum non viuere, quippe qui sibi & alijs perniciosè viuit; Pari modo, Deus cupit omnes rectè viuere; tamen, suo malo deprauatos; vult nō impunè euadere, teste August. Sed cum Deus optimus maximus vniuersa, antequam fiant, cognoscat, quare quos præsciuit damnandos, & perpetuis ignibus cruciandos, nasci permittit? dicitur namque: Melius esset si natus nō fuisset homo ille, nimirum Iudas. Super quod Hieronymus & Theophylactus, vtilius esset nunquam esse na.um, quàm perpetua gehenna cruciatum. Respondit D. August. malos ob duplicem causam esse natos: Prior est, propter se, melius est namque miserum esse, quàm insensibilem aut omninò non esse, Secunda, propter alios, vt Augustinus idem docet: Mali nati perhibentur, non potissimùm propter se, sed propter alios, quos exercitatos reddunt, sicut scopæ, vbi alios expurgârunt, detritæ ignibus traduntur, vt impij æternis ignibus puniuntur: Verum peruersi & maligni duplici vsui sunt alijs, secundum Aug. Sic putate malitiam, quomodo ignem, incendere vis aliquid, illud quod admoues prius ardet, & nisi ardeat, non incendit: malitia autem procedit ex te, & quem prius vastat, nisi te? Deus tamen aliquorum bonorum vsibus malos

Lib. 1. de duplici Dei prædestinatione.

Qua Dei ordinatione, homines dēt pœnas æternas?

Quæst. 18. super Iosue, et in Psal. 4. & 77

Deus quare creauit æternis ignibus cruciandos?

Matt. 14.

Mali, duplici de causa nati.

Lib. 12. de ciuit. Dei, ca. 1.

Concione 2. in Psal. 36. & 77

Concione 1. super Psa. 34.

malos deputauit: Quemadmodum enim mali creaturis Dei bonis male vtuntur; ita malis, non solùm ad puniendos malos, vt liquet de Rege Israel. Verumetiam ad probandos bonos, vti consueuit, eodem teste lib Enchirid. ca. 96. Et lib. 18. de ciuit. Dei, cap. 49. Iudam proditorem sustinuit, vt ipsius mala operatione mundo succurreret perdito, & malorum tolerandorum bonis esset exemplo. Item mali, inquit, seruiũt bonis, non solùm obsequendo, sed persequendo, quomodo persequutores martyribus, quomodo limæ vel mallei auro, vbi sine dubio palea consumitur, aurum probatur. Non ergo glorientur, nec se extollant mali, quando bonis aliquas tribulationes immiserunt, quia cùm illos persequuntur in corpore, se occidere probantur in mente. 3. Reg. 22. Iob 1. Serm. 78.

De cultu latriæ. CAPVT XL.

PRIOREM in Decalogo locum obtinent, quæ ad Deum pertinent, posteriorem verò quæ ad proximum: quia eorum quæ proximo præstamus, causa Deus est. Tum enim ex Dei præcepto proximum diligimus, cùm propter Deum diligimus: ea verò sunt in priori tabula descripta. In ijs autem verbis quæ proposita sunt, vnius præcepti duplex est ratio, altera iubendi, altera prohibendi. Nam quod dicitur, Non habebis deos alienos coram me, eam habet sententiam cõiunctam, me verum Deum coles, alienis dijs cultum non adhibebis, prohibet igitur ac damnat idololatriam, obseruationes superstitiosas, vsum etiã artis Magicæ: vt nullam prorsus creaturam, quantumuis excellentem, pro Deo habeamus, sed solum vnum verum, æternum, immensumq́; Deum credamus, & confiteamur, eiq́; vni sacrificium & singularem summumq́ue cultum, quem Græci λατρείαν appellant, exhibeamus. Hoc fit, vt super omnia colamus, inuocemus, adoremus summũ illud æternumq́; bonum, optimum maximum Creatorem, Redemptorẽ, Saluatorem, viuum & immortalem Deum, qui est super omnia benedictus, omnis gratiæ & gloriæ largitorem. Quis autem sit hic cultus & sacrificium spiritale, quod supremo Numini præstandum sit, pulchrè declarat Lactant. Firmianus: Quisquis, inquit, omnibus præceptis cælestibus obtemperauerit, hic cultor est veri Dei, cuius sacrificia sunt, mansuetudo animi, & vita innocẽs, & actus boni, quæ omnia qui exhibet, toties sacrificat, quoties bonum aliquid ac pium fecerit. Deus enim non desiderat victimam, multi animalis, neque mortis ac sanguinis, sed hominis & vitæ. Ad quod sacrificium, neque verbenis opus est, neque fibris, neque cespitibus, quę sunt vtique vanissima: De vero cultu lib. 6. ca. 24.

ſed ijs quæ de intimo corde proferuntur. Itaq; in aram Dei, quæ verè maxima eſt,& quæ in corde hominis collocata,coinquinari non poteſt ſanguine; iuſtitia imponitur, patientia,fides,innocentia,caſtitas, abſtinentia. Hic eſt veriſsimus ritus,hæc illa lex Dei (vt à Cicerone dictum eſt) præclara & diuina,ſemperque recta & honeſta iubet,vetat praua & turpia,cui parentem ſanctiſſimæ ac certiſſimæ legi,iuſtè ac legitimè neceſſe eſt viuere. Idem,inſufficientem ſentētiam Platonis & Senecæ de cultu vnius Dei veri,oſtendens latius hoc ipſum argumentum,ſcitè declarat: Ebur(inquit Plato) non caſtum donum Deo? Quid ergo? picta ſcilicet & texta pretioſa? imò verò non caſtum donum Deo, quicquid ſurripi, quicquid corrumpi poteſt. Sed ſicut hoc vidit,non oportere viuenti offerre aliquid, quod ſit ex mortuo corpore: cur illud non vidit,non debere incorporali,corporale munus offerri? Quāto melius Seneca & verius? Vultis ne vos,inquit, Deum cogitare magnum & placidum, & maieſtate leui verendum amicum,& ſemper in proximo? Non immolationibus & ſanguine multo colendum(quæ enim ex trucidatione immerentium voluptas eſt?) ſed mēte pura, bono honeſtoq; propoſito. Non templa illi congeſtis in altitudinem ſaxis potiſſimum extruenda ſunt:in ſuo cuique conſecrandus eſt pectore,veſtes igitur & gemmas, & cætera quæ habētur in precio,ſi quis putet Deo chara,is planè quid ſit Deus, neſcit,cui putat voluptati eſſe eas res, quas etiam homo ſi quis contempſerit, iure laudabitur. Quid igitur caſtum? quid Deo dignum? niſi quod ipſe in illa diuina lege ſua popoſcit? Duo ſunt, quæ offerri debeant, donum & ſacrificium, donum in perpetuum, ſacrificium ad tempus. Verum apud iſtos, qui nullo modo rationem diuinitatis intelligūt,donum eſt,quicquid auro argentoque fabricatur, itemque quicquid purpura & ſerico texitur: Sacrificium eſt victima, & quæcunq; in ara cremantur. Sed vtroque non vtitur Deus, quia & ipſe incorruptus eſt, & illud totum corruptibile. Itaque Deo vtrunque incorporale offerendum eſt quo vtitur. Donum eſt integritas animi: Sacrificium,laus & hymnus. Si enim Deus non videtur, ergo his rebus coli debet, quæ non videntur. Nulla igitur alia religio eſt vera, niſi quæ virtute ac iuſtitia conſtat. Quomodo autem Deus iuſtitia hominis vtatur, intellectu facilè eſt. Si enim iuſtus fuerit homo, accepta immortalitate inæternum Deo ſeruiet. Summus igitur colendi Dei ritus eſt,ex ore iuſti hominis ad Deum directa laudatio: quæ tamen vt ipſa Deo ſit accepta humilitate & timore ac deuotione maxima opus eſt, ne quis fortè integritatis & innocentiæ fiduciam gerens, tumoris & arrogantiæ crimen incurrat;

De vero cultu lib 6. cap.25

Platonis de cultu Dei ſententia.

Seneca melius ſenſit.

Quæ duo Deo offerenda?

Deus quibus rebus colatur?

Summus colendi Dei ritus quis?

curratː eoque facto gratiam virtutis amittat. Sed vt sit Deo charus, omnique macula careat, misericordiam Dei semper imploret: nihilque precetur, nisi peccatis suis veniam. Si quid aliud desiderauerit, non est opus dicto, scienti quid velimus. Si quid ei boni euenerit, gratias agat: si quid mali, satisfaciat, & illud sibi ob peccata sua fateatur euenisse: & nihilominus etiam in malis gratias agat, & in bonis satisfaciat: vt idem sit semper & stabilis, & immutabilis, & inconcussus. Nec tantum hoc in templo putet sibi esse faciendum, sed & domi, & in ipso etiam cubili suo. Secum denique habeat Deum semper in corde suo cōsecratum, quoniam ipse Dei sit templum. *Vbique Deus est colendus.* Quod si Deo patri ac Domino hac assiduitate, hoc obsequio, hac deuotione seruierit, consummata & perfecta iustitia est: quam qui tenuerit, hic Domino paruit, hic religioni atque suo officio satisfecit. Diuus August. verò hunc cultum quem soli Deo debemus, luculenter declarat his verbis. Quæ λατρεία Græcè nuncupatur, & Latinè interpretatur seruitus: ea est qua colimus Deum, vel quæ θρησκεία Græcè, Latinè autem religio dicitur: vel quam illi θεοσέβειαν, nos verò non vno verbo exprimere, sed Dei cultum possumus appellare: hanc ei tantum Deo deberi dicimus, qui verus est Deus, facitque suos cultores Deos, quicunque igitur sunt in cęlestibus habitationibus immortales & beati, si nos non amant, nec beatos esse nos volunt, colendi vtique non sunt. Si autem amant, & beatos volunt, profectò inde volunt, vnde & ipsi sunt: An aliunde ipsi beati, aliunde nos? *10. ciuit. Dei cap. 1. λατρεία τί sit.* Idem in epist. ad Deogratias: Neque illinc, inquit, excusant impij sua sacrilega sacra & simulachra, quod eleganter interpretantur quid quæq; significent. *Epist. 49. q. 3* Omnis quippe illa interpretatio ad creaturam refertur, non ad creatorem, cui debetur seruitus illa religionis, quæ vno nomine λατρεία, Græcè appellatur. Nec nos dicimus terram, maria, cælum, solem, lunam, stellas, & quasdam non in promptu sitas cælestes potestates, esse dæmonia: sed cum omnis creatura partim corporalis sit, partim verò incorporalis, quā etiam spiritalem vocamus: manifestum est, id quod à nobis piè ac religiosè fit, à voluntate animi proficisci, quæ creatura spiritalis est, & omni corporali pręponenda. Vnde colligitur, corporali creaturæ non esse sacrificandum. Restat spiritalis, quæ vel pia vel impia est. Pia scilicet in hominibus, & angelis iustis Deo ritè seruientibus: Impia verò in hominibus & angelis iniquis, quos etiam dæmones dicimus. Ac per hoc nec spiritali, quamuis iustæ, creaturæ sacrificādum est: Quoniam quanto magis pia est & subdita Deo, tanto minus se tali honore dignatur, quem sciat non deberi nisi Deo. Quāto ergo perniciosius est sacrificare dæmonijs? An verò spiritalis *Corporali nec spirituali creatura est sacrificandum.*

creatura vlla, honore (quem à nobis exigit hoc primum & maximum mandatum) afficienda sit, latè deducit D. August. alio in loco his verbis, quæ quia eruditionem solidam secum adferunt, citare non grauabor. Nunc, inquit, vidēdum est ac differendum quantum Deus donat: Immortales ac beati in cælestibus sedibus, dominationibus, principatibus, potestatibus constituti, quos isti deos, & ex quibus quosdam vel bonos dæmones, vel nobiscum Angelos nominant, quomodo credendæ sint velle à nobis religionem, pietatemque seruari: hoc est, vt apertius dicam, vtrum etiam sibi, an tantum Deo suo, qui etiam noster est, placeat eis vt sacra faciamus, & sacrificemus, vel aliqua nostra seu nosipsos religionis ritibus consecremus. Hic est enim diuinitati, vel si expressius dicendum est, deitati debitus cultus, propter quē, vno verbo significandum, quin satis mihi idoneum non occurrit Latinum, Græco, vbi necesse est, insinuo, quid velim dicere, λατρείαν quippe nostri, vbicunque sanctarum scripturarum positum est, interpretati sunt seruitutem. Sed ea seruitus, quæ debetur hominibus, secundum quam præcipit Apostolus, Seruos dominis suis subditos esse debere, alio nomine Græcè nuncupari solet. Latria verò, secundum consuetudinem qua locuti sunt, qui nobis diuina eloquia condiderunt, aut semper, aut tam frequenter, vt penè semper, seruitus ipsa dicatur, quę pertinet ad colendum Deum. Proinde si tantummodo cultus ipse dicatur, non soli Deo deberi videtur. Dicimur enim etiam colere homines, quos, honorifica vel recordatione vel præsentia frequentamus. Nec solum ea, quibus nos religiosa humilitate subijcimus, sed etiam quæ subiecta sunt nobis, coli perhibentur. Nam ex hoc verbo, agricolæ, & coloni, & incolæ vocantur. Ac per hoc cultum quidem non deberi nisi Deo, propria quadam notione verbi huius verissimum est. Sed quia & aliarum rerum dicitur cultus, ideò Latinè, vno verbo significari cultus Deo debitus non potest. Nam & ipsa religio, quamuis distinctius non quemlibet, sed Dei cultum significare videatur: vnde isto nomine, interpretati sunt nostri eam, quæ Græci θρησκεία dicitur: tamen quia Latina loquendi consuetudine, non solum imperitorum, verum etiam doctissimorum, & cognationibus humanis atque affinitatibus, & quibusque necessitudinibus dicitur exhibenda religio: non eo vocabulo vitatur ambiguū, cùm de cultu deitatis vertitur quæstio: vt fidenter dicere valeamus, religionē non esse, nisi Dei cultum: quoniam videtur hoc verbum à significādo obseruantia propinquitatis humanæ insolenter auferri. Pietas quoque propriè Dei cultus intelligi solet, quam Græci εὐσέβειαν vocant. Hæc tamen & erga parentes officiosè haberi dicitur.

10. de ciuit. Dei cap. 1.

Latino nomine destituimur ad cultū soli Deo debitum significandum.

Ephes. 6.

Obserua de dulia & latria contra Vallem & Caluinū.

Cùm homines & agros colamus, imagines sanctorum non colemus?

Religio an soli Deo datur?

Pietas an soli Deo?

dicitur. More autem vulgi hoc nomen etiam in operibus misericordiæ frequentatur: quod ideo arbitror euenisse, quia hæc fieri præcipuè Deus mandat, eaque sibi vel pro sacrificijs, vel præ sacrificijs placere testatur. Ex qua loquendi consuetudine factum est, vt & Deus ipse dicatur pius: quem sanè Græci nullo suo sermonis vsu εὐσεβεῖν vocant, quamuis εὐσέβειαν pro misericordia illorum etiam vulgus vsurpet. Vnde in quibusdam scripturarum locis, vt distinctio certior appareret, non εὐσέβειαν, quod ex bono cultu, sed θεοσέβειαν, quod ex Dei cultu compositum resonat, dicere maluerunt. Vtrumlibet autem horum, non vno verbo enunciare non possumus. Ex quibus August. verbis, facilè sensatus Lector colliget, quamobrem diuinus honor nullæ creaturæ sit impendendus, & quibus nominibus significetur. Quid autem in rei veritate sit hic cultus soli Deo debitus, quem hoc præcepto illi tenemur impendere. August. alio in loco concinne admodum declarat, dicens: Huic vni Deo nos seruitutem, quæ λατρεία dicitur Græcè. siue in quibusuis sacramentis, siue in nobisipsis debemus. Huius enim tẽplum simul omnes & singuli templa sumus, quia & omnium concordiam & singulos inhabitare dignatur: non in omnibus quam in singulis maior, quoniam nec mole distenditur, nec partitione minuitur. Cùm ad illum sursum est, eius est altare cor nostrum: eius vnigenito cum sacerdote placamur: ei cruentas victimas cędimus, quando vsque ad sanguinem pro eius veritate certamus: & suauissimum adolemus incẽsum, cùm in eius conspectu pio, sanctoque amore flagramus: ei dona eius in nobis, nósque ipsos vouemus & reddimus: ei beneficiorum eius solennitatibus, festis & diebus statutis dicamus, sacramusque memoriam, ne volumine temporum ingrata subrepat obliuio: ei sacrificamus hostiam humilitatis & laudis in ara cordis igne feruidæ charitatis. Ad hunc videndum sicut videri poterit, eique cohærẽdum, ab omni peccatorum & cupiditatum malarum labe mundamur, & eius nomine consecramur. Ipse enim fons nostræ beatitudinis, ipse omnis appetitionis est finis. Hunc eligentes, vel potius religentes, amiseramus enim negligentes: hunc ergo religentes, vnde & religio dicta perhibetur, ad eum dilectione tendimus, vt perueniẽdo quiescamus: ideo beati, quia illo fine perfecti. Bonũ enim nostrum, de cuius fine inter philosophos magna contentio est, nullum est aliud, quam illi cohærere, cuius vnius anima intellectualis in corporeo, si dici potest amplexu, veris impletur fœcundaturque virtutibus. Hoc enim bonum diligere in toto corde, in tota anima, & in tota virtute præcipimur. Ad hoc bonum debemus, & à quibus diligimur, duci: & quos diligimus, ducere.

Aug. ciuit. Dei lib. 10. cap. 4.

λατρεία Christiana vera.

Dies festi, cur instituti.

Religio vnde dicta.

Dilectio summa legis & prophetarum.

cere. Sic complentur duo illa præcepta, in quibus tota lex
Matth.22. pendet & prophetæ: Diliges Dominum Deum tuum in toto corde tuo,& in tota anima tua,& in tota mēte tua: & diliges proximum tuum tanquam teipsum. Vt enim homo sese diligere nosset,constitutus est ei finis,quo referret omnia,quæ ageret vt beatus esset. Non enim qui se diligit,aliud esse vult quam beatus. Hic autem finis est,adhærere Deo, iam igitur scienti diligere seipsum,quid aliud mandatur,nisi vt ei quantum potest,commendet diligendum Deum? Hic est Dei
Dei cultus verus. cultus, hæc vera religio, hæc recta pietas, hæc tantum Deo debita seruitus. Quæcunq; igitur immortalis potestas quantalibet virtute prædita,si nos diligit sicut seipsam,ei vult esse subditos,vt beati simus,cui & ipsa subdita beata est. Si ergo non colit Deum misera est,quia Deo priuatur: si autem colit Deum, non vult se coli pro Deo. Illi enim potius diuinæ sententiæ suffragatur, & dilectionis viribus fauet, quia scri-
Exod.22. ptum est: Sacrificans dijs eradicabitur, nisi Domino soli. Nam vt alia nunc taceam,quæ pertinent ad religionis obse-
Sacrificiū soli Deo debetur. quium,quo colitur Deus,Sacrificium certè nullus est hominum, qui audeat dicere deberi,nisi Domino soli. Multa denique de cultu diuino vsurpata sunt, quæ honoribus deferuntur humanis: siue humilitate nimia, siue adulatione pestifera: ita tamen,vt quibus ea deferuntur,homines haberentur,qui dicuntur colendi & venerandi: si autem eis multum additur,& adorandi. Quis verò sacrificandum censuit, nisi ei,quē Deum aut sciuit,aut putauit,aut finxit? Quam porrò
Genes.4. antiquus sit in sacrificando Dei cultus, duo illi fratres Cain & Abel satis indicant, quorum maioris Deus reprobauit sacrificium,minoris aspexit. Hactenus August. de cultu in genere,quem supremo Numini ex primo pręcepto,pręstamus.
Obserua cur præceptum est negatiuè datū. Neminem verò moueat, quamobrem legislator vsus sit expressione huius mandati,propositione negante. Non habebis deos alienos coram me, non quod satis explicata non esset hæc sententia affirmatione præcepti in hunc modum: Me vnum Deū coles; si enim Deus est,vnus est: Sed hoc factum esse credamus, propter cæcitatem plurimorum,maximè eorum, quibus lex pro tempore illo dabatur, qui Deum verum se colere profitebantur,multitudinem tamen deorum venerabantur: cuiusmodi inter Hebræos ipsos permulti fuerunt,
3.Reg.18. qui,vt Helias eis obijciebat,in duas partes claudicabāt: quod
4.Reg.17. & Samaritæ fecerunt, qui Deum Israëlis, & deos gentium
Genes.35. colebant. Tales & Iacob Dei cultor, habebat in familia sua, qua conuocata dicebat: Abijcite deos alienos qui in medio
Iosue 34. vestri sunt,& mundamini. Et Iosue famulus Domini,declarans quod populus Israël non poterat simul seruire Domino

Deo,

Deo, & dijs quibus patres eorum seruierunt in Mesopotamia, dicebat, non poteritis seruire Domino: Deus enim sanctus & fortis æmulator est. Cui respondente populo, quòd Domino seruirent, intulit, auferte ergo (inquit) deos alienos de medio vestri: & inclinate corda vestra ad Dominũ Deum Israël. Sic Manasses reuersus ad Dominũ abstulit deos alienos & simulachrũ de domo Domini. Hoc igitur præceptum primum, sicut & pleraq; alia maxima ex parte, negatiuè esse tradita, quod qua ratione factũ sit, nemo nõ videt. Siquidem cùm Deus hominem rectum ac bonum cõdiderit, ac lumen illud naturæ menti diuinitus inseuerit, sua quidem natura malum abhorrẽs, ac bonum veluti cognatum sibi agnoscens ac amplectens. Id verò lumen non multò post fuerit obtenebratum, ob id scilicet, quod homo diabolum ac seipsum magis sequi maluisset quam Deum, consequẽs erat vt homo ignorantiæ tenebris obtectus, prohibendo ac vitando doceretur, inquantum à lege illa in corde diuinitus scripta recessisset: vtque vel sic instrueretur sese rursus à suis inuentionibus abstinere; Dei verò instinctum, vocationem ac voluntatem omnino sequi oportere. Et tamen in hoc etiam natura sermonis consideranda est. Nam oratio negatiua, è regione affirmatiuam requirit, sic vt qui prohibet, contrarium eius præcepisse videatur. Ob eã causam, legifer noster Christus interrogatus à Pharisęis, quod esset maximũ & primum mandatum in lege, non respondet per negationem, ijs quos sciebat cultores esse vnius Dei, sed per affirmationem quę illa prohibitione certo includeretur. Diliges, inquit, Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & in tota anima tua, & in tua mente tua. Hoc est maximum & primum mandatum. O quam paucis indiget humana vita legibus? quam nihil opus est vero Christiano, imò verò homini, sed verus homo non est, nisi Christũ agnoscat & colat, quam igitur nihil opus est digestis aut codicibus, nihil glossis, cõsilijs, cautelis? vt paucis verbis magnus ille magister, queẽadmodum vnicuiq; viuendum sit, docet? Ama quam potes maximè, qui supra te est, & non aliter qui propter te quam te, quod si feceris, tu solus leges omnes, iuraq̃ue scies, & seruabis, quæ alij magnis sudoribus vix discunt, multis incitamentis & terroribus vix seruant, eris maior Philosophus Pythagora, & Platone cum suis omnibus peregrinationibus & numeris: maior Aristotele cũ suis disputationibus librisq; conscriptis. *Diliges*, inquit, quid potest esse dulcius dilectione? Non metuere, nõ fugere, non horrere præciperis. *Dominum*, vt scias illum esse reuerendum, nam Dominus est. *Deum*, qui vnus est. *Tuum*, etsi multorum est, tamen vniuscuiusque sit per cultum, proprius, nec desinit tamen

2.Paral.33. *Præcepta alia negatiuè cur data?* *Leo Mag. ser. 4. Natal.Do.* *Negatiuum præceptum affirmatiuũ includit.* Matth. 22. Deuter.6. *Summa rerũ.*

Lib. 1. de doctrina Christ. cap. 22. tamen esse cõmunis. *In toto corde tuo.* August. Deũ ex toto corde diligere præciperis, vt omnes cogitationes tuas: ex tota anima tua, vt omnẽ vitam tuam: ex tota mẽte tua, vt omnem intellectum tuũ in illum cõferas, à quo habes ea quæ cõfers. Nullam igitur vitæ nostræ partem reliquit, quæ vacare debeat, & quasi locũ dare, vt alia re velit frui. Vel vt Origenes exponit. *In 22. Mat.* *Ex toto corde,* secundum totam recordationem & operationẽ & cogitationẽ, *Ex tota anima,* vt parati sint eam ponere pro pietate Dei. *In tota mente,* nihil aliud quam quæ Dei sunt proferentes. *Lib. 6. Musica, cap. 14.* Perpulchre vero docet Aug. diuinas scripturas tot voluminibus & tanta auctoritate, & tãta sanctitate præditis, nihil aliud nobiscum agere, nisi vt diligamus Deum & proximum & vnde sit, quod humana mens terrenis dedita, facilius quærat terrenam dilectionem, quam Dei, quum illa multo sit laboriosior, hæc vero multo suauior, iuxta Christi dictum: Iugum enim meum suaue est, & onus meum leue. Matth. 11. Nimis inquit alibi Aug. enim te amat, qui tecum aliquid amat, quod non proptet te amat. *Lib. 10. Confess. cap. 29.* Minus O amor qui semper ardes, & nunquam extingueris, charitas Deus meus accende me; continentiam iubes, da quod iubes & iube quod vis. Verissimum est enim quod à D. Chrysost. scriptum legimus, exponens hoc præceptum: *Opere imper. in Matth. homil. 42.* Quid est, inquit, diligere Deum ex toto corde? id est, vt cor tuum non sit inclinatum ad vllius rei dilectionem, amplius quam Dei, nec delecteris in aliqua specie mundi, amplius quam in Deo, non in honoribus, non in auro, vel in argento, non in possessionibus aut vineis, non in animalibus aut mancipijs, non in ornamentis aut vestibus, non in filijs aut parentibus aut amicis, sed hæc omnia existimes tibi, esse in Deo, vt præ his omnibus Deum ames. *Ex toto corde quid?* Si autem in aliquo horum amor cordis tui fuerit occupatus, iam ex toto corde non amas Deum: pro quãta enim parte cor tuum fuerit ad aliquam rem amãdam inclinatum, pro tanta parte minus est ad Deum. *Simile, quo dilectio vera cognoscitur.* Ecce si vir habeat vxorẽ, quomodo cognoscitur vxoris plena dilectio? vxor neminẽ debet reputare sapiẽtiorem quàm virum suum, neminẽ fortiorem, neminem formosiorem, & si alter sapiẽtior, fortior, ac formosior sit: tamen coram oculis eius neminem intelligere aut reputare debeat; perfectũ enim odium, & perfectus amor iudiciũ rerum non cognoscit: vtputa, si perfectè odias aliquem, qualiacunq; fuerint apud illum, omnia tibi displicent, siue quæ dicit, siue quæ agit: etsi vere bona sunt, tamen tibi mala videntur. *Perfectio odij et amoris, unde cognoscitur.* Sic etsi perfectè aliquem amas, quæcunq; sunt apud eum placẽt tibi, siue quæ dicit, siue quæ agit: etsi mala sunt, tamen tibi bona videntur. Ergo & vxor si videns aliquem, dixerit, quam sapiens vir, vtinam vir meus talis esset! iam amor eius, minus habet

habet de perfecto amore: & pro quãta parte amplius aliquid laudauerit in altero viro, quam in suo, tanto dilectio eius minor est ad virum suum. Sic ergo & omnis anima Christiana, quæ sponsa est Christi ita diligere debet, vt nihil sit in mũdo, quod amplius amet quam Deum, aut in tantum; pro quanta autem parte plus amauerit, pro tãta parte minus amat Deũ. Quid est in tota anima diligere Deum? id est, certissimũ animum habere in veritate, & firmum esse in fide; alius est enim amor cordis, & alius est amor animæ. Amor cordis quodammodo carnalis est, vt etiam carnaliter Deum amemus, quod facere non possumus, nisi recesserimus ab amore mũdialium rerum. Sicut enim casta mulier, quæ virum suum amat, nullum amat aliũ: si autem alterũ amauerit, iam non amat virũ suum. Ita & homo si Deũ amat, mundum nõ amat: si autem mundum amauerit, iam Deum ex toto corde nõ amat. Ergo cordis amor non intelligitur, sed sentitur in corde, quia quodãmodo carnalis est. Amor autẽ animę nõ sentitur in corde, sed intelligitur, quia amor animæ iudiciũ eius est. Puta si didicisti vnũ Deũ, ex quo omnia, & vnũ Deũ per quẽ omnia: si iterũ intellectus tuus per alicuius doctrinæ seductionẽ percussus, cœperit dubitare de substãtia Dei, in tota anima non diligis Deũ. Itẽ qui putat incantationes aliquid posse, aut auguria aliquos intelligere, aut diuinationes aliquid nunciare, non ille in tota anima diligit Deũ. Quis autẽ diligit Deum? qui omne bonũ credit apud Deũ, & omne bonũ credit esse Deũ, & extra Deũ nõ credit esse bonũ. Qui omnẽ virtutẽ & sapientiã credit esse Deũ, & extra Deũ non credit esse aliquã sapientiã neq; virtutẽ. Qui credit Deũ omnia facere, & sine Deo nihil fieri posse, ille tota anima diligit Deũ. Quid est in tota mẽte diligere Deũ? id est, vt omnes sensus tui qui pertinent ad te, Deo vacẽt, cuius intellectus Deo ministrat, cuius sapiẽtia circa Deum est, cuius cogitatio ea quæ sunt Dei tractat, cuius memoria quæ sunt bona recordatur, tota mẽte diligit Deum, sicut ait Apost. Psallam spiritu, psallam & mẽte, vt sub compẽdio dicamus. Hoc mandatum fidem, spẽ & charitatẽ requirit, quẽadmodum innumeræ sentẽtiæ in scripturis, quæ sunt primi præcepti enarrationes, abundè declarant, & in primis ea quę in Deuter. recensentur, veluti, Deũ tuum timebis, & illi soli seruies: vbi timorẽ ac fiduciã ergà Deum summã postulat. Rursus: Diliges Dominũ Deũ tuũ ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota fortitudine tua. Eruntq; verba hæc quæ ego pręcipio tibi hodie in corde tuo, & enarrabis ea filijs tuis: & meditaberis sedẽs in domo tua, & ambulãs in itinere, dormiẽs atq; cõsurgens; & ligabis ea quasi signũ in manu tua, eruntq; & mouebũtur inter oculos tuos.

Ex tota anima quid sit?

Amor cordis, Amor animæ, alius, et alius.

Quis diligit Deum in tota anima.

Ex tota mente quid?

1. Corinth. 14.

Deuter. 6.

Deuter. 10.

Vbi omnes animi vires, omni loco & tempore in Deum suspensas esse vult, hoc est, vt quantũ voluntate, intellectu consequi possumus Deum diligamus, ac omnes mundi & carnales affectus ac motus detestemur, cùm clamet idem legislator per amanuẽsem suum dicens: Nolite diligere mundum, neque ea quæ in mundo sunt. Si quis enim diligit mundum, non est charitas patris in eo. Tantum ac tam magnum est hoc mandatum, vt quamdiu sumus in hac carne peccati, nemo dicere potest, teste August. se hoc præceptum perfectè adimpleuisse, adimplendum tamen in cælesti patria cum charitas nostra perficietur, & quod ex parte est, euacuabitur. Iam explicato in genere quo cultu supremum illud Numen venerari debeamus, iam ratio ordinis postulat vt in specie dicamus quo cultu ea quæ diuina sunt, religione prosequi oporteat: & primo de humanitatis Christi adoratione, deinde crucis, tertio gloriosæ virginis Matris, quarto de sanctorum & eorum imaginum adoratione. In posteriori vero parte explicationis huius præcepti habebunt locum ea quæ hoc mandato vetantur.

1. Ioan. 2. — *De spir. & lit. cap. 36.* — *1. Corint. 13.* — *Coniungit dicta dicendis.*

De Adoratione Humanitatis Christi.

CAPVT XLI.

RATIONI & scripturis consentanea ea potissimùm creditur sententia, qua humanitas Christi cultu latriæ adoretur, non quidem ratione sui, sed inquantum à Deo in vnitatem suppositi est assumpta, nec aliquo diuortio ab eo vnquã separata. Ne autẽ paralogizemur, aut de ignotis tanquam cæci de coloribus, disputare videamur; adducere incumbit discrimen, quod passim cõstituitur inter cultum latriæ & duliæ: Nam adoratio, siue cultus latriæ, est aliquod signum forinsecus adhibitum, in recognitionem supremi dominij, ex interiori mentis affectu proueniens. Hæc, duplicem complectitur actum, Interiorem recognitionem, & exteriorem. Interioris cognitionis protestationẽ, teste Aug. Quod adorationis genus suis numeris completur, quando anima & corpus diuino obsequio mancipatur, ac incompleta dici valet, si interioris hominis affectu duntaxat adoretur, quemadmodum legimus: Veri adoratores adorabũt Patrem, in spiritu, nimirum, incompletè. Quare protinus subnectit, & veritate: Veritas siquidem voluntatis, est conformitas interioris actus, ad opus ei exterius respõdens. Hæc latriæ adoratio, soli Deo debetur, tanquam supremo Domino, Regi seculorum immortali, inuisibili, soli Deo; honor & gloria. Hoc intuitu Angelus recusauit sibi adorationem deferri. Altera adora-

λατρεία. — *Duplex latria.* — *Latria fit domino, debetur dulia seruo.* — *Serm. 7. ad fratres in eremo.* — *Ioannis 4.* — *Veritas volũtatis, quid?* — *1. ad Tim. 1.* — *Angelus adorationẽ recusauit* — *Apocal. 22.*

adoratio dicitur duliæ, quæ nihil aliud eſt, quàm recognitio alicuius virtutis vel excellentiæ, exteriori ſigno proteſtata. Hic honos defertur non ſolùm Angelis & ſanctis in cælo triumphantibus, verumetiam hominibus mortalibus, aliqua dignitate, excellentia, ſeu virtute, fulgentibus. Licet autem hanc bimembrem adorationis diuiſionem ſubſannet & derideat, abſque aliqua ratione Caluinus, tamen diuo Auguſtino eſt conteſtatiſſima, quemadmodum liquidò conſtat ex lib. 8. cap. 27. lib. 10. cap. 1. & 3. ciuitatis Dei. Hanc quoque diuiſionem comprobat Concilium Nicenum ſecundum, vbi Tharraſius inſignis ille Epiſcopus Conſtantinopolitanus, multiplicem adorationis acceptionem in medium adducit, epiſtola quam deſtinauit Irenæ & Conſtantino Imperatori: Aliquando namque adoratio venerationem importat, ſicut victorioſum imperium adoramus: Alia eſt timoris adoratio qua Iacob adorauit Eſau: Eſt quæ gratiam præ ſe ferat, quam Abraham recognouit, in agro ſibi diuendito: Alia adoratio ſpectat beneficium quod à potentioribus præſtolamur, quemadmodum Iacob Pharaonem adorauit. Quare compertiſſimum cuique eſſe poteſt, adorationem exhiberi ratione alicuius poteſtatis, virtutis, aut ſciētiæ in aliquo repertę, teſte Paulo de principe ſacerdotum. Et; Subditi eſtote dominis in timore, non tantùm bonis & modeſtis, ſed etiā diſcolis. Hanc vtramq; adorationē ex ſcriptura elicimus, Chriſtumq; eam inſinuaſſe colligimus, cum ait: Dominum Deum tuum adorabis, & illi ſoli ſeruies. Hic namque tacitè manifeſtat adorationem pluribus eſſe communem, vti manifeſtum euaſit, quod dictionem (ſoli) in priori parte omittat, quā alteri parti ſedulò interſerit, inquiens; & illi ſoli ſeruies, quaſi dicat, vna eſt ſeruitutis ſpecies, latria dicta, quam ſoli Deo, & non alteri impendere debes; Sic namque Græcè habetur, καὶ αὐτῷ μόνῳ λατρεύσεις. Euangelium autem Hebraicum, quod paſſim manibus teritur, habet, illi ſoli ſactificabis, & ſacrificium diuinum offeres: Hic namque verbum Hebraicum vſurpatur, ſicut 2. Paralip. 12. vbi diſtinguitur ſeruitus Deo debita, contra alia ſeruitia mortalibus impendenda, vt ſciant, inquit, diſtantiam ſeruitutis meæ, & ſeruitutis regni terrarum. Verùm vt recurrat oratio vnde exordium ſumpſit: haud ignorādum eſt, ſecundum Doctores ſcholæ Chriſtianæ, Alexandrum de Hales, Bonauent. & Thom. humanitatem Chriſti, bifariam poſſe conſiderari. Vno modo, prout eſt coniuncta diuinitati; ſicque debetur ei adoratio latriæ: tunc namque non adoratur ratione ſui, ſed diuinitatis, qua eſt patri æqualis: Quēadmodum enim caro animæ coniuncta, vnam conficit hominis perſonam, vnica veneratione reuerendam; ita Deus & homo

K ſecun-

Adoratio dulia

Lib. 1. Inſtit. Chriſt. ca. 12. ſect. 2.

Caluini arrogantia.

Lib. 20. contra Fauſt. cap. 21.

Lib. 1. de Tri. c. 6. Epiſt. 49. ad Deogratias. quæſt. 3. epiſt. 66. ad Maximum epiſcopum. Et ſuper Pſal. 67.

Actor. 17.
Geneſ 23.
Geneſ. 32.

Adoratio multipharia vſurpatur.

Geneſ. 47.
Actor. 23.
1. Petr. 2.
Matth. 4.

3. parte ſummæ, q. 30.

Lib. 3. Sentēt. diſtinct. 9.

In ſcripto eo loci.

Humanitas Chriſti bifariam conſideratur.

ſecundum Athanaſium in ſymbolo, vnus Chriſtus, vnica latriæ adoratione colitur: Et quemadmodum eodem timore attingere trepidamus ignem, ac ferrum ignitum; ita eodem cultu,ſuſpicimus Chriſti humanitatem,propter diuinitatem coniunctam, cùm enim natura humana firmiori cõiunctionis glutino ſit vnita diuinæ,quam ignis ferro;non ineptè inferimus, Eodem cultu humanitatem Chriſti adorādam,quo diuinitas; Nihilominus duo obtutibus mentis de eo cui honor defertur,occurrere debent: Primò,ille qui honore afficitur: Secundò,cauſa impenſi honoris conſideratur,teſte Tho. Priori modo, honorem inferimus alicui rei totaliter ſubſiſtenti, non enim vſus obtinet quod manus quādo oſculatur, honorem ſibi debeat ferre acceptam, ſed homini honor tribuitur, & ſi caſus occurrat quo manus vel caput honore afficiantur,nemo tamen tam inſulſus eſt,qui membra per ſe honorari exiſtimet,ſed ſynechdochicos,in partibus totū: quali etiam modo,honoratur homo, in aliquo ſibi adiectitio, puta imagine,veſte & cæteris. Cauſa autem honoris eſt, id, propter quod alicui honor impenditur, vt præeminentia, dignitas,ſcientia,virtus,&c.Ideoque ſi in vno homine plures exiſtant honoris cauſæ, erit quidē illius hominis honorati vnus honos,atqui ratione cauſarum,plures ibi honores erunt conſtituendi; Sic ſe res habet in Chriſto, cui propter ſcientiam increatam & creatam,cæteraque ſimilia; plures poſſunt eſſe cauſæ honoris, ſed ratione duarum naturarum in vnam perſonam coëuntium, vnica adoratio latriæ requiritur, ſecundum Concilium Epheſinum primum,& Conſtāt. quintum, Si quis adorari in duabus naturis dicit Chriſtum,ex quo duę adorationes introducuntur ſemotim Deo verbo,& ſemotim homini, aut ſi quis peremptam carnis, aut in confuſionem deitatis & humanitatis, vnam naturam ſeu eſſentiam portentosè dicit: ſic adorat Chriſtum, ſed non vna adoratione Deum Verbum incarnatum,iuxta quod ſanctę Dei Eccleſię ab initio traditum eſt,Anathema ſit. Et Athanaſius oratione quinta,ad Adelphium fratrem contra Arrianos, Incarnatum Verbum adoramus: nam etſi caro ipſa pars ſit rerum creatarum,tamen Dei corpus effecta eſt,neque iſtiuſmodi corpus,à Verbo,diſcriminatim,adoratione latriæ proſequimur,neque Verbum adoraturi, verbum à carne longè ſeponimus, ſed cùm ſciamus Verbum carnem factum, illud iam in carne ſitum, Deum agnoſcimus. Quis igitur tam vecors eſt,vt Domino ita loquatur,abſiſte à corpore,vt te adorem. Atqui non huiuſmodi moribus erat leproſus:adorabat enim Dominum in corpore,&c. Et Ambroſius,necnon Ioan. Damaſ. Et Concil. Trident. Vnus eſt Chriſtus, ſecundum Damaſc. Deus & homo,

Simile.

Duplex eſt cauſa honoris impendendi. *3. parte quæſt. 25. art. 1.*

Cano. 8. *Cano. 9.*

Lib. 3. de Spiritu ſan. c. 12. Lib. 3. orthodoxæ fid ca. 8. lib. 4. cap. 3. Seſ. 13. can. 5 & can. 6.

homo, quem adoramus cum Patre & Spiritu ſancto, vna adoratione, cum immaculata eius carne; neq; inadorabilem carnem eſſe dicimus, nam adoratur in vna Verbi hypoſtaſi, quæ & ipſi hypoſtaſis facta eſt: Neque creaturam colimus; nam non nudam carnem adoramus, ſed diuinitati coniunctam. Si autem ſubtili cogitatione, per poſſibile aut impoſſibile, caro à diuinitate intelligatur diuulſa, magnus quidem hyperduliæ cultus ei debetur, ſed non latriæ, teſte Cyrillo, libro de recta fide ad Theodoſium Imperatorem. Et Auguſt. Sicut namque purpura à regis corpore dirempta negligitur, quæ cum rege ea circundato honoratur, adeò vt ſi quis eam conculcare præſumpſerit; non minus pœna plectatur, quàm ſi regi contumeliam fecerit; Sic caro Chriſti ſecundum ſuam naturam, non eſt cultu latriæ adoranda, ſed propter verbum hypoſtaticà vnione coniunctum eſt adoranda: non enim carnem colimus, ſed Deum incarnatum adoramus. Quod & D. Auguſtinus (exponens locum Pſal. 98.) Et adorate ſcabellum pedum eius quoniam ſanctum eſt) perpulchrè declarat, inquiens, Quid habemus adorare? Scabellum pedum eius, Suppedamen dicitur ſcabellum. Quod dicunt Græci ὑποπόδιον, dixerunt Latini ſcabellum. Sed videte fratres, quid nos iubeat adorare. Alio loco, ſcriptura dicit, Cælũ mihi ſedes eſt, terra autem ſcabellum pedum meorum. Ergo terram nos iubet adorare, quia dixit alio loco, quod ſit ſcabellum pedum Dei? Et quomodo adorabimus terram, cùm dicat apertè ſcriptura, Dominum Deum tuum adorabis: & hic dicit, adorate ſcabellum pedum eius? Exponens autem, quid ſit ſcabellum pedum eius, dicit, Terra autem ſcabellum pedum meorum. Anceps factus ſum, timeo adorare terram, ne damnet me, qui fecit cælum & terram. Rurſum timeo nõ adorare ſcabellum pedum Domini mei, quia Pſalmus dicit mihi, adorate ſcabellum pedum eius. Quæro quid ſit ſcabellum pedum eius, & dicit mihi ſcriptura, terra ſcabellum pedum meorum. Fluctuans conuerto me ad Chriſtum, quia ipſum quæro hic, & inuenio quomodo ſine impietate adoretur terra, adoretur ſine impietate ſcabellum pedum eius. Suſcepit enim de terra terram, quia caro de terra eſt, & de carne Mariæ carnem accepit. Et quia in ipſa carne hic ambulauit, & ipſam carnem nobis manducandam ad ſalutem dedit: nemo autem illam carnem manducat, niſi prius adorauerit: inuentum eſt quemadmodum adoretur tale ſcabellum pedum Domini, & non ſolum non peccemus adorãdo, ſed peccemus non adorando. Nunquid autem caro viuificat? Ipſe Dominus dixit, cùm de ipſa cõmendatione eiuſdẽ terrę loqueretur: Spiritus eſt qui viuificat, caro autẽ nihil prodeſt.

Caro Chriſti, intellectu à diuinitate ſemota, quomodo adoranda?

Tract. 23. in Ioannem.

Eſa. 66.

Ex hoc loco cõſtat Auguſt. loqui de cultu latriæ.

Ioan. 6.

Ideo & ad terram quamlibet, cùm te inclinas atq; prosternis, non quasi terrā intuearis, sed illum sanctū cuius pedum scabellum est quod adoras: propter ipsum enim adoras, ideo & hic subiecit, Adorate scabellum pedum eius quoniā sanctum est. Quis sanctus est? In cuius amore, adoras scabellū pedum eius. Et cùm adoras illum, ne cogitatione remaneas in carne,
Ioan.6. & à spiritu non viuificeris: Spiritus est enim, inquit, qui viuificat. Per spiritum, hic intelligit August. Christi diuinitatem, quę Apostolo teste, ipsum inhabitabat, hypostatica vnione, corporaliter, in quo sunt omnes sapientiæ & scientiæ thesauri absconditi. Et quid mirum si Christi humanitatem perenni connexu diuinitati cōiunctam, latria prosequamur
Colos.1. nos miseri vermiculi, cùm de eo scriptum sit: Et cùm intro-
Hebr 1. ducit primogenitū in orbē terræ, dicit: Et adorent eum om-
Psalm.96. nes angeli Dei? Et rursus: Omnia subiecisti sub pedibus eius.
Hebr.2. In eo enim quod omnia ei subiecit, nihil dimisit non subie-
Psalm.8. ctum. Et ipse est caput corporis Ecclesię, qui est principium,
Apocal.1. primogenitus ex mortuis: vt sit in omnibus ipse primatum tenens: quia in ipso complacuit, omnem plenitudinem inhabitare, & per eum reconciliare omnia in ipsum, pacificans
Colos.1. per sanguinem crucis eius, siue quæ in terris, siue quæ in cælis sunt. De cuius crucis adoratione & virtute iam tractandum est.

De mysterijs sanctæ Crucis.

CAPVT XLII.

VT fidei dogma de viuificæ sanctissimæq; crucis adoratione firmius arctiusque cordibus credentium imprimatur; necessarium imprimis foret præmittēdum, quibus oraculis, & propheticis sermonibus veteris testamenti mysterium crucis celebratum sit. Deinde cur vnigenitus filius Dei patibulum crucis elegerit: Quæ duo diligēter scripturis, & vnitate sanctissimorum patrum stabilita; luce clarius demonstrabunt, quo cultu viuificum illud lignum venerari oporteat.

Veteris testamenti figura de sacramento Crucis.

CAPVT XLIII.

INTER omnia opera Dei nihil mirabilius: quam quod filius Dei Christus Iesus pro hoc mundo sit crucifixus ac
Lib.4.ca.18. mortuus. Quid ego, inquit Lactant. in tanto facinore
Actione 7. in deplorem? aut quibus verbis tantum nefas conquerar? Non
Verrem. enim Gabinianam crucem describimus, quam M. Tullius vniuer-

vniuersis eloquentiæ suæ neruis ac viribus, velut effusis totius ingenij fontibus, prosecutus est, facinus indignum esse proclamans, Ciuem Romanum contra omnes leges in crucem esse sublatum? Qui quamuis innocens fuerit & illo supplicio indignus, mortalis tamen, & ab homine scelesto, qui iustitiam ignoraret, affectus est. Quid de huius Crucis dignitate dicemus, in qua Deus à cultoribus Dei suspensus est, atque affixus? Quis tam facundus, & tanta rerum verborumque copia instructus existeret? quæ oratio tantæ affluentiæ vbertate decurrens, vt illam crucem merito deploret, quam mundus ipse, & tota mundi elemēta luxerunt? Hæc autem sic futura fuisse oportuit, vt filius Dei per mortis & crucis supplicium, intraret in gloriam suam, quod & scripturarum & prophetarum vocibus denuntiatum est. Inprimis, Lignum vitæ quod erat in paradisi medio, crucis typum gessit, teste Iustino in Dialogo cum Triphone. Hinc Prouerb. 3. quod de sapientia Dei dicitur, Lignum vitæ est his qui apprehenderint eam, & qui tenuerint eam beati erunt, tribuit Augustinus cruci: Et 13. de ciuit. Dei cap. 21. docet per paradisum debere intelligi mysticè Ecclesiam, & quoquot in ea viuunt, virtute huius ligni vitæ viuere. Deinde lignum ex quo arca fabricata est, typus ligni crucis fuit, quod annotauit August. lib. de catechisandis rudibus cap. 19. & 15. de ciuit. Dei cap. 26. Item lib. 12. contra Faustum cap. 14. Et Tract. 9. in Ioannem. Ipse stabat iuxta eos sub arbore, Quercus Mambre typus crucis Christi, sub qua qui steterit, Deum videbit, testatur Iustinus in Dialogo cum Triphone. Isaac portans ligna holocausti, ista ligna sunt typus crucis. Fertur de Gregorio Nysseno, quod siccis oculis nequiuerit intueri historiam Isaac, eò quòd ibi ostendātur tam viua signa immolati Christi. Huius verba citātur in 2. Synoda Nicena act. 4. Scala Iacob typus crucis, vt Iustinus loco citato. Item August. tractatu de cataclysmo cap. 6. Baculus Iacob quo Iordanem transijt, typus crucis, Iustinus ibidem. Virga Moyseos, typus crucis, Iustinus vbi supra. Origenes homil. 4. in Exodum. August. tract. de cataclys. cap. 3. & 5. Serm. 86. & 87. ac 101. de tempore. Lignum amaras aquas dulcificās, August. lib. 1. de mirabilibus sacræ scripturæ cap. 22. vbi etiam disputat an illi ligno hoc fuerit naturaliter insitum, typum hic esse etiam crucis, testatur Gregor. Nysse. in vita Moysi. Item August. quæst. 57. super Exod. & serm. 101. de tempore. Moyses orans expansis manibus in monte contra Amalec, typum crucis gessit, testatur Iust. vbi supra. Orig. homilia vnica in 1. lib. Regum. Tertul. lib. aduersus Iudæos, & lib. 3. contra Marcionem. Cyprianus lib. de exhorta-

Genes. 2.

Lib. 8. de Genes. ad lit. c. 4.

Genes. 7.

Genes. 18.

Genes. 22.

Genes. 28.

Genes. 32.

Exod. 4.

Exod. 15.

Exod. 17.

tione martyrij cap.8. August. lib.10. ciuit.Dei cap.8. sub finem,& lib.12.contra Faustum,cap.30.& serm.92.de tēpore.
Leuit.14. Lignum cedrinum quo leprosus mundabatur, mysterium crucis gessit, teste Origene homil.8. in Leuiticum. Botrus
Numer.13. eiusque vectis ex terra repromissionis per exploratores populo Dei delatus: huius crucis signum fuit,testatur Gregor. Nyss. in vita Moysi, Hieron.in epitaphio Paulæ,& August. in Psal.8. Item ser.100. de tempore hoc pulcherrimè explicat.
Numer.17. Virga Aaron germinans, testatur Iustinus citato loco, Orig.homil.9.in lib.Num.cuius verba refert August.ser.99. de tempore.
Numer.21. Serpens æneus typus crucis,vt Tertul.lib.3.contra Marcionem,& lib.contra Iudæos: Imò agnoscit hoc ipse Christus, Ioan.3. Sicut exaltauit Moyses serpentem in deserto,ita exaltare oportet filium hominis. Similia habet Tertul. lib.de idololatria post princip.& lib.2. cōtra Marcionem & eius imitatores, qui putabant aliquam inconstantiam esse in Deo,eo quod antea vetuerat fieri similitudines, iam verò præcipit. Vbi & digreditur in eos qui imagines non ferunt. Agnoscit & hūc typum August. in expositione epist. ad Galatas in cap.3. lib.10. de ciuit.Dei cap.8. & lib. contra Adimantum cap.21.lib.12.contra Faustum cap.30.lib.1.de pec. meritis cap.32. & alijs infinitis penè in locis. D. Bernardus pulchrè ac doctè hoc explicat lib. de pass. Domini cap.45. Rupertus in 3. cap. Ioan. reddit rationem quamobrem serpens ex ære, & non potius ex alia materia confectus sit.
Iud.4. Clauus Iahel, quo Sysara interfectus est, typus etiam crucis
4.Reg.6. fuit,testatur August.12.Confes. cap.32. Lignum quod Helisæus misit in aquam, sacramentum crucis fuit, teste Iustino vbi supra,Tertul.contra Iud. August. serm.101. de temp.
Ezech.9. & ser.210. exactissimè tractat hunc locum. Signum Tau,typus crucis,vt Tertul.lib.3.contra Marcionem, D.Hieron.in 9.cap.Ezechielis, dicit extremā literam Alphabeti Hebræorum habuisse olim crucis similitudinem, sed nūc non cernitur. Doctè Iustinus Apologia 2. ad Anthonium Imperatorem,docet,nihil geri in hoc mundo, quin saltem aliquam figuram crucis præ se ferat,ac ibidem dicit figuram humanam in hoc differre à brutis,eò quòd habeat figuram crucis.

Prophetia de Cruce Domini nostri Iesu Christi.

CAPVT XLIIII.

Deuter.28. ERIT vita tua pendens ante te, Quo capite prędicit Dominus mala euentura transgressoribus legis; & quod non habebunt fiduciam vitæ suæ.Hunc scripturæ locū non posse intelligi de Christo,Manichęorum est,qui negant

Moysen

Moyſen de Chriſto prophetaſſe, vel commemoraſſe. Contrarium teſtantur veteres omnes, qui de Chriſto interpretati ſunt. Auguſt. lib. 19. contra Fauſtum ca. 22. Sic hunc locum intellexit Atha. etiam oratione de humanitate verbi, & Tertul. lib. contra Iudæos, Lactan. lib. 4. cap. 18. Auguſt. in Dialogo de altercatione Eccleſiæ & Synagogæ. Ruff. in Symbolum, Leo ſer. 8. de paſ. Domini. Foderunt manus meas & pedes meos: Totum hunc Pſalmum exponit B. Iuſt. in Dialogo cum Triphone, & Euſeb. Cæſarien. lib. 10. demonſt. Euang. cap. 8. prolixè diſſerit de cruce Domini, exponens hunc Pſalmum, quem & Auguſt. integrum exponit doctiſſimè de cruce Domini epiſtola 120. cap. 6. vbi digniſſima habet lectu. Dicite in gentibus quia Dominus regnauit à ligno: noſtri codices nō legunt, à ligno, quia malitioſè à Iudęis eraſa fuit, vt teſtatur loco citato, olim verò lecta fuiſſe hæc verba teſtatur Tertul. lib. aduerſus Iudæos, & lib. 3. contra Marcionem, Auguſt. in Dialogo altercationis & Synagogæ & Eccleſiæ, citat hac ſententiam, etſi locum ſcripturæ non citet, tamen in Pſal. 95. eadem verba legit. Legit & hanc ſententiam B. Leo ſerm. 4. de paſ. Domini. Expandi ad te manus meas, de Chriſto pendente in cruce intelligit vniuerſitas Catholicorum ſcriptorū in locum Pſalmi. Sed & illud, Benedictum lignum per quod fit iuſtitia, de cruce citatur & intelligitur à Patribus Niceni Concilij 2. 4. Aſcendam ad palmam, & apprehendam fructus eius, de cruce Chriſti intelligunt Cypr. ſer. de paſſ. Domini, & Bernardus tract. de paſſ. Domini cap. 48. Factus eſt principatus ſuper humerū eius. Et illud: Expandi manus meas tota die ad populum non credentem de Chriſti cruce, citat hæc verba Auguſt. in Dialogo de altercatione Eccleſiæ & Synagogæ. Mittamus lignum in panē eius, de cruce interpretatur B. Iuſtinus in Dialogo cum Triphone, vbi teſtatur Iudæos multis codicibus hæc verba detraxiſſe, lignum in panem, id eſt in corpus. Sic Tertul. lib. contra Iudæos, & lib. 3. & 4. cōtra Marcionē, & Lactantius lib. 4. c. 18. Lignum crucem ſignificat, & panis corpus: quia ipſe eſt cibus & vita omnium, qui credunt in carnem quam portauit, & in crucem in qua pependit. Zacharias ſic etiam tradidit: Et intuebuntur in me quem transfixerunt, eſſe prophetiam de Chriſto in cruce confixo lancea, declarat Ioan. Euangeliſta.

Pſalm. 21. Pſalm. 95. Pſalm. 85. Sapient. 9. Cant. 7. Eſa 9. Hiere. 11. Lactan. lib. 4. cap. 18. Zachar. 12. Cap. 19.

Quamobrem patibulum Crucis elegerit Chriſtus.

CAPVT XLV.

NVNC ipſius crucis reddenda eſt ratio, & vis enarranda, cur hāc Deus ſubire voluerit. Quid ſummus pater à principio diſpoſuerit, & quemadmodum cūcta quæ

gesta sunt, ordinarit, non tãtum diuinatio prophetarum, quæ in Christum vera præcessit, sed etiam ratio ipsius passionis docet. Dicat fortasse aliquis: Cur summus pater id potissimũ genus mortis elegerit, quo affici eum sineret? Cur saltem non honesto aliquo mortis genere affectus est? Cur cruce? Cur infami genere supplicij, quod etiam homine libero, quãuis nocente, videatur indignum? Primum est (secũdum Lactãt.) quod is qui humilis aduenerat, vt humilibus & infirmis opem ferret, & omnibus spem salutis ostenderet, eo enim genere afficiendus fuit, quo humiles & infirmi solent, ne quis esset omnino qui eum non posset imitari. Vnde & Leo Papa: Agnoscat fides vestra in humilitate Domini gloriam suam, & opera saluatoris nostri, non solum sacramento nobis vtilia fore, sed etiam imitationis exemplo: vt meminerimus nobis in humilitate, & mansuetudine, & spiritus paupertate Redemptoris nostri esse viuendum, frustra enim appellamur Christiani, si imitatores non simus Christi: qui ideo se viam dixit esse, vt conuersatio magistri forma esset discipuli, & illam humilitatem eligeret seruus, quam secutus est dominus. Deinde in cruce suspensus est, vt nos à damnatione ligni vetiti dissolueret, & à morte liberaret, de qua causa pulcherrime philosophatur B. Andreas ipsi ægeæ, vt patet in eius vita conscripta à discipulis, & de qua B. Aug. ser. 181. de tempore. Tertio supplicium crucis elegit, vt ostenderet sibi esse pietatem in omne genus mortis, varij erant enim olim, vt etiam nunc suppliciorum genera: verum omnibus cæteris spretis, hanc abiectissimum supplicij genus elegit. Non eo eum adegit Iudaica tyrãnis nam sæpius voluerunt eum perdere, & dolo occidere, & non potuerunt, adhuc Herodes voluit Infantem occidere. Nazarei volebant eum præcipitare, quem locum citat & Tertul. lib. 4. contra Marcionẽ, vbi dicit Christo manus ibi fuisse iniectas, sed ita mori noluit. ob eam causam Aug. loco citato reddit rationem, quare noluit: quia, inquit, mors Christi signũ est nostræ salutis. Noluit ergo lapidari, aut gladio percuti: quia videlicet nos semper nobiscum lapides aut ferrum ferre non possumus, quibus defendamur: elegit vero crucem, quę leui manus motu inprimitur, qua & contra inimici versutias munimur. Quarto, vt qui in ligno vincebat, in ligno quoque vinceretur, sicut scribit Irenæus lib. 5. Vnde Serpens antiquus ligno crucis tanquam hamo captus est. de qua causa diffusè tractat Aug. loco præfato, vbi verba Irenæi dilatat. Idem annotat Hiero. in 3. cap. ad Gal. Quinto voluit in cruce mori mortem execrandam; quia venerat vt nostra piacula execrationesque portaret, vti Athanas. doctissimè declarat expõnens verba Deut. 21. Maledictus

Margin notes: 1. Ratio. — Lib. 4. c. 26. — Serm. 4. Nat. Domini. — 2. Ratio. — 3. Ratio. — Marc. 14. — Matth. 2. — Luc. 4. — Nota. — 4. Ratio. — 5. Ratio. — Lib. de incarnatione verbi.

dictus qui pendet in ligno. legit Athanas. execrabilis. Hic famosissima est quæstio teste Hiero. in 3. cap. 2. ad Gal. Nam Iudæi solent Christianis obijcere, Christum nostrum esse maledictum, eo quòd in ligno pependisset, cum scriptum sit: Maledictus, à Deo est qui pendet in ligno. Apostolus Paulus Gal. 3. non addit, à Deo, sed adijcit, omnis, quod locus Deut. non habet. Vnde putat constanter Hieron. quod post Christi mortem & resurrectionem, gloria crucis cœperit mundo innotescere, Iudæi inuidia & furore quodam perciti, à Deo, contextui adiecerunt: Christum non solum maledictum esse ab hominibus, verumetiam quod præcipuũ est, à Deo. Hinc Manichæi ob hoc quod lex haberet (à Deo) reiecerunt Moysen, eò quòd ipsum Christũ (hac scriptura) lacessisset. Verba sunt Fausti quæ habẽtur lib. 14. contra Faust. in principio lib. Etiam Marcionitæ hac scriptura offensi, docebãt Christum non esse filium Dei veteris legis. testis est Tertul. lib. 3. contra Marcionem, ibique eis respondet. Quomodo vero Apost. attribuit hãc scripturam Christo, quam lex sceleratis? Respondet D. August. lib. 4. cap. 3. contra Faustum, quod peccatum maledictum est, & ideo, mors & mortalitas ex peccato proueniens. Caro autem Christi mortalis fuit, similitudinem habens carnis peccati: & propter hoc Moyses eũm nominat maledictũ, sicut Apost. eum nominat peccatũ: Eum, inquit, qui non nouerat peccatum, pro nobis peccatum fecit, scilicet propter pœnam peccati. Nec ideo maior inuidia est: quia dixit, maledictus est à Deo: nisi enim Deus peccatum odisset, non ad eam suscipiẽdam, atque tollendam filium suum mitteret: ergo confitere maledictũ suscepisse pro nobis, quẽ confiteris mortuum pro nobis. Lege eãdem epist. ad Gal. to. 4. & contra Adimantum. cap. 21. Sexto in cruce mori voluit: quia (vt ait Lactan.) illa cruce eum exaltari fuit necesse, & omnibus gentibus passionem Dei innotescere. Nam quoniam is, qui patibulo suspenditur, & conspicuus est omnibus, & cæteris altior: Crux potius electa est: quæ significaret illum tam conspicuum, tamque sublimem futurum, vt ad eum cognoscendum pariter & colendum, cunctæ nationes ex omni orbe concurrerent. Denique nulla gens tam inhumana est, nulla regio tam remota, cui aut passio eius, aut sublimitas maiestatis ignota sit. Extendit ergo in cruce manus suas, orbemq; dimensus est; vt iam tunc ostenderet, ab ortu solis vsque ad occasum, magnum populum ex omnibus linguis, & tribubus congregatum sub alas suas eam venturum, signumque illud maximum atque sublime, frontibus suis suscepturum. Hoc ipsum videtur significasse Christus, Et ego si exaltatus fuero à terra, omnia traham ad meipsum. Hoc autẽ dicebat,

[Margin: Deuter 21. — *Christus cur maledictus in lege?* — *6. Ratio.* — *Lib. 4. cap. 26* — Ioan. 12.]

significans qua morte esset moriturus: si, inquit, nō dubitantis, sed affirmantis est iuxta scripturarum consuetudinem vt annotauit Athanas. lib. de incarnatione verbi: Omnia traham non omnes, ait Aug. tractatu 53. in Ioannem. sed omnia ex quibus Princeps huius mundi eijcietur foras: vel omnia vt spectet ad integritatem creaturarum, id est, totum hominem animam & corpus & spiritum, nō ad vniuersitatem retulit hominum, inquit, Augustinus. Tertia expositio est omnia, id est, prędestinata omnia ad salutem, vel omnium hominum genera pro generibus singulorum, non singulis generum. B. Leo ser. 8. de passione Domini citans hæc verba Saluatoris nostri, pulcherrime commendat admirabilem potentiam crucis. Septimo, crucifigi voluit secundum Athanasium, loco citato, vt in morte integrum corpus seruaret, & merito subduceretur ijs qui mysticum corpus Christi, id est, ecclesiam in partes scindere, id est, perturbare conarentur. Quod non fuisset significatum si decollatus vt S. Ioannes Baptista fuisset: ferme similem rationem reddit Lactantius dicens: In crucem subactus, vt integrum corpus eius conseruaretur, quem die tertio resurgere ab inferis oportebat. Suffixus itaque cum spiritum sponte deposuisset, necessarium Carnifices non putauerunt, ossa eius confringere, sicut mos eorum ferebat, sed tantummodo latus eius perforauerunt, sic integrum corpus patibulo detractum est, & sepulchro diligenter inclusum quæ omnia idcirco facta sunt, ne læsum ac diminutum corpus, ad resurgendum inhabile redderetur.

7. Ratio. Lib. cap. 26.

8. Ratio. Octauo ideo crucifixus est, vt nos à cruciatu liberaret: sic B. Ephrem lib. de resurrectione & iudicio ca. 2.

9. Ratio. Nono in cruce mortuus est pro nobis erudiendis, docuit enim nos in cruce, quam ardua fuerit eius charitas erga genus humanum, vt & nos redamaremus illum, qui talem nobis miseris exhibuit charitatem. O vtinam huius dilectionis essemus memores, non adeo essemus tepidi in via mandatorum Dei.

10. Ratio. Decimo, In cruce mori voluit, vt doceret ac cognosceremus quid sit vnum peccatum, res tam inuisa Deo, habet & alias rationes D. Thom. 3. parte q. 46. art. 4. alio ordine digestas quibus prætermissis, placuit nobis ex fonte veterum has assignasse.

Quam varijs modis Ecclesia crucis mysteria nobis inculcare conatur. CAP XLVI.

QVONIAM inter omnia Dei beneficia, maxime crucis & præstantissimum est, quo nos omnes redemit, ac per quod salui facti sumus: Ideo mater Ecclesia sollicite nobis insculpere nititur eius memoriam, & quo hoc fiat studiosius certos dies S. Cruci consecrauit. Hebdomadam

dam inprimis integram, in qua nil nisi beneficia crucis proponit; hebdomadam quæ apud nos sancta dicitur. Rupertus lib. 5. diui.off. cap. 9. appellat hebdomadam maiorem. Chrysost. hom. 30. in Gen. appellat hebdomadã magnam. Non, inquit, quod plures horæ in ea sint, neque quod plures dies habeat. Est enim idem numerus in hac alijsque omnibus. Quare ergo illam vocamus magnã? quia magna quædam & ineffabilia bona contigerunt nobis in illa. In illa enim solutum est bellum diutinum, extincta mors, maledictio interempta, diaboli tyrannis dissoluta, vasa eius direpta. Deus hominibus reconciliatus est. Cælum penetrabile factum Angeli hominibus couniti. Distantia coniuncta sunt, sepes sublata, fenestra remota, Deus pacis pacifica fecit omnia, quæ in cælis, & quæ in terris, & hac de causa, magnam hebdomadam vocamus: quia tantam nobis donorum multitudinem in illa largitus est Dominus. Etidcirco fideles & ieiunium intendunt, & vigilias, & pernoctationes sacras, & eleemosynas faciunt vt hebdomadæ huic honorem habeant. Nam si dominus talia bona in illa nobis donauit, quomodo non & nos debemus quantum possumus reuerentiam & honorem ostendere? Enimuerò & Reges ipsi declarant, quam venerabiles illos dies habeant, mandantes, vt omnibus sint induciæ & feriæ, qui ciuilibus funguntur negotijs: claudendo fores iudiciorum, & aufetendo omnes litium & contentionum species, quo magna tranquillitate ac quiete liceat ad spiritualia rectè perficienda festinare. Et hoc non solum, sed & aliam libertatem, ostendunt, habitãtes enim in carceribus à vinculis soluunt, & pro humano virili dominum suum imitantur. Quia sicut ipse graui nos peccatorum carcere exoluit, & innumeris bonis frui fecit: eodem modo & nobis faciendum est, vt simus imitatores misericordiæ Domini Dei nostri. Hæc Chrysostomus. Deinde quod tum temporis fuerit consuetudinis vt exponeretur populo mysterium crucis Christi, patet ex eodem hom. 88. in Matthæum, non procul à principio. Deinde Apostoli non contenti hac hebdomada qua annua crucis & passionis memoria ageretur, instituere etiam 4. & 6. feriam per totum annum ieiunandum, in memoriam crucis Christi. Huius institutionis meminit canon. 69. Apostolorum. Item lib. 5. Const. apostolicarũ cap. 16. & lib. 7. cap. 24. Eadem habet S. Ignatius epistola ad Philip. Orig. hom. 10. in Leuiticũ. Epiph. hæresi 75. Tripartita historia refert Theodosium Imperatorem iuniorem ieiunasse 4. & 6. ferijs studio Christianismi fuisse tum ieiunium Catholicorum, & nõ solum Græcorum, verum & Latinorum, testatur Aug. Epistola 86. sub finem. Item Leo sermone primo, de ieiunio decimi

Hebdomada crucis quare magna?

Honor impensus huic hebdomadæ.

Feria 4. & 5. olim ieiunabantur.

Lib. 11. c. 17.

decimi mensis. Nunc quidem vix vestigium huius rei existit, nisi apud religiosos quosdam, quibus ex præscripto regulæ indicitur ieiunium diei veneris: feria 4. verò, est abstinentia à carnibus, apud eosdem Sathan vero per suos ministros, Gentiles atque Iudæos adeò vesanijt, vt loca mysterijs salutis nostræ sacrata, ferre non potuerint: Nam secundùm Hieronymum Epistola ad Paulinum, ac teste Paulino, Adrianus Imperator existimās se fidem Christianam, loci iniuria perempturum, in monte Caluariæ simulachrum Veneris collocauit, Bethlæmiticum præsepium, Adonidis spurcissimi eius Amasij, phano, polluit; In loco vero resurrectionis Dominicæ, Iouis aram constituit, vt prorsus nascentis Ecclesię Christi, infantiam, in ijs locis idola exaltando, in quibus caput, ecclesiæ, Christus, præcipua salutis nostræ mysteria esset operatus; extingueret. Et qui loca ipsa sustinere non valebant, nisi prophanata, profectò nec in cruce Christi abolenda illi impij negligentes fuissent, si extare vidissent, imò in minimas particulas excisam dispersissent, aut Vulcano tradidissent, nisi crucifixus, signum gloriæ suæ, & victorię vexillum, terræ finibus abscondisset. Cùm enim post centum octuaginta vel circiter annos, Adriano succederet Constantinus; ter sibi figura crucis mirabili Dei operatione apparuit, & vox cælitùs lapsa intonuit, dicens: Constantine, in hoc signo vinces aduersarium tuum Maxentium, teste Ioanne Damasc. & Nicephoro. Qui protinus imperiali iussu, fieri præcepit tres similes cruces, quibus hæc indidit nomina, Iesus, Christus, Vincit. Cui autem nomen Iesus impressit; constituit Constantinopoli super arcum suum triumphalem. Alteram, cui nomen, Christus, indidit; in loco æditiori collocauit, vbi postmodum Porphyreticam columnam statuit, secundùm Nicephorum, hanc statuā ex ære conflatam, deinde Roma Constantinopolim trāstulit, quam nouam Romam esse volebat, teste Theodoreto. Et Tripart. histor. Tenebat autem statua illa manu dextera, prægrande aureum malum, cui crux desuper infixa, hanc transeuntibus inscriptionem ostendebat: Tibi Christe Deus, hanc vrbem commendo. Tertiam quam dixit, victoriam, in foro panario erexit, quæ pluribus coruscauit miraculis, eodem teste. Atq; vt crucis memoria, eiusq; cultus apud milites remaneret, vniuersa arma crucis signo decorauit, teste hist. Tripar. Cumq; Maxentius vexillū crucis signo decoratū, spiculis ac sagittis impetere præcepisset, quidam meticulosus illud deferens, alteri deportandum tradidit, & mox ictus interijt, qui autem vexillum, crucis effigie insignitum, gestabat; illæsus vbique euasit, secundùm Niceph. Cùm autem Constantinus teste Eusebio non procul à ponte muluio

Epist. 11. quæ est ad Seuerū Sulpitium.

Loca Domini prophanata, Bethlehem & Caluaria.

Crucis signum Constantino apparuit.

Lib. 3. de cultu imaginum.

Lib. 7. ca. 30.

Tres cruces Constantini.

Eiusdem lib. cap. 47.

Lib. 1. Eccles. histor. cap. 19.

Lib. 6. cap. 1.

Ibidē cap. 49.

Et lib. 8. ca. 4

Lib. 7. ca. 32.

Lib. 1. cap. 4. necnon lib. 2. cap. 18.

Lib. 7. ca. 2.

Lib. 9. cap. 9.

muluio castra posuisset, ecce subitò velut vi diuina correptus Maxentius obuius, sequentibus militibus præcurrit armatus: Iusserat autem nauibus ad decipulam compositis, fluuium sterni, & superpositis pōtibus exæquari. vt ergo ipse eques, operis sui oblitus, cùm paucis aggressus est pontem; subsidêre naues, & in profundum demersus, totius belli futuri, cædes vnius nefandi capitis sui diremit interitu, atque impollutam pij principis dexteram (quod obnixè rogauerat) à cruore ciuili præseruauit. Quæ omnia summa admiratione digna, instigârunt, & quasi calcar præbuerunt Helenæ, matri Cōstantini imperatoris, vt circa annum Domini 225. Hierosolymis, crucem dominicam, studiossimè requireret. Quæ res cùm omniū memoriæ excidisset, loci passionis duntaxat primitus certior fieri studuit, deinde muneribus, tum minis, quosdam à secretis Iudæorū cōstitutos, coëgit ostendere signum sacri pignotis; quod squaloribus carceris exhaustus tandem demonstrauit Iudas, & tam stupendæ inuentionis prodigijs lætificatus, factus est Christianus, & Cyriacus appellatus, teste Platina in vita Eusebij papæ. Reseratis itaque terræ finibus abditæ crucis arcana patuerunt, quemadmodum docet Theodoretus, Et Ruffinus Tripart. histor. lib. 8. ca. 18. Ac Nicepho. Regina autem anxijs fluctuans cogitationibus, quæ illarum trium, crux Christi esset censenda; resuscitatio mortui ad sepulturam delati, crucem prodidit Dominicam: non enim facilè discerni potuerunt, quod latrones etiam clauis cruci fuissent affixi, secundum sententiam D Gregor. Tum mox ibi consecrabatur condita in passionis loco basilica, quæ auratis chorusca laquearibus, & aureis ornata altaribus arcano sacrario crucem seruabat repositam, teste Paulino, Epistola præmissa. Insuper & vniuersa loca, vbi nostræ salutis mysteria, Christus celebrauerat: Helena expurgauit, & sacris ædificijs adornauit, dempto, quod in monte Oliueti, vbi Dominus ascendit; terra nullam structuram aut tectum, tum temporis admittere passa sit, sicque locus ille basilica cinctus & inclusus, semper in suo cespite virens, impressam diuinorum pedum effigiem, cunctis mortalibus adorandam; in calcato puluere retinet; vt non frustra dictum sit, Adorabimus in loco, vbi steterunt pedes eius. Hanc salutiferam crucis inuentionem sollenniter celebrandam instituit Eusebius papa, penultimus martyr, à D. Petro, & in ordine pontificum, tricesimus secundus; vt indicatur Epistola eius tertia, quæ etiam allegatur de consecrat. dist. 3. cap. Crucis. Nec curiosius scrutandum est, quare festum crucis celebretur, qua Dominus dehonestatus, & non festum asinæ, in qua fuit honoratus, quoniam laus Domino in asinâ deptom-

Maxētius misere periit.

Inuētio sanctæ Crucis.

Lib. 1. histor. Eccles. ca. 18. Lib. 10. cap. 7. & 8. Lib. 8. cap. 29

Latrones cruci clauis affixi.

Lib. 18. Moral. cap. 23.

Psalm. 131.

Festum crucis non asinæ celebratur.

deprompta, fuit mundana, quæ nulli debet esse curæ, sed in cruce celebrata sunt nostræ redemptionis mysteria. De exal-

Lib.8.ca.29. & 50. tatione autem, legere est apud Nicephor. Cùm enim Cos-

Exaltatio crucis. droës rex Persarum, traiecto Iordane, inuasisset omnem ferè terram sanctam, & occupata Hierosolyma; pretiosum, & viuificum lignum, abduxisset in Persidem; ædificauit Pha-

Libr.4.de gestis Longobardorum. num quemadmodum habet Paulus diaconus, Et Ammonius qui adserit ipsum consedisse in throno, magnificentissimè in Phano illo extructo, collocato sanctæ crucis vexillo

Lib.4.ca.21. à latere, velut regni collega. In quod cùm per multa bellorum discrimina erupisset Heraclius, inquisissetque, an salutis lignum adorare vellet, quod sic honorârat; abnuendo, fugam sibi parauit; & Medarsem filium minorem regni successorem, instituit; sed huius contumeliæ sibi illatæ, Sinochius, filius maior natu, impatiens; patri simul & fratri necem machinatur, quàm paulò post, vtrique, ex fuga retracto attulit, regnumque ab Heraclio quibusdam acceptis conditionibus, imperrauit; Quarũ ea prima fuit vt crucem Christi restitueret, sicque post 14. annos crux reducta est. Chronica Martiniana commemorant, quod dum Heraclius crucem illinc referret Hierusalem, regio cultu ornatus, per portam qua Christus baiulans sibi crucem, fuerat eductus;

Miraculum in porta factum. ostia repentè vltrò clausa sunt, quod cernens pius Imperator, regalibus ornamentis depositis, ac cinere & cilicio humiliatus; meruit vt denuò reserato aditu, miraculosus pateret transitus. Verùm post aliquot annos, irruentibus, & grassantibus, in Palestina Sarracenis & Mahumetistis, vexillum

Lib.18.de gestis Roman. crucis transtulit Cõstantinopolim, vt habet Paulus diaconus Iacobus Meyerus. Et Ado Episcopus Viënnensis in Chro-

Lib.1. Annalium ca.633. Cap.11.sexta ætatis. nicis, qui etiam commemorat istinc postea Romã fuisse aduectam, nam Sergium Papam, dicit, capsam argenteam in sacrario D. Petri, quæ in angulo diu latuerat aperuisse, ibique inuenisse crucem dominicam, quæ ex illo deinceps tempore singulis annis, in basilica sancti Saluatoris, die exaltationis eius omnibus fidelibus exhibetur osculanda, & adoranda.

De Adoratione crucis. CAPVT XLVII.

Duplici ratione crux adoranda.

HÆC tamen crux, in qua Christus nostram salutem in medio terrę operatus est; duplici ratione est adorãda: priori, quia obtutibus mẽtis nostrę, repręsentat ipsum in cruce expãsum: posteriori, quia per ipsum crucifixũ, eiusque immediatum contactum, sanctificata fuit. Prior ratio est imaginis, altera reliquiarum: vtraque tamen ratione, siue eam contempleris, sub ratione imaginis, siue vt reliquiarum rationẽ subit, adoratur prorsus eâdem adoratione, qua ipse cruci-

crucifixus, nec est ei tribuendus aliquis specialis cultus duliæ, aut hyperduliç, quia eodem honore prosequimur tam regem nudatum, quàm regia purpura decoratum, nec minus etiam eius imaginẽ, secundum Thomam. Istud satis manifestat sacrosancta Ecclesia ex cap. 6. Epistolæ ad Galatas, quando cantat, Nos autem gloriari oportet in cruce Domini nostri Iesu Christi, in quo, Christo, est salus, non, in qua, est salus. Et iterum alibi, O crux aue spes vnica, vbi non salutamus proprie lignum, sed potius ipsum in ligno suspensum, vel totam illam actionem potiùs quæ in, & cum cruce facta est: neq; enim proprius sermo est, sicut nec iste, Benedicite montes & colles Domino. Et, Laudate Dominũ Sol & Luna. itẽ: Cæli enarrant gloriam Dei. Metominic s enim perindè personat, atque dicatur: Cæli enarrant gloriam Dei, per me mirabilia eius opera contemplantem. Huic cõsentanea est Ambros. sententia, quando dicit, Non lignum, sed Rex cælorum adoratur in ligno. Et Euthy. Necnon Petrus Cluniacensis Abbas, idem comprobant. Discrimen nihilominus haud exiguum cognoscit Ioannes Damasc. inter crucem Christi, in qua ipse pependit, & cæteras quæ ex auro, argento, alijsque rebus fabrefiunt, quæ tactu sacri corporis non sunt consecratæ, quare si contingat eas dissolui aut frangi, non sunt adorandæ: Ipsa verò crux in qua Christus se hostiam obtulit patri gratissimam; sanctificata, à tactu sacri corporis & sanguinis; etiam in minutissimis partibus, post dissolutionem est adoranda; quemadmodum & claui, lancea, sepulchrum, & similia, tactu sacri corporis sacrata, teste Bernardo. Horum autem figura in alia materia, quod imaginem Christi instar crucis, non repræsentent; non est adoranda, secundum Thom. Hæc clarissimè docet Leontius Episcopus Neopoleos Cypriæ lib. 5. Apologiæ de imaginibus, & allegatur Actione 4. Concilij Nicæni secundi. Quatenus, inquit, duo ligna crucis colligata sunt, Typum quidem adoro propter Christum, qui in eo crucifixus est: cùm verò fuerint dissoluta abs se, abijcio, & exuro quoque, & quemadmodum qui mandatum Imperatoris suscipit, illius sigillum osculando, non ipsam ceram, aut characterem, aut plumbum veneratur, verum Imperatori ipsi adorationem & cultum exhibet: Ita quoque Christianorum filij, typum crucis adorantes, non naturam ligni adoramus, sed sigillum, annulum, & characterem, Christum ipsum aspicientes: per hoc eum qui crucifixus est, salutamus & adoramus. Et quemadmodum genuini filij, peregrinante longo tempore patre, ingenti amore erga eum affecti, quicquid illius in domo viderint, siue baculum, siue sedem, siue chlamidem, hæc in-

3. part. quæst. 25. art. 4.

Lib. de obitu Theodosii.

Panopliæ parte 2. titulo 19.

Lib. 1. epist. 2. contra Petrobrusianos & Henricianos.

Lib. 4. orthod. fidei, c. 12.

Differētia non modica est inter crucē Christi ac eius imaginem.

Ser. 5. in Natali Domini.

3. parte quæst. 25. art. 4. ad solutionem 3.

Similitudo Leontij.

Alia eiusdem similitudo.

hæc inquam, omnia cum lachrymis attrectantes, amplexantur; non illa honorantes, sed patrem desiderantes & venerantes: sic & nos fideles omnes, crucem Christi, tanquam virgam adoramus, sedem verò, vel cubile illius, per sanctum sepulchrum, præsepe autem & Bethleem, reliquaque illius habitacula, vt domum, sic Apostolos eius, beatosque Martyres, & reliquos sanctos, veluti amicos illius colimus, Ira Syon, tãquam illius ciuitatẽ, Nazareth verò, tanquã illius patriam, amplectimur. Non aliter etiam, Iordanem, quàm diuinum illius lauacrum reueremur, magno & inexplicabili amore, vbi resedit, vbi apparuit, aut quod tetigit, aut omninò obumbrauit, tanquam Dei locum colimus & adoramus, non ipsam regionem aut lapides venerantes, sed illum qui in illis conuersatus est, quique nos ab errore liberauit, Christum dominum Deum nostrum. Hinc etiam propter Christum, Christique passiones, passim in Ecclesijs, in domibus, in foro, in picturis, in sindonibus, in promptuarijs, in vestibus, omnibus denique in locis, hanc figuram ponimus, quò continuò contemplantibus nobis, hæc in mentem veniant, vt non obliuiscamur donum Dei nostri.

De modernis crucis Christi inimicis.

CAPVT XLVIII.

Lib. expositionis symboli. *Lib. 1. Instit. Christ. ca. 11. sect. 7.* *Hæreticorum peruersitas.* Ad Philip. 2. Ad Galat. 2.

HANC crucis adorationem, non solùm non permittunt Brentius, & Caluinus cæteriq; hæretici, verùm etiam cruci Domini, omnem quam possunt contumeliam inferunt, & tanquam porci, rosas conculcant, dissipant, destruunt, & prorsus eliminant. Eheu quanto cordis mœrore, quantoque lachrymarum profluuio, defleret Paulus exuuijs corporis mortalis exutus, nobiscũ iam constitutus, istos grassatores, si illos deplanxerit inimicos crucis Christi, qui carnis illecebris subacti, sibi ventrem, Deum subrogassent! Profectò omni gloria dignam Paulus indicauit crucem dominicam, quando non in alio quàm in ipsa gloriari, præcepit. Sanctus quoque Polycarpus, Apostolorum discipulus Epistola ad Philippens. pronuntiat huiusmodi crucis æmulos ad diabolum pertinere, eoq; peiores existere phreneticos spiritus, qui imaginem crucis infringant ac demoliãtur, secundùm Ignatium, Ioannis Euangelistæ discipulum, Epistola ijsdem Philippensibus scripta, cùm diabolus expauescat crucis trophæũ, eiusque virtute in fugam conuertatur, quemadmodum luce meridiana clarius liquet de Iuliano Apostata, teste Theodoreto Tripartita historia, & D. Gregor. qui signaculo crucis se muniens, voluit in tẽplo, idolis cõsecrato, pernoctare, tandem dæmo-

Diabolus timet crucẽ, quã hæreticus contemnit. *Lib. 3. cap. 3.* *Lib. 6. cap. 1.* *Lib. 3. Dialogorum cap. 7.*

dæmones intempestæ noctis silentio, ibi prodeuntes, ad conferendum, quibus technis inescarent homines, conspexerunt istum in angulo trepidantem, & clamantes, Vas vacuum, sed signatum, quasi diuina virtute profligati, & præsentia crucis confusi, disparuerunt. Quantò verò terrori sit dæmonibus hoc signum, sciet qui viderit, ait Lactant. quatenus adiurati per Christum, de corporibus quæ obsederint, fugiant. Nam sicut ipse, cũ inter homines ageret, vniuersos dęmones verbo fugabat, hominumq; mentes emotas, & malis incursibus furiatas, in sensus pristinos reponebat: ita nunc sectatores eius eosdem spiritus inquinatos, de hominibus & nomine magistri sui, & signo passionis excludunt. Cuius rei non difficilis est probatio. Nam cum dijs suis immolant, si assistat aliquis signatam frontem gerens, sacra nullo modo litant, Nec responsa potest consultus reddere vates. Et hęc sæpe causa præcipua iustitiam persequendi malis regibus fuit. Cùm enim quidam ministrorum nostri sacrificantibus dominis assisterent, imposito frontibus signo, deos illorum fugauerunt, ne possent in visceribus hostiarũ futura depingere. Quod cùm intelligerent aruspices, instigantibus ijsdem dęmonibus, quibus prosecrarant, conquerentes, profanos homines sacris interesse, adegerunt principes suos in furorem, vt expugnarent Dei templum, seque vero sacrilegio contaminarent, quod grauissimis persequentium pœnis expiaretur. Nec tamen ex hoc ipso cæci homines intelligere possunt: vt hanc esse veram religionem, cui ad vincendum tanta vis inest: aut illam falsam, quæ subsistere aut congredi non potest. Sed aiunt, hoc, Deos non metu, verum odio facere, quasi quisquam possit odisse nisi eum, qui aut noceat, aut possit nocere: imò verò congruens Maiestati fuit, vt eos quos oderant, præsentibus pœnis afficerent potius quam fugerent. Sed quoniam neque accedere ad eos possunt: in quibus cælestem notam viderint: nec ijs nocere, quos signum immortale munierit, tanquam inexpugnabilis murus. Necesse est enim hanc veram esse religionem, quæ & rationem dæmonum nouit, & astutiam intelligit, & vim retundit, & eos spiritalibus armis domitos & subactos cedere sibi cogit. De cuius virtute in dæmones præclarè philosophatur Athanasius: Signo crucis, inquit, omnia magica compescuntur, maleficia inefficacia fiunt, idola vniuersa deseruntur, omnis irrationabilis voluptas conquiescit, quilibet è terra ad cælos suspicit. Solo signo crucis homo vtens, dolos dæmonum à se propellit. Veniat qui istorum dictorum experimentum capere velit; & in ipsis præstigijs dæmonum, & imposturis vaticiniorum, & in miraculis magiæ vtatur signo crucis ab ipsis deriso, nomenque Christi

Efficacia crucis Christi.

Lib. 4. ca. 27.

Virtus crucis Christi in dæmones.

Ob S. signum crucis Christiani persequebantur.

De cruce loquitur.

De humanitate verbi, & corporali eius aduentu.

 inuocet.

inuocet:& videbit quomodo eius rei metu dæmones fugiant, vaticinia conquiescant, magiæ & veneficia iaceant. Refert Gregor. Nazian. cùm in magno, Iulianus, tremore ac horrore, ne à dæmonibus discerperetur: quamuis deserta ac prodita religione Christi, solo signo crucis, dæmones illos fugauit. Chrysostomum certè nullo modo præterire debeo, qui cùm alias sæpè crucis, & huius signi beneficia prædicet, tum peculiari etiam oratione in illius honorem elucubrata, laudes eius effert. Crucem itaque ille, inter alias laudes sic effert. Crux contra dæmones trophæum, portus inter vndas periclitantium,& spes Christianorum. Et rursus: Reges, inquit, positis diadematis crucem suscipiunt mortis symbolum, in purpuris crux, in diadematis crux, in precibus crux, in armis crux, in mensa sacra crux,& in toto orbe crux,& super solem fulget crux. Habet etiam Sophronius Hierosolymitanus, Episcopus annis iam lapsis circiter mille, de adoranda cruce & eius virtute, homiliam. In qua eam Christianorum tutelarem, ac fidissimam custodem, & vniuersorum ex aduerso occursantium insultuum potissimam profligatricem nominat. Et Cyrillus, Lignum, inquit, crucis nos inducit ad recordationem omnis virtutis, & nos pretiosi ligni crucem facere in memoriam omnis boni. Atque ista multaq; alia quæ prætermitto à patribus facta & dicta sunt de virtute S. Crucis in dæmones. Ac de cruce quidem, signoque, quod frequenti manus impressione in frontibus Christianorum pingitur, sensisse Ezechielem arbitror, cùm eos solos seruandos diceret, qui signum Tau in fronte gererent: quod quanti faciat consensus eorum qui per verbum Apostolorum in Christum crediderunt, ex subiectis testimonijs palam est. Exordium itaque mihi huius probationis à Cypriano martyre ducetur: qui dum confessores partim ad Constantiã, ac martyria generose obeunda hortatur: partim laudat, quod fustiarium fortiter sustinuissent, his deinceps verbis vtitur. Neque ad fustes Christianum corpus expauit: cuius est spes omnis in ligno. Sacramentum salutis suæ Christi seruus agnouit, redemptus ligno ad vitam æternam, ligno prouectus est ad coronam. Idem alio in loco: Ozias, inquit, lepræ varietate in fronte maculatus est, ea parte notatus, offenso Domino, vbi signãtur, qui Dominum promerentur. Et Origenes: Tanta, inquit, est vis crucis, vt si ante oculos ponatur,& in mẽte fideliter retineatur, ita vt in ipsam mortem Christi intentis oculis mentis aspiciat, nulla concupiscentia, nulla libido, nulla superare possit inuidia, sed continuo ad eius præsentiam totus ille, quem supra enumerauimus, peccati & carnis fugatur exercitus. Tertullianus verò cùm mul-

Oratione 2. in Iulian.

Homil. quòd Christus sit Deus.

Lib. 6. contra Iulianum.

De cruce in fronte signãda.

Lib. 3. epist. 25. & vlt.

Li. 1. epist. 12. & ad Iubaianum.

Li. 6. in epist. ad Rom. & in Psalm. 38.

De corona militis.

tos Ecclesiæ ritus, non scriptura, sed consuetudine in Ecclesiam receptos recensuisset, huius signationis consuetudinem tam vsitatam scribit, vt omnes Christianorũ actiones ac cogitationes præiret, & quasi consecraret, ostenditq; ab Ethnicis, Christianis obiectum, quod crucis essent religiosi. Basilius verò eandem, quam Tertul. quæstionem agitans, cùm multa ostendisset tradita, non scripta, æqua tamen reuerentia seruanda: inter alias Apostolicas traditiones signandi hunc vsum, quasi omnium vulgatissimum in hæc verba recenset: Vt eius, quod primum & communissimũ est, primam mentionem faciã: signo crucis eos qui spem collocarunt in Christum, signare quis scripto docuit? Cornelius martyr Romanus Episcopus, non alia magis de causa scribit Deum permisisse, Nouatum in fœdam illam hæresim labi, quam quod signaculum crucis ac chrisma, in periculo vitæ baptismo perfusus, ac ita Spiritum sanctum postea non accepisset. Sic & Chrysost. denuò signum hoe in fronte fidelium ponendum demonstrat his verbis: Crux in fronte nostra, quasi in columna quotidie figuratur, sic in sacra mensa, sic in sacerdotum ordinationibus, sic iterum cum corpore Christi in mysticis cœnis fulget. Hæretici itaque nostri temporis, qui in hunc morem cruce signandi inuehuntur, Ethnicos & planè Atheos se ostendunt ac sine fronte, id est, impudentissimos, qui eam cruce muniri non patiuntur. Quare quantumuis hunc vsum superstitiosum & arguant, & testimonium eorum, qui per verbum Apostolorum in Christum crediderũt, Ecclesiæ auferre conentur: Audient tamen velint nolint contra hanc suam impudentiam ab Augustino verissimum & certissimum testimonium. Insultet, inquit, ille paganus crucifixo Christo: videam ego in frontibus regum crucem Christi. Quod irridet, ibi saluor. Nihil est superbius ægroto, qui deridet medicamentum suum. Crux illa signum est humilitatis: ille autem superbia nimia non agnoscit, vnde sanetur tumor animæ suæ: si autem ego agnosco, in via ambulo; vsq; adeò de cruce non erubsco, vt non in occulto loco habeam crucem Christi, sed in fronte portem. Multa sacramenta aliter atque aliter accipimus. Quædam sicut nostis ore accipimus: quædam per totum corpus accipimus. Quia verò fronte erubescitur, ille qui dixit: Qui me erubuerit coram hominibus, erubescam eum corã patre meo, qui in cælis est, ipsam ignominiam quodãmodo, & quã pagani derident, in loco pudoris nostri constituit. Audis hominẽ insultare impudenti, & dicere, frontẽ nõ habet. Quid est frontẽ non habet? Impudẽs est: non habeat nudam frõtem, tegat eam crux Domini mei. Ex his vetustissimis patrum testimonijs constat, quod vsitatissi-

In Apologet.

Lib. de SS. cap. 27.

Euseb. lib. 6. Eccles. histor. cap. 43.

Homil quòd Christus sit Deus.

In Psal. 141. ad versum: In via hac quã ingrediebar.

Luc. 9.

tiſſimus, ſiquidem fuit, apud Chriſtianos, hic, crucis imaginem frontibus imprimendi, ritus; vt patet Ezechielis 9. & Apocal. 7. Tranſi, inquit, per mediam ciuitatem, in medio

Crucis ſignatio nõ eſt recẽs.

Hieruſalem, & ſigna Tau ſuper frontes virorum gemẽtium & dolentium. & ſequitur: Omnem autem ſuper quem videris Tau, ne occidas, reliquis non parcat oculus tuus. Hæc eſt vltima litera alphabeti Hebraici, quæ crucis ſimilitudinem

In 9.c.Ezech.
Lib. 10. Moral.cap. 17.

gerit apud Samaritanos, teſte Hieronymo. Et Gregor. alioquin, litera Tau, qua hodie vtuntur ſanctæ linguæ ſtudioſi, non habet imaginem crucis, ſed alphabetum, ſeu potius ſyllabarium Chaldaicum, ipſiſſimam crucis imaginem præ ſe ferre cognoſcitur. Similiter & Græcorum T magnum crucis

Lib. 4. de Trinit.cap. 15.
De catechizãdis rud. c. 20.
Et Ser. 108. de temp.
Serm. 56.
Exod. 17.

affinitatem habet, quo Aug. Item Ambroſ. magnum intelligit myſterium: Elegit, inquit, Gedeon trecentos viros ad prælium, Iudicum ſexto, vt oſtenderet non in numero multitudinis, ſed in ſacramento crucis ab incurſu inimicorum liberandum mundum: Trecenti enim in Græca Tau ſimilitudinem crucis oſtendunt, Quam Moyſes expanſis brachijs exprimens glorioſum tulit de hoſte triumphum. Quare meritò

Nemo eſt in cruce ſuſpendendus.
Geneſ. 41.
Ioſue 8.
Heſter 5.

reges inhibent iam aliquem reum in cruce ſuſpẽdi, licet creberrimus vſus, hoc obtinuerit apud patres veteris teſtamenti, propter reuerentiam, quam cruci Chriſti debemus, qua etiam cauetur Codice titulo, vt nemini liceat ſignum Saluatoris humi inſculpere: Lege, Cùm ſit nobis, vbi ſic habetur. Cùm ſit nobis diligens cura per omnia ſuperni numinis religionem tueri ſignum Saluatoris Chriſti nemini liceat vel

Crucẽ non licet humi inſculpere.

in ſolo, vel in ſilice, vel in marmoribus humi poſitis inſculpere, vel pingere, ſed vbicunque repetitur, tolli; grauiſſima pœna eum qui contrarium ſtatutis noſtris tentauerit ſpecialiter imperamus. Et Conſtantinus tabulam cui crux inſculpta erat, de terra leuari fecit, teſte Paulo Diac. Fieri autem

Lib. 8.

conſueuit tribus digitis ad ſignificandum ſanctæ Trinitatis myſterium, quæ per Chriſtum operata eſt noſtram ſalutem,

Lib. 2. ca. 44. de ſacramento altaris.
Crucis conſignatio, quomodo fieri debeat?
Serm. 181. de temp.
Epiſt. 119. ca. 14. ad Ianuarium.
Matth. 10.

teſte D. Innocentio, qui ducti à fronte vſque ad vmbilicum, ſignificant Chriſti de cælis deſcenſum, hominéque effectum: cuius cauſa exprimitur, quando ijdem trahuntur à ſiniſtra ad dexteram, ad inſinuãdum, Chriſtum nos liberaſſe, oueſq; ex hœdis effeciſſe; ſed per crucem acerbam. Hinc Auguſtinus dicit: quatuor crucis cornua ſignificare Chriſtum omnia ad ſe traxiſſe mundi climata. Vel etiam eminentior crucis portio, docet æternam retributionem ſedula mentis cogitatione ruminandam, ſecundum Auguſtinum. Inferior carnem eſſe domandem, qui non baiulat crucem ſuam, & ſequitur me, non eſt me dignus. Tranſuerſa ligna, vbi manus ſunt; hilaritatem operum prætendunt. Vel etiam ſuperior pars, charita-

tis significat ardorem: Decliuior verò atque protensior, perseuerantiam, eodem teste. Hanc profectò crucis imaginem D. Hieronymus & Tertullianus ad omnem aditum, exitum, vestitum, calceatū, lauachra, mensas, cubilia & sedilia, dicunt Christianos cōsueuisse fronti imprimere. Hoc quoque signo salutari omnis cibus est benedicendus, quia Gregor. commemorat quandam virginem diabolum cum lactuca deglutisse, quòd eam signo crucis non benedixisset: Omnia namque cruce Christi sanctificantur, secundum Aug. Imò nec massa farinæ in furnum mittebatur, nisi incisione superioris faciei crucis imaginem ostenderet educta, secundum Gregorium: Pari modo, an: equā sitibundi poculum ori apponamus, cruce Christi ipsum signare debemus, quemadmodum docet Theodoretus. Quin & trabes atque fenestras, legimus crucis imagine, tempore Chrysostomi fuisse insignitas, qui & peculiarem eumque insignem de cruce sancta habet sermonem, necnon agonizantibus simulachrum crucis præsentari, apponique consueuit, ante Augustiniana tempora, vti liquet ex libro de visitatione infirmorum. Solent etiam Christi fideles crucis imaginem parietibus lectuli affigere, quemadmodum mirabili patet exemplo, & stupendo miraculo (quod habetur Act. 4. concilij secundi Niceni) desumpto ex sermone D. Athanasij Episcopi Alexandrini quia in Berito ciuitate Tyro & Sydoni finitima, quidam Christicola ædiculam inhabitauit propè synagogam Iudæorum constitutam, qui ex aduerso lectuli imaginem crucifixi Domini nostri posuerat; Contigit autem Christianum istum, maiores ædes quærere, quas cum in alio ciuitatis loco inuenisset, & supellectilem vniuersam transtulisset, obliuione & diuina dispensatione, imaginem reliquit, Iudæus autem loci commoditate captus, ædiculam illam conduxit, non aduertens ibi imaginem affixam: Quodam autem die cum quosdam gentilium ad prandium inuitasset, contigit quendam cōuiuarum sublatis oculis imaginem Christi aspicere, qui asperis verbis inuitanti insultauit, sed ipse purgauit seipsum, asserens quòd nunquam eam vidisset. Postquam autem egressus esset, hominē apud principem sacerdotum transgressionis accusauit, qui concito gradu, magnoque strepitu properârunt ad domum, confestim imaginem Domini deprehendunt, Iudæum quidem extra synagogam eijciunt, imaginem verò detrahunt dicentes, Quemadmodum patres nostri illuserunt illi, ita & nos faciamus, & expuere cœperunt in faciem imaginis crucifixi, addunt deinde; Audiuimus patres nostros, pedes, manusq; eius clauis perfodisse, quid obstat, quo minus idem tentemus? protinus pedes manusque clauis ferreis transforârunt. Deinde

Crucis brachia quid significent?
Tract. 118 in Ioan. & serm. 19 de sanctis.
Epist. ad Eustoch.
Lib de corona militis.
Lib. 1. dialog. cap. 3.
Omnibus signum crucis est præmi: ēdum.
Serm. 19. de sanctis, et ser. 181. cap. 3. de temp.
Lib. 1 dialog. cap. 11.
Lib. 3. Eccles. hist. cap. 16.
Homil 55. super Matth.
Cap. 3.
Infirmorū obeuntibus crux est affigenda.
Tomo 4.
Memorabile exemplum.

insano ore clamitant, quod aceto & felle potatus fuisset, & patribus hac insania esse persimiles voluerunt, & addunt: Innotuit quoq; nobis, patres caput eius calamo percussisse, impleamus mensuram pattum nostrorum hac in parte, & caput domini in imagine cædere cœperunt. Tandem aiunt clarum est quod patres nostri lancea latus eius aperuerint, nihil à nobis omittatur, itaque vnus eorum lancea latus imaginis Dominicæ trāsfixit, ex quo protinus sanguinis & aquç riuuli emanare cœperunt. Tunc dixerunt Principes sacerdotum, adferatur vas ad locum vulneris, & videamus exitum rei, qui ilicò hydriam adhibuerunt, quæ absque vlla mora oppleta fuit. Tunc dixerunt ad inuicem, Christiani gloriantur suum Christum magnis choruscasse miraculis, vniuersaque morborum genera depulisse, deferamus istam hydriam ad synagogam, in quam confluere præcipiamus omnes malè habentes, quod si sanguis iste restituere pristino vigori non valuerit, ludibrio nobis erunt Christiani, si autem vera sunt, continuò sanabuntur, & quanquam maxima esset synagoga, non tamen capax erat superuenientium populorum, claudorum, cæcorum, leprosorum, & cæterorum: Dum vnus paralyticus sanguine sacro perfusus, & aspergillo respersus, alteri infirmo mirabilia Christi opera pandit, & magnis laudum præconijs extollit. Tunc principes sacerdorum & seniores crediderunt Christo, deplangentes obcæcatæ mentis caliginem, & properantes ad Episcopum Christianorum in eadem vrbe; se grauiter deliquisse, deplorabant, & confitebantur, humi prouoluti, quantam ignominiam imagini intulissent. Tum Episcopus sciscitabatur à quo profecta esset, & reperrus prædictus Christianus asseruit, quod Nicodemus qui ad Christum nocte venerat, proprijs manibus eam composuisset, & moriens Gamalieli tradidisset, qui diem claudēs extremum, eam reliquit Iacobo, Iacobus autem Zachæo, sicque per successiones temporū perdurauit in Hierusalem, vsque ad subuersionem Titi & Vespasiani: nam ante præmoniti Spiritu sancto Christiani transmigrârunt ad regnum Agrippæ, qui Romanis erat confœderatus, quo omnia ad cultum religionis pertinentia aduexerunt, sicque hanc imaginem iure hæreditario à parentibus ex hac luce migrantibus possedi, his auditis Antistes fecit Iudæos erudiri in fide Christi, atque præmisso triduano ieiunio sacro baptismate abluit, qui suam synagogam fecerunt consecrari ecclesiam in honorem sancti Saluatoris. Nunc vero cum plena sint omnia sæcula horum exemplorum, impudētissimos se ostendunt hæretici dum sese ipsos cōtra totam ecclesiam iudices obtrudunt, & contra eam priuata authoritate, hoc est nulla, sententiam ridicule pronunciant,

Ioan. 3.

In inimicos crucis Christi.

nunciant, ſpiritum ſanctum in ore ſanctorum patrum Eccleſiæ loquentem, mendacij arguẽtes: Aut potius, vt olim Centuriones, ignauos milites, turpiſſimam perpetuæ ignominiæ notam eis inurentes, exauctorarunt: ſic iſti, toti Chriſti exercitui, ſe ſua authoritate præponentes, atroci calamo armati, omnes patres pro crucis Chriſti honore certantes, quaſi imbelles, & perfidos milites, conuicijs ac mendacijs lacerant ac cædũt. Quare ipſi potius viderint, quo maligno ſpiritu, ad ita male dicendum Catholicæ religioni fuerint inſtigati, furere enim apud pios & ſobrios, & quaſi vinolenti bacchari, & temulentos illos olim Iudæos, qui Chriſtianos Chriſti mortem lugentes irridebant, imitari videntur. Si enim vere, credunt Chriſtum pro peccatis noſtris mortuum: cur Catholicorum pios affectus quibus de morte Chriſti dolorem, aptis & accommodatis cæremonijs teſtantur, irrident? & tam odioſæ traducunt? Quod certè faciunt eodem, aut peiore ſane ſpiritu, quam olim Michol, quæ pium Dauidem ridicule, vt ipſa exiſtimauit, ante arcam ſaltantem contempſit. Cuius ſuperbiam Deus ita vltus eſt, vt poſtea liberos non pareret. Verum iſtos grauior vindicta perculit, in quibus videmus tãtam totius virtutis pietatis, ac catholicæ fidei ſterilitatem atque inopiam. Ego vero Deum Opt. Max. precor, vt tandem nos ex alto reſpiciat, & tantas aduerſus venerandam eius crucem iniurias compeſcat. Nos enim multo iuſtiorem, quam olim Polycarpus exclamandi cauſam habemus: Bone Deus, in quę nos tempora reſeruaſti? Quibus Euangelij, vt ipſi videntur, inſtauratores, omnem hunc cruce nos ſignandi vſum, alij ſuperſtitioni, alij magiæ, alij idololatriæ aſcribunt: crucemq́ue Chriſti Idolum appellare non erubeſcunt: nec quicquam intereſſe, Crucis ſignum digito fronti imprimas: an aërem eodem verberes. Ita nobis iam Chriſtus rurſus crucifigi, & perinde ac Iudæis & Gentibus, crux nobis ſcandalum & ſtultitia videtur. Et vereor ne hanc horrendam doctrinam, ac nefarium Germaniæ tuæ ſchiſma, formidanda illa portenta in cælo ad annum Chriſti milleſimum quingenteſimum primum præſignificarint: cum in Germania cruentæ cruces veſtibus hominum horribiliter cælitus aſpergerentur. Videntur certe mihi, cruces illę, totæ ſanguine ſtillantes, infauſto quodam omine, plane prædixiſſe, Chriſtum rurſus crucifigendum, per virulentas & blaſphemas eorum linguas, qui venerandum eius ſignum, idolum appellant: per impias denique eorum manus, qui calamo, igne, ferro, aqua, Chriſti cruces dilacerant & conterunt. Poſtea vero quam hoc ſchiſma execrandum, longe lateq́ue propagatum eſt, nónne ad annum Chriſti 1031. incredibili quodam horrore, figuræ

Socrates lib. 7 cap. 16.

2 Reg. 6. 1. Paral. 15.

Euſeb. lib. 5. cap. 20.

Hermannus Schedel in cronicis teſtatur.

Portẽta crucis.

crucis Christi spineæ coronæ, lanceæ, aliorumque passionis eius monumentorum sanguineæ in cęlo apparuerunt? Quid hæc ostenta portendant, ipse non audeo quicquam pro certo affirmare, sed rem totam diuinæ prouidentiæ relinquo: tametsi eorum interpretatio non videtur à vero aberrare qui huiusmodi signa ad animos nostros ab omni impietate auertendos, & serias de vita emendanda cogitationes nobis iniiciendas diuinitus edita arbitrantur. Hic illorum quoque arridet mihi sententia, qui in his portentis Deum quasi viua voce significare existimant quam ei non placeat, furibunda hæc tremendæ crucis Tragedia: perinde ac si nihil intersit inter execrandam Iouis statuam & sacrum Christi trophæum. Vtinam, vtinam hi inimici crucis Christi huiusmodi miraculis diuinitus admoniti, Diui Pauli exemplo desinerent Christum in eius cruce imagine persequi. Vtinam vnde exierunt, illuc, id est, ad ouile Christi, amare cum Petro flentes redirent. Sed hæc facilius est optare, quam sperare, quam neque optare, neque sperare vnquam desinam, quandiu vixero, & illi quorũ interest, ne ego optatis & spe mea frustratus fuero. Ad alterum enim horum Christiana inuitat charitas, ad alterum infinita Dei potentia & bonitas. Sed de his latius, circa huius primi præcepti finem. Et hactenus quidem de suauissimi Christi reclinatorij virtute & cultu, quo dispensatio incarnationis adimpletum est, quod nolint velint hæretici, leuabit Dominus in nationes, & congregabit qui perierunt ex Israël? quo filius hominis reclinatus supinus iacuit, vt quæreret & saluum faceret quod perierat. Quod, inquit Basilius, profiteri possis esse crucem Domini nostri Iesu Christi, cuius gratia mundus iste crucifixus est sanctis, & ipsi mundo, quo etiam loco aperit operatoriam viam eius signi, vt qui ad salutem prouehendi essent, in vnum aggregarentur cælum à quatuor terrę alis. Crucis enim partes quadrifariam dispertiuntur, ita quod vnaquæq; suo annutu simul quatuor spectet mundi partes; siue tandem vt hac significatione omnes mũdi partitiones per eas sanctæ crucis partes ad salutem recta dispensentur. Eam enim ob causam mors Domini per crucem peculiari ac præcipuo honore digna habetur, eaque antiquius nihil ducitur, aut quod ante ligneã istam crucem, altera quædam animo ac ratione intelligentiæ perceptibilis fuerit toti mundo, repræsentans crucis imaginem, nimirum quatuor partibus vniuersæ mundi machinæ in medium coaptatis & consertis, inque medio efficaci eius virtute ad fines vsque quatuor partium mundi se protendente. Signo igitur hoc in sublime erecto, qui ex Israël disperierãt, in vnum gregem cogentur, & dispersi Iuda è quatuor alis terrę agglomera-

Quid in portentis crucis considerãdum?

Pium votum Authoris.

Esa. 11.

In hunc Esaiæ locum.

Mors Christi ob crucem preciosa.

merabuntur. Leuato hoc signo virtutem obtinente abrogatiuam principatuum & potestatum, de quibus palam triumphum egit, expolians eos in ligno, ac veluti vestimentum à se excutiens, quod quidem ipsi nobis detexuerant, expoliauit principatus & potestates, & traduxit confidenter, de illis triumpho palam celebrato, ligno crucis affixus. Hac inductus ratione Paulus, qui vnus fuit ex perditis Israël, ac dispersis Iuda, simul atque intellexit signum in nationes ab Iesu eleuatum, ocius ad complexum crucis accurrit, dicēs: Mihi autem absit gloriari, nisi in cruce Domini nostri Iesu Christi. Hactenus Basilius. Iam ratio ordinis postulat, vt de cultu & veneratione alterius reclinatorij Christi, scilicet ipsius gloriosissimę virginis Marię, in qua, per quam, & de qua, dispensatio incarnationis facta est, dicamus.

De cultu gloriosæ virginis.

CAPVT XLIX.

BIPATRITA diuisione secari cōsueuit adoratio duliç, prior quę communis omnibus tam terrigenis quàm cæligenis creaturis applicatur, vti penultimus articulus ab isto nobis demonstrare potuit: Posterior dicitur specialis, quæ alio nomine vocatur Hyperdulia, quæ secundùm Alexandrum de Hales, est honor admodùm magnus, qui exhibetur creaturæ rationali excellenti, propter maiorem affinitatem, & quam habet ad Deum coniunctionem, sicut humanitati Christi, quando intelligitur caro humana aliqua imaginatione à diuinitate semota. Hæc eadem congruit beatæ virgini, quæ singularem dignitatis prærogatiuam obtinuit, quando Dei genitrix esse promeruit: Ipsa siquidem est de de quo sanctus Moyses pronunciauit, הוא יְשׁופְךָ ראש Hu Ieschuphecha rosch, hoc est, ipsum tibi conteret caput. Cui propositioni, cum duæ præmittantur in textu Hebraico dictiones, quarum vna est issa, id est, mulier, quæ est fœmini generis, altera autem zerach, id est, semen, quæ est masculini generis; cui nō inepta cōgruitate subnectitur pronomen hu, quod est quoque eiusdē generis, significans idem quod ipse apud Latinos, vt referatur ad zera: Si namque mulierem intelligere placuisset, non hu, sed, hi pronomen, in fœminino genere constituisset, quanquam haud difficulter transitus fiat vnius literæ Iod ad Vau, cum sola longitudinis protractione distinguantur, vnde suspicio oriri posset incuria impressorum, vnam literam alterius loco positam nisi ipsum verbum ieschuphecha masculini generis dubium tolleret. Huic adstipulantur Septuaginta, qui sic habent, αὐτός σου τη-

Duplex dulia.

3. parte summæ quæst. 30.

Genes. 3.

Sententia Genesis 3. discutitur.

φιεςκεφαλὴν, quos cùm haud illibenter imitetur Hieronymus, verò simile est ipsum legisse hu, licet moderna exemplaria ferè habeant hi, vt ita legatur, Ipsa tibi conteret caput. Verùm ea mendosa esse, vel ex Hebraicis eius quæstionibus, cuiq; potest esse perspicuum. Nec alius pronomine hu significatur, quàm illæ in quo benedicendæ erant omnes gentes.

Genes. 22. & ad Galat. 3.

Si autem legatur ipsa, vt intelligatur de beata virgine, quemadmodum canit sacrosancta Ecclesia in celebri illa Antiphôna, Hęc est præclarũ vas, &c. vbi sequitur, quæ cõtriuit caput serpentis, nullo modo hoc accipiendum est, quasi Maria diabolum vicerit, aut chirographum decreti abstulerit, absit enim vt tale quid puræ creaturæ, qualis est Maria, deferamus; quia sicut non est creatrix, ita nec redemptrix vel saluatrix. Optimè tamen ita cantare consueuit Ecclesia, sed sensu, quem reperire licet apud August. & Bernar. quia pœna culpæ debet proportionari, & iuxta exigentiam delicti, debet esse plagarum modus. Si igitur vir ceciderit per fœminã, vt docetur 1. Tim. 1. æquum est, vt per fœminam vir iterum erigatur, & si per fœminæ corruptionem ingressus sit morbus, per fœminæ integritatem incolumitas pristina restituatur, ipsaque pro matre respondeat, eiusque opprobrium auferat, atque patri pro matre satisfaciat, sed per benedictum ventris sui fructum, quem optimi fratris indumentis, hoc est, mundissimo carnis humanæ velamento instar Rebeccæ patriarchæ Isaac, hoc est Patri cælesti obtulit & præsentauit, teste Ambr. Item August. Atque adeò exaudita fuit pro filij oblati & sua reuerentia, vt pater cælestis nil nos habere voluerit, quod non per manus Marię transierit, secundùm Bernar. Ad quod significandum fida relatione, Rupertus, insignis ille Tuitiensis Abbas, commemorat explorarum, quod mulier & si non semper actu, tamen semper potestare conterat caput serpentis, nam si nuda mulieris planta, dentem serpentis præuenerit, & viuacissimum eius caput, vel leuiter presserit, statim totũ cum capite corpus interit, & emoritur, quod nec malleis nec gladijs facilè fieri posset. Digna est ergo omni laude quam fundauit Altissimus, cuiusq; tabernaculum ita sanctificauit, vt digna foret suis visceribus portare Regẽ cælorum, & Dominum angelorum. Quo profectò præstârioris atq; magnificentioris est honoris, quàm vniuersa angelorum corona cũ omnibus creaturis ei exhibere præualet. O Maria quibus te laudibus efferemus, quibus verbis gloriã tuæ celsitudinis magnificare valebimus! Si in te laudauerimus virginitatem; cõplures virgunculæ post te dulce melos personantes, in eodem stadio cursitant: Si humilitatẽ pręadicauerimus, offendentur mansueti & humiles corde: Si magnificare sata-

Maria quomodo cõtriuit caput serpentis?
Lib. 1. de doct. Christ. ca. 14.
Serm. 2. super Missus est.
Deuter 25.
Optima Iacob vestimẽta quid adumbrarint.
Genes. 27.
Epist. 80. aduersus Vercellẽsem Ecclesiã.
Lib. 3. Hexamer. ca. 8. & 17. Et lib. 2. de Iacob, & vita beata c. 2
Lib. cõtra Mẽdaciũ ad Consentiũ ca. 10.
Serm 3. in vigilia natiuit. Dominicæ.
Lib. 3. super Genes. ca. 20.
Mira plantæ fœmineæ efficacia.

gerimus misericordiæ tuæ largitatem; fortassis viros misericordiæ inuenire, haud fuerit difficile. Vnũ restat, in quo nec primam similem visa es, nec habere sequẽtem, gaudium matris videlicet, cum virginitatis pudore. Optimam partem elegisti tibi Maria, optimam planè: bona namque fœcunditas coniugalis, melior castitas virginalis, prorsus optima fœcunditas virginea seu fœcunda virginitas, tuum est priuilegium, non dabitur alteri, quia abs te nunquam auferetur. Ideoque prisci iuxta ac sancti Patres, singulari hyperdulia te sunt prosequuti, tantoq; pietatis affectu honorârunt vniuersi; vt licet de tua celsitudine eloqui gestierint, nihil gloria tua dignum dixisse videantur; imò si vniuersorum membra verterentur in linguas, te laudare sufficeret nullus: Altior siquidem es cælo, abysso profundior, cui laudes promere dignum & iustum est. Verùm aliquis Mennonista, huic sacratissimæ virgini, insultando obijciet, Christus non honore eam dignam ostẽdit, quin potius acri reprehensione confudit, inquiens, Quid est quod me quærebatis? nesciebatis quia in his quæ patris mei sunt, oportet me esse? Et: Quid mihi & tibi est mulier? Cùm omnis Christi actio nostra sit instructio, non videtur ita magnifacienda gloriosa Domina. Sed isti zoili attendere deberent, quod Dominus eam non confudit, sed potiùs humili obedientia ei subiectus, descendit cum illis in Nazareth. Et altero loco, aqua facta vino, lætati sunt conuiuæ, quia per oppositum sensum, genuina prælibatorum locorum, eruẽda est expositio, secundùm Cyrillum & Theophyl. Hoc enim aut simili modo loquitur Christus: nisi ò mulier inter me & te tantum esset mutuæ dilectionis vinculum, votis tuis minimè obsecundarem, quia manifestationis meæ in mundo, nõdum aduenit tempus; sed quia tuæ personæ denegare aliquid, nephas duco; hauriant ministri, & adferant architriclino. Nisi etiam humillima virgo, Spiritu sancto edocta, credidisset se votis posse potiri, non tam fiducialiter imperasset ministris, Quodcunque dixerit vobis, facite. Nihil ergo facit ille locus contra honorem virginis, sed eam commendatissimam reddit, dum etiam non à nobis interpellata tanquam pia mater pro nobis apud filium fidele exhibet patrocinium. Nec obstat sententia Ioannis Chrysostomi, vbi videtur gloriosę virgini eiusque honori derogare, dum non veretur notam ambitionis & importunitatis illi inurere. Quia multùm abesse debet à fidelium cordibus, inquit Augustinus & Bernardus, vt illa quæ amictum habuit solaribus fulgoribus radiantem, atque caput 12. stellarum corona redimitum, lunamque vice fundamenti suppositam aliquid opacitatis admiserit, Quomodo quæso corpus potest esse opacum, vel

Luc. 2.
Ioan. 2.
Obiectio cõtra honorẽ virginis.
Solutio.
Lib. 2. ca. 23 super Ioan.
Maria nõ interpellata, pro nobis intercedit.
Alia obiectio.
Solutio.
Homil. 45. in Matth. super illud 12. cap. Adhuc eo loquente, &c.
Et homil. 21. super Ioan.
Lib. 4. cap. 1. de symb. ad cathechumenos.
Ser. super verba Apocal. 12 post sermonem de assumptione eius constitutu.

vel aliquibus peccatorum aculeis fauciatum, quod lucem mundi,& nephas feculi lauantem proferre meruit? Quomodo anima aliquibus peccatorum nebulis poteft effe obfufcata,talibus fulgotibus vndique circumfufa? Dicẽdum eft igitur ad authorem, quod difcipulorum reprehenfione dignam duxerit temeritatem, quorum ibi expreffa etiam mentio fit, non Mariæ. Quod fi contentiofo hæc non fufficiant, poteft Chryfoft. intelligi loquutus,non fecundum rem, fed hominum opinionem, ficut legitur Chriftus profeciffe fapientia, tefte Auguft. Aut certè ipfum vehementiorem fuiffe. Nec etiam obftat quod habet Nicephorus in calce libri hiftoriarum ex Suida abfque neceffitate affumptum de Conftantino Imperatore Græco, Leonis Ifauri imaginum oppugnatoris filio, qui eo infaniæ (poftquam faburram alui in facro fonte exonerauit,cum alijs dictu horrendis) deuenit, vt acceptis in manibus auro refertis loculis, ijsque multitudini oftenfis,quanti eos æftimaret, interrogauit, at illa vbi plurimi dixiffet, ex ijfdem loculis auro effufo, rurfus quanti eos penderet requifiuit, & poftquam populus, nihili, fubintuliffet, ad eundem inquit blafphemus, modum, Maria quoad Chriftum portauit in vtero, digna honore fuit, eum porro enixa, nihil fœminis reliquis dignitate præftitit. Huic impijffimo imprimis eft dicendum,quod non fit in vtrifque par ratio, quia quanquam magna & ineffabilis fit prærogatiua, filium cum patre cælefti habere communem, vereque effe Theotocon, id eft, Dei genitricem; fecundum concilium Ephefinum primum, & concilium Conftantinopolitanum non tamen loculis auro vacuis debetur, quod eo refertis defertur, quia loculi vacui fiue marfupium abfque nummis ab omnibus tanquam inutile pondus reijcitur, vtpote nihil pretij vfualis in fe continens,atqui fecus fentiendum eft de gloriofa Dei genitrice, quia licet tanquam aurum obrifum, Chriftum omnium faluatorem circumdederit,& gremio fui vteri continuerit, non tamen iftud tanti eft faciendum, perinde atque illud quod pulchra fide,& heroicis virtutibus pollens,ipfi Deo fummè accepta, magnique habita fuerit, antequam de puriffimis eius fanguinibus Chriftus incarnaretur. Beatior fiquidem legitur Maria fuiffe, tefte Auguft. Chrifti recipiendo fidem,quàm eius carnem. Ergo & Maria,inquit, quia fecit voluntatem patris, hæc in ea magnificauit Dominus, non quia caro genuit carnem. Et adducens illud Luc. Beatus venter qui te portauit; Imò fœlices, inquit, qui audiunt verbum Dei & cuftodiunt illud. Id eft, & mater mea quam appellatis fœlicem, inde fœlix probatur & benedicta nuncupatur,quia verbum Dei cuftodit, non quia in illa Verbum

Alia folutio.
Luc.2.
Contra Maximinum epifcopum ca.23.
Blafphemia impij retunditur.
Cano.15.
Can.2. & 6.
Lib de fancta virginit.ca.2. de peccat.meritis & remif. cap.25.
Et tractatu 1. fuper Ioãnem, exponens illud Math 12.Hi funt fratres mei.
Cap 11.

bum caro factum est; Et, nisi omni honore dignissima ante & post partum fuisset; cælestis ille paranymphus Gabriel, non tanta suauissimi affatus dulcedine aures eius demulsisset, nec eam magnificis, inauditæ salutationis, titulis, alloquutus fuisset; etiam antequam filium Dei mundo peperisset, aut virginalis vteri thalamo, concepisset. Nec arbor fuit infrugifera, sed virtutum incrementa semper sumpsit; cumulatiora quoque donorum spiritualium charismata, in conceptu filij Dei adepta est, vti angelus testabatur dicens: Spiritus sanctus superueniet in te, & virtus altissimi obumbrabit tibi. *Luc. 1.* Cuius omnimodam plenitudinem percepit sibi possibilem, quando spiritus sanctus in Penthecoste, sub specie ignis ipsam & Apostolos nouo quasi igne inflãmauit. Compertissimum est etiam, prolem regiam mundo ortam, genitricem non facere degenerem, quin potius reginam nobiliorem, & imperatricem generosiorem; dum regnum, gratissima prole stabilire atque firmare, cognoscitur. Nec Beth-sabeë, per Salomonis natiuitatem ignobilior est effecta, quin potius, cùm esset stipendiarij militis vxor, ita profecit in regno, vt thronus sibi constitueretur, atque in dextera regis, decidendi causas, regni potestate poriretur. *2.Reg 11.* *3.Reg.2.* Quare meritò in illo cantatissimi hymni, Aue maris stella, tertiò versu precamur, Solue vincula reis; & in Antiphôna, Alma redemptoris mater dicitur: Peccatorum miserere, sicut, in Salue Regina appellatur vita, dulcedo, & spes nostra, contra Lutherum, Et Eras. sacrosanctæ Ecclesiæ satis procaciter insultantes. *Quo sensu Maria peccatorũ miseretur?* Non quòd ipsa, nostrorum soluat per se, vincula peccatorum; aut quod ipsa, sit spei nostræ prora & puppis (vt dicitur) sed quod sua fideli intercessione, qua pro sua reuerẽtia, nunquam non exaudiri meretur, comparat nobis remissionem peccatorum, gratiam, & gloriam. *Serm. de festo Natiuitatis Virginis. In comment. Psal. 85.* Enimuerò illa ipsa opera, quæ per sanctos Deus in nobis operatur, illi, per quos ea Deus agit, in sancta scriptura, etiam agere dicuntur, sicut de credentibus in Christũ veritas dicit, Qui credit in me, opera quæ ego facio, & ipse faciet, quoniam per eos Christus erat miracula facturus. *Ioan. 14.* Et: Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, quoniã per Apostolos & ministros suos erat peccata remissurus, qui tamen, ait, Ego sum inquit, qui deleo iniquitates. *Cap. 20.* *Esa 43.* Quod autem dicitur spes nostra, Sciendum est duplicem esse spem, secundum Bonauent. nimirum, præmij, & auxilij. *Duplex est spei acceptio.* Potestas dimittendi peccata non est homini ex se, quia tũ posset conferre gratiam & gloriam, quam soli Deo acceptã referre debemus, in quo spem præmij collocamus, Spes auxilij est gloriosæ virgini, quia plus suffragij, teste Augustino, reliquis sanctis in necessitatibus nostris potest exhibere. *Lib. 1. Sent. dist. 1. super textũ, & lib. 4. dist. 5.* *Ser. de Assumptione.*

De ve-

De veneratione & inuocatione sanctorum.

CAPVT L.

CVM tam plena, largaque omnigenę incolumitatis beneficia, sanctorum subsidijs cognouerimus nobis esse collata: iustum est, eos honoremus in terris, quos cumulatioribus charismatum donis, haud ignoramus exaltatos in cælis. Qui mihi ministrat, inquit Christus, me sequatur, & vbi ego sum, illic & minister meus erit. & iterum, Si quis mihi ministrauerit; honorificabit eum pater meus qui est in cælis. Et: Vos amici mei estis, si feceritis quæ præcipio vobis. Vnde propheta regius, Mihi autem nimis honorati sunt amici tui Deus. Et Deus legitur mirabilis in sanctis suis. Quare meritò ipsum in sanctis laudare, & inuocare iubemur, licet Caluinus & Theodorus Beza, hanc sanctorum inuocationem inutilem calumnientur esse cultum, Classici tamen doctores veteres & recentiores, religiosissimè hunc obseruârunt: nam vt breuitatis ergò, posterioribus supersedeamus, perspicuum est sanctum Ambrosium, suo exemplo nos docuisse, quid faciendum oporteat, quando virginis Mariæ & Apostolorũ subsidia implorauit, Et lib. de viduis; Obsecrandi, inquit, pro nobis sunt angeli, qui nobis ad præsidium dati sunt, martyres inuocandi, quorum videmur nobis quodam corporis pignore patrocinium vendicare. Sic Hieronymus: Vale, inquit, ò Paula, & senectutem meam orationibus iuua. Sic Prudentius in hymno qui orditur, Audi benignus, &c. opem Laurentij martyris efflagitat. Et Gregorius Nazianzenus inuocat Basilium in Monodia sua. Qui idem Gregorius oratione de conuersione Cypriani manifestum facit, Christinam sacratissimam virginem, præsidium Dei genitricis implorasse, quando Cyprianus auitis adhuc cæci paganismi obuolutus tenebris, astu diabolico ipsius pudicitiæ insidias struere conaretur. Et D. Ioannes, ab aureo orationis flumine, dictus Chrysostom. irrefragabilibus verbis, docet sanctos inuocandos. Cui astipulatur Basilius magnus, Origines quoque, ita precatur: O beate Iob, ora pro nobis miseris. Et vt Apostolorum tempora attingamus, Ita legimus apud Eusebium Cæsariensem de sancto Iacobo, de quo pronuntiabat summus sacerdos, quando ipsum præcipitantes Iudæi occiderunt: Parcite quæso Iacobo isti, quid facitis? pro vobis orat iustus hic quem lapidatis, &c. Nec hîc quidem figere gressus decreuimus, sed hanc catholicam veritatem ex sacris eloquijs contestatissimam facere intendimus: nam Paulus, secretorum Dei optimè conscius, Christi promissione, qua omnes exauditurum se pollicetur, non contentus, Romanos, Ephesios,

Ioan 12. *Deus sanctos honorat.* *Ioan 14.* *Psalm. 138.* *Psalm. 150.* *Lib. 2 Instit. Christ. cap. 3. sect. 16.* *Cap 4 ar. 16. confes. Christ.* *Oratione 2. ante missam dicenda.* *In Epitaphio Paulæ.* *Cyprianus & Christina.* *Hom. 1. epist. ad Philip.* *Serm. 40. ad martyres.* *Lib. 2. super Iob.* *Lib. 2. Eccles. hist. cap. 23.* *Paulus implorat aliorũ preces.*

Ephesios, reliquosq; Christi fideles fatigat, assiduas illorum efflagitans pro se, Christiq; adeo negotio, orationes. Quod si vas electionis preces intercedentiũ fidelium, in negotio Deo quàm cõmendatissimo, implorauerit, quid mirũ, si nos Mariã inuocemus, & Petro cæterisq; sanctis supplicemus? Profectò cognouimus, Apostolos intercessisse ad Dominum, pro muliere Cananæa, quos Deus non repulit, tanquam non debeant aut non valeant intercedere; sed vt maiorem ignis ardorem & pietatis feruorem eliceret, effectum intercessionis distulit, teste August. Similiter dicitur, Facite vobis amicos de mammona iniquitatis. Quasi dicat: Quandoquidem indignos vos iudicatis, qui ad ipsum diuinæ maiestatis thronum, accedatis, nimijs æterni illius solis fulgoribus reuerberati, ac propriæ conscientiæ reatu confusi: sanctos, tanquam Dei amicos, & vestræ salutis amatores confidenter implorate, vt ipsi, pro vobis ad Deum, intercedant, & impetrare satagant; quod oratio vestra non præsumit, vt August. insinuat. Quos de sua salute docet esse securos; pro nostra verò, sollicitos. Ex quibus omnibus conficimus; quod si perpetua obseruatione, hunc cultum tenuerit populus fidelis, non absonum esse debere; si iam Deum tanquam primarium salutis nostræ scopum adoremus, & ad Mariæ virginis subsidium confugiamus; ac sanctorum opem efflagitemus, quatenus apud thronum gratiæ, pro nobis intercedant, nosque adiuuent, hanc siquidem orandi siue inuocandi diuersitatem constituit nobis concil. Gangrense, Tolet. 5. Tolet. 6. Braccarense 2. Et concil. Constantin. 3. cap. 7. quod sic habet: Solo Deo creatore adorato, fideles inuocent sanctos, vt pro se intercedere apud maiestatem diuinam dignentur. Hæc faciant quibus Basilicæ locus est in basilica, qui verò in itinere aut in syluis, aut agris, sic faciant vbicunque hora matutina vel vespertina eos inuenerit, scientes Deum vbique præsentem. Quem orandi modum obseruant lytaniæ, siue rogationes, quas sacrosancta Ecclesia Spiritu sancto edocta, celebrat: alio namque modo Deum orat, alio sanctos implorat, Dei misericordiam, supplex, ita postulat: Pater de cælis Deus, miserere nobis, Fili redemptor mundi Deus, miserere nobis, &c. Cùm autem peruentum est ad sanctos, non eâdem orandi formula vtitur, sed mutata prece, intercessio imploratur: non enim dicimus, Sancta Maria, aut, sancte Petre, miserere nobis, sed ora, & intercede pro nobis. Sicque ecclesia orans, à Deo efflagitat misericordiam, teste Epiphanio & Theodoreto. A sanctis autem, intercessionem.

Matth. 15.
Occurrit tacitæ obiectioni.
Lib. de fide & operibus c. 16.
Luc. 16.
Serm 17. de sanctis.
Haud parum discriminis est inter adorare & inuocare.
Cano. 20.
Cano. 1.
Cano. 2.
Cano. 9.
Lytania.
Tom. 2. lib. 3. hæres. 78.
Lib. 8. Græcarum affect.

Sancti

Sancti precum nostrarum suffragia cognoscunt.

CAPVT LI.

ANIMAS corporibus exutas, naturali ratione, secundum Thom. non cognoscere precũ nostrarum vota,
1.part. q.89. art.8. nec operum nostrorum merita, satis cõsonum est rationi, quòd secreta cordium nostrorum cognoscere solius sit
Deus solus καρδιογνώστης Dei, qui scrutatur corda & renes, quiq; finxit sigillatim corda eorum, qui & intelligit omnia opera eorum. Et: Dominus scit cogitationes hominum, quoniam vanæ sunt: Supernatu-
Psal.7. & 23. Psalm.93. rali tamen ratione, teste August. & diuina reuelatione cum Christo regnantes, in verbo, veluti in speculo clarissimè vni-
Li. de cura pro mortuis agẽda ca.15.& 16. uersa contuentur, quæ hic aguntur in terris, quãrum illis vel ad gaudium, vel nobis ad auxilium conducere possit, quemadmodũ luce meridiana clarius, docetur lib. 2. Machab. Vbi
Sancti in cælo, quomodo vota nostra cognoscunt? Hieremias propheta, non legitur solùm multùm orasse pro populo, verùm etiam gladium Iudæ porrexisse, quo aduersarios prosterneret. Porrò Hieremias, si diem conflictus imminentis ignorasset, rerumque gerendarum series, ipsum la-
2.Macha.15. tuisset, gladiũ futuræ victoriæ non procurasset, & Matth.17. rebus viuorum sese immiscuerunt Moyses & Elias, quando in monte Thabor, visibili specie apparuerũt, & Moyses omnia cognouit, quibus fundamenta terræ, ab initio solidata
4.Reg.5. sunt. Elias quoque absens, Giezi peccatum, tanquam præsens cognouit. Et Matth.19. datur ipsis sanctis potestas in regeneratione, cùm sederit filius hominis in sede maiestatis suæ iudicandi. Sic Apocal.2. Qui vicerit & custodierit vsque in finem opera mea, dabo illi potestatem super gentes, & reget
Præfationis de Apostolis autor, D. Gelasius Papa. eàs. Profectò ridicula esset præfectura, & regimen euanidũ, nisi rectores, hoc est sancti, subditorum, eorumque actuum seriem habeant sibi exploratam. His consentanea est D. Gelasij præfatio, Aequum est & salutare te Domine suppliciter
Dist.1.ca. Inuenimus, quod sacrosancta Ecclesia adscripsit Apostolis. exorare, vt gregem tuum pastor æterne non deseras, sed per beatos Apostolos tuos continua protectione custodias, vt ijsdem rectoribus gubernetur, quos operis tui vicarios, eidem contulisti preesse pastores. Gubernare certè, & protegere gregem, cui constituti sunt vicarij atque pastores, nequeunt, nisi negotiorum talis gregis, aliqualem habeant cognitionem.
Luc.15. Item: Gaudium esse dicitur angelis Dei, super vno peccatore pœnitentiam agente. Ergo notitiam habent peccatorum, quorum etiam resipiscentiam non ignorant, vt gaudere va-
Cap.16. leant. Et: Abraham cognouit statum Epulonis, quem duxerat in mundo; similiter & Lazari exprimens, Recepisti bona in vita tua, & Lazarus similiter mala. Epulo quoque recordabatur in tormentis quinque fratrum suorum, legis diuinæ

minùs obseruantium, quibus dirigi exoptat Lazarum, quatenus eos cautiores reddat, ne in eandem damnationem incidant. Et Act. 10. alloquitur Petrum Deus, inquiens, Tres viri quærunt te, surge & descende cum eis. Et Numer. 22. infideli prophetæ Balaam, dicitur, Si viri isti venerint, & vocauerint te: vade cum eis. Non alia de causa hæc in scripturis referuntur, quàm vt quoties sedulo cordis affectu, sanctos inuocamus, noscamus ipsos diuino spiritui esse coniunctos, vt orationibus atque beneficijs, opem nobis præstare queant: Quam si Petrus in cœnaculo intellexit nobis communicandam, multo fortiùs iam cælica visione beatus, cognoscit illam nobis impartiendam. Etsi infideli prophetæ, tantæ seruitutis Deus mandet officium, vt vocantibus obsequatur, quid de fidelibus sentiemus, cùm beatus Basilius doceat angelicos spiritus nobis assistere, omniaque nostra scrutari? Virgo, inquit, seipsam primùm & conscientiam reueteatur, & si vel maximè sola fuerit, habet adstantem custodem, angelum, & non oportet hominem, occultum angeli (cui salutis nostræ cura commissa est) conspectum contemnere, & maximè virginem, quæ ipsum velut ducem habet virginitatis, præ angelis autem, reueteatur ipsum sponsum vbique præsentem, & quid dico angelum? Habet enim angelorum innumerabilem multitudinem, & cum his patrum sanctos spiritus, nullus horum est, qui non vbique omnia videat, non quidem cernens oculis corporalibus, verùm incorporali visu, vuiuersa in cognitionem comprehendēs: Et sanctus Pater Athanasius, sanctorum animas, nostra vota cognoscere non ambigit, sic beatus Augustinus. Qui erunt, inquit, in pœnis, quid agatur intus in gaudio, nescient, qui verò erunt in illo gaudio, quid agatur foris, in illis tenebris exterioribus, scient, multò magis nostrorum certiores erunt negotiorum. Item Gregor. magnus: Sicut, ait, qui adhuc viuentes sunt, animæ mortuorum, quo loco habeantur ignorant, ita mortui vitam in carne viuentium, post eos qualiter disponantur nesciunt. Quod tamen, de animabus sanctis, sentiendum non est, quia quæ intus omnipotentis claritatem cōtemplantur, nullo modo credendum est, quia foris sit aliquid quod ignorent. In hanc quasi pedibus eunt, sententiam, sanctissimus doctor Basilius, & sanctus Leo ser. de Apostolis Petro & Paulo. Ex quibus, & D. Augūst. lib. de cura pro mortuis agenda, talem huius cognitionis licet reperire modum: Fatendum est, nescire quidem mortuos, quid hic agatur, dum hic agitur, postea verò eos audire ab eis, qui hinc ad eos moriendo pergūt, non quidem omnia: sed quæ sinuntur etiam isti meminisse, & quæ illos quibus hæc indicantur, oportet audire. Possunt

Quo affectu sancti sunt inuocandi?

Lib. de virginitate.

Nota.

Quę nam virgineā vel maximè cōseruent pudicitiam.

Quæst. 32.

Lib. 1. de ciui. Dei cap. 1. & lib. 20. c. 22.

Lib. 12. Moral. cap. 14.

Quomodo sancti vota nostra cognoscant?

Homil. 2. de 40. martyrib.

Ser. 1. de Anniuersario Pontificatus sui.

Serm. 2. & 3.

Cap. 15.

secundò & ab angelis, qui rebus, quæ hic agũtur, præsto sunt, audire aliquid mortui, quod nunc quemque illorum audire debere iudicat, cui cuncta sunt subiecta: Vel tertiò omnia cognoscunt, secundum beatum Gregorium, præfato loco, quia in verbo, tanquam in speculo, vniuersa contemplantur.

Obiectio. Nec obstat authoritas Esaiæ, qua dicitur, Abraham ignorat
Solutio. nos: Nam intelligenda est, quod non habeat amplius nos vice filiorum, quodq; nostram deprauatam vitam non approbet, sicuti habetur, Matth. 25. Nescio vos, hæcque est expositio D. Hieronymi. Sustinere potest & alteram intelligentiam, vt Abraham ignoret nos, quia naturali modo, actuum nostrorum non habet notitiam.

Sancti non solùm vota nostra cognoscunt, verumetiam nos precibus adiuuare possunt.

CAPVT LII.

Genes. 42. PERMVLTIS scripturarum testimonijs comprobari potest, sanctos nostri non obliuisci, vt pincerna Iosephi, sed alijs opem tulisse, precibusque ac meritis alios adiuuisse, quemadmodum solaribus radijs clarius liquet de Pa-
Genes. 19. triarcha Abraham, cuius intercessione Loth impendenti exitio ereptus legitur: simul enim atque orauit pro liberatione Sodomorum, dicitur: Recordatus est Dominus Abrahę, & liberauit Loth; quasi dicat, Tam pretiosus, tamque acceptus est mihi Abraham, vt eius conuersatione placatus, & oblectatus, etiam alijs parcere velim, Vti protinus sequenti capite, alio demonstratur exemplo. Nam Abimelech rex sanatus est cum omni domo sua, à plaga quam ei inflixerat Dominus, orationibus Abrahæ, qui etiam supplicans Deo pro timorata
Genes. 17. Ismaëlis vita, exauditus est pro sua reuerentia. Moyses quo-
Exod. 32. que, supplici prece obtinuit, vt populus quem Dominus perdendum decreuerat, non periret. Placatus siquidem erat, ne
2. Reg 24. faceret malum, quod loquutus fuerat. Et: Quando Angelus ingentem hominum multitudinem strauit, efficaci Dauidis oratione, iussus est diuinitus ponere gladium. Huic suffraga-
Iob 5. tur Iob, Voca, si est qui respondeat ad aliquem sanctorum.
Iob 33. Et: Si fuerit Angelus pro eo loquens, &c. Et Centurio, qui
Luc. 7. puerum habebat paralyticum, seniores misit ad Christum,
Actor. 27. quatenus pro salute pueri intercederẽt, eo quòd se indignum iudicaret, qui hoc à Christo impetrare posset. Sic procellosa tempestate naufragantes, Pauli Apostoli meritis, mortis eripiuntur faucibus. Atqui calumniantur hæretici, & ad sibi commune confugiunt, asylum, quando varijs scripturarum testimonijs, ijsque irrefragabilibus, conuincuntur iustos pro

Calumniantur hæretici viuos non vita functos, nos iuuare posse.

alijs

alijs intercedentes, votis potiri, vt dicant licere nobis recurrere ad sanctos superstites, non autem ad vita functos. Hoc enim, teste beato Hieronymo, falsissimè docuit Vigilantius. Propterea aures ijs præbeamus quæ nobis sacris manifestantur eloquijs. Quoniam, vel ex Matth. cap. 27. omnibus potest esse in confesso, etiam tempestate Christi super omnia benedicti, hoc doctrinæ caput omnibus fuisse contestatissimũ. Quando namque Christus Iesus Saluator ac Redemptor noster, crucis brachijs fuit extensus, non solùm pelicano solitudinis, qui sponte se vulnerãdo, sanguinisq; proprij infusione, pullos viuificare fertur, teste D. Aug. sed etiam & olori similis factus est. De quo cantatur apud M. Valerium Martialem: *Super Psalmum 101.*

Dulcia defecta, modulatur carmina, lingua, *Lib. 13. Epigrammatum.*

Cantator, Cygnus, funeris ipse sui.

Siquidem moriturus, voce tam suaui, tamque dulci personuit modulamine, quod nec cygnus moriens imitari posse putatur, Nec Cylleneæ, fila canora, lyræ: Hunc igitur, eumq; quartum inter septem fœlicis cantici illius prompsit versiculum, אלי אלי למה שבקתני, Eli Eli lamma sabaktani, & subnectitur: Quidam illic stantes & audientes, dicebant, Heliam vocat iste. Et continuò currens vnus ex eis, acceptam spongiam, impleuit acero, & imposuit arundini, & dabat ei bibere. Cæteri verò dicebãt, Sinite, videamus an veniat Helias, liberans eum. Et sanctus Marcus: Sinite, videamus, si veniat Helias ad deponendum eum, qui iam tamen octingẽtis annis aut circiter, è viuis excesserat. Quo perspicuum cuiq; esse potest, etiam tum temporis receptam fuisse sententiam, communemq; vulgi extitisse opinionem, mortuos suppetias ferre posse viuẽtibus, alioquin nullo modo suum induxissent in animum, vt dicerẽt semel illud, Sinite, videamus, si veniat Helias ad deponendum eum, sed tanquam absurdum ac impossibile, reiecissent, dignisq; increpationibus succẽsuissent. Pari modo dicitur, Mitte Lazarũ, vt intingat extremũ digiti sui in aquam, vt refrigeret linguã meam. Exiguum est, quod efflagitat, & tamen accipere non meretur. Et in subsequentibus, desiderat Lazarum mitti fratribus superstitibus. Nec tamen Abraham improperat illi, petitiones esse impossibiles, quod vtiq; fecisset, si se res ita habuisset, sed, Recordare quia recepisti bona in vita tua. Et Moyses legibus patrum prophetarumque oraculis, censet viuorum supercilium fratrum cohibendum, non mortuorum spectris erudiendum. Et luce meridiana clarius, Onias Sacerdos summus apparẽs, hoc insigni *elogio* cõmendat Ieremiã, dicens: Hic est fratrum amator, & populi Israël, hic est, qui multum orat pro populo, & vniuersa sancta ciuitate, Ieremias propheta Dei, qui tamen

Matth. 27. *Marc. 15.* *Luc. 16.* *2. Machab. 15.*

fexcentis fermè annis fuerat mortuus. Huic vel maximè adstipulatur D. Paulus Apostolus, quādo edocet sanctis, cælesti gloria beatis, congratulandum: nam qui dixit, Si glorificatur vnum membrum, congaudent omnia membra, hoc quoque dixit: Si patitur vnum membrum, cōpatiuntur omnia membra. Nos ergo sanctis congratulamur, illi nobis vnius corporis membris compatiuntur, orātes, ac intercedentes, nobisq; opem ferētes, queadmodum eruditè respondet sanctissimus pater Hieronymus, & doctor insignis; Sic enim in libro aduersus Vigilantium ait: Dicis in libello tuo, quod dum viuimus, mutuo orare possumus, postquam autem mortui fuerimus, nullius sit pro alio exaudienda oratio, quod falsum est. Apostoli namque & martyres, adhuc in corpore constituti, orare si possint pro cæteris, quando de se adhuc debent esse soliciti, quanto magis post victorias, coronas, & triumphos? Vnus homo Moyses, sexcētis milibus armatorum impetrat à Deo veniā. Sephanus imitator Domini sui, ac prothomartyr, persecutoribus veniam deprecatur, & postquam cum Domino esse ceperint, minus valebunt? Paulus Apostolus, ducentas sexaginta sex, dicit sibi in naui, animas condonatas. Et postquam solutus esse cœperit cum Christo, tunc ota clausurus est? meliorque erit Vigilantius canis viuus, quàm ille leo mortuus? Nec tamen sancti, post hanc vitam censendi sunt mortui, quia eorum migratio & transitus ex hoc mundo: non mors, sed vita dicitur, non obitus, sed natale appellatur, quod iam nouo mundo, hoc est, regno cælorum, fœliciter inserantur, & Christo renascantur, teste D. August. necnon D. Bernard. Ista confirmat Theodoretus: Hi nempe, inquit, martyres Christi sunt, verè hominū duces, principes, propugnatores, per quos, à nobis infortunia auertuntur, & mala, quæ à dæmonibus inferūtur, procul arcētur. Et in calce eiusdē lib. Qui prospera sunt valetudine, ait, conseruari eam sibi à martyribus petunt, qui verò ægritudinē aliquā patiuntur; sanitatem exposcūt. Insuper & steriles fœminæ, dari sibi filios petunt, qui verò parētes sunt, dona consecuta custodiri, appetunt. Item, Qui peregrè aliquo proficiscuntur, petunt martyres sibi comites, vel potius itineris duces. Qui verò, iā sospites redierunt, gratias agunt, acceptum beneficium confitentes, non qui se ad Deos accedere arbitrētur, sed qui orēt Dei martyres, tanquam diuinos homines, intercessoresq; sibi ad Deum. Atq; hanc virtutem in hoc corporis ergastulo constituti, promeruerunt, quemadmodum Daniël sanctus promeruit principatum sub Nabuchodonosor, vt quęcunque ad gloriam regni perficeret rex, ea rata haberet, teste D. August. Ac Bernardus: Si dum hic viueret, inquit, misertus sit peccatori-

1. Corin. 12. *Exod. 32.* *Actor. 27.* *Allusio ad locū Ecclesiast. 9.* *Mors martyrū natale appellatur.* *Lib. 29. cōtra Faust. Manic. cap. 21.* *Lib. de discipl. Chrst. ca. 22.* *Ser. vlt. de S. Ioāne Baptist.* *Lib 8. Græcarum affect.* *Qua'i intētione sancti accedendi.* *Lib. 21. ciuit. Dei cap. 27. & li. 22. c. 2.* *In vigilia Apostolorū Petri & Pauli.*

catoribus & orauit pro eis, nunc tanto amplius, quãto verius agnoscit miserias nostras, orat pro nobis patrē, quia beata illa patria charitatem eius non immutauit, sed augmentauit. Neq; enim quia impassibilis est omninò, ideò & incompassibilis factus est, sed nunc potius induit viscera misericordiæ, cùm ante fontem misericordiæ existit. Et paulò post, Quàm potentiores sunt in cælis, qui tam potentes fuerunt in terris? Huic vel maximè adstipulatur beatus Gregor. dicens: Orant sancti pro inimicis suis, eo tempore, quo possunt ad fructuosam pœnitentiam eorum corda conuertere, atque ipsa conuersione saluare. Quid enim aliud pro inimicis orādum est? Nisi hoc quod Apostolus ait, vt det illis Deus pœnitentiam, vt resipiscant à diaboli laqueis, à quo captiui tenentur ad ipsius voluntatem? Et quomodo pro illis tunc orabitur, quando iam nullatenus possunt ad iustitię opera commutari? Eadem itaque causa est, cur non oretur tunc pro hominibus æterno igne damnatis, quæ nunc etiam causa est, vt non oretur pro diabolo, angelisq́; eius æterno supplicio deputatis. Quę nunc etiam causa est, vt non orent sancti homines pro hominibus infidelibus, impijsq́; defunctis, qui de eis vtique, quos æterno deputatos supplicio, iam nouerū; ante illum iudicis iusti conspectum, suæ orationis meritum, cassari refugiunt. Huic adstipulatur diuus Leo: Nec abest, inquit, vt confido ab hoc cœtu etiam beatissimi Apostoli Petri pia dignatio & fida dilectio. Nec vestram deuotionem ille deseruit, cuius nos reuerentia congregauit. De vestro quoque & ipse gaudet affectu, & in consortibus honoris sui obseruantiam Dominicæ constitutionis amplectitur, probans ordinatissimam totius Ecclesiæ charitatem, quæ in Petri sede Petrum suscipit, & à tanti amore pastoris, nec in persona tam imparis tępescit hæredis. Et alibi: Plenius nunc Petrus & potentius ea quæ sibi commissa sunt, peragit, & omnes partes officiorū atq; curarum, in ipso per quē est glorificatus exequitur. Si quid itaq; à nobis rectè agitur recteq; discernitur si quid à misericordia Dei quotidianis supplicationibus obtinetur, illius est operū atq; meritorū, cuius in sede sua viuit potestas & excellit authoritas. Et rursum: Quamuis, ait, in potestate Dei multi sacerdotes sint, multiq́; pastores, omnes tamē propriè regit Petrus, quos principaliter regit & Christus. Et infrà: Si quid etiam nostris temporibus rectè per nos agitur, recteq; disponitur, illius operibus illius sit gubernaculis deputandum, cui dictum est: Et tu cōuersus confirma fratres tuos. Et iterum: Pasce oues meas. Quod nunc quoque proculdubio facit, & mandatum Domini pius pastor exequitur, confirmans nos cohortationibus suis, & pro nobis orare non cessans, vt nulla

Lib. 34. Moral. cap. 16.

1. Timoth. 2.

Ser. 1. de anniuersar. Pontificatus sui.

Serm. 2.

Serm. 3.

tentatione superemur. Si autem hanc pietatis suæ curam omni populo Dei, sicut credendum est vbique prætendit, quanto magis nobis alumnis suis opem suam dignatur impendere, apud quos in sacro beatæ dormitionis thoro eadem
Serm. de Petro & Paulo. qua præsedit carne requiescit? Denique sicut, inquit, nos experti sumus & nostri probauere maiores, credimus atq; confidimus inter omnes istius vitæ labores ad obtinendam Dei misericordiam semper nos speculum patronorum orationibus adiuuandos, vt quantum proprijs peccatis deprimimur, tantum Apostolicis meritis erigamur per Dominũ nostrum Iesum Christum. Ecce expertus erat sanctus Leo quã curam Romanorum gererent Apostoli, quando ipse supplex Athilæ regi Hunorum factus placauit barbarum, non tam oratione quàm per dextra leuaque conspicuè sibi astantes Petrum & Paulum minantes Athilæ mortem, nisi dictis Pontificis paruisset, vt ipsemet Athila suis, teste Eutropio postea retulit. Idipsum experti sunt etiam gentiles Romani (quam nimirum curam ad se confugientium gererent Apostoli & Martyres) dum in illa memorabili vrbis per Gothos & Alaricum regem euersione illis omnibus pepercerunt crudeles barbari, qui ad loca martyrũ & basilicas Apostolorum se enotulerant,
Lib. 1. de ciuit. Dei ca. 1. quemadmodum cõmemorat B. Augustinus. Ex quorum sententia elicere prõptum est, non solum nobis suam opem in-
Sess. 25. ca. 2. digentibus sanctos impartiri posse, secundum Concil. Trident. confirmationem; verumetiam nostræ miseriæ illic existentes, esse certiores. Atqui opponunt hæretici, Nihil largitur nobis pater nomine sanctorum, quod non cõcederet nomine filij precantibus, ergo sancti nequaquam sunt inuo-
Ioan. 14. candi: probatur antecedens, quia dicitur: Quodcunq; petie-
Duplex solutio, præmissi argumenti. ritis Patrem in nomine meo; hoc faciet. Respondendum occurrit, quod loquatur ibi de Apostolis ad prędicandum missis & mittendis, quibus pollicetur nihil defuturum, vt liquidò constat ex verbis ibidem præpositis. Opera quæ ego facio, & ipse faciet. Vel etiam dicendum, quod fiducia qua petimus in nomine Iesu, non excludit sanctos, quia per sanctos, veluti per membra, petimus in nomine Iesu capitis eorum. Vnde Ecclesia concludere consueuit de sanctis Collectas, Per Dominum nostrũ Iesum Christum, &c. Nec faciunt contra nos
Homil. 16. de Cananæa. sententiæ Chrysost. & Ambros. allegatæ apud Theodorũ Bezam hæreticum, quia argumentum negatiuum non conclu-
In 1. ca. epist. ad Rom. dit. Non enim sequitur, Chananæa non precatur Iacobum, non supplicat Ioanni, non adit Petrum; ergo sancti non sunt inuocandi, quia licet fortè ipsa Chananæa à filia sua ad Christum inuocata, Apostolos intercessores non implorauerit, fecit tamen sicut plurimi hodie facere credũtur, qui accedunt

Chri-

Christum misericordię fontē, non cogitantes de riuulis Apostolorum, aut aliorum sanctorum, non quòd eos contemptui habeant, aut nihil posse credant, sed quadam fiducia freti, ipsum thronum gratiæ appellant. Nec inuocare, præsens locus, sanctos vetat, cùm alijs locis eos inuocandos doceat, quibus suffragatur diuus Ambros. Rogauerũt, inquit, Petrus & Andreas pro socru, vtinam existat aliquis qui tam citò posset rogare pro nobis, iam enim nunc possunt pro nobis, & pro omnibus impetrare, videtis namque quod magnis peccatis obnoxia, minus idonea sit, quæ pro se precetur, pro seque impetret, adhibeat igitur ad medicum alios precatores: ægri enim, nisi ad eos aliorum precibus medicus fuerit inuitatus, pro se rogare non possunt, infirma est caro, mens ægra, & peccatorum vinculis impedita ad medici illius sedem debile non potest explicare vestigium, &c. Preterea Chrysostomus seipsum quasi explicat, Imploramus sanctos intercessores, non quasi Deum dormitantem excitent, aut alijs præpeditum, nostri memorem reddant, sed vt ipsi pro nobis, eodem teste, facilius impetrent, Non tamen ita annuit Deus, quando alij orant pro nobis, quàm cum ipsi pro nobisipsis: Aliorũ enim preces nobis non opitulãtur, inquit, nisi simus cooperatores. Quid enim Ieremias Iudęis profuit? Nónne ter ad Deũ accessit, & ter audiuit, Non ores pro populo isto, quoniam te non exaudiam? Quid Sauli profuit Samuelis oratio? Audi etiã Deum dicentem; Si steterint Noë, Iob, & Daniël, non liberabunt filios suos, quoniam inualuit eorũ malitia. Quid ergo, inquir, nihil prosunt orationes? Prosunt quamplurimùm, sed cùm nos quoque cooperamur, vt non minùs fusè quàm pulchrè, Chrysost. ibidē prosequitur. Deinde Theodorus Beza, replicat, Vnus est mediator Dei & hominum, homo Christus Iesus, ergo non sunt plures confingendi. Respondendum est, secundum Richard. Quod vnus sit mediator redemptionis Christus Iesus: non enim est aliud nomen, in quo nos oporteat saluos fieri, sed plures intercessionis, quoniam non veretur scriptura Moysen nuncupare sequestrem, & medium inter Deum & homines. Sic ad Galat. 3. ad Hebræos 8. 9. & 12. Nec aliquem admiratio inuadat oportet, quod Moysi alijsq́; mediatoris officium asscribamus, cùm alijs ipsum Saluatoris nomen à Christo accommodetur, Iudicum 3. 4. Reg. 13. & Neæmiæ 9. Imò absonum videri non debet, quod mediatores plures intercessionis habeamus, cùm & nomen Deus, teste Euthymio super Psalmũm 49. quadripartita sua acceptione, etiam in scripturis attribuatur hominibus.

Exod. 32. 4. Reg. 15. & 1. Machab. 14
Lib. de viduis.
Aegri aliorum precibus implorant operam Medici.
Homil. 79. ad populum Antiochenum, & homil. 44. super Genes.
Homil. 79.
Iere. 7.
1. Reg. 15.
Ezech. 14.
Aliorum preces absque nostris, nil efficiunt.
Cap. 4. sect. 16. Confessionis Christ.
Replica Theodori Bezæ.
1. Timoth. 2. & 1. Ioan. 2.
Lib. 3. Senten. dist. 19. art. 2. quæst. 3.
Nomenclatura mediatoris, bifariam vsurpatur.
Deuter. 5.

Animæ defunctorum, hominibus, aliquando apparere, possunt. CAP LIII.

PRÆSENTI doctrinæ capite scrutandum occurrit, an animæ corporibus exutæ, de suis exire queant receptaculis. Cui respondendum videtur (salua semper, & vbique sacrosanctæ Romanæ ecclesiæ veritate & iudicio) quod iste exitus bifariam fieri queat, aut, simpliciter, aut, ad tem-
Animæ quādo exire possunt. pus: Simpliciter loquendo, nullæ præualent exire æternaliter cælum vel infernū; Verum ad aliquod temporis spatium, & boni, & mali exire possunt, duplici de causa, vel ad remunerationem vel ad aliquam operationem: Quo ad priorem iusti perindè atque iniusti exibunt in illa die, recipiendæ secundæ stolæ, consummatæque gloriæ, vel plenæ damnationis ergo. Quo ad operationem, exeunt boni, ad instruendum ac
Super 4. dist. 45. ar. 1. q. 3. In script. 4. ad 1. ad solut. 3. argumenti. confortandum superstites, secundum Bonauent. & B. Thomam & Pelbertum, &c. Nihilominus pensiculatiùs intuendum venit, quid eis conueniat secundum legem naturæ, & quid secundum ordinem diuinæ dispositionis, quia secundum cursum naturæ, Animæ suis deputatæ receptaculis, ab
Super 3. §. ad 5. et §. 32 q. 11. & 33. hominum communi segregantur cōsortio, vt docet D. Athanas. Anima, inquit, deposito corpore, neque bonum aliquid, neque malum operari potest: visiones enim, quas cernimus de eis, illic dispensatiuè Deus ostendit, ad commoditatem: sicut enim lira, si nō habuerit pulsantem, vana videtur & otiosa, ita & anima & corpus à se vtrinque separata, nihil operari
Cap. 13. possunt. Et Aug. lib. de cura pro mortuis agenda, de Monica charissima sua genitrice loquens, ait, Si rebus viuentium interessent animæ mortuorum, & ipsæ nos alloquerentur in somnis, meipsum, inquit, pia mater nulla nocte desereret, sed non immiscent se, nec intersunt nostris rebus & curis. Huic
Esa. 63. adstipulatur Isa. Abraham nesciuit nos. Si obijciatur, Epulo,
Obiectio. qui Lazarum fratribus superstitibus transmittere cōcupiuit,
Cap. 14. diuitijs & delitijs adfluentibus; Opponendus est, Aug. prælibato lib. quòd mittere desiderauit, non quia singulos vitæ transeuntis articulos, haberet exploratos; sed eorum curam gessit, vt nos defunctorum, quorum statum penitus ignora-
Animæ quomodo cognoscāt ea quæ circa nos geruntur? mus. Nihilominus, miraculosè, animas multa scire, eorum, quæ hic geruntur, non est ambigendum, Vel ab eis qui hinc moriendo ad illos pergunt, vel angelis, qui rebus quæ hic aguntur præstò adsunt, vel certè spiritu Dei illis reuelante,
Cap. 15. quemadmodum docet Augúst. lib. de cura pro mortuis agen-
Cap. 22. da. Et lib. 20. de ciuit. Dei. Gregor. lib. 4. Dialogor. Item lib.
Ca. 47. et 48 12. Moralium, vbi sic habetur: Sicut qui adhuc viuētes sunt,
Cap. 14. mortuorum animæ, quo loco habeātur ignorant; ita mortui, vitam

vitam in carne viuentium; post eos qualiter disponantur, nesciunt, quia vita spiritus, longè est à vita carnis, &, sicur corporea atque incorporea diuersa sunt, genere; ita etiam distincta, cognitione. Quod tamen de animabus sanctis sentiendum non est, quia quę intus omnipotentis Dei claritatem vident, nullo modo credendum est, quia foris sit aliquid quod ignorent. Denique secundum diuinæ prouidentiæ dispositionem animæ à corporibus separatæ, nonnunquam hominibus superstitibus apparere possunt, vel vt mentes instruant mortalium, quemadmodum animæ Apostolorum Petri & Pauli, instruxerunt Constantinum Imperatorem, teste Nicephor. Et Ioannes Euangelista & Philippus, Theodosio Imperatori, apparuisse leguntur apud Theodoretum, & Tripart. hist. lib. 9. Et anima D. Hieron. instruxit D. August. ne æternam gloriam, humanis sensibus incomprehensibilem, exiguo chartæ spatio, mandare præsumeret. Hac de causa Drithilmus, sub vesperrinum crepusculum è viuis excedens, sed lucis orto sidere, vitales aures resumendo, aliud vitæ genus instituendum sanciuit, & facultatibus coniugi, ac prolibus, sibíque æqua proportione partitis, ipsa viuendi regula, licet lingua siluisset, se multa in alio sæculo vidisse proclamabat, Siquidem fideli ductore, ad locum intensissimis frigoribus repletum, ac voracibus flammis bullientem, quibus alternis vicibus animæ miserabiliter excruciabantur, peruênit tandem ad locum crepirantibus horrendæ obscuritatis ignibus flammiuomum, duce disparente, solus relinquitur, vbi spiritus instar fauillarum cum fumo ascendentium, nunc ad sublimiora proijciebantur, nunc retractis ignium vaporibus, relabebantur in profundum, quibus implicatus, se euadere posse desperauit, atqui dux prestò adfuit, qui ipsum duxit amenissimos in campos, quibus recreatus, mox, nescio quo ordine, inter homines respirare incipit, teste V. Beda historiæ Anglorum, quo sequenti capite adiungit aliud non minus mirabile. Quoniam quidam miles, noluit resipiscere; & ad meliorem vitæ frugem, etiam bina vice, à Regia maiestate, admonitus, redire; tandem, duos pulcherrimos iuuenes, paruum libellum virtutum eius continentes, conspexit. Quibus successerunt duò nigerrimi, magni voluminis, omnia scelera eius comprehendentis, onus portantes, quibus legentibus, boni spiritus, tanquam peccatis, confusi; miserum relinquentes, disparuerunt. Hoc modo quoque, legimus apud Platonem, quendam Erum Armenium, occubuisse in prælio, cuius cadauer, reliquis corruptis integrum decimo die fuit repertum, quod 12. pyræ impositum reuixit; & multa quæ conspexerat, enarrauit. Vel secundò apparent ad terrendum, sic teste

Obseruatioues propter quas animæ defunctorum, subinde viuis apparent.

Lib. 7. ca. 33

Lib. 5. ca. 24.

Cap 45.

Epist. 215. inter epist. Aug.

Lib. 5. ca. 13.

Lib. 31. de republica, Dialog. 10.

Lib.7.epist. teste Plinio secundo, narratur fuisse Athenis spatiosa & capax domus, sed infamis, noctu siquidem strepitus audiebatur, ac tandem senex macie & squalore confectus, promissa barba, horrenti capillo, cruribus compedes, manibus cathenas gerebat, habitatoribus maximum incutiebat timorem, hinc illi monstro relicto, diffugientes deserebatur domus, proscribebatur etiam seu quis emere seu conducere vellet, venit Athenas Philosophus Athenodorus, legit titulum, & audito pretio, vilitatem miratur, & conductæ eo magis domus panni partem iubet sterni, suis in interioribus dimissis, & postulans pugillarem, animum ad scribendum appulit, ne vacua mens audita simulachra manesque fingeret metus: tādem fragor crebrescit compedum, narratam sibi effigiem respicit, & annuentem digito, assumpto lumine sequitur, præibat lento gradu, quasi grauis vinculis, simul atque deflexit in aream domus, repentè dilapsa euanuit, Comes desertus, herbas carpit, quibus locum adsignat, postero die locum effodi iussit, inueniuntur ossa cathenis inserta, quæ sacris illata sepulturis, domum manibus fecerunt carere. Lib.22.ciuit. cap.8. Item teste August. Hesperius, cùm domum suam spirituum malignorum vim noxiam perpeti comperisset; rogauit presbyteros, vt aliquis eorum pergeret eo, cuius sacrificij virtute cederēt, Vnus perrexit offerens sacrificium altaris ibidem, quo profligata quæst.15. legitur dæmonum incursio. Hinc arbitror D. Athanasium dixisse, Non permisit Deus animas ad nos redire, & enarrare quis eorum sit status, quòd multi inde errores orirentur: multi enim dæmones formas humanas induere, & falsa dogmata spargere ad seducendum & fallendum potuisse non est dubitandum, quemadmodum Vincentius Victor Donatista, vel potius Rogatista iuuenis eloquens apparitionem habuit, vt contra catholicam veritatem calamum stringeret, Lib.3. Cap.11. teste August. contra Vincentium Victorem de anima & eius origine, & Romulus apparuit post mortem Proculo Iulio, protestans se Deum esse, Quirinumque vocari, & ædem sibi Lib. de legibus. Deo esse sumptuoso ædificio consecrandam, teste Cicerone mandauit. Pari modo prout cuique dispensanda est misericordia vel demonstranda iustitia merito nostro, apparitio- Lib.4.Dialo. cap.55. nes nocturnæ quas passim vel affectamus vel magni facimus, sæpenumerò sunt dæmonum illusiones summoperè dam- Quodlibeto 3. art.22. nandæ. Tertiò ad efflagitandum suffragia, teste Gregor. & Thom. qui arbitrantur nullum omnino esse delictum, si quis Lib.11. Græcar. affect. à defuncto requirat, status eius cōditionem Theodoreto teste, Et epistola 206. inter epistolas Aug. ad Cyrillum Episco- Epist. 59. ad sacerdotes. pum Hierosolymitanum. Et Ambros. dicit: quod Anatholius apparuit, protestans se perpetuò sui laboris stipendio potirū.

Sic anima quædam in specie viri, obsequiosum, in balneis sacerdoti cuidam exhibere consueuit, ministerium. Et anima iusti monachi apparuit, Copioso fratri Germano Romæ temporalis vitæ stipendia arte medicinæ sectanti, secundum Gregor. Et D. August. optasset apparitionem, vt potuisset discere parentis conditionem, lib. de cura pro mortuis agenda cap. 17. Vltimò ad consolationem aliquando apparent viuentium, secundùm modum diuinæ dispensationis: hoc modo apparuerunt Moyses & Helias. Bonum est nos hic esse: & Onias, sic sanctus Felix Nolanis apparuit à Barbaris liberandis. August. cap. 16. vbi supra. Et Christus protulit, spiritũ carnem & ossa non habere, Spiritus eius est. Samuël apparuit Saul. Huc referendum est, quod legimus apud Gregorium Turonensem de Saluio Abbate, qui post magnum vitæ rigorem, viam vniuersæ carnis est ingressus, sed altero die à mortis faucibus reuocatus exclamauit: O Domine misericors, quare huic mundo me iterum restituisti? Et fratres suos ad meliorem vitæ frugem reducens, commemorabat se à duobus Angelis in cælum sublatum fuisse, cuius pauimẽtum aurum videretur, quod infinitam multitudinem promiscui sexus continebat, tandem peruenit ad gloriosum martyrum chorum, & laudabilem confessorum exercitum, qui pacificis verbis ipsum salutabant; Cùm autem vox insonuisset, Reuertatur hic, quandoquidem ecclesijs est necessarius, cœpit altis suspirijs ingemiscere, timens ne excluderetur, nunquã reuersurus, tum consolatoria voce confortatus fuit, quia vnus spospondit se curam eius habiturum & reducturum, quod factum fuit, quia sanctissimam vitam episcopali dignitate infulatus peregit. Sic lib. 1. cap. 47. eiusdem authoris habetur de iniurioso quodam nobile, qui prædiues, duxit coniugem opulentam, quæ prima nocte existente in concubijs, querulosis vocibus sponsum interpellare in lectulo cœpit. O si toto vitæ tempore plangerem, dolorem animi manifestare non possem. Ille blandè alloquens eam, dixit, Virgo charissima, & dilectissima sponsa, parentes nostri, generôsi ciues Auernorum, vt cum timore Dei grata sobole lætificati, stirpem nostram honoremus, cupiuerunt. At illa suauibus verbis cor eius ad castimoniam adhortando, omnia ista vana esse tandem persuasit, adeò vt reciproco voto, dextrisque datis, castitatem Domino Deo promiserunt, ac suauiter dormire cœperunt, cum pluscuils annis hoc castitatis institutum seruassent, castaque coniunx fœlici fine diem clausisset extremum, & iam tumuli penetralibus commissæ, dixit cælebs viduus, Gratias tibi ago Domine, quia hunc thesaurum vt accepi refero, illa vires animales resumens, subrisit dicendo, quid

Lib. 4. Dial. cap. 55.

Matth. 17. 2. Macha. 1. 5. Luc. 24. Actor. 12. 1. Reg. 28. & Eccles. 46.

Lib. 7. cap. 2.

Castitatis exemplum memorabile.

quid loqueris quando non interrogaris? Ipse maritus paulò post alio loco reconditur, sed mane repererunt sepulchra coniuncta quæ magna loci intercapedine reliquerunt dissita. Verùm an istæ apparitiones sacris literis & patrum monumentis consentaneæ fiant, per ipsarum præsentiam animarum, an per angelos, earum personas suscipiẽtes, ambiguum existimat Aug. lib. de cura pro mortuis agenda. Vbi mauult eas angelicis fieri orationibus, quanquam de spiritu & anima, præcipiti sermone, quod absque periculo ignoratur, definire non audeat.

Cap. 14. sicut & 16. cap. Cap. 29. ac epist. ad Euodium.

De diuinis & sanctorum miraculis.

CAPVT LIIII.

Virtvs diuina cùm non sit ad hũc aut illum actum obligata, potest præter ordinem rebus ab exordio inditum, aliqua facere humanæ infirmitatis capacitati incomprehensibilia, vt sunt mortuos suscitare, marinos vertices vt solidum transeuntibus præbeant obsequium inclinare, & eius farinæ alia quàm plurima, quæ potissimum ad tres gradus possunt reduci, secundum D. Tho. Primo à Deo aliquid miraculosè efficitur, quod cõmunis naturæ cursus nunquã in vsu habuit, vt duo corpora esse in eodẽ loco, solem retrogradi, &c. Secũdus gradus est, vt Deus perficiat illud, quod natura quoq; valet, licet non secundũ illum ordinẽ, teste D. Tho. sicut illuminatio cæcorũ, & vitæ cõcessio. Potest namq; natura causare vitã, sed nõ in mortuo, præstare visum, sed nõ in cæco, sed in infante vitam, generat enim hominẽ homo & sol, in cane & similibus visum. Tertio modo, excedit aliquid facultatem naturæ quantum ad modum & ordinem faciendi, quãdo nimirum aliquid fit, quod operatione naturæ consuetum est fieri, absque principijs tamen naturæ operantibus, sicut cum aliquis subito virtute diuina à paroxismo curatur, qui processu temporis medicorum industria erat curandus. Nequaquam tamen protinus miraculum admiratione plenum censeri debet, vbi causam ignoramus, Vna enim eademque causa interdum aliquibus est manifesta, alios autem fugit, quo fit, vt aliquos admiratio inuadat, alios non itẽ. Sic Astrologus callens causam eclypseos solis, nulla tenetur admiratione, quemadmodum alij, quibus causa eclypseos prorsus est occulta, quare eclypsis & similia nomenclaturam miraculi nequaquam merentur, sicut nec apud Deum aliqua nobis obstupescenda rationem miraculi obtinere creduntur, quia nihil Deo fit contra naturam, teste August. Nec ista, inquit, nempe omnibus admiratione plena contra naturam fiunt, nisi nobis, quibus aliter naturæ cursus, innotuit, non autem

Tribus modis fiũt mirabilia. Lib. 3. contra Gẽtiles c. 101

1. part. quæst. 105. art. 8.

Deo nulla fiũt miracula. Lib 6. de Gene. ad lit. c. 13

autem Deo, cui hoc est, quod fecit. Cùm autem duplex sit doctrina, quædam, quæ non excedat captum facultatis humanæ quæ rationibus demonstrari ac confirmari, potest, alia quæ transcendit acrimoniam nostri intellectus, quæ rationibus euidentioribus demonstrari nequit, necessarium fuit illam confirmare operibus diuinæ virtutis ostensiuis. Huius generis est sacra scriptura & lex euangelica, cuius doctrina exiguitatem nostri ingenij multis parasangis antecellens, miraculorum signis, & prodigiorum virtutibus confirmari debuit. Vnde Christus nouam legem suorum cordibus fidelium instillando, ac longe lateque Verbum euangelij propagando, miraculis & operibus admiratione dignis cunctos suæ fidei iugo fœliciter subiugauit, vt liquido constat, Matth. 9. 10. 11. & id genus alijs locis. Non vulgaris hic iam occurrit quæstio ventilanda. An videlicet Christus sola diuina virtute miracula fecerit, an virtus naturæ creatæ aliquid obsequij adferre debuerit. Huic respondet D. Thom. dicens, quod potestas qua Christus pollebat secundum rationem humanitatis assumptæ, ad suscitanda cadauera, non fuit potestas ministerij, qua Petrus, & alij sancti operati sunt mirabilia, nec etiam fuit potestas authoritatis, quæ solam concernit diuinitatem, sed potestas excellentiæ cuiusdam quæ Christo competit ratione vnionis hypostaticæ, cum ipsa diuinitate, vt imperio, non precum suffragio suscitârit, quoscunque reuiuiscere fecit, vel amissam valetudinem restituit, teste Ambros. Humanitas namque Christi organum fuit diuinitatis sicut manus instrumentum est artificis, & quemadmodum ratio faciendi extitit in Christi humanitate, ita in diuinitate principaliter miraculorum principium. Nonnullum tamen discrimen hæc duo admittunt: Licet enim non repugnet humanitati Christi, per modum instrumenti, operari miracula; repugnat tamen diuinitati, qualitercunque pati. Nihilominus ratione vnionis hypostaticæ, nonnunquam idiomata communicantur, confunduntúrque, vt quod duntaxat fieri potest humanitatis consideratione, diuinitati attribuatur; & versa vice, quod diuinitati est proprium, humanitati Christi adscribatur. Hoc modo communicationem idiomatum reperimus in his propositionibus, quæ certissimam habent veritatem, Deus est passus, Deus est crucifixus, &c. quæ falsæ essent, nisi secundum alteram intelligeremus naturam. Ita hæc omnimodam continet veritatem, iste puer vagiens in præsepio, demonstrato Christo, creauit stellas, vtique secundum diuinitatem. Profecto Apostoli alijque Dei electi multis coruscârunt miraculis: Verum grandis est miraculorum Christi & sanctorum diuersitas, licet maiora fecisse legan-

Doctrina duplex.

Christus quomodo fecit miracula.

In scripto 4. dist. 5. q. 1. ad primum, & ad solutionē tertij argumenti.

Lib. 4. de fide cap. 3. et epist. 75. ad Bellitium.

Communicatio idiomatum quid?

Ioan.14. legantur, quam Christus, vt sunt vmbra ac sudariolo aliquos
Act.5.& 19. incolumitati restituere, nequaquam tamen ita vnione hypostatica diuinitati fuerunt coniuncti, vt Christi humanitas.
Alio modo Christus, atq; Apostoli fecerunt miracula. Quocirca possunt quidem & isti diei diuinitatis instrumenta, sed separata, vt humanitas Christi inseparata, & insolubili nexu vnita: Ideoque Christus suam ipsius virtutem exercuit, vsus quidem interdum precatione, quò gloriam ad patrem referret; sed videmus vt plurimum, propriam ipsius virtutem nobis ostensam, quomodo enim non esset verus author miraculorum, qui dispensationem alijs sua authoritate
Matth 10. commisit? Narrat siquidem Euangelium illum dedisse Apostolis potestatem mortuos suscitandi, dæmones eijciendi, leprosos mundandi, &c. Illi autem, sic ministerio vsi sunt huiusmodi, vt satis ostenderint, virtutem non aliũde esse quam
Lib.3.Hexameron cap.2. à Christo, eiusque dona suo ministerio dispẽsasse, teste Ambros. In nomine Iesu Christi, inquit Petrus, surge & ambula.
Et Aug.104. de temp. Non mirum ergo si miracula sua obiecerit Christus, ad conuincendam Iudæorum incredulitatem, vtpote quæ eius virtute
Actor.3. edita, amplissimum diuinitatis reddebant testimonium:
Ioan.5. Et licet beatus Petrus aliquando non orationis præcedentis intercessione, sed Deo, ad nutum imperantis operante, mira-
Actor 5. cula fecerit, sicut cum increpãdo Ananiam & Saphyrã morti tradidit, nemo tamen suum inducat in animum, hoc ipsum suo marte fecisse; sed cum persentisceret ipsos auaritiæ facibus succensos, & proinde proprio motu supplicio dignos, zelans Dei iustitiam & voluntatem; ad aliorum exemplum, in eorum mortem efferbuit, quorum alioquin perditionem no-
Lib.1. offic. cap.30. lebat, secundum Ambros. Hinc Gregor. dicit, quod sancti aliquando ex potestate & imperio miracula patrãrunt, sicut hoc
Lib.2. Dialog. cap.30. loci, & Iosue 10. Aliquando ex postulatione, sicut Petrus Thabitam suscitauit, Vtroq; nihilominus modo Deus prin-
Actor.9. cipaliter operatur, qui vtitur interiori hominis affectu, vel etiam exteriori, nempe loquutione, seu aliquo etiam corporis contactu, etiam mortui, tanquam instrumento secundum
Homil.28. super Genes. Chrysos. Gratia enim miraculorũ nõ est aliquis habitus, neq; aliqua qualitas permanens in anima, cùm aliquando sit in
Gratia miraculorũ qualis? corpore mortuo, quemadmodum legimus, quosdam proiecisse cadauer in sepulchrum Helisęi prophetę, cuius ossa cùm
4.Reg.13. tetigisset homo, reuixit, Quia instinctu diuino mota sunt
Reliquiæ faciũt miracula, quomodo? ossa prophetæ ad resuscitandum mortuum. Sic plerumque fit in reliquijs sanctorum, atque alijs quibus Deus dignatur vti ad ista miracula perficienda. Ita Christus luto liniuit oculos
Ioan.9. cæci nati, & lauit in natatoria Siloe, & venit videns: nõ quòd lutum tantum efficaciæ habuerit, alioquin iam statim impositum, cæcitatem pepulisset, nec pristinis naturæ officijs, disposita

dispoſita fuerunt organa viſus, donec lutum ablutione aquæ
moueretur. Nec aqua hoc ſibi naturaliter vindicauit, quia
ſubinde homines ibi abluebantur, & iſte cæcus fortaſſis, non
rarò iſtis aquis, vtpote communibus ablutus fuerat, nec ta-
men aliquis virtutem illuminatiuam prius ſenſerat. Quarè
liquidò patet hanc illuminationem virtute diuina eſſe fa-
ctam, per certa tamen media tanquam inſtrumenta. Atque
hac conſideratione, nimirum reſpectu virtutis actiuæ, vnum *Vnum mira-*
miraculum non eſt alio præſtantius, quia vniuerſa, diuina *culum, altero*
operante virtute, contingunt. Si autem conſideratur effectus *præſtantius.*
& res facta, vna alteri præpollet: præſtantius ſiquidem eſt ſu-
ſcitare mortuum, quàm incolumitati reſtituere ægrum. Rur-
ſus, maius eſt ſuſcitare in anima Paulum, quàm Lazarum ex
ſepulchro triduanum, ſecundum Gregor. Maius eſt etiam, Lib. 3. Dia-
ex pauculis granis copioſæ meſſis abundantiam procreare, *log cap.* 17.
quod tamen nemo miratur, non quia facilitate, ſed quia vſu
& aſſiduitate nobis vileſcit, ſecundum Auguſt. quàm quin- Trac. 8. & 9.
que aut ſeptem panibus, numeroſam hominũ multitudinem *ſuper euan-*
ſatiare. Amplius eſt etiam ſanare leproſum, quàm curare lan- *geliũ Ioan.* Et
guidum. Quantum quoque ad faciendi modum attinet, vnũ *ſerm.* 147. &
alteri præfertur: magnificentius namque eſt lepram ſolo ver- 158. *de temp.*
bo fugare quàm attactu, & per vmbram, quàm per verbum, Mat. 14. & 15
quia verbum eſt aliquid procedens ex homine aliqualem ha-
bens virtutem, ſed vmbra nihil eſt ipſius, ſed priuatio dunta-
xat lucis ex interpoſitione corporis. Deus igitur operatur
mirabilia magna ſolus, ſiue per inſtrumenta animata, ſiue
per inanimata, prout eius benignitas maioribus chariſma-
tum donis nos præuenire dignatur. Quo conſtitutum ſit to-
to illos cælo errare (qualis eſt Theodorus Beza) qui miracu- Ca. 4. *ſect.* 16
loſa opera vocat ſuperſtitionem, operam ſathanæ, ac my- *Inſtit. Chriſt.*
ſterium iniquitatis, quemadmodũ Pagani prodigioſa Chri- *Theodorus Be-*
ſti miracula, more cæcitatis Iudaicæ, magicis artibus ad- *za refellitur.*
ſcribebant, vti docet Auguſt. de verbis Domini. Quia ſancti Matth. 12.
& eorum reliquiæ miracula edunt, non ex ſe, ſed virtute ſpi- Luc. 11. &c.
ritus inhabitantis, & ſacras reliquias tali modo mouentis.
Si ergo ſanctos inſimulent præſtigiorum etiam hoc redun-
dabit in Chriſtum Saluatorem, ſicut enim abiectio diſci-
puli detrimentum eſt magiſtri, ſecundum Ambroſ. ita do-
mino defertur, cum ſeruus honoratur, eodem teſte. Si er- *Serm.* 11.
go calumnientur Beza, & ante eum Brentius in expoſi- Lib. 1 *of. c.* 4.
tione Symboli Apoſtolici, quod ſancti in principe dæmo- *Pulchra Am-*
niorum eijciunt dæmonia; Quid aliud ſanctis impingunt, *broſii ſentẽtia.*
quàm quod Iudæi Chriſto improperabant? Quorum pro- *Epiſt.* 26. *quæ*
cacitatem prudenter Chriſtus retundit: Omne regnum (in- *eſt ad Grat.*
quit) in ſe diuiſum deſolabitur, ſi ego in virtute Sathanæ Matth. 12. &
Luc. 11.

eijcio

eijcio dæmones, quomodo ſtabit regnum eius? Cùm autem in digito Dei (hoc eſt ſpiritu Dei, vt indicatur Matth. 12. Et apud Ambroſ. lib. 3, de Spiritu ſancto cap. 2.) eijciam dæmonia, profectò peruenit in vos regnum Dei, hoc eſt, Filius Dei. Sed qua coniectura Apoſtolos, reliquoſque ſanctos magos fuiſſe criminantur, cùm tantoperè vertex Apoſtolorum Petrus hanc ſuperſtitionem abhorruerit, vt liquidiſſimè patet Act. 8. & apud Euſeb. Cæſarienſem lib. 2. eccleſ. hiſt. Item Ambroſ. ac Aug. nam Petrus Apoſtolus fuſis precibus, Simonem Magum volatu celerrimo iuga montium tranſcendentem, & tranſuolantem præcipitauit? Deus etiam in veteri teſtamento, iſta maleficia adeo eſt deteſtatus, vt lapidibus obruere iuſſerit, qui tãtum magos aut ariolos conſuluiſſet. Certè nemo impoſtor præſtigijs ludit, qui non obſtupefacere cauſa captandæ famæ vulgi animos ſtudeat. Quid autem Moyſes ſe & fratrem Aaronem nihil eſſe clamans, ſed tantum exequi quæ Deus præſcripſiſſet, ſatis abſtergens omnem ſiniſtram notam? Iam ſi res ipſæ conſiderentur, quomodo incantatio facere potuit, vt Man è cælo pluens quotidie, ad populum alendum ſufficeret, ſi quis plus iuſto repoſitum haberet, ex ipſa putredine diſceret: incredulitatem ſuam diuinitus puniri? Iſti hæretici qui Deo, ſanctiſque eius inſultant, non eſt veriſimile quod diſtinguere valeãt inter magica præſtigia, & diuina miracula: Nam ſanctus Clemens Petri Apoſtoli diſcipulus, expreſſis verbis docet, Magos quidem mira facere poſſe, ſed nullis proficua, vt ſunt canes æreos latrare, lapideos ſaltare, &c. Quæ autem Deus operatur, vel ſancti, eius virtute; ad ſalutẽ animæ & corporis proficiunt, vt etiam manifeſtum euadere poteſt, ex Euſebio. Quod ſi Deum hæc per phantaſiam dicant feciſſe miracula, ad prophetas veniamus, qui hæc ab eo gerenda eſſe prædixerunt, quique confirmârunt hunc eſſe filium Dei, propter quod & diſcipuli in ipſius nomine, & ab ipſo accipientes gratiam, faciunt hæc ad ſubueniendum hominum ſaluti. Recedant ergo, ſecundum Auguſt. figmenta mendacium hominum, & portenta fallacium ſpirituum, qui nec mira quidẽ facere poſſunt, nati tamen videntur ad deſignanda facinora, quæ non ſunt niſi magno cordis mœrore commemoranda, qualia ſunt clades & cædes, coniugatorum adulteria, ſtupra virginum bonorum expoliationes, ſacrorum locorum prophanationes ac euerſiones. Lutherus tamen, aliquod ſuæ veſaniæ ſpecimen oſtendit, quando anno milleſimo quingenteſimo quadrageſimo quinto, Wittenbergæ dæmone obſeſſum, liberare fruſtra tentauit, vbi ſibi ignominiam, non gloriam, quam quæſiuit, conciliauit: efficere namque nequiuit quod iactabundo animo præ-

Digitus Dei quid.

Cap. 1. et 13. Serm. 66. Serm. 27. de ſanctis.

Simonis Magi præcipitium.

Exod. 7. & 10 Leuit. 20.

Diſcrimẽ inter ſanctorũ miracula, et magorum præſtigia.

Li. 3. Recognitionũ ad Iacobum fratrem Domini.

Lib. 5. cap. 7. Eccleſ. hiſtor.

De vnitate Eccleſ. ca. 16.

Hæreticorum portenta.

Lutheri miraculum.

mo præſumpſit; vt videre eſt apud Fredericum Staphilum qui huic ſcenæ, vtpote adhuc hæreticæ prauitatis nebulis offuſcatus; nonſegniter deſeruiuit. Fertur & aliud non minus inefficax, imò pro fidei catholicæ adſertione admirabile prodigium, contigiſſe. Nam Ioannes Caluinus requiſitus, vt ſuę fidei teſtimonium euidens perhiberet, præſumpſit hominis animare cadauer. Sed vafer & aſtutus homo, aſtu ſuos faſcinare voluit, nam in naui eccleſiæ, ſollenniter viuum & incolumen loculis incluſum, tanquam funus, deportari procurauit, vbi autem tempus ſuſcitandi mortui, appropinquaſſet; ille qui ſoſpes pheretrum aſcenderat, diuina vltione percuſſus; ablatus eſt mortuus, qui ſuperſtes fuerat ingreſſus. Cùm autem vox viduæ in rama audita eſſet, plorantis & vlulantis, congregati ſeniores quos vocant miniſtros; conſilio accepto, copioſam pecuniam dederunt, dicentes, nuntiate quia mortuus in huius fidei veritatem ſtabiliendam viuus reſurrexit, at vidua & aſtantes accepta pecunia fecerunt ſicut fuerant edocti. Addam & alterum, quod puto neminem lædere aut offendere poteſt. Scribit Chriſtianus Maſſęus, Chronicorum lib. 20. Anno ſalutis 1527. die 20 Iulij Tornaci Lutheranum quendam, nomine Henricum, fuiſſe combuſtum. Is, vt ait Maſſæus, ſequenti nocte ſocijs in carcere totus ardens apparuit. Illis præ timore clamantibus, ait, Niſi ab errore ceſſetis, mecum peribitis in æternum, excitatus clamore carcerarius, conſules vrbis aduocauit, Dicunt illis vincti, facite de nobis quod volueritis, modo prius confiteamur, ne cum Henrico pereamus. Hæc Maſſæus. Adderem & alterum, ſi tam ſcripto probare poſſem, quam propter fidem eius qui mihi narrauit, nihil de eo dubito. Fuit mihi in hac ſchola Embricenſi ~~lebeiū~~ ſocius Petrus Homphæus, non ille qui poſtea factus eſt huius collegij Decanus, vir æterna memoria dignus, ſed huius patruelis. Is aliquãdo è ſua patria nauigio deſcendens, ſecum habuit præter cæteros in eadem naue duos monachos. Hos cum quidam factionis Lutheranæ meris contumelijs, conuitijs, & diſputandi contentionibus exagitaret, alter monachorum placidis quidem verbis, ſed rationibus tam grauibus obuiauit, vt ille nihil haberet quòd contradiceret. Cœpit itaque deuouendo ſe inficiari vera eſſe quę dicerentur à monacho: Si, inquit, iſta ſe ita habent, perdat me ſubitanea morte, hoc loco Deus, atq; vna cum ipſo verbo efflauit animam. Hæc ille mihi & multis alijs à ſe viſa & audita retulit, quæ in commentarijs Sleidani & alijs libris leguntur, viris prudentibus ipſis legenda & expendenda relinquo. Nec iſta temeritas hic primitus eſt fruſtrata, quin magis ipſa Theodoreti tempeſtate, quorũdam nequaquam fallacia eſt detecta, ſicuti

Miraculum Caluini.

collateralis

libri Vitæ Sanctorum eiusdem prima historia manifestat, quæ est de S. Iacobo Iusibita, theoricæ vitæ mancipato, Cui superstitem, velut mortuum obtulêre, penetralibus tumuli recōdendum, officiaq; circa cadauer funeralia exhibēda, sanctus Iacobus diuinitus fraudis conscius, ingemiscēdo, flexis poplitibus veniam eis rogare satagebat, cùm autem reuiuiscere, vtpote verè vita functus nequiret, nec execramentis ipsorum resuscitari valeret, sancti Anachoretæ preces implorantes, resuscitatum obtinuerunt. His prorsus conforme non

Cap. 48. ambigitur quod lib. 9. Tripar. hist. de sancto Epiphanio Episcopo offenditur. Quibus non est subtrahēdum, quod lib. 2. cap. 3. Gregor. Turonensis reperimus propositum, quoniam sanctus Eugenius Episcopus Carthaginensis, ab Honorico rege & Cirola episcopo Arriano apprehensus, subditis constantioribus sermonibus declamatorijs effectis, subtilibus argumentorum disputationibus in conspectu regis, in arenam descendendo, hæreticum debellauit, ac miraculorum signis

Miraculum Cirolæ Arriani Episcopi. coruscando confudit. Quorum Cirola Arrianus impatiens, complicis hæretici operam quinquaginta aureis conduxit, qui se miserum oculisque captum, coram omnibus itinerantibus deplangeret. Cùm autem prælibatus hæreticus iret faceret, edoctus, suppetias sanitatis recuperandæ, ac non rarò alijs ab eo impartiræ efflagitauit, qui multis cæremoniarum sollennijs, vesaniam ostentans, dixit, Secundum fidem nostram qua certè credimus, patrem filio inæqualem, aperiantur oculi tui. At risus mutatur in planctum, nam tantus eum dolor inuasit, vt iam spiritum exhalaturus videretur; Sic ergo veritatis preco intonuit altis vocibus, Accipe autū tuum, da lumen meum, & cōuersus ad S. Eugenium, Filium & Spiritum sanctum Patri æqualem profitentem, votis cōcedendi luminis potitus est. Quamobrem rex furore percitus, diris exceptum flagris, exulare compulit, simul atque vniuersi clamarent, vnus Deus Pater, & verus eius Filius; quibus consubstantialis est Spiritus sanctus. Quod si quid efficere pos-

Epist. 119. quæ est ad Ianuariū ca. 20. sent, testibus B. Augūst, necnon Gregor. magis cauere deberemus, quia cùm dixisset Dominus, quosdam fallaces futuros, qui nonnulla signa faciendo, etiam electos, si fieri posset,

Lib. 20. Moral. cap. 9. seducerent, adiecit: Spiritus manifestè dicit, quòd in nouissimis temporibus recedent quidam à fide, intendentes do-

1. Tim. 4. ctrinis & spiritibus dæmoniorū, qui si exaudiantur, non pro merito loci, sed pro merito sui desiderij recipiunt malum

Roman. 1. siue bonum, quia tradidit illos, inquit Paulus, in desideria cordis eorum, vt credant mendacijs. Sic apud Cæsaream Philippi, victima certis diebus mactari adsolet, quæ oculis circunstantium elapsa, disparere consueuit, ac plurimos à veritate

ritate Christiana abduxit, Accidit cùm hæc agerentur adesse sanctum Asterium, teste Eusebio, qui cùm videret omnes miraculi huius stupore constringi, humanam miseratus cæcitatem, cum gemebundo corde puras manus ad cælos leuauit, vt Christus dignaretur præstigia Magorum arguere, ac miseris mortalibus, erroris huius soluere arcanum, hæc illo supplicante subitò victima, quæ inuisibiliter credebatur sideribus illata, superferri aquis videtur, & conspectibus omnium redditur, itaque vnius prece, tantorum seculorum deceptionis batarhrum, cum authoribus suis dæmonibus est dissolutum, ac euangelicæ veritatis symbolum mirabiliter extitit confirmatum. Nec iustè aliqui cauillari possunt, hodie non ita sanctos coruscare miraculis, quasi propterea scripturæ catholicæ veritas aliqualiter obnubiletur. Quia duplici modo horum peruicaciam retundere licet, Priori, quia licet hodie non ita crebrescant miracula, nemo tamen rectè intulerit, propterea Ecclesiam catholicam in fidei negotijs minus veri nunriam, quia secundum August. miracula non faciunt, sed ostendunt sanctitatem. Item Gregor. dicit, quòd vera vitæ æstimatio, in virtute sit operum, non in ostensione signorum; nam sunt plerique, inquit, qui etsi signa non faciant, signa tamen facientibus dispares non sunt. Petrus siquidem super mare ambulauit, vbi Paulus naufragium pertulit, à parte igitur constat, quia cùm vtriusque virtus fuerit dispar in miraculo, vtriusque tamen meritum dispar non est in cælo. Altera ratio est Ambros. quod miracula tempore Christi & Apostolorum frequentata, non solum illis, sed & nobis postea sequuturis facta sunt, vt licet maiores nostri tempore nos præcederent: tamen signorum gratia, non præirent, Quæ enim exhibita est illis præsentia rerum in mirabilibus virtus, eadem virtus nobis literarum thesauro conseruata, vt nobis præstaret pagina, quod illis gerebat historia, & potentiam Domini quam illi carnalibus oculis cernerēt, nos spirituali lumine videremus. Ea sunt Christi miracula, vt nō iniquitate pretereant, sed gratia conualescant, non obliuione sepeliātur, sed virtutibus innouentur: apud presentiam enim Dei nihil est abolitum, nihil præteritum, sed pro sua magnitudine, omnia illi in præsenti sunt, secūdum Aug. lib. de prædest. & grat. Lib. 5. de Trinit. Et Prosper. lib. 1. de vocatione Gent. Totum illi tempus est hodie, teste Dauide, Mille anni ante oculos tuos tanquam dies vna, quod si vna dies sit Deo omne tempus, eadem mirabilia quæ patribus operatus est, operatus est & nobis. Potest & tertia subijci ratio, quare iam sancti miracula operari desinant, quia teste Augustino libro de vera religione; Et Gregor. Hæc necessaria in exordio

Lib. 7. ca. 13. Eccles. hist.

Hodie quare non fiāt miracula, duplex est ratio.

Lib. 3. cap. 7.
Lib. 4. ca. 12. de Trinit.
Serm. 18. de verbis Dom.
Et de Eccles. dogmat. c. 83.
Miracula non faciūt, sed ostēdūt sanctitatē.
Lib. 1. Dialog. cap. 11.
Altera ratio.
Serm. 20.

Cap. 5.
Cap. 2.
Cap. 10.
Psalm 89.
Tertia ratio.
Cap. 24.
Homil. 19. lib. 40. homil.

nascentis Ecclesiæ fuerunt, vt enim ad fidem cresceret, multitudo credentium miraculis fuerat nutrienda, quia & nos cum arbusta plantamus, tamdiu eis aquam fundimus, quousque ea in terra iam coaluisse cognoscamus, & si semel radicem fixerint, irrigatio cessabit: sic Ecclesia longè lateque in vniuersum orbem dispersa ac ramis fidei dilatata, infantilis ætatis miracula nequaquam requirit, alioquin quotidie, teste Gregor. & Aug. Spiritaliter Deus facit, quod tunc per Apostolos corporaliter faciebat, nam sacerdotes eius cùm per exorcismi gratiam manum credentibus imponunt, atque habitare malignos spiritus in eorum mente contradicunt, quid aliud faciunt, nisi dæmonia eijciunt, qui dum bonis exhortationibus malitiam de aliorum cordibus auferunt, serpentes tollunt, & dum pestiferas suasiones audiunt, sed tamen ad operationem prauam minimè pertrahuntur, mortiferum quidem est quod bibunt, sed non eis nocebit, qui quoties proximos suos in bono opere infirmari conspiciunt, dum eis tota virtute concurrunt, & exemplo suæ operationis illorum vitam roborant, qui in propria actione titubant, quid aliud faciunt, nisi super ægros manus imponunt, vt benè habeant? Quę nimirùm miracula tanto sunt maiora, quanto sunt spiritualia, quia per hæc non corpora, sed animæ suscitantur. Illa etiam aliquando ostendunt sanctitatem, nec faciunt, hæc verò spiritualia, quæ aguntur in mente; virtutem vitæ non ostendunt, sed efficiunt. Illa habere & mali possunt, istis autem perfrui, nisi boni non possunt. Magnum tamen charitatis est argumentum secundum beatum Ioannem Chrysostomum, credere absque pignoribus miraculorum.

Prælibato loco. Serm. 18. de verbis Dom. *Matth. 7.* *Hom. 33. super Matth.*

De superstitiosis & Magicis artibus.

CAPVT LV.

QVADRIFARIAM maligni spiritus futura prædicere nôrunt, teste Isidoro libro octauo etymologiarum, & allegatur 26. quæst. 4. cap. Igiter, & ca. Sciendum; Item apud Iuonem Carnotensem Episcopum. Primò acrimonia ingenij, vtpote nulla corporis mole aggrauantis, hebetati. Aut celeritate motus ob eiusdem corporis aërei instantaneam quasi mobilitatem. Aut longa rerum experientia, qua multa hominibus terreni sensus tarditate præssis, miranda prædicare possunt. Aut quarto, quia eis ab Angelis sanctis aliqua nonnunquam reuelantur, secundum August. lib. de diuinatione, & lib. 2. de Genesi ad literam. Quod futurorum præsagium permittit Deus, tribus de causis: Prima, vt occulto Dei iudicio, homines malarum rerum cupidi, tradantur

Cap. 8. & 9. Parte 11. cap. 68. & 69. Primus modus 2. 3. 4. Cap. 3. Cap. 17. Triplici ratione permittit Deus præsagium.

dantur illudendi, & pro meritis voluptatum suarum decipiendi. Non enim dæmonum consortia, tantùm vitare debemus, quando falsa à professoribus eorum, nobis obtruduntur, verum etiam si prædixerint vobis signa atque portenta itaque euenerint, fugiendi sunt. Nec Samuël vita functus, propterea Sauli regi vera prænuntiauit, quasi ea ratione minus talia sacrilegia sint execranda, cùm pestifera dæmonum societate sint peracta, & proinde Christiano penitus fugienda, secundum August. lib. 2. de doctrina Christiana, & lib. 2. de mirabilibus sacræ scripturæ. Secundò, permittuntur interdum vera præsagire, ad commouendos fideles, ne tale quid magno conamine, quod etiam dæmonibus est commune, operari desiderent. Tertiò permissionem habent ad exercendam manifestandamque iustorum patientiam: Neq; enim parua patientia, vniuersa quæ possidebat sanctus Iob, amisit, secundum D. Augustinum. Sed quid opus erat eis permittere veri prænuntiationem, itaque occasionem in errorem ducendi habere? Respondet D. Clemens discipulus sancti Petri Apostoli, in hunc modum scribens: Si eis nunquam fuisset indultum veri aliquid proferre, omnino nec aliquid prædicere vellent, non prædicentes autem, nec quod essent dæmones, agnoscerentur, quod si ignorarentur esse dæmones in hoc mundo, agonis nostri & certaminis causa latuisset. Nec duntaxat aliqua Dei permissu pronuntiant, sed etiam permulta angelicis operibus, specie, non veritate, fallacia, non re ipsa, faciunt similia, quemadmodum eruditè docet D. Athanasius, refutans falsam Valentini, Marcionis & Basilidis opinionem, demonstrans etiam cum beato Augustino, lib. de diuinatione, lib. 2. de Genesi ad literam, & lib. 83. quæst. q. 79. quod non sint substantiarum creatores. Sic enim habet, Opera quæ faciunt, etsi miracula videantur, quia fiunt tempore inperceptibili, non tamen sunt vera miracula, quòd fiant vi naturæ, sic namque nouerunt causas disponere, vt ilicò sequantur effectus: Aegyptij enim non sunt magis ranarum factores, quàm cæteri homines segetum creatores, qui tamen semina ad fructuosam messem terræ abscondere non ignorant, secundum sanctum Augustinum: Videntur, inquam, facere aliqua, non quòd sint alibi quibus vtilia, sed quia mirabilia magis. Quomodo quæso possent nobis esse vtilia, si dæmones vel minimam nobis inuideant commoditatem? secundum eundem August. & Orig. necnon D. Clementem D. Petri discipulum, qui tale discrimen inter veri nominis miracula & dæmonum præstigia constituit, quod illa in profectum fiant fidelium, vt liquet ex decursu sacræ scripturæ, Ista verò nulli conducunt,

[Margin notes:] Deuter. 13. — 1. Reg. 28. — Cap. 23. — Cap. 11. — Actor. 16. — *Lib. 3. de Trinit. cap 7.* — *Obiectio.* — *Solutio.* — *Lib. 4. Recognitionum ad Iacobum fratrem Domini.* — *Multa faciunt dæmones.* — *Sermone 3. côtra Arrianos.* — *Cap. 3.* — *Cap. 17.* — *Lib. 3. de Trinit. cap. 8.* — *Lib. 10. de ciuit. Dei c. 18.* — *Homil. 13. super lib. Nume.* — *Lib. 3 Recog. ad Iacobũ fratrẽ Domini.* — *Discrimẽ inter miracula & dæmonũ præstigia.*

vt sunt latrare fictiles canes, excelsos saltare montes, celerrimo volatu, aërem secare homines, & id genus alia multa. Verum operæpretium fore duximus, ipsius artis Magicæ species recensere, quæ quintuplices reperiuntur apud Hugonem de sancto Victore, libro sexto Didascalicæ eruditionis, quæ enucleatius dilucidantur, 26. quæst. 4. cap. Igitur, & quæst. 5. cap. Nec mirum, videlicet, Diuinatio, Mathematica, Sortilegium, Maleficium, & Præstigium. Diuinatio rursus quintupartitò modo secatur, nempe in Necromantiam, Geomantiam, Hydromantiam, Aërimantiam & Pyromantiam. Necromantia est propriè diuinatio in mortuis, hoc incantationis modo Samuël fuit ad superstites per Pythonissam euocatus, non tamen Samuëlem ipsum opinabimur resuscitatum personaliter, sed diabolum se in ipsius personam transformasse, vt D. Augustinus de mirabilibus sacræ scripturę, lib. 2. ad Simplicianum. Istud incantationis genus proscribitur apud D. Clementem, necnon apud Gratianum, vbi sic legitur: Qui talibus credunt, aut ad interrogandum eas earumque domos introeunt, aut eas ad proprias domos ducunt, sciant se fidem catholicam & baptismum præuaricasse, & paganum ac apostatam Deique inimicum esse, & iram Dei in perpetuum incurrisse. Geomantia est diuinatio in terra, quæ omnino dependet ex intentione facientis: Laudatur namque homo à D. August. quòd ab ædibus per glebam Terræ Sanctæ Hierosolymis allatæ dæmonia pepulerit. Hydromantia, est diuinatio in aqua; hoc modo, Pausanias apud Eginenses Achaiæ scribit templum Cereris fuisse, ac fontem proximum, in quem ægri, peractis sacris mysterijs, conspectantes morbi, valetudinisque exitum contemplabantur, teste Ludouico Viue. Aërimantia, est diuinatio in aëre, quæ Concilio Braccarens. 1. & beato Gregorio, damnatur. Si quis credit, inquit, quod aliquantas immundas creaturas diabolus fecerit, & tonitrua, & tempestates, & siccitates propria autoritate, sicut Priscillianus dixit, Anathema sit. Sed huic Concilio videntur obuiare sententiæ Neotericorum & Scholasticorum Doctorum, dicentium, dęmones in caliginosum aërem detrusos, subinde commouere tempestates, tonitrua & choruscationes. Dicendum quòd Concilium damnet Priscillianum, qui fingebat duo principia, cum Manichæis & Gnosticis, teste D. Augustino lib. ad Quodvultdeum. Iam diabolus nequit præmissa operari, vti docet Concilium, non enim potest virtute propria, & per se facere nouas formas, vel aliquid directè producere. Nihilominus potest virtute aliena, bifariam, Primò, virtute naturæ, quemadmodum edocet D. August. lib. 3. de sancta Trinit.

Quinque artis magicæ species *Cap. 15.* *Diuinatio multiplex.* *Samuel an apparuerit?* *1. Reg. 28.* *Cap. 11.* *Cap. 3. & in quæst. noui & veteris testamenti q. 27.* *Lib. 1. Recognit. ad Iacobū fratrē Domini.* *26. quæst. 7. cap. Non obseruetis.* *Geomantia.* *Lib. 22. ciuit. Dei cap. 8.* *Hydromantia.* *Aerimantia.* *Super 35. ca. lib. 3. de ciuit. Dei.* *Cap. 8.* *Lib. 33. Moral. cap. 9.* *Obiectio.* *Solutio.* *Hæres. 6. 46. & 70.* *Diabolus dupliciter aliquid operatur.*

Trinit. Quia materia plena est rationibus seminalibus, sicut fructus & grana tritici sunt plena vi tali, qua producant similia, Angeli autem cognoscendo proportionem rerum naturalium, applicant actiua passiuis, sicque sequitur introductio formæ naturalis. Taliaque potest efficere diabolus, citius, quam cursu fierent naturali. Secundò aliquid efficiunt aliena virtute, quia nihil valent absque Dei permissu, vti liquet de spiritibus in gregem porcorum missis, Pyromantia fit in igne, vnde beatus Augustinus, Legimus diabolum potuisse ignem mittere de cælo ad consumenda sancti viri pecora, quod diabolo nemo fortè tribueret, nisi sacræ scripturæ authoritate legeret; Deus tamen interdum occultis hoc permittit modis, cùm id iustum atque vtile iudicat, & nescientibus hominibus aliud iubetur diuinitus, vel ad confundendos malos, cùm eos oportet confundi, sicut Actor. 9. legimus de Sceuæ filiabus, vel ad commouendos bonos, vt in fide proficiant, secundùm Augus. lib. 83. quæst. & lib. 3. de Trini. Secundi generis sunt Mathematici, qui bifariam diuidi offenduntur, videlicet in Augures & Aruspices. Augures sunt qui volatu auiumque garritu, futura præsagiunt. Aruspices siue Horuspices, dicuntur quasi horarum inspectores, qui tempora in rebus gerendis obseruant, verùm quid magis impium, inquit Augustinus, quàm dies eligere vt coniugium contrahẽdum prosperum habeat successum, vel seligere dies ad seminandum agrum, cùm tam multa grana seminentur, simul herbescunt, tamen aliquas spicas rubigo interimit, alias aues auellunt, alias hominum lasciua insolentia conculcat lib. 5. de ciuit. Epist. 119. ad Ianuarium, Lib. 2. de Genes. ad literam, De spiritu & anima, D. Ambros. lib. 4. Hexameron, necnon D. Gregorius, Lib. 40. homiliarum, & lib. 33. Moral. Item sanctus Leo, Nunquid hic alicuius superstitionis, vel falsitatis insimulatur Astronomia? Nónne per ventos, & lunæ dispositiones, licitum est agricolis rationem habere temporis, quatenus maiori vsura, grana tritici terræ finibus recondãtur? nónne & medicis tempora potionum atq; minutionum, secũdum artem Anathomicam & Empiricam licet obseruare? nónne & hortulanis tempus plantãdi & eradicandi est vsitatissimum? Profectò hæc in præsentia non reprobantur, nec idololatriam concernunt, quòd à causa naturali dependeãt, puta influentia planetarum, motuq; astrorum, quæ licet non sint causæ rerum, sunt tamẽ signa earum. Porrò si in actibus à libero hominis arbitrio dependentibus obseruentur dies & tempora, sicut in mercatione, vxoris desponsatione, &c. peccatum læthale incurritur, vti docetur 26. quæst. 5. ca. Non licet Christianis, vbi etiam cauetur, ne quis

Cap. 4.
Diabolus aliquid quomodo efficiat.
Matth. 8.
Pyromantia.
Super Psa. 77.
Iob 1.
Quæst. 79.
Cap. 7.
Mathematici.
Augurium.
Ca. 5. cum 2. sequent.
Cap. 17.
Cap. 28.
Cap. 4.
Homil. 10.
Cap. 9.
Ser. 7. de natiuit. Dom.
Obiectio.
Diluit quod obiecit.

nocte natiuitatis Dominicæ, vel ſancti Ioannis Baptiſtæ in-
cantationibus vacet, ſed potius ſacris orationibus inuigilet,
Part.11.c.30 de quibus ſic legitur apud Iuonem epiſcopum Carnoteſem.
Et cap. 2. poſt concil. Ancyranum apud V.P. Petrum Crab-
bium. Sunt quædam ſceleratæ mulieres poſt Sathanam con-
uerſæ, dæmonum illuſionibus ſeductæ, quæ confitentur ſe
nocturnis horis cum Diana æquitate, ſuper quaſdam beſtias,
vel cum Herodiade, & multa terrarum ſpatia intempeſtę no-
ctis ſilentio pertranſire, quæ eo loci ſequuntur, has epiſcopi
eliminare nòn differant. Nec aliquem admiratio inuadat
oportet, aut calumnia exuſcitet, quod tam inſigniter hic er-
ror à patribus refellatur præmiſſis, cùm eò vergat vt nullus
credatur aut colatur Deus, teſte Auguſtino lib. 5. de ciuitate
Cap.1. Dei. Imò eò tendit, vt ſubuertatur humanæ libertatis arbi-
Epiſt.119.ad trium, eodem teſte & Origene: Nos, inquit, qui euangelio
ad Iannarium ſumus credentes, dicimus hanc pactionem immundum ſpi-
cap.7. ritum operari in hominibus, obſeruat enim quædam ſche-
Tract.4. in mata lunæ, & ſic operatur, vt ad obſeruationem quorundam
17.ca.Matth. ſchematum lunæ, pati homines mentiatur, & per hoc culpa-
bilem Dei creaturam oſtendat, vt omnes ſicut diximus ini-
quitatem in excelſo loquantur, qui exiſtimant, ex efficientia
ſtellarum exiſtere cauſam omnium infirmitatum criminan-
Cōſtellationes. tes opera Dei, & quaſdam quidem ſtellas dicentes maleficas,
quaſdam autem beneficas, cùm nulla ſtella ſit à Deo facta, vt
malefaciat, quod & ipſarum creatio ante peccatum manife-
ſtat: Vt enim tunc nec Adam, ita modò nec aliquem hominē
ad malum inclinant. Figmentum eſt igitur, conſtellationes
geneſim humanam (etiamſi interdum vera præſagiant) di-
Sortilegium. rigere. Tertium genus eſt Sortilegium, quod ex ſortibus oc-
Triplex ſors. culta inueſtigat, quemadmodum docet D. Thomas, vbi tri-
Quodlib. 12. plicem conſtituit ſortem, Diuiſoriam, Conſultoriam, & Di-
art.36. uinatiuam, vt ex prælibato loco, & V. Patre Nicolao Lirano.
Super 1.cap. & de Sortilegijs cap. Eccleſia. petere non fuerit indignum.
Actor. Quartum eſt, Maleficium, quo incantationes dæmoniacæ, &
Maleficium. ligaturæ ſuperſtitioſæ, aliaque eius farinæ remediorum ge-
nera nefanda, dæmonum cooperatione & inſtinctu, ad im-
probandos effectus adhibentur. Sic Giges, cernens terræ hia-
tum procelloſis imbribus factū, ingrediendo, reperit equum
æneum, qui oſtiolo in latere poſito introitum admittebat, in
cuius intimis penetralibus, callidus explorator offendit cada-
uer humanum, annulum aureum in digito habens, quem
detrahens, reuertitur, diligens opilio, ad ouiculas ſibi con-
creditas, quas ad interiora deſerti conſueto more, dirigens;
annulo in digito poſito, omnia linceis oculis perluſtrabat, ipſe
inuiſibilis per annulum effectus, ſicque euenit vt reginam

poſtea

postea suis incantationibus dementaret, ac stupraret, seque in regali solio constituto, regem Lydiæ, maritum eius interemerit, teste Cicerone, post Platonē. Hic non est ignorandū, duplex esse quod ineunt homines cum dæmone pactum, expressum & tacitum. Expressum fœdus, percutiunt homines quibusdam sacramentis, vel potius execramentis, hoc est, expressis vocibus, seu signis à diabolo confictis. Tacitum est, vbi quidem deēst intentio diabolum inuocandi, & cum eo paciscendi, nihilominus tacito pacto seruātur quædam, quibus se diabolus haud illibenter immittit & ingerit: huius generis sunt ligaturæ, characteres, chartæ Hebraicis vel potius Barbaris vocibus, & incognitis vocabulis obliteratæ, vel etiam singulciendo, dextera manu sinistrum tenere pollicem: Hæc, inquam, & huius generalis alia, sunt Christiano homini prorsus interdicta tanquam illicita, secundum D. August. lib. 2. de doctrina Christ. lib. ad Quodvultdeum. Et Chrysost. quia inducunt ad implorandum diaboli ministerium. Non enim prædictæ notæ, ex se virtutem habent, sed duntaxat ex diabolico pacto, sic namq; pepigit cum illis, quos habuit sibi familiares, vt talia recognosceret signa, & ad talia se præsentē obsequioso ministerio exhiberet, & simulat se illis quodammodo cogi, vt insipientibus ostendat aliquid energię in illis existere, itaque faciat homines à fide & Dei cultu desciscere, secundum beatum Augustinum lib. 5. de ciuitate Dei, & lib. 2. de Genes. ad lit. Bonauenturam sanctæ Romanæ ecclesiæ Cardinalem super lib. 2. Sententiarum. Ac D. Thom. Huius farinæ crediderim esse, Memēto creatoris tui, &c. quo morbo comitiali pręsentissimum dicitur conferri remedium, quia alia verba idem significātia operam luderent. Nec etiam nos moueant sancta Dei nomina, aut alliciant quæ passim chartis aut ligaturis imprimantur, quia secundum August. immiscent istis nomen Christi, aliaque sanctorum nomina, vti tali velamine contegant maleficia, & mellis aliquid obducunt, vt toxicum abscondant. Simile iudicium esto de illis qui fingunt se multa ex manuum lineamentis coniectare posse, & certi aliquid, ex istis libellis qui passim manibus teruntur, prædicere. Quales sunt isti errones præsertim & vagi homines (quos triuiali Teutonicæ linguæ vocabulo, *Heyen*, appellamus) qui circa annum Domini millesimum quadringentesimum decimumseptimum, primùm per Germaniam vagari cœperunt, homines nigredine deformes, excocti solis calore, immundi veste, furtis intenti; siquidem eius gentis fœminæ, viris ex furto necessaria procurant, literas etiam circumferunt, Sigismundi regis, teste Sebastiano Munstero lib. 3. suæ geographiæ, & aliquorū principum,

Lib. 3. Offic.

Duplex cum dæmonibus pactum.

Ca. 20. et 23.

Heres. 16.

Homil 21. ad populū Antiochenum.

Cap. 7.

Cap 17.

Dist. 7. quæst. vltima.

22. quæst. 96.

Eccles. 12.

Tract. 7. in Ioannem.

Errones, siue vagi homines.

vt transitus illis per vrbes & prouincias liber permittatur. Ferunt autem ex iniuncta pœnitentia se mundum peregrinantes circuire, atque ex minori Aegypto primùm emigrasse, sed splendidè mentiuntur: Nam probatum est istud genus hominum, per longa temporum interualla, ad eadem diuertere loca, ne facilè breui temporis spatio redeūtes agnoscantur & repellantur. Anus eorum Chyromantiæ & diuinationi intendunt, atque interim quò quærentibus proferunt, quasi oracula, quot pueros aut maritos sint habituri, miro astu crumenas insipientium rimantur atque euacuant. Commemorat etiam Munsterus se Heydelbergæ extorsisse, ab eis literas sibi ab Imperatore Sigismundo concessas, in quibus mentio fiebat, quomodo maiores in minori Aegypto olim ad aliquot annos reiecto Christianismo, ad gentilitatis voraginem relapsi fuissent, & resipiscentibus illis pœnitentia iniuncta fuit, vt certis annorum temporibus ex singulis eorum familijs, aliquot per orbem peregrinarentur, diluerentque exilio, perfidiæ suæ crimen, sed iam dudum tempus peregrinationis eorum euanuit expletum, & tamen colluuies illa non cessat circumuagari, furari, mētiri, augurari & diuinare, nec interceptum aut interclusum est illi iter, quo minus Aegyptum petere queat, vt obgannit, sed est populus quidam Germaniæ ex varijs collectus otiosis hominibus, nulli non Europæ nationi onerosus, vniuersorumque fermè Europæ idiomatum non ignarus, qui iam in his, iam in illis locis furando & fortiter mentiendo, temporalis vitæ stipendia, quibus miseram transigat vitam sectatur. Optime cautum est & proinde statuto Caroli 5. ac Philippi Regis Hispaniarum, ne sub pœna capitis omniumque rerum hic amplius diuagetur, vt habetur libr. 1. ordinationum Imperialium ac Regalium. Quare nec his omnino religionis specimen recusantibus, nec alijs idem machinātibus in pronosticationibus est fides adhibenda, secundum August. Imò quinquennali pœnitentia temeritatis suæ crimen, qui illos consulunt, expiare deberent, teste Concilio Ancirano, & resumitur 26. quæst. 5. cap. Qui diuinationes & apud Iuonem Carnotensem Episcopum. Rursus alij sunt, qui aduertentes, verosimiliter maleficium, quo pecora vel homines contabescere videntur, cupiunt alio quasi maleficio retundere & satanam satana eijcere. Profectò, angelica summa passim nuncupata, fortè nō refragaretur, quin licitum fore putaret, vti alieno malo in propriū commodum. Verùm Thomas Caietanus, in Summula sua de peccatis, & Summa Siluestrina, quatuor modis prædictam refutant opinionem. Primo ratione, quia dictamē rationis suadet, vt Deo sit homo subiectus, illumque habeat & colat tanquam supremum

Rubrica 1.

Li. 2. de doct. Christ. ca. 33.

Pœnitētia consulentium Pythones.

Parte 11. c. 2.

Pecorum morbi an maleficijs pellendi.

premum numen, in cuius manu cuncta sunt posita, non autem alios. Secundo scriptura. Nunquid non est Deus in Israel vt consulatis Beelzebub deum Accaron? Tertio, probatur non esse requirendos Magos, incantatores vel incantatrices ad pellenda maleficia, authoritate Iuris Canonici, quod præfatos ab honore dignitatis suspendit, atque perpetuæ pœnitentiæ in arcto monasterio subijcit. Et allegatur ex concilio Toletano 4. Si autem Laicus prædictos consuluerit, ab ecclesia habeatur extraneus, cap. Aliquanti ex Concilio Agatensi, cap. 42. & cap. Si quis clericus. Ibidem ex Concilio Aurelianensi 1. cap. 32. & Carthaginens. 4. cap. 89. Item Elibertino cap. 62. & Ancyrano cap. 24. Augurijs, inquit, & incantationibus seruientem similirer Iudaicis superstitionibus, vel ferijs inhærentem à conuentu ecclesiæ separandum præcipimus. Quarto Iure Ciuili, quia incanratores præcipiuntur Vulcano tradi, aut capite plecti, quemadmodum habetur C. de Maleficis & Mathematicis, Leg. Nullus aruspex, & Leg. Nemo. Sed his obuiabit fortasse aliquis, qui adseret sibi optimè cōsultum, languoremque & lentam tabem discessisse, per ipsius incantatoris, à morbido pecore, consiliū & remedium. Cui dicendum est, nihil obstare, quin diabolus sibi interdum aduersetur, hoc enim significat nomenclatura Satan, vt ita miseros fascinare possit, non obedire veritati, sed potius falsitati, dum tamen arcanis meandris, votis potiri efficit; languoremque per incantatorem pellat, quem per alium immisit; Hoc inquam, astutè facit, vt sibi cultus latriæ, expressè, vel saltem tacitè, exhibeatur, & si nō permitteretur aliquid boni interdum operari, sicut dare congruum pecoribus remedium, quo pristino vigori restituantur, nec aliquid vellet prorsus operari, secundum Augustinum. Præterea, incantationes & huius farinæ alia, videntur interdum suppetias ferre, propter paruam quam homines habent erga Deum, fidem, firmeque fidei defectum; quo illis iniquè adhęrere non formidant, quo sine, nihil profectus adferrent, vt habetur 26. quæst. 7. cap. Admoneant. Et quo magis istis innituntur, tanto magis à Deo recedentes contemnuntur, sicut scriptum est: Odisti obseruantes vanitates superuacuè. Et Maledictus homo qui cōfidit in homine, & ponit carnem brachiū suum. Quod autem incantatores nullam habeant efficaciam, liquidò constat, primò, quia non habent illam sibi naturaliter insitam, alioquin perpetuam haberent energiæ veritatem, sicut calor igni, durities lapidi semper inest, incantatio autem subinde fallitur. Non habent etiam à dignitate, quia tūc oratio dominica innumeris parasangis, vtpote à Christo instituta, dignior esset habenda, hanc autem vetulæ alicui diabolus inspira-

Leuit. 20. & 4. Reg. 1.

26. quæst. 5. cap. Si quis Episcopus.

Cap. 28.

Pœna consulentium Phytones.

Obiectio vulgi

Lib. de diuinatione cap. 3.

Psalm. 30.

Iere. 17.

inspirauit. Tertiò, hanc operandi virtutem, non habent ex institutione; quia non sunt à Deo instituta ad illum effectum, sicut verba consecrationis, consequendum. Quod autem absque fide nullum sortiantur effectum, tali legitur confirmatum exemplo: Quædam mulier ingentem habuit oculorum dolorem, & accedens iuuenem requisiuit in ludo literario, an literas aliquas contra præfatum dolorem pingere nosset, ille vafer, vt nouum lucraretur vestimentum inuolutam panniculis scedulam ei dedit, vt secum semper deferret, & sanata, scedula alteri voluit succurrere, & similiter obtinuit sanitatem, tandem aperientes scedulam, inuenerunt ita scriptum, diabolus eruat tibi oculos, & luto obstruat foramina. Quibus consideratis condignam suę temeritatis fecêre pœnitentiam, teste V. Patre Godscalco Rosemundo, doctore pientissimo. Sed quibus ergo remedijs pellendum est maleficiū? Respondet Siluester quod sancta adiuratione, vel crucis cōsignatione quæ omnis generis dæmonia pellere potest, teste Aug. & D. Thom. Cuius rei exemplum producit sanctus Epiphanius in mediū de filio Eliël patriarchæ qui magicis artibus imbutus, quandam sanctimonialem corrumpere cōcupiuit, sed signaculo crucis munita, contra diaboli insidias stetit inconcussa. Præterea ibidem habet, posteaquam Iosephus, adhuc Iudæus diuersis miraculorum operibus esset instructus quod nō valuit incantationis vis vbi erat nomen Christi, & signaculum crucis. Nec tamen persuaderi potuisset vt Christianus fieret, Tandem porro apparet ipsi in somnis Christus, dicens: Ego sum Iesus qnem parentes tui crucifixerunt, verum crede in me. Ille vero nondum persuasus, incidit in morbū magnum, & desperatum. At Dominus rursus apparet, ipsi iubens vt credat in ipsum & sanitatem assecuturum, esse promittens. Ille verò promissione facta rursus fefellit, & in duritia permansit. Recidit autem secundariò in morbum, eumque similiter desperatum, relictusque veluti moriturus à cognatis suis Iudæis, quod mysticè ab ipsis semper fieri solet, id ab his audiuit. Nam vir quidam senior legisperitus eum accedens, in aurem insusurrauit dicens: Crede in Iesum crucifixum sub Pontio Pilato præside qui filius est Dei, & ex Maria postea natus est, & Christus Dei est, & ex mortuis resurrexit. Nam ipse veniet iudicare viuos ac mortuos. Hæc mihi Iosephus ipse palam recitauit, id quod verè dicere possum &c. Multaque alia his similia cum de hoc Iosepho narrasset Epiphanius, deinde addit quod maxime seruit nostro proposito ac instituto. Ascendit autem (Iosephus) inquit ad comitatum & Constantini regis amicus euadit, & obtulit atque exposuit omnem ipsi suarum rerum statum, quomodo eminentissimam

Exemplū memorabile.

Serm. 3. Dominica quinta post Epiphan. Titul. de Maleficio. lib. 83. quæst. q. 79. Tho. 22. quæ. 90. artic. 2. Epiph. lib. 1. contra Hæres. Tomo 2. Hæresi 30. quæ Ebionæorum.

tissimam apud Iudæos dignitatem habuisse, & quomodo visiones Dei ipsi penitus apparuissent, Christo ipsum vocante ad sanctam vocationem & salutē fidei ac cognitionis suæ. At bonus ille Rex, cum Christi seruus esset in veritate, & zelum Dei inter reges post Dauidem & Ezechiam ac Iosiam haberet honorem dat ipsi, velut iam dixi, dignitatis in regno suo. Comitem enim ipsum cōstituit, iussitq; insuper petere quicquid vellet. Iosephus autem nihil petijt, præterquam vt maximum hoc beneficium à rege consequeretur, vt permitteretur ipsi per mandatum regium quo Christo Ecclesias ædificaret in ciuitatibus ac vicis Iudæorum. Vbi nunquam quisquam potuit ecclesias extruere, propterea quod neque Græcus, neque Samarita, neque Christianus inter ipsos esset, & hoc maximè in Tiberiade & Diocæsarea, quæ & Sepphurin appellatur, & in Nazareth & in Capernaū. Obseruatur enim apud ipsos, vt sit aliquis alterius Gentis. Iosephus itaq; acceptis literis & potestate vna cum dignitate in Tiberiadem venit, habens etiam epistolas vt de regijs expensis sumptum faceret imo etiam ipse stipendijs à Rege honoratus erat. Incipit itaque in Tiberiade ædificare. Templum autem maximū prius in vrbe fuit & puto Adrianiū hoc fuisse vocatū. Quum verò hoc Adrianium imperfectum permāsisset, ciues ad publicum balneum id instaurare conabantur. Quo comperto, Iosephus ex hoc occasionem habebat, & vbi inuenisset id per lapides quatuor cubitorum ac quatuor pedum ad aliquam altitudinem euectum, hinc incipit facere Ecclesiæ structuram. Erat autē opus calce & alia materia. Caminos itaq; extra vrbem multos facere iussit, fortè septem numero: fornaces autem vernacula lingua vocant. At verò callidi, & omnia facere audentes Iudæi, à præstigijs apud ipsos fieri solitis non abstinuerunt. Incantationibus enim quibusdam & curiosa sedulitate ignē ligare ac disperdere generosi illi aggressi sunt, sed non perfectè potuerunt. Cessabat itaque ignis & non operabatur: scilicet extra propriā, vt ita dicam naturā, constitutus erat. Vbi autem hi qui combustibilem materiam igni addere iussi erāt, ligna videlicet, siue sarmēta nihil effecissent, Iosepho rem ipsam significauerunt. Commotus igitur vir ipse, & zelo erga Dominum correptus, extra ciuitatem currit, & vbi aquam in vase afferri iussisset, accepto vase aquæ coram omnibus (multitudo enim ingens Iudæorum confluxerat ad spectaculum, euentum videre cupidi & quid Iosephus facturus esset) magna voce crucis signaculum proprio suo digito vasi imposuit, & inuocato nomine Iesu sic dixit: In nomine Iesu Nazoræi, quem crucifixerunt patres mei, & omnium horum circunstantium, fiat virtus in hac aqua,

Ecclesiæ in Iudæorum vrbibus à Iosepho extructæ.

Adrianium templum.

Iudæorum incantamenta.

Crucis signaculum.

aqua, ad reprobationem omnis incātationis, ac Magiæ quām hi fecerunt, & ad efficaciam potentiæ ignis ad perficiendam domum Domini. Et sic accepit aquam in manum, & de aqua singulos fornaces respersit & dissoluta sunt incantamenta, & ignis coram omnibus emersit. Turbæ verò præsentes clamore edito. Vnus Deus qui auxiliatur Christianis, secesserunt. Porrò quum sæpe illi viro molesti essent, postea parte aliqua templi in Tiberiade extructa, & parua ecclesia absoluta, sic illinc discessit. Ad Scytopolim verò digressus, illic permansit. Vernm in Diocesarea & alijs quibusdam vrbibus perfectè ædificauit. Hactenus Epiph. Idem quoque paulo ante refert mulierem Christianam, liberam & pulchritudine excellentem, signaculo S. Crucis ab incantamentis quibus adolescens petulans eam ad stuprum pertrahere nitebatur fuisse tutam. Sic Cyprianus magicis adhuc tenebris excæcatus, sacratissimam virginem Iustinam diabolicis præstigijs voluit Agladio scolastico tradere corrumpendam, sed nihil apud eam suis deceptionibus & illusionibus valuerunt, quia signo crucis repulsi, victi recesserunt. Sic epistola 206. quæ est Cyrilli Episcopi Hierosolymitani, & posita reperitur inter Aug. epistolas. Vbi sanctimonialis quædam defensa legitur à præstigijs magorum per imaginem D. Hieronymi parieti adfixam. Haud secus nos, si integra fide, totoque mentis affectu ad Deum confugeremus, vt præfatæ lachrymis, suspirijs, precibus, sanctæ crucis consignationibus, aquæ lustralis aspersionibus, ieiunijs, votis potiremur; & spirituales nequitias repelleremus, iuxta illud Christi discipulorum respondentis quæstioni. Quare nos non potuimus eijcere illum opponentium; propter incredulitatem vestram. Amen quippe dico vobis: Si habueritis fidem sicut granum sinapis, dicetis monti huic, trāsi hinc, & transibit, & nihil impossibile erit vobis, hoc autem genus non eijcitur, nisi per orationem & ieiunium.

Math. 17.

Quid causæ, quod dæmones aliquando nec cruci, nec aqua lustrali cedūt?

Lib. 1. de Miraculis cap. 6.

Sed quid causæ est, quod aliquando nec crucis signaculis, nec aquæ benedictæ aspersionibus spiritus malignus cedat? Respondet V. Abbas Petrus Cluniacensis, Non miretur aliquis, inquit, benedictæ aquæ aspersione dæmonem non esse fugatum, agnoscat tabe latente interius, vnguenta exhibita extrinsecus nihil proficere posse. Tabem vocat, læthale peccatum, quod quamdiu in interioribus cuiuslibet latuerit, nullius exterius sacramenti perceptio prodesse poterit, alioquin crucis signum fugat diaboli machinamentum, vt alio exemplo demonstrat idem Petrus, & sanctimoniales quas diuexare non præualet, spiritualiter vel corporaliter inquietat. Deinde quando hisce non cedunt modis, est credēdum, ipsum Deum occulta ratione hoc permittere, cùm id iustum atque vtile iudicauerit

Cap. 14. Ibid. cap. 16. & 17.

dicauerit, tam in bonis & in timoratis qui sustinere coguntur, quàm in incantatoribus & magis: hi siquidem confunduntur, & diuinitus impediuntur, quando vniuersorum Dominus suis nouit expedire, vt liquidò constat, vbi incantatores Cyniphes producere nequiuerunt, & Act. 19. Exorcistæ nequiuerũt spiritum malignum expellere. Interdum etiam, permittit Deus eos operari, ad exercendos bonos, quatenus in fide solidentur, & patientiæ virtute roborentur, teste August. ne grauius Dei iudicium, ordinationi resistendo acquirant, quod enim Pilato dixit Dominus, hoc & Iob eiusq; patientiæ sequaces, diabolo & angelis eius dicere possunt, non haberes in me vllam potestatem, nisi tibi data esset desuper. Non igitur eius voluntas, cuius malitię potestas in bonis datur, sed eius voluntas à quo hæc potestas datur, debet nobis esse charissima. Hæc tamen fusius tractata requirere in secundum sententiarum haud fuerit inutile. *Exod. 8.* *Tract. 7. in Ioannem.*

De exorcismis & adiurationibus dæmonio obsessorum. CAPVT LVI.

HAVD procul à primo decalogi præcepto exorbitabimus, si modum quo obsideantur nonnũquam humana corpora patefaciamus: tantò enim magis diuinæ legis sumus obseruantes, quantò anima & corpus ab omni commercio diaboli, qui hoc præcepto excluditur, reperitur alienum, quod perpetuus ac acerrimus humani generis existat hostis: Et quemadmodum forinsecus callidas tentationum tendit insidias, ita intrinsecus penetralia nostri cordis, & corporis, ingredi volenti, sedulò inquirendum est, an corporaliter pateat, vt corpora obsideat, introitus. Profectò diabolum corpora possidere aliquando, nulli est ambiguum; qui sacrum Euãgelium vel à limine saltem salutauerit: vix namque aliquid crebrius legitur, vt perspicuum cuique esse potest, ex Matth. 4. 8. 10. Marc. 5. Luc. 8. &c. Subtilitate siquidem naturæ, potest quæcunque corpora penetrare; & absque obstaculo in illis subsistere. Ratione quoque potestatis suæ, potest corpora introire aut partem aliquam occupare obsidendo, commouere & diuexando conturbare vniuersa organa, nedum membra obsessa, sicut aranea, licet exiguum sui locum requirat, longè tamen lateque telam suam texendo distendit. Quod & in nauclero non amittit veritatem, qui in puppi constitutus, etiam in proram vsque vim exerit, haud secus est in dæmonibus, qui quando similiter in corpore humano operari offenduntur, ea obsidere dicuntur. Quod multis de causis à Deo permittitur. Primò vt exigentibus peccatis, *Dæmon quãdo obsidet corpus? Deus quare permittit obsessum hominẽ conflictari?*

1.Reg.28. catis,corporali vexatione puniantur;ficut patet de Saul rege. Secundo Deus permittit hanc poteftatem; vt mali corrigan-
1.Corin 5. tur,Cuius rei caufa, Paulus Apoftolus inceftuofum Corin-
1.Timoth.1. rhium tradidit fatanæ, in interitum carnis, vt fpiritus faluus fieret,& Hymenæum & Alexandrum, vt difcerenr non blaf-
Lib.1.Dialo. phemare. Tertió,ad noftram eruditionem, fic apud Gregor.
cap.4. Quædam fanctimonialis obfeffa fuiffe legitur, quod fui ob-
Homil.41.fu- lita Lactucam,fuper quam diabolus federat, abfque crucis fi-
per Act. Apoft. gnaculo cum ipfo fimul degluti ffet. Quartò,permittitur in-
Lib 2.fentēt. gredi interdum corpora, eaque vexando turbare,ad manife-
dift.8. ftandam diuinæ maieftatis gloriam,fic Matth.9.clamitabant,
22.queft.90 Nunquam fic apparuit in Ifraël. Ex quibus liquidò conftare
art.1. & 2. poteft, quod etiam ficut cæteris tribulationibus,ita & hac af-
Peccatum, vt fligi iufti poffunt, tefte Chryfoft. & Bonauent.& D. Thom.
plurimum,eft Nihilominus tamen neminem fubftantialiter de communi
caufa obfeffio- curfu inuadit,nifi propter propria vel aliena delicta,dico alie-
nis. na;quia infantes baptizati non habent peccata,tamen legun-
Lib.3.ca.33 tur hæc horribilia fuftinuiffe flagella apud diuum Gregor.
Dialogorũ. Quam fententiam etiam approbat D. Auguft. Dæmones,in-
Lib.4 de ciui. quit,nifi quos fallendo deceperunt,poffidere non poffunt. Et
Dei cap.32. poteftas inimica neminem vincit aut fubiugat, nifi focietate
Lib.10.c.22. peccati. Hinc arbitror ipfum duas pofuiffe ianuas, quibus
Diabolus ha- diabolo in hominem patet ingreffus, de Agone Chriftiano,
bet duas ia- vnam cupiditatem acquirendi res temporales,& alteram, ni-
nuas quibus mium timorem eas amittendi. Cognofcitur autem aliquis
ingreditur. diabolo effe obfeffus gemino indicio, fecundum Auguft. Si
Cap.33. enim loquitur linguis obfeffus, fignum tunc eft euidentiffi-
Li.12.de Ge mum diabolum occupare organa fenfus talis hominis, eum-
ne.ad lit.c.14 que intraffe; quia natura corporalis obtemperat fpirituali,ad
Quibus indi- motum localem : voces autem fignificatiuæ, formantur per
cijs cognofcitur motum linguæ,labiorum,ac arteriarum;ideoque quia poteft
aliquis obfef- ifta localiter mouere, poteft per hominis linguā diuerfa ver-
fus? ba formare,quæ non procedunt,vtpote articulata,nifi ab ali-
Lib. 12. de quo intellectu, nec procedūt ab intellectu hominis tale idio-
Genef. ad lit. ma ignorantis,fecundum Auguft. Clarum eft ergo,ea proce-
cap.28. dere ab intellectu dæmonis, linguam hominis ita mouentis.
Marc.9. Secundum indicium eft, fi fibi aut alijs noxius effe molia-
Luc.9. tur,vti legimus diabolum hominem colliſiffe,& Matth.9 di-
Dæmones quo- cuntur nimis fæui fuiffe, ita vt nemo poffit ire per viam il-
modo expel- lam. Sed quibus pelluntur & ab hominibus abiguntur mo-
luntur? dis? videtur quod naturali quodam modo valeát expelli,quia
1.Reg.16. ludente Dauide cythara, Saul leuiús habebat, & recedebat
Iecur Tobiæ, malus ab eo fpiritus, fic Tobiæ 8. dicitur, quod iecoris affati
non pepulit fumus,expulerit dæmonem,necnon Actor.19. attactu fuda-
diabolum. rij Paulini,maligni fpiritus leguntur egreffi. Refpondēdum

eft,non

est, non tam multa ad pellendum diabolum esse necessaria, quam ad peccatum læthiferum, cùm ibi sufficiat cõtraria potestas, peccatũ verò sine gratiæ infusione cor hominis emundantis non aufertur, Nec valet diabolus aliquo artificio expelli naturali, non enim sudarium tantam vim habuit, sed indicabat duntaxat, quanti pretij apud Deum esset ipse, cuius sudarium tantum efficere videbatur, nec magis pellebat dæmones quàm iecur, cùm ibidem habeatur quod preces Tobiæ, multæ fuerint efficaciæ, & quòd Angelus religauerit diabolum, non iecur in deserto loco Aegypti. Cythara etiam nihil potuit, sed passio Christi, qui expansis in cruce manibus, tanquam in cythara, neruis, totum effecit, vel etiam preces Dauidis, qui in cythara sacras decantabat laudes ac pios modulabatur hymnos. Nullo igitur modo naturali aut corporali profligantur industria, sed operatione expelluntur diuina, teste D. Thom. sicuti legimus dæmones subinde in sacris literis expulsos Christi præcipientis imperio. Nonnunquam sanctorum merita & intercessiones, omnis generis dæmonia pellere noscũtur; quod apud Geelenses quotidiana docet experiẽtia. Tertiò, orationis energia discedere ab obsessis compelluntur. Hoc genus dæmoniorum non eijcitur nisi in oratione & ieiunio, cuius exemplum promptum est, ex D. Gregor. de Eleuterio Abbate, cui puer dæmonio obsessus, à quibusdam sanctimonialibus, vt secum ad proprium duceret monasterium, fuit oblatus; cùm pluseulis diebus, diabolus puerum lacessere desineret, quadam elatione inflatus, inquit fratribus abbas, diabolus istas moniales cum puero miserè adflixit, & anxias reddidit, qui vbi ad nos veros Christi seruos peruenit, puerum accedere & inuadere pertimescit, post cuius vocem puer miserabiliter à dæmone arreptus, collidebatur, quo viso senex protinus se in orationem & lamenta dedit, quem cùm fratres diu lugentem, consolari voluissent, inquit, Nemo vestrum comedet hodie, nisi puer iste à dæmonio fuerit liberatus Tunc vnanimiter se in orationem prostrauerunt, quousque puero serenitatis integritas affulsisset. Vnde Orig. Hoc genus non eijcitur nisi in ieiunijs & orationibus, inquit, & si aliquando oportuerit nos circa curationem tale quid patientium permanere, non adiuremus, neque interrogemus, neque loquamur, quasi audiẽti spiritui immundo, sed permanentes in orationibus & ieiunijs, impetremus patienti salutem, adeò vt abigamus ieiunijs & orationibus nostris spiritus malignos. Quartò, confessione peccati expellitur, teste V. Beda. Aliquem tamen adiurationum & exorcismorum vsum fuisse expresiè habet D. August. Vera, inquit, pietate homines Dei, aëream potestatem, inimicam contra-

Primo expelluntur dæmones. *1.2. quæst. 90 art. 2.* 2. 3. *Matth. 17.* *Lib. 3. Dialog. cap. 33.* *Puer oratione liberatur à dæmonio.* *Tract. 4. in 17. ca. Matth.* *Lib. 3 ca. 31. super 8 cap. Luc. et allegatur apud Iuonem, parte 11. cap. 102.* *Lib. 10. de ciuit. Dei c. 22.*

riamq́ue pietati;eijciunt exorcizando. Auguſt. Qui præſunt, manũ obſeſſo imponere,& exorcizare dicuntur,& per diuina dęmonẽ adiurando,expellere. Idem comprobatur & D. Hieron. necnon Tertulliano docente exorciſmis dæmones fuiſſe fugatos. Notandum tamen hic eſt,triplicẽ eſſe exorciſmum: Primus dicitur ſollennitatis, quem ante baptiſma celebriter ſeruat ſancta mater Eccleſia. Act.9. Et teſte Auguſt. ac Chryſoſt. Secundus dicitur benedictionis,& iſti duo celebres ſunt in Eccleſia atque frequentes: Sollenniter namque exorcizatur aqua luſtralis,candelæ,palmæ,& eius generis alia. Tertius appellatur Salomonis, quòd verbis quibuſdam ſacris ab eo credatur compoſitus, teſte Ioſepho & Rabano Mauro, vbi & formam ordinationis eandem qua hodie vtimur, adfert ex Concil. Carthag.4.cap.7. Vetuſtiſſimum igitur exorcizandi in Eccleſia conſtat fuiſſe morem, quem etiam Ethnici atteſtautur: Vlpianus enim Iureconſultus Alexãdri Imperatoris (teſte Lampridio) Conſiliarius,& ſcrinij magiſter: Si incantauit (inquit) vel imprecatus eſt, vel (vt vulgari verbo Impoſtorum vtar, per impoſtores intelligens Chriſtiana religione imbutos) ſi exorcizauit; non ſunt iſta medicinæ genera: Veruntamen hanc formam & exorciſmum ab ipſo Salomone profectum non approbat Origenes ſuper illa verba, Adiuro te per Deum verum. Quæret aliquis, inquit, ſi conueniat dæmones adiurare, & reſpicit ad multos,qui talia facere auſi ſunt. Dicet,non ſine ratione hoc fieri,qui autem aſpicit Ieſum imperantem dæmonibus, & etiam poteſtatem dantem diſcipulis ſuis, ſuper omnia dæmonia,& vt infirmitates ſanarent, dicet quoniam non eſt ſecundùm poteſtatem datam à Saluatore adiurare dæmonia: Iudaicum eſt enim hoc,etſi à noſtris tale aliquid aliquãdo fiat, ſimile ſit ei,quod à Salomone ſcriptis adiurationibus ſolent dæmones adiurari, ſed illi qui vtuntu r illis adiurationibus aliquoties nec idoneis conſtitutis libris vtuntur quidam, & ab Hebræis acceptis adiurant dæmonia. Ex qua ſententia liquet illum exorciſmum Origeni diſplicuiſſe, ſicut fortaſſe ei diſplicerent qui paſſim varijs ſcematibus & formis verborum circumferuntur, quibus ſacra Dei nomina quidem ſubinde interſeruntur,tamẽ ſuſpecti meritò ſunt cenſendi, propter ſuperſtitioſa, & abſtruſa, inauditaque nomina ſignáque illis admixta,ſecundum Auguſt. & Tho. Propterea D. Athanaſius docet quibus potius ſit vtẽdum,quàm talibus exorciſmis ſæpenumero inanibus. Ego certè audiui, inquit, à ſapientibus ſacris ſcripturis recitandis,olim in Iſraël expelli ſolere dęmones, vnde quauis pœna dignos cẽſebat, qui his vocibus omiſſis,aliunde verba elegantia aucuparẽtur,in ijſq; ſe exorciſtas nomi-

Lib. de vita beata, diſputatione ſecunda diei.
Epiſt. 206. inter epiſt. Aug.
Super 12. ca. Matth.
Lib. de corona militis. Lib. de præſcript. hæreticorũ, et lib. de anima, & li. ad Scapu'ã.
Triplex exorciſmus.
Lib. 2. de gratia Dei et peccatorum orig. ca. 40. & lib. 2. de nupt. & concu. cap. 29.
Homil. de Adã & Heua.
Lib. 8. Antiquit. cap. 11.
Cap. 10. lib. 1 de inſtit. cleri.
ff. de verb. & extra rd. cognit. lib. 1. §. medicos.
Tract. 35. in Matth.
Tract. 7. in Ioannem.
2.2. quaſt. 96 art. 4.
Epiſt. ad Marcellum.

nominant; sed potius operam ludunt, & se ridiculos dæmonibus præbent, quales in Actis Apostolorum filios Iudęorum fuisse legimus, qui eodem modo dæmones adiurare conati sunt, quod cùm dęmones aduertũt, ludibrio habent. Contrà, sanctornm vocem exhorrent & ferre nequeunt: est etiam in verbis sactarum scripturarũ Dominns, quem cùm ferre non possent, vociferabantur, Ne nos ante tempus torqueas. Est tamen vna aut altera forma à sede Apostolica approbata, quę habetur ex sacetdotali Rom. in secundum Sententiarum, ad verbum transumpta, quæ nequaquam est reprobanda, sicut flocci pendendi sunt modi, qui passim à quibusdam nasutioribus magni habentur: Vidi siquidem ipse & perlegi, octuplices formas tam verborum diuersitate, quàm sententiarum contrarietate pugnãtes, quo fit, vt nulli earum approbationis calculum subscribere ausim. Sed hic manet scrupulus minimè dissimulandns: Quomodo potest adiurari & exorcizari, diabolus à prælato Ecclesiæ, vel ab exorcista, qui nõ est communitatis membrum? Huic obuiandum est, dicendo, quòd princeps non solùm habet potestatem coactiuam, compulsiuam & vindicatiuam in subditos, suæque ditioni subiectos; sed etiam in extraneos, potissimùm si iniuriã aut molestiam communitati inferant, Sic prelatus communem humani generis hostem, exorcismis & adiurationibus coërcere potest, quanquam potestatem directiuam in illum non habeat, sicut nec princeps in extraneos. Potest dici quoque quod minister Ecclesiæ potestatẽ habeat delegatã, dicẽte Domino: Dedi vobis potestatem calcandi super serpẽtes & scorpiones, & super omnẽ potestatem inimici, non inquã, ordinariã, sed delegatã, sicut prophetæ nõ semper vaticinari potuerũt, sed quomodo à Deo erant illuminati & edocti; nec indifferenter vbiq; locorũ, omnia crebrescere solita sunt miracula; sed iuxta Spiritus sancti motionẽ certis in locis, determinatis tẽporibus atq; personis congruis; sic exorcismus nõ ita efficaciter valet omnibus & singulis, sed quibus secundũ instinctũ Spiritus sancti fuerit administratus; Nec verba energiã habẽt expellẽdo ex opere (quod dicitur) operato, quasi illis vis quædam indita sit, quæ cogat egredi dæmonẽ, sed sicut in orationibus quotidianis Deo oblatis, non infallibiliter præsumimus nos votis potituros, ita ex Dei miserẽtis clementia, speramus & confidimus nos per exorcismum optatum effectum assequuturos: Nam deprauatæ sunt vitæ, ferè isti ministri, adeoque ipso diabolo fermè peiores; & quantũuis subinde eijciant dæmonẽ, hoc magno suo malo efficiunt. Imò asseuerare ausim diabolum ab obsesso cùm adiuratus est, frequẽter simulare discessum, aut certè per huiusmodi feces hominũ, potiùs quàm

Cap. 19.

Forma approbata.

Prelatus Ecclesiæ quomodò potestatẽ habeat in dæmones.

Alter modus.

Luc. 10.

Efficacia exorcismi qualis.

per bonos & timoratos eijci, vt sic bonos, corruptissimæ vitæ efficiat sectatores; quam vtinam à nobis alienare satageremus, perinde atque dæmonia pethorrescimus, cùm non talis momenti res sit, à diabolo liberari, atque à peccato: Dæmones namque non prohibent regni cælorum possessionem per obsessionem; quin potius saluti nostræ coopetantur vel inuiti. Duplex siquidem luctum si dęmonis obsessionē æquanimiter tulerimus, reportamus: Prius est quòd humiliores ac modestiores efficimur, secundum Chrysost. Alterum vero est quòd pœnas peccatorum nostrorum hic dantes, puri ad Dei conspectum migramus. Quod nobis concedatur, gratia & misericordia Christi Iesu saluatoris nostri, qui est super omnia Deus benedictus in sæcula sæculorum, Amen.

Duo bona ex obsessione proueniunt.

Homil. 41. in *Acta Apost.*

Miracula in vno loco magis quàm alio crebrescunt. CAP. LVII.

QVANQVAM Deus in multorum cordibus habitare dignoscatur secundum Paulum, non tamen æqualiter, quod ostendit oratio Helisæi, duplicem Heliæ spiritum postulantis. Aliqui siquidem alijs offenduntur sanctiores, teste Augustino, quod sicut in macrocosmo, hoc est magno mundo Deus totus vbique existens in toto mundo, & totus in qualibet eius parte, non vniformiter operatur; sed aliquas partes nempe cælum pleniori & perfectiori operatione, honorat; ita se res habet in microcosmo, id est, homine: nam Deus, & etiam ipsa hominis anima tota existit in toto corpore, & in qualibet corporis parte tota, nec maior est in sene quàm in iuuene; nihilominus aliquibus partibus intentius vel remissius agit in decrepita ætate, quàm iuuentutis flore. Nec ista inæqualitas est dūtaxat in animabus fidelium, qui differunt in claritate, vt stella à stella, sed etiam in rebus inanimatis: Quemadmodum namque in omnibus sanctis, Deus non est æque mirabilis, & gloriosus; ita in omnibus locis, non est æquè miraculis clarus; plura siquidem in vno celebrantur patrata miracula, quàm in alio: Templum enim orationi elegit, arcam miraculis quæ in itinere præsumptuosam Ozę temeritatē puniuit, & Obededom cum omni familia benedixit. Nec Deus Moysi, sine locorum discrimine vbique sacra mysteria pandit, sed in certo quodam loco ad hoc peculiariter selecto, diuina sacramenta reuelauit, Exodi 25. Inde (inquit Deus) præcipiam & loquar ad te supra propitiatorium, scilicet, ac de medio duorum Cherubim qui erant super arcam testimonij, cuncta quę mandabo per te filijs Israël. Maiorem quoque Deus concessit Iordani fluuio efficaciam, quàm

1. Corinth. 6.
4. Reg. 2.
De spiritu & anima ca. 30.
Sācti sunt meritis inæquales
Anima in toto corpore & singulis eius partibus.
1. ad Cor. 15.
3 Reg. 8.
Iosue 4. 6. & 2. Reg. 6.
In vno loco multipliciora sunt miracula quàm in alio.
4. Reg. 5.

quàm Abana & Pharphar fluminibus Damasci, & probatica piscina, Bethæsda non Bethsaida, appellanda, post motionem *Ioan. 5.* angelico ministerio factam, semper vnũ sanabat, à quacunq; detineretur infirmitate; quam energiam nõ largitus est Dominus mari Eneo, aut natatoriæ Syloë, Quare compertissimum *Exod. 30.* cuilibet esse potest, Deum per sanctos suos plura operari *Ioan. 9.* in vna ciuitate, quam in alia, in vno templo quam in alio, in vno altari magis quàm in alio, in vna imagine plus quàm in alia, teste Augustino. Veruntamen ad ista quæ hominibus *Epist. 137. ad Clerum.* visibiliter nota sunt, quis potest eius consilium perscrutari, quare in alijs locis hæc miracula fiant in alijs non *Dictorum ponit rationem.* fiant? Nam quemadmodum, inquit, non omnes habent donum curationum, nec spirituum diiudicationem; ita nec in *1. Corin. 12.* omnibus sanctorum memorijs ista fieri voluit, ille qui diuidit propria vnicuiq; prout vult, hæc etiam quotidianam experientiam docere, non est aliqua doctorum paucitas, aut indoctorum multiplicitas quæ ambigat. Quare enim negabimus *Lib. 36. natural. hist. c. 19.* aliqua reliquijs sanctis & imaginibus à Deo concessa, cum gemmis & herbis mirabilia operãdi esse ingenitam virtutem, *Echeneis piscis natura mirabilis.* nullus abnuat; nam Achates, lapis est, qui ignem alit solo oleo extinguibilem, teste Plinio, Echeneis est piscis, teste Ambros. qui sistit nauim remis & ventis procellosis concitatam. *5. Hexameron cap. 10.* Fons etiam esse dicitur in Emaus, teste Cassiodoro, quo infirmitates corporales tanquã sordes abluuntur. Et animalia *Lib. 6. c. 42.* diuersis morborum generibus languida liberãtur. Aquisgrani quoque visitur aqua, quæ calorem sibi habet à Deo ingenitum, alijs algorem naturalem circum circa seruantibus. Et propè Leodium aquæ fontales extare prædicantur (quem lacum vocant, *Spae*) quæ languidos vndecunque venientes optata efficiant incolumitate gaudentes. Non igitur debet alicui esse admirationi, quod Deus in vna ciuitate magis quam in alia, in vno templo magis quam in alio, in vna imagine magis quam in alia, mirabilia prodigiorum signa exhibere non recusat.

De rebus in memoriam miraculorum suspensis.

CAPVT LVIII.

CVM obiecta moueant potentiam, secundum Philosophum; frustrà calumniãtur hæretici superstitiosum & deridiculum esse, quod indicia adeptæ sanitatis ac mirabilia opera dignationis diuinæ extollamus; & quod coram sacris altaribus, sustentacula lignea, manus cæreas, pedes argenteos, &c. suspendamus, vt monumentum fidei exhibeant & virtutis, atque in meliorem vitæ frugem inducant, quem-

admodum habemus 1.Machab.4.&13. qui commemorat coronas in templo Domini suspensas, ad perpetuam fidei & virtutis eorum, qui fieri eas iusserant, memoriam refricandam. Et Gregorius commemorat. Capisterium, hoc est, vas rusticum, miraculosè precibus sancti Benedicti reparatum in Ecclesiæ ingressu fuisse suspensum, quatenus præsentes & sequuturi cognoscerent vniuersi, à quanta Benedictus puer conuersationis perfectione incœpisset. Nonnunquam etiam relicta fuere ad timorem hominibus incutiendum, Sicut thuribula sacris leguntur affixa altaribus, vt cunctis constaret, quàm iustas pœnas alienus ignis, hoc est, religio, extraneo hæreticæ prauitatis figmento adinuenta, secundum Augustinum, Serm.98.de temp. exoluisset. Interdum reseruata leguntur liberationis monumenta ad iugem singularis beneficij memoriam, quemadmodum agnoscimus iuxta numerum prouinciarum Palestinarum. Quinque anos aureos, totidemque mures factos, atque Domino in latere arcæ in qua seruabatur manna, collocatos, quod Dominus grauissima plaga eos afflixisset, ita vt putrescerent prominentes extales eorum. Qua etiam causa gladius Goliæ & Holofernis seruabantur. Quibus consonat, teste Iosepho, factum Agrippæ: qui coronam auream quam dederat ei Caius, in qua manus fuerant regiæ obligatæ, vt tristis fortunæ memoriam reuocaret, necnon testimonium de rebus melioribus in templo perhiberet, super gazophylacium suspendit. Aliquando etiam suspendũtur in perpetuum gratitudinis holocaustum; Nam ita legimus diuino oraculo præceptum: Ite ante arcam Domini Dei vestri ad Iordanis medium, & portate singuli singulos lapides in humeris vestris, iuxta numerum tribuum filiorum Israel, vt sit signum inter vos, & quando interrogauerint vos filij vestri cras dicentes, quid sibi volunt isti lapides, respondebitis eis, Defecerunt aquæ Iordanis ante arcam fœderis Domini, cùm transiret eum, idcirco positi sunt lapides isti in monumentum vsque in æternum; Pari ratione sustentacula lignea, compedes ferreas, manus cæreas, pedes argenteos, & id genus alia suspendimus circa sacra altaria, quatenus ea conspicientes, rapiamur non solum in admirationem miraculorum patratorũ, sed etiam gratiarum actionem, quemadmodum legimus homines Deum glorificasse, quando grabatum incolumes effecti asportauerunt, vnde Theodoretus de martyribus ita loquitur: Piè verò fideliterq; precatos ea maximè consequi, quæ desiderant, testantur illa quæ votorum rei, dona persoluunt, manifesta nimirum acceptæ sanitatis indicia: nam alij quidem oculorum, alij verò pedum, alij porrò manuum, simulachra suspendunt, ex argento

Lib.2. Dialog.cap.1. S.Benedictus puer miraculũ edidit. — *Num.16. Ignis alienus est hæresis.* — *1.Reg.6.* — *Ad Hebr.9.* — *1.Reg.21. Iudith.vlt.* — *Lib.19.Antiquit.Iudaicæ cap.5.* — *Iosue 4.* — *Marc.2. & Ioan.5.* — *Lib.8 Græcarum affect.circa finem.* — *Pulchra Theodoreti sententia.*

gento auróve confecta. Gratissimè namque accipit eorum Dominus, qualiacunque sunt dona, nec exilia, nec vilia dedignatur, quippe qui ea proferentis facultate metitur. Hæc itaque omnium spectaculo exporrecta testantur morborum depulsionem, cuius ipsa certissima signa sunt, à sanitatem consequutis allata. Hæc, inquam, sepultorum ibi martyrum, quæ sit virtus ostendunt: Hæc ille.

Honoramus Deum & sanctos, sanctorum templorum ædificatione. CAPVT LIX.

QVANDOQVIDEM conditioni humanæ insitum est Deum adorare & inuocare, & proinde peculiaria quædam loca talibus assignare; nulli ambiguum esse debet, simularque hostiam sanctus Abel Deo obtulit, quin etiam locum diuinis aptum selegerit, non minus quàm hostiam discreuit, quemadmodum insinuat scriptura Genesis quarto, nam in eodem loco sacrificauerunt Abel & Cain, quod vel ex eo euadit manifestum, quia aduertere potuit Cain, Dominum respexisse & inflammasse victimam Abelis; suamque hostiam respuisse. Dicunturque in sequentibus simul egressi foras in agrum, quod esse nequiuit, nisi prius vno in loco substitissent. Et quia Deus non construit templum, nisi diabolus suum associet sacellum, filij Belial delubra idolorum erexerunt, secundum Bedam, libro de sex ætatibus mundi, vel de temporum ratione, nam tempore Phaleg & Reu, primùm templa sunt constructa, & quidam principes gentium, tanquam dij adorati. Sic temporum processu prisci patres certa quædam habebant loca peculiariter sibi delecta, in quibus mactatis pecudibus, aut alijs oblationum generibus, Deum sibi promereri studebant. Nec iugiter eodem in loco, sed prout sors tulerat peregrinationis, diuersa sibi loca vindicabant, donec tandem Terram promissionis adepti, magnificentissimum atque sumptuosissimum Deo templum, iussu diuino ædificarent: Aliquando namque in Hebron sacrificare consueuerunt, aliquando etiam legimus, templum Domini fuisse in Silo. Tandem Salomon ædificauit templum, quod exigentibus illorum peccatis, non solùm fuit per Nabuchodonosor prophanatum, sed & exustum atq; funditùs euersum. Postquam autẽ Iudæi sedibus patrijs fuêre ex Babylonica captiuitate restituti, aliud tempore Cyri & Darij non septẽnio, vt prius; sed quadraginta sex annorum spatio extruxerũt. Nilominus diuersis in locis varias habebant synagogas, ad quas orationis & verbi Domini audiẽdi gratia confluebant. Haud tamen ignorandum est, Sy-

Ab initio mũdi loca aliqua Deo dicata.

Templa idolorum quando?

Genes. 13. 21. & 22.
1. Reg. 1.
3. Reg. 6. & 2. Paralip. 3.
4. Reg. vlt. & Ierem. 7.

Diuersis in locis sacrificia Iudæi litabãt.

1 Esdræ 2. & Ioan. 2.
Act. 13. & 15.

Synagoga quid est, synagogam, vocabulum Græcum, Latinè dici, congregationem. Nec solùm affluentium turbarum significabat conuentum, sed & domum quo ad audiendum Dei verbum cōueniebant, Iudæi synagogam appellare solebant. Semper docui illos in synagoga, vbi omnes conueniunt. Nos autem loca fidelium ad quæ confluunt, non Synagogas, sed Ecclesias appellare consueuimus, quod non solum nomine, sed & re distinguātur, teste Beda in quartum caput Lucæ super illa verba, Intrauit Iesus secundum consuetudinem, &c. Nam veteres vtroque vocabulo vti possunt, noui autem testamēti gratia illustrati; Ecclesiam locum orationis, hoc est, conuocationem nuncupant, quia videlicet pecora in vnum congregari possunt, conuocari autem non nisi ratione vtentia. Ideoque nouæ gratiæ populum, quasi maiori dignitate præditum, rectius conuocatum in vnitatem fidei, quàm congregatum dicere, id est, Ecclesiam quàm synagogam; Apostolicis scriptoribus visum est, vt liquet ex diuersis scripturæ locis. Conuenientibus vobis in Ecclesiam, &c. Sicut in omnibus Ecclesijs doceo. Per singulas Ecclesias presbyteros, &c. Inducat presbyteros Ecclesiæ. Septem Ecclesijs, &c. Item domus mea, domus orationis est, non negotiationis. Quibus consonat Eusebius Cæsariensis, scribens de discipulis Domini ex Philone, qui tradit illam beatam multitudinem, quæ omnes diuendiderat possessiones, pretium ante pedes Apostolorum ponendo, habuisse in singulis locis consecratas orationi domos, in quibus secedens, mysteria celebrabat, nihil illic prorsus, quod ad cibum potumque pertinebat inferens, vel ad reliqua humani corporis ministeria, sed legis tantum libros, & volumina prophetarum, hymnos quoque in Deum, cæteraque his similia, in quorum disciplinis instituta, ad perfectam beatamque vitā studijs iugibus coalescebat. Et Anacletus docet, Ecclesiam à sancto Marco Euangelista nomine Petri Apostoli adhuc superstitis Alexandriæ fuisse consecratam. Nec solùm in Alexandria verumetiam Antiochia: nam Theophilus, qui erat cunctis potentibus sublimior, domum suam fecit consecrari Ecclesiam, in qua Petri Cathedra ab vniuerso populo est constituta, in quam confluebant gratia prædicationis, quam faciebat sanctus Petrus, teste Clemente. Imò vniuersum orbem quasi peragrando, vbique locorum Petrus Apostolus erigi curauit Ecclesias, secundum Niceph. quin & Romæ cum Paulo fundauit Ecclesias, in quibus fideles, laudes domino persoluerent, teste Irenæo Apostolorum discipulo. Sic Matthæus Euangelista extruxit Ecclesiam in ciuitate Myrnena, secundum Niceph. Iacobus Hierosolymæ ibidem de alijs Apostolis ecclesiā erigētibus habemus apud Abdiam.

Ioan. 9. & 12. Ioan. 18.

Ecclesia quid?

1. ad Cor. 11. Actor. 14. Iacob. 5. Apocal. 1. Matth. 21. & Ioan. 2.

Lib. 2. Eccles. histor. cap. 17. et lib. 3. c. 23.

Ecclesiæ ab Apostolorū tēporibus fuisse leguntur.

Epistola 3. ad omnes Episcopos, & allegatur distin. 22. ca. Sacrosanct.

Ecclesia Apostolo Petro superstiti, dedicata.

S. Petri Cathedra, quando Antiochiæ cōstituta?

Lib. 10. Recognit. ad Iacobū fratrē Domini in fine libri.

Lib. 2. Eccles. hist. cap. 35.

Lib. 3. contra hæres. c. 1. et 3

Lib. 2. ca. 41.

Cap. 38.

Lib. 1. & 6. Apost. histor.

Quibus

Quibus consonat D. Ignatius, inquiens. Omnes adunati ad templum Dei concurrite. Sic Chrysost. Hieronymus, necnon Ambr. qui non solum Deo templa erigenda docet, sed etiam ornatum eorum comprobant. Nec fabrica magnificè & sumptuosè extructa, protinus legitimo ritu ac ordinaria dispositione est diuinis mancipata; quoniam ante consecrationem, sinaxim ibi seruare rectæ rationi displicet, secundum Athanasium Apologia ad Constantinum Imperatorem, cuius aures mira verborum suauitate demulcens, inducit ipsum ad dedicationem & consecrationem ædificati templi quantotius celebrandam & Chronica Saxonica referunt Christum benigna dignatione ecclesiam in honorem sanctorum martyrum Dionysij, & sociorum eius, consecrasse. Diuus etiam Ambros. Episcopus Mediolanensis, commemorat varijs cæremoniarum ritibus etiam tunc temporis consecratas fuisse ecclesias: Non enim solùm pontificali ministerio est dedicanda, verumetiam diuinis precibus consecranda, sacro chrismate inungenda, necnon lustrali aqua conspergenda, teste Clemente, Ritus autem consecrationis ecclesiæ, hoc modo describitur apud Bernard. & Antoninum, & in pōtificali Romano: Nam pontifex, ter circumit templum diligenter occlusum; tandem tertia vice, baculo pastorali valuas ecclesiæ pulsans, dicit; Attollite portas principes vestras: Totidē quoque vicibus, aquæ lustralis aspersione illud sanctificat. Et aperto ostio ingressus Episcopus alphabetum pauimēto templi Græcis characteribus atque Latinis super cineres ibidem sparsos imprimit, & scriptura ducitur ab angulo dextro ad sinistrum, per transuersum, vt scriptura referat crucis imaginem, ad significandam vnionem duorum populorum in cruce Christi & articulis fidei factam, quæ sunt prima elementa doctrinæ Christianæ, scriptura autem in cineribus, humilitas significatur, vbi fidei sacramenta panduntur, deinde cruces chrismatæ delibutę, parietibus, pictorum industria, induntur; quibus luminaria apponuntur, vt perfectam absoluant Ecclesiæ consecrationem: Missa siquidem non est de consecrationis substantia, harum autem cęremoniarum mysticam rationem, intelligere qui voluerit; præfatum Antonini locum inspiciat oportebit. Hanc dedicationem Ecclesiarum, præuidisse videtur Patriarcha Iacob, quando exclamauit: Quàm terribilis est locus iste, verè non est hic aliud, nisi domus Dei, & porta cæli: ac surgens post mirabilem illam diuinæ dignationis visionem, erexit lapidem in titulum, fundens oleum desuper, qui lapis vtique, oleo delibutus, Ecclesiam designabat, secundum Ambros. August. necnon Gregor. Nec fidelis suum inducat in animum, nos primordiali dedicatione, seu

Epistola 3. ad Magnesianos. Homil. 19. in Act. Apost. & 28. ad populū Antiochenū. Epist. ad Ripanium, & epist. ad Heliodorū. Lib. 2. Offic. cap. 21. Serm. 89. & 90. Lib. 1. ca. 32. Epist. 35. ad sororem. Epistola 2. ad Iacobū fratrē Domini, et citatur de cōsecr. dist. 1. cap. Ecclesias. Concil. Arausic. 1. ca. 10. & Hispalen. 2. ca. 7. Ritus cōsecrationis ecclesiæ. Serm. 1 de dedicat. templi. 3 parte Sūma tit. 12. cap. 6. §. 1. Consecratio Ecclesiarum. Genes. 28. Lapis Iacob, Ecclesiam designat. Lib. 2. cap. 5. de Iacob & vita beata. Tract. 7. in Ioan. & Ser. 79. de temp. Lib. 5. Moral. cap. 22.

Quid celebretur anniuersaria dedicationis sollĕnitate. anniuersario reditu, votiuis laudibus honorare lapides & ligna, quibus construitur Ecclesia, sed quod hęc domus sumptuosè & firmiter ædificata, magnificĕtior efficiatur, quando venenosi serpentis astutia inde depellitur; & gratia Spiritus sancti, per meritum passionis Christi, omnibus adesse dignatur. *Vexillum turri quare expansum?* Vexillum namq; in sublimitate turris expansum, significat victoriam quam habemus in Ecclesia per Christum, qui vtpote caput existens, vniuersa corporis membra, ecclesiastica vnione collecta, à peccato & morte potenter eripuit, atq; gloriosum de hoste maligno reuexit triumphum, quemadmodum Gregor. euidenti exemplo patefacit, *Lib. 3. Dialog. cap. 30.* Nam porcum inuisibilem discurrere sensit populus per Ecclesiam, qui studioso conamine properabat ad ianuas templi, vt ille qui ita attium suum, quod iamdudum possederat securus, sacra templi dedicatione & consecratione relinqueret, vel inuitus. Idcirco enim diuina pietas porcum ibi ostendit, vt cunctis patesceret, quia de loco eodem immundus habitator exiret, & lampadas quas sacrista extinxerat, mirabiliter sunt accensæ, vt videlicet ex ipso lumine claresceret, quia locus ille à tenebris ad lucem venisset. Nec solùm malignus spiritus eijcitur, verumetiam Deo vniuersorum Domino, eiusque cultui dedicatur, & applicatur; quocirca Ecclesiam iam sanctam vocare debemus, teste Bernardo, *Serm. 5. de dedicatione templi.* quia sanctum est templum tuum, quod sanctis Episcoporum manibus in honorem Dei dedicata sit; quodque in ea sacra scripturarum volumina legantur, *Psalm. 64.* tremenda mysteria celebrentur, Sacramenta administrentur, sacra Euangelia prædicentur, ac piæ fidelium preces effundantur, *3. Reg. 8. & 9.* teste Salomone, Domus mea, domus orationis vocabitur: Hanc dedicationis solennitatem, strennuè celebrauit Iosias Rex Hierosolymitanus, quando eliminatis idolorum portentis, atq; sublatis excelsorum delubris, emundauit sancta Dei loca, *4 Reg. 23. 2. Paral. 34. 1. Esd. 6. & 3. Esdr. 6. & 7. 1. Machab. 4. Ioan. 10.* necnon Iudas Machabæus purificauit sacram aram per Antiochum prophanatam, & fecit dedicationem altaris diebus octo, ornauitque faciem templi coronis aureis, & scutulis, firmaque lege sanxiuit, vt ageretur dies dedicationis, suis tĕporibus, ab anno in annum. Et Iuo: *Part. 3. ca. 24* Nec ista dedicationis sollennitas, quam anniuersatio reditu celebrarunt veteris testamenti parres, apud nos euanuit; *Anniuersaria recolitur dedicatio.* quin potius ipse Christus dedicationem templi frequentauit, & sacrosancta Ecclesia, magno cordis iubilo, & incredibili gaudio semper obseruauit: Sic enim habemus apud Eusebium Cæsariensem. *Lib. 9. Eccles. histor. cap. 10.* Ex quo aderat cunctis velut diuino munere lætitia, maximè videntibus ea loca, quę paulò antè impijs tyrannorũ fuerant machinis destructa; rediuiua constructione, clariora & celsiora consurgere, templaq; excelsa pro humilibus con-

bus conuenticulis eleuari: Iuuabat enim Christianorum principum fauor & legislatione religiosa alacres nostrorum animos ep amplius animabant, dum ad Episcopos frequentius scriberent,& honorem sacerdotibus,cum summa veneratione deferrent; Interea festiuitates à nobis frequentissimæ gerebantur cum omni lætitia & exultatione, per vrbes, & loca singula, Ecclesiarum dedicationibus celebratis, Canonibus tamen cautum est,quod nulla Ecclesia sit dedicanda, nisi liberalibus donorum muneribus sit dotata. Et Concil. Braccarense 2. can. 5 Et Toletanum 3.can.15.volunt Episcopum non prius dedicare Ecclesiam quam dotem basilicæ,chartula confirmatam habeat. Nam non leuis culpa est ista temeritas,si sine luminaribus vel absque substantiali sustentatione eorum, qui ibidem seruituri sunt, tanquam domus priuata consecretur Ecclesia. Nec vnquam,eadem permanens,alteram requirit consecrationem; vt habetur de consecratione. In aliquibus tamen casibus debet iterum consecrari: Primò, si ita fuerit combusta, qnod parietes sint dirupti, vel notabiliter in toto,vel maiori parte decrustati, secus si solùm tectũ fuerit combustum. Si autem parietes successiuis temporibus reparentur,eadẽ Ecclesia censetur,& proinde cõsecratio non requiritur;sed aquæ benedictæ aspersione, missæq; sollennitate reconciliatur,teste Iuone episcopo Carnotẽsi. Aliud est, si rota fuerit diruta, etiam si ijsdem lapidibus reparetur,tum enim esset reconsecranda. Alius casus est,quando eius consecratio nullis est manifesta, nec extat aliqua consecrationis euidẽtia; tum siquidẽ est cõsecranda,vt habetur de consecr. cui consonat sentẽtia Iuonis. Nec solùm eget consecratione domus prophana,sed etiã domus sacrata interdũ eget reconciliatione,& hoc potissimum in 4.casibus. Primò,propter homicidiũ seu enormẽ sanguinis effusionẽ ibi cõmissam. Secus est de leui,vt si sanguinẽ nates aut digiti casu emittãr, Si quis læthaliter sauciatus fugiat ad Ecclesiam, ibiq; moriatur, non violatur ecclesia quod causam mortis, sacro in loco nõ percepertit;secus foret, si in Ecclesia vulneratus,extra in fata cõcederet. Secundus casus recõciliationis est propter adulterium & qualemcunq; seminis emissionem voluntate procuratam, siue per te solum,siue cum alijs; Et Iuo: Ex pollutione autẽ quæ fit in somnis non violatur. Tertius casus est,si excõmunicatus ibi sit sepultus. Quartus est casus,si Ecclesia ab Episcopo publicè excõmunicato,cõsecrata fuerit. Si autẽ à verò non sit alienũ Romulũ & Remũ asylum constituisse in vrbe Romana,teste Aug. quo quicunq; confugeret ab omni noxa tutus esset, merito tali prærogatiua Ecclesia Christi fulgere debet,vnde acriter inuehitur Aug.in Bonifaciũ comitẽ,quod homi-

Cap. Cũ sicut, de consecratione Ecclesiæ vel altaris.
Ecclesia quãdo dedicanda?
Dist 1.cap. Ecclesiis.
Consecratio quãdo iterãda?
Vbi supra.
Extra eodem Tit. capitulo Ligneis.
3.part.ca.13. & resumitur de cõsecr. dist. 1.ca. Si motũ, ex 4.cap. Decretorũ Higinij Papæ.
De cõsec. dist. 1. ca. Fabrica.
Dist. 1.ca. Solennitates, & cap. Ecclesiæ.
3 part.ca. 11. ex concil Aurelianẽsi,c.45
Extr. de cõsec. Ecclesiæ,cap. Proposuisti.
Extra de adulterijs,cap Significasti.
Part.3.c.14. & 19.
De consecrat. dist 1. ca. Ecclesiã, & extr. ibidẽ cap. Consuluisti.
Lib. 1. ciuit. Dei cap.34.
Epist.187.

Cap. 21. hominem fontem è feptis ecclefiæ rapuiffet, Et concil. Aure-
Cap. 10. lianenfe 4. necnon Toletanum 2. diftricta lege percellit eos,
Confugiẽtes ad Ecclefiã, quãdo tuti? qui aliquem à factis, vel vi vel dolo abftrahere præfumpfe-
rint: nam funt reducendi, nifi fint publici latrones vel no-
cturni populatores agrorum, vt habetur de immunitate Ec-
Cap. Inter alia. clefiarũ. Et Iuo, & codice. Sic Ludouicus Viues in proœmio
commentariorum librorum D. Auguftini de ciuitate Dei,
3. par. c. 107. commemorat ex baptifta Egnatio Hilaricum regem Gotto-
Tit. de his qui ad Ecclefias ne inde extrahãtur, Leg. Fideli rum expugnata Roma, edictum promulgaffe, vt quicunque
in templa diuorum confugiffent, præcipuè Apoftolorum Pe-
tri & Pauli, His nulla vis inferretur, quod fummo ftudio cõ-
ftat à Barbaris effe feruatum.

Deum & fanctos, veneramur, Altarium erectione facrorum. CAP. LX.

1. Machab. 1. 3. Reg. 19. & 4. Reg. vlt. SACRA Altaria, licet ab Antiocho fuerint prophanata,
& impijffimæ Iefabelis authoritate deftructa, ubi Na-
bufardan fancta fanctorum incendit, quod lamentabili
Ozeæ 3. voce deplangit Ozeæ Prophera, inquiẽs, Sedebant filij Ifraël
fine rege, fine principe, fine facrificio, fine altari, tamen eo-
Altaria diuerfis in locis. rum inftitutum agnouimus ab ipfis mundi principijs fum-
pfiffe exordium, quoniam Patriarcha Noë altare erexit in
Genef. 8. montibus Armeniæ, quanquã Abelis altare præcefferit. Abra-
Gen. 12. & 13 ham in valle illuftri & in Hebron. Item in monte vifionis,
Genef. 22. Ifaac in Berfabeẽ, Ibidem Iacob iuxta Salem, Iofue in mõte
Gen 21. & 26 Hebal, Gedeon autem extruxit aram fub quercu, filij Ifraël
Genef. 33. habuerunt templum & altare in Sylo, Iud. 20. & 21. Samuel
Iofue 8. in Ramata, Saul in Gabaa, Dauid in area Areuna Iebufæi,
Iud 6. Salomon magnificentiffimè ædificauit templum & altaria
1. Reg 8. Hierofolymis, Helias in mõte Carmeli, Iefus filius Iofedech
1 Reg. 14. & 22. in templo reædificato, Iudas Machabæus in templo repur-
2. Reg. 24. gato. Verùm contra hæc tam manifefta altarium teftimonia
3. Reg. 9. oblatrabit canis aliquis, fiue Caluinus, qui non folum altaria
3 Reg. 18. euerrit, fed etiam templa vniuerfa eliminat. Rationem adhi-
2 Efdræ 5. bens nos veterum patrum ritibus non effe obftrictos, quod
2. Macha. 10. quidem admittimus, alioquin altaria de lignis Setim erigere
Lib. 3. Inftit. Chrift. ca. 20. fect. 30. nobis incumberet, ac auro vndique obducere, quod nobis
fæpenumerò impoffibile foret. Attamen fi ipforum religio in
altarium extructione, non fit damnata; fed pluribus modis
Caluini cauillum. commendata, etiam quando nullum præceptum eos incita-
uit; nec nobis infultare deberent moderni aduerfarij, cùm
Exod. 38. ipforum vfus fuerit perpetuus; Apoftolorum fiquidem edo-
3. Reg. 7. cemur epiftolis, & fanctorum patrum inftruimur geftis ab
Nunquam non fuere altaria. initio nafcentis Ecclefiæ femper fuiffe altaria, non quidem
pretiofa

pretiosa, aurea vel argentea, sed lignea, ad modum arcæ concaua, quæ facili opera propter truculentam persequutorum rabiem transferri poterant, de domo in domum, de ecclesia in ecclesiam, de ciuitate in ciuitatem. Postquam autem Constantinus qui monarchiam tenebat imperij à beato Siluestro, baptismi meruit purificari sacramento; tunc primùm lege ab ipso promulgata, concessum est omnibus sub Romano Imperio degentibus, libere ecclesias & altaria ædificare lapidea, firmitate solida, vt habetur de consecratione distinctione prima, cap. Altaria. Quorũ expressam quanquam non habeamus in sacris eloquijs legem, & præceptum; tamen veluti præsupposita, demonstrant ea scripturæ accedenda, Si offers munus tuum ante altare, & ibi recordatus fueris, quod frater tuus habet aliquid aduersus te, relinque munus tuum ante altare, &c. Quicunque iurauerit in altari. & sequitur: Qui ergo iurat in altari, iurat in eo, & in omnibus quæ super illud sunt, Matth. 23. Quibus sententijs non spiritualem aliquam aram respicit, aut imaginariam, sed ad altaria veteris testamenti, super quæ offerebant corporalia dona alludit, atque ad illa nobis accedendum esse præcipit, etiam tempestate nouæ legis, quãdo habemus nouam hostiam, nouumque altare, Cui astipulatur vbique fere in veteri testamento, & in Hebraico euangelio quod hodie circumfertur, Matthæi 5. & 23. dictio misbach, quod est vocabulum hebraicum, hoc est, deriuatiuum, significans altare, à verbo sabach, quod est immolauit, & 1. ad Corint. 9. dicitur, Qui altario deseruiunt, cum altario participant, Et sequenti capite dicitur eos qui participatione mensæ dæmoniorum polluti sunt, non posse mensæ Domini participes fieri, per mensam, altare vtrobique intelligit concilium Triden. Cui in consecratione reliquiæ supponuntur, vti docet Hieronymus, referens altare fuisse constructum super corpora Apostolorum Petri & Pauli, in quibus autem non reconduntur, consecrata non creduntur, secundum concilium Apostolorum, & conc. Aurelianense 5. can. 14. Præter hanc autem reliquiarum dispositionem (quæ originem sumpsisse videtur ex Apocalypsi sexto, vbi subtus altare præstolari leguntur animæ interfectorum, teste August. Necnon Bernardo) etiam exorcismum requirunt, vt omnes insidiæ latentis inimici procul inde pellantur, necnon chrismatis vnctionem, & sacerdotalem benedictionem efflagitant, vt iam diuinis prorsus mãcipentur, secundum concilium Agatense, Epaunense, Ambrosium, item August. Consecrãtur, inquam, altaria, teste D. Thoma, nõ quasi sint gratiæ capacia; sed quia ex consecratione nanciscuntur spiritualem quandam virtutem, qua apta diuino cultui redduntur, vt nimirùm homines deuotio-

Constantini pietas laudãda

Matth. 5.

Nouum testamentum altarium vsum comprobat.

Exo. 29. & 40
Leuit. 1. & 5.
Ses. 22. ca. 1.
Epist. aduersus Vigilant.
Reliquiæ altaribus imponũtur.
Can 3. & 4.
Serm. 11. de sanctis, et 59. de temp.
Ser. 4. de omnibus sanctis.
Cano. 14.
Cano. 26.
Lib. 1. de virginibus, & 2. ad sororem.
Serm. 215. & 255. de temp.
part. 3. q. 8. art. 3. ad solutionem tertij.
Effectus consecrationis altarium.

deuotionem quandam inde percipiant, quatenus promptiores sint diuinis persequendis, nisi ptoptet irreuerentiam ipsorum impediatur: Nã virtus quædam legitur fuisse in templo, qnod ille qui in cælis haberet habitationem, visitaret & adiuuaret locum illum. Comprobat & Thomas illam sententiam, qua passim dicimus homines pietatis amore templa ingredientes, adipisci venialium peccatorum remissionem, sicut per aquæ benedictæ aspersionem. Meritò igitur templa & altaria sunt honoranda, cùm antiquitus soliti sint fideles aris adgeniculari, quemadmodum docet Tertul. libro de pœnitentia, quin & oscula illis infigebant, teste Ambrosio. Certatim, inquit, milites Valentiniani irruentes in altaria osculis, significabant illis impressis, pacis insigne. Omnibus tamen debet esse persuasissimum, nos non gloriosæ virgini, Apostolis aut martyribus altaria erigere, aut sacrificia offerre, quod non ipsi, sed Deus eorum Deus noster sit. Nec quisquam aliquando dicere præsumpsit, offero tibi Petre, vel sacrifico tibi Paule, secundum August. Cultum namque latriæ soli Deo exhibere tenemur. Sicut Salomon templum soli Deo ædificauit. Nihil tamen prohibet diuersa templa, vel etiãm diuersa altaria, diuersis titulis sanctorum esse insignita; diuersisque sanctorum nominibus appellata; quia licet omnia vnius Dei honori deferantur, tamen diuersis nominibus, ab inuicem, propter confusionem vitandam, discriminantur, teste Augustino, & Ioanne Damasceno. Sãctorum corpora, & ptęcipuè beatorum martyrum reliquias, ac si Christi membra sincerissimè honoranda, & basilicas eorum nominibus appellatas, velut sancta loca diuino cultui mancipata, affectu pijssimo & deuotione fidelissima adeundas credimus; si quis contra hanc sententiam venerit, non Christianus, sed Eunomianus, & Vigilantianus habeatur. Sortiuntur præterea sanctorum nomina, licet Deo proprie sint dedicata, quòd eorum reliquiæ ibi reconditæ seruentur, teste Ambrosio, quod singulati aliquo affectu, patronorum vice, in talibus locis habeantur, sicut Leo Papa sermone 5. Epiphaniæ & serm. 1. in natali Apostolorum commemorat Petrum & Paulum Romanæ Ecclesiæ esse patronos, Et Bonifacius comes, teste Augustino Stephanum prothomartyrem patronum sibi delegit, quemadmodum Theodosius Imperator patronum habuit Ioannem Baptistam, teste Nicephoro. Cui basilicam Constantinopoli construxit, quam ingressus precationem simul ad Deum fecit. Et D. Ioannem Baptistam ad ferendum sibi auxilium inuocauit, quò optatum sibi, & Romano exercitui, pugna haberet exitum.

2. Macha. 3.

Ingressu tẽpli venialia dimittuntur peccata.

Epist. 32. ad Marcellinam sororem.

Reuerentia altaribus debita.

Quibus dedicantur ecclesiæ vel altaria.

Lib. 8. ca. 27.
Lib. 22. c. 10 decimit. Dei.
Lib. 20. cõtra Faust. ca. 21. & Epist 49. ad Deogratias quæst. 3.
3 Reg 8.

Sanctorũ nomina templis quare indantur diuersa?

Lib. de Ecclesiast. dogmat. cap. 73.
Lib. 4 orthod. fidei cap. 16.
Lib. ad virgines, & lib. 1. de Abraham cap. 9. & 3.
Epist. 189.
Lib. 12. c. 39.

Lauda-

Laudabilis est cultus Deo, & sanctis in reliquijs exhibitus. CAPVT LXI.

1 ANIMÆ triumphatorum martyrū aliorumq́ue sanctorum in cælesti nūc patria, Angelorum choris credūtur insertæ, quo veritatem habere queat trita apud Augustinum sententia. Iniuria est, pro martyre orare, Pretiosa siquidem est in conspectu Domini, mors sanctorum eius. Quorum tamen corpora non singula quidem singulis conduntur monumentis, sed ciuitates oppida, paganiq; Conuentus, secundū Theodore. Hæc inter se sorte partiti sunt, laborantibusq́; animis, ac ægrotis corporibus, salutaria ea cōferri non cessant. Nihiloque seciùs eos vrbium custodes, ac locorum præsides venerantur; quorum precibus & interuentu apud Deum vtentes, per eos demum diuina munera consequuntur. Sectis itaque eorum corporibus, integra tamen vis & gratia perseuerat; renuesq; ac tantillæ reliquiæ, toti parem habent virtutem; gratia enim qua pollens vigensq́ue persistit petentibus dona fidei supplicantium commensa distribuit. Ex quibus Theodor. verbis clare discere licet, reliquias antiquitus semper in honore habitas, multaque ijs concessa nobis beneficia. Reliquias in præsentia appellare visum est corpora integra sanctorum, membra præcisa, carnes, ossa, ac cineres, in quos redacta sunt ipsorum corpora, vestes, lecti, baculi, sedes, domus, & id genus aliorum. Crux etiam Christi, quæ sacratissima eius meruit portare membra, claui, lancea, flagellum, præsepe, & mons Caluariæ, ad reliquias pertinent, Non autem crux aurea, vel lapidea ad repræsentationem facta. Conseruantur autem potissimum, vt illis laudetur Deus, qui magna operati nō grauatur etiam in minimis. Secundò ad perpetuam sanctorum memoriam ac reuerentiam, qua mortuos prosequimur, quorum sanctitudinem in vita admirabilem non ignorabamus, quorumq́ue corpora erant sancti Spiritus habitacula, ac idonea, singularis pietatis in Deum, organa & instrumenta. Tertiò ad nostram consolationem, auxilium, & eruditionem, sanctorum reliquias reuerenter asseruamus reconditas, teste Ambros. Cunctimat tyres percolendi sunt, inquit, sed specialiter venerandi; quorum reliquias possidemus, illi enim nos orationibus adiuuant, & in corpore nos viuentes custodiunt; & de corpore recedentes excipiūt. Nam hoc à maioribus visum est, vt sanctorum ossibus nostra corpora sociemus, vt dum illos tartarus metuit, nos pœna non tangat: Quod si dicas mihi, inquit, quid honoras in carne resoluta atque consumpta, de qua iam Deo nulla cura est? & vbi est illud charissimi, quod ipsa veri-

Tract. 84. in Ioannem, & Serm. 17. de verbis Apost.

Iniuria est pro martyre orare.

Psalm. 115.

Lib. 8. Græcarum affectionū de martyribus.

Qualis in reliquijs virtus.

Reliquiæ quæ censendæ.

Triplici ratione reliquias honoramus.

Serm. 77.

Serm. 92.

tas lo-

Psalm.115. tas loquitur per Prophetam, Preciosa in conspectu Domini, Psalm.138. mors sanctorum eius? Iterum, Valde mihi honorificādi sunt amici tui Deus. Honorare debemus seruos Dei, quanto ma- Psalm.33. gis Dei amicos? de quibus dicitur, Dominus custodit omnia ossa eorum vnum ex his non conteretur, honoro ergo in carne martyris, exceptas pro Christi nomine cicatrices, honoro propter confessionem Domini, sacratos cineres; honoro in cineribus semina æternitatis, honoro corpus, quod mihi Dominum ostendit diligere, quod me propter Dominum mortem docuit non timere. Cur autem nō honorent fideles corpus, illud quod reuerentur & dæmones? quod afflixerunt supplicio, sed honorificant in sepulchro, propter varia quibus coruscant miracula: hæc ille. Et iterum loquens, de reliquijs san- Epist.85. cti Geruasij & Prothasij, sic ait, Vidistis ipsi multos à dæmonibus liberatos, plurimos etiam vbi vestes sanctorum manibus contigerant, ijs quibus laborabant debilitatibus absolutos. Quanta indumenta supra reliquias sacratissimas ponuntur, & tactu ipso medicabilia reposcuntur? nam sudarium, teste Augustino, quod sacra Geruasij & Prothasij pignora at- Lib.9. Confes.cap.7. tigerat, curandi virtutem oculorum cæcitatem acceperat. Et panni sacri, supra quos sacra mysteria celebrauerat D. Gregorius, fecêre miracula: nam cum nobiles destinati essent, à quodam principe, vt aliquas reliquias muneribus impetrarent, beatus Gregorius dedit eis panni particulas, pixidi sigil- *Mirabile exemplum.* lo inclusas, cùm autem sigillum fregissent redeūtes, nec aliud nisi factum altaris pannum conspexissent, se delusos existimantes, ad beatum Gregorium redierunt, qui petito ab eis cultro, pannum sacrum scidit, & sanguinis vnda ex illo profluxit; tum temeritatis culpam agnoscentes, ad proprios pro- Lib.7.ca.12. perarunt dominos, vt mirabilia Dei enarrarent, vti habetur Lib.11.c.17. in vita beati Gregorij. Sic hostiles nequitiæ conatæ sunt de- Lib.14.c.3. moliri templum & reliquias Sancti Martini Vulcano conse- *Theodosii erga reliquias religio.* crare, teste Gregor. Turonen. sed cælitus præseruatæ sunt à Deo, vt nec herbæ, quarum respersione ara redolebat, incendij impetum sentire valuerint. Non immerito ergo Tripar- *Cathedra Iacobi.* tita historia & Niceph. commemorant, pijssimum Theodosium (Cuius regalia monasterij specimen præ se ferebant) Lib.7.ca.15. indumentum sordidum & detritum Episcopi Hebronensis Eccles. hist. defuncti induisse, credens se aliquid ex defuncti sanctitate Et Nicephor. posse promereri, haud dissimili causa, ingenti studio & vene- lib.6.cap.16. ratione, seruatur cathedra Iacobi Hierosolymitani Episcopi, Lib.6.Epistolarū 23. et 25 veluti à maioribus tradita sanctitatis membra, secundum Eusebium Cæsariensem. Et clauis D. Petri Apostoli conser- Serm.29. de sanctis. uabatur, quod varia miraculorum signa operaretur, teste B. Greg. Diuus Augustinus quoq; magni facit vincula D. Petri:

Meritò, inquit, per omnes Christi ecclesias auro pretiosius habetur ferrum illud pœnalium vinculorum, etsi tam medicabilis obumbratio visitantis, quanto magis cathena vincientis, &c. Habuit etiam sanctus Paulus primus Eremita, tunicam, quam in sportarum modum de palmæ folijs ipse sibi contexuerat, de qua sic scribit D. Hieronymus in vitam eiusdem. Quicunque hæc legis, memento Hieronymi peccatoris, cui si dominus optionem daret, multò magis eligeret tunicam Pauli cum meritis suis, quam Regum purpuram cum pœnis suis, & D. Pater Ambrosius præfert clauos, quibus crucifixus fuit sanctus Agricola, immensis pecuniarum thesauris. Mirabile est quoque quod refert Eusebius Cæsariensis, Tripart. hist. & Niceph. Cùm enim mulier quæ sanguinis fluxum passa erat beneficij impensi memor existeret, ante fores domus suæ columnam editiori in loco collocauit, in qua mulieris velut genibus prouolutæ, palmasque suppliciter tendentis, imaginem æream constituit; cui nihilominus aliam ære fusam statuam, habitu viri stola circundati, & dexteram mulieri porrigẽtis apposuit; huius ad pedes statuæ, è basi herba quædam mira specie nascebatur; quæ cùm exorta fuisset; excrescere vsque ad stolæ illius ærei indumenti fimbriam solet, quam cum summo vertice crescens herba contigerat; vires ad depellandos vniuersos morbos, languoresque acquirebat, nihil omninò virium gerens, si antequam æreæ fimbriæ summitatem crescendo contigisset; decerpta fuisset: Hæc statua permansit vsque ad nostra, inquit tempora, sicut ipsi oculis nostris conspeximus. Legitur quoque de Theodosio Imperatore, quòd circuibat omnia orationũ loca, & quod ante martyrum & Apostolorum techas iacebat cilicio prostratus, vt auxilium fide intercessionis in periculis bellicis, à sanctis efflagitaret; eodem teste. Et Augustinus dicit eminentissimum imperij nobilissimi culmen, ad sepulchrum piscatoris Petri, submisso diademate supplicasse, sicuti & plebæi sepulchrum Stephani prothomartyris visitantes, rediere votis potiti gaudentes, secundum eundem. Sic Constantia Augusta, excubias circa Mausoleum Agnetis virginis seruãs, vulneribus curatis, quibus atrociter sauciata iacebat; perfectę incolumitati est restitutа, secundum Ambrosium. Et quia tam efficaciter suffragantur infirmantibus, Dominus pientissima sua ordinatione disposuit, vt mirabili aliquando operatione, sanctorum sepulchra nobis constarent, teste Niceph. vbi indicantur prophetarum sepulchra Abacuç, & Micheæ, Zachariæ monumentum nobis reuelatur. Item Gamaliel cuidam apparens, Stephani demonstrauit pignus, vt ad hæc similia loca populi confluentes, optatum consequerentur effe-

Testimoniũ D. Hiero. de Pauli Heremitæ tunica.

Lib. ad virgines.

Lib. 7. Eccles. hist. cap. 14.

Lib. 6. cap. 4.

Lib. 6. ca. 15.

Mulieris, quæ fluxum sanguinis patiebatur, proferturi exemplum. Matth. 9.

Theodosii erga reliquias pietas.

Lib. 11. c. 33.

Epist. 42. ad Melau. enses.

Lib. 22. de ciuit. Dei. ca. 8. Et lib. 1. Retracta. ca. 13.

Serm. 90.

Lib. 12 c. 28.

Lib. 12. c. 28. Et lib. 14. c. 8

Cap. 10. eiusdem libri.

ctum, nam assumunt reliquiæ quandam sanctificationis societatē ex gratia corpori insidenti, teste Concilio Nicæno 2. art. 3. & Basilio. Meritò ergo martyrum sepulchra veneramur, teste Hieronymo, oculis apponentes, & etiam si liceat, ore contingimus; quod etiamnum hodie vsitatissimum videmus. Nullus quidem inficiari potest, varios fuisse in reliquiarum cultu abusus, cùm & August. conquestus sit, de sui temporis erroribus, quòd malis artibus & imposturis, simplicium pecuniam emungerent, turpesque nundinationes, reliquias martyrum circunferendo, exercerent. Nec minus detestanda præsumptio est abroganda, qua Episcopi in solennitatibus ad Ecclesiam progressuri, teste Concilio Braccaren. 3. & Constantiēsi, reliquias collo suo imponāt, vt maioris fastus, apud homines, gloria intumescant, & quasi ipsi sint reliquiarum arca; Leuitæ albis induti redarum vehiculis, eos in Ecclesiam deportant, hinc Concil. Lateranense, sub Innocentio 3. celebratū: Præsenti decreto statuimus, vt antiquæ reliquiæ amodo extra capsam non ostendantur, cuius maxima fuit apud Athenienses obseruantia, teste Plutarcho de Demetrio, qui omnia mysteria, & abditissima quæque eorum sacra intueri concupiscebat, hoc autem, inquit Plutarchus, ea tempestate nefas ac scelestum erat, & ante illud tempus, inauditum. Imò nonnulli pro martyrum reliquijs quorumlibet mortuorum ossa vendicant, magnam ignominiam sacris inferentes, contra quos idem Concilium militat inquiens: Inuētas de nouo reliquias, nullo modo publicè esse venerandas, nisi priùs authoritate Romani Pontificis fuerint approbatæ: Cui consonat Concilium Tridentinū: Statuit, inquit, Synodus, nemini licere vllo in loco, vel Ecclesia, vllam insolitā ponere, vel ponendam curare imaginē, nisi ab Episcopo approbata fuerit, nulla etiam admittenda esse noua miracula, nec nouas reliquias recipiendas, nisi eodem recognoscente, & approbante Episcopo. Quæ non passim obscuris in locis sunt recondendæ, sed sacris altaribus includendæ, vel alio decenti loco reponendæ, teste Ambros. Quo manifestum fit, quod non sine de ciuitate in ciuitatem transferendæ, vt quęstuarij facere assolent, secundū Concilium Tridentiū, qui quæstū existimantes pietatem vnciatim quasi reliquias & indulgentias diuendere ausi sunt, vt magnam pecuniarum summam sibi cotraderēt.

Super Psalm. 115. in verba illa, Pretiosa in conspectu Domini, &c.
Epist. ad Marcellam & sanctam Famillā.
Lib. de opere monachorum, cap. 28.
Abusus reliquiarum.
Cap. 5.
Sess. 1.
Can. 62.
Sess. 25. de inuocatione sanctorum. §. 3.
Circūferre reliquias quæstus gratia illicitum.
Lib ad virgines, & Cocil. Epaunē. ca. 25
Sess. 5. cap. 2. de reformatione, et sess. 21. can. 9.

Imaginum cultus omnibus nobis debet esse quàm commendatissimus. CAP. LXII.

MAGNA plerunque prodigiorum beneficia ibi celebrantur, vbi sanctorum reliquiæ asseruantur, aut eorum

rum imagines honorantur, de quibus modò differendum oc-
currit, propter Caluinum, & portentosam illam colluuiei *Lib. 1. Instit.*
Antuerpiensis confessionem, nuper à Matthia Illyrico in lu- *Christ. cap. 11*
cem emissam, super primum præceptum, & reliquos hæreti- *sect. 2. & 3.*
cos, qui omnia simulachra ac imagines, impiam superstitio-
nem, & intolerabilem abominationem censent; Cùm imagi-
num vsum doceant plures scripturarum passus: licet enim di-
ctum sit, Non facies tibi sculptile; tamen 25. capite eiusdem *Exod. 20.*
libri præcepit Deus fieri duos Cherûbim aureos super arcæ
propitiatorium, & fundi iussit serpentem æneum ipse Moy- *Num. 21. & Ioan. 3.*
ses, in quem Israëlitæ obtutus dirigentes, ab omni plaga sibi
inflicta curabantur. Si tum populo ad idolatriam tam prono *Serpens æneus*
Moyses debuit, iussu diuino, efformare serpẽtem; longè for- *Christũ signi-*
tius licet Christianis tempore noui testamẽti erigere & scul- *ficabat.*
pere Christi crucem: Siquidem passionem eius, qua omnes à
morte perpetua redempti sumus, serpens ille æneus præfigu-
rabat, teste Amb. Et Aug. Cherubim quoque duos fabrefa- *Serm. 55.*
ctos cognoscimus in templo Salomonis, nec obscuro in loco *Serm. 101. de*
collocatos, aut quantitate exiguos seu qualitate abiectos, sed *temp.*
intra sanctum sanctorum super oraculũ & propitiatorium, *3. Reg. 6.*
ac decem cubitorum altitudine puro auro rutilantes. Fieri
quoque præcepit Cherûbim in parietibus templi per circui-
tum, & in ostiolis, ipsos sculpere non neglexit. Duodecim *3. Reg. 7.*
quoque boues, laudabiliter finxit Salomon. Nihil igitur ve-
tat, si veritatem, hoc est, 12. Apostolos fingamus, quando vm-
bram tam accuratè fabrefactam videmus, potissimùm cùm
vsus iste imaginum, tempestate Christi, laudabili ritu offen-
datur obseruatus: nam Abagarus rex, irremediabili corporis *Lib. 1. Ecclesi.*
morbo, quantũ inter homines detentus, teste Euseb. & Hier. *hist. cap. 15.*
cùm de nomine Iesu resciuisset, supplex ei per epistolam fa- *In 10. cap.*
ctus, exorauit diutini morbi vinculis absolui, sed cura cor- *Matth.*
poris differrur, nihilominus dignus efficitur, rescripta episto- *Lib. 4 orthod.*
la saluatoris: Postquã autẽ obtinere nequiuit Christi aduen- *fidei cap. 17.*
tum, nimio præsentiæ eius tactus desiderio, pictorẽ eximiũ *Et Niceph. lib.*
destinauit, eique vt accuratè faciem Christi efformaret atque *2. ca. 7. necnõ*
imaginem depictam, pro desiderij sui solatio adferret; impe- *lib. 17. ca. 16.*
rauit. Cumque pictor artis suæ specimẽ exhibere vellet, cœ- *Imago Abagari regis.*
ptum opus nõ successit; diuinus quippe splendor reuerbera-
bat pingentis aciẽ: qua re cognita Christus Iesus saluator no- *Lib. 15. c. 14.*
ster, peplum nitidum faciei impressum, tanquam imaginem *Imago gloriosæ*
miraculosè depictã regi trãsmisit, qui post Ascẽsionẽ Christi *virginis.*
per Thaddæũ Apostolũ ad Edessenorũ ciuitatẽ emissum, sui *Ser. de imagine*
desiderij consequutus est effectum. Niceph. etiã cõmemorat *crucifixi, et al-*
Lucam Euangelistã proprijs manibus gloriosæ virginis ima- *legatur Act. 4.*
ginem depinxisse, sicut Athanasius Episcopus Alexandrinus *Cõcil. Nice. 2.*

Crux Christi quãdo depicta? manifestat crucis imaginem coloribus fuisse delineatam ab ipso Christi discipulo Nicodemo. August. etiam & Adrianus Papa approbant venerandam illam picturam, in qua agnus digito præcursoris demonstratur, quoniam in typum gratiæ assumptus verum nobis agnum Christum indicat, quo velut manu ducimur (inquit Synodus sexta Constantinopolitana) ad memoriam illius conuersationis in carne, & passionis, eiusque mortis salutaris, quæ pro hoc mundo facta est. In prima quoque Epist. Adriani Papæ. Necnon apud Nicephorum Apostoli Petrus & Paulus referuntur apparuisse Constantino in eadem specie, quam habebat Siluester Papa in charta ad viuum depictam. Quibus liquidò constat, imagines non solùm in veteri Testamento fuisse licitas, sed etiam tempore Christi & Apostolorum eius, compluribus testibus veridicis, compertissimum est, ritum fuisse vsitatissimum. Si enim prophanas rerum nouitates, pagani comminisci suis coloribus consueuerunt, sicut manifestum est Xeusim pictorem fecisse, volentem omni formositate speciosam Helenam depingere, ac in templo Iunonis ponere, teste Cicerone, qui præsentari sibi fecit quinque virgines, omni decore & pulchritudine venustas, ex quibus pulchriora quæque assumendo, in vnam Helenæ imaginem transformauit. Et Protogenes septem annos in pingenda imagine Ialysi, hoc est, liberi patris consumpsit, teste Plutarcho de Demetrio. Agrippa rex etiam odium subditorum incurrit, quòd extraneam ciuitatem, nempe Cæsaream Philippi, Neronianam appellandam, largissimis donis locupletârat, ac statuarum pulchritudine, necnon antiquorum imaginibus exornârat, teste Iosepho, Gorgias quoq; Leontius, in templo Delphici Apollinis statuam solido ex auro posuit, cum cæteri ad id tempus auratas collocassent, secundum Valerium Maximum. Quod si, inquam, laudi ducant sibi pagani ista deorum portẽta, tam honestum in templis sortiri locum depicta; multò laudabilius constat, sacras imagines in ecclesijs collocari: nec solùm in sacris locis, verumetiam in officinis, conclauibus, & cubilibus, quod obseruatum commemorat ab Ethnicis. D. Augustinus ex Zorano medicinæ doctore expertissimo, qui scribit Dionysium tyrannum deformi facie squalidum, optasse ex coniuge sobolem quidem numerosam, sed egregia formositate speciosam, quocirca in concubitu formosam proponere solebat picturam. Cuius pulchritudinem cõcupiscendo vxor quodammodo raperet, & in prolem quam concipiebat, afficiendo transmitteret. Sic ex aduerso lecti imaginem crucifixi Christicolæ constituere consueuerunt, teste Athanasio, vt memoria passionis Christi visceribus cordium ipsorum medullitus

Lib. 2. de Trinit. cap. 6.
Epist. 2. quæ habetur Act. 2. præfati Cõcilij, et citatur de consecr. dist. 3. cap Sextã.
Agnus Dei licitè depingitur
Can. 82. qui reperitur adiectus Actione 18. eiusdẽ generalis Cõcilij in epitome cõciliorum.
Actione 2. Conc. lij Niceni 2. cõstituta.
Lib. 7. ca. 33.
Siluester imagines Apostolorum habuit.
Lib. 2. Rhetor.
Quanta industria Ethnici imagines depinxerunt?
Lib. 20. c. 16
Lib. 8. ca. 16.
In priuatis ædibus imagines collocãdas.
Lib 5. contra Iulianũ ca. 9.
Imago crucifixi ex aduerso lectuli.
Tom. 4. ser. de imagine cruci-

dullitus imprimeretur, & crucifixi Domini plagas oculis mentis & corporis iugiter contemplantes, vix externis à lachrymosis gemitibus se continere valerent. Triplicem siquidem vtilitatem adferunt imagines: Nam primò instruunt intellectum, secūdo refricant memoriam rerum salutarium, tertiò inflammant ad pietatem affectum. Pro primo articulo plurimùm facit, quod legimus act. 4. præfati concilij in vltima Epistola quæ est Germani episcopi Constantinopolitani ad Ioannem episcopum, Salutamus, inquit, sanctas Dominicas, Apostolicas & Propheticas, item sanctorum, præcipuè tamen dominæ nostræ Deiparæ imagines, quæ veluti exemplaria nobis, & instructiones bonorum operum, imitationis, & fidei, erga Christum existunt. Et Gregorius: Idcirco pictura in ecclesijs adhibetur, vt hi qui literas nesciunt, saltem in parietibus videndo legant, quæ legere in codicibus non valēt. Item Ioannes Damascenus, quia nón omnes literas nôtunt, neque lectioni incumbunt; patres nostri consenserunt, velut quædam trophæa, hæc quæ à Christo gesta sunt, repræsentare. Quod attinet ad memoriam refricandam, hoc idem Damascenus immediatè subnectit: Repræsentare, ait, in imaginibus ad promptam memoriam, siquidem ob negligentiam, frequenter cogitatione non tenentes passiones Christi, imaginem transfixionis Christi videntes, in Saluatoris passionis memoriam redimus, & procidentes adoramus, non materiam, sed imagine repræsentatum; Et beatus Nilus ad Olympiodorum proconsulē, sic scripsit: Noui & Veteris testamenti historijs, hinc inde parietes templi repleri, doctissimi pictoris opera velim, quò scilicet, hi, qui literas non nôtunt, neque sacram scripturam legere queunt, contemplatione picturæ in memoriam reducant, quàm constanter Deo per fortia facta seruierint; itaque respicientes, in certamen excitantur gloriosorum & laudatorum facinorum, per quæ cum cælo terram commutârunt. In communi verò domo, in qua multa fuerint habitacula, sufficiat singulis veneranda crucis imago. Et Gregorius: Scio, inquit, quòd imaginem Saluatoris nostri non ideò petis, vt quasi Deum colas, sed ob recordátionem filij Dei, in eius amore recalescas, cuius te imaginem videre consideras, & dum nobis pictura tanquam scriptura, ad memoriam filium Dei reducit; animum nostrum aut de resurrectione lætificat, aut de passione demulcet. Ideoque direximus tibi imaginem Saluatoris & Dei genitricis Mariæ, beatorumque Apostolorum Petri & Pauli & vnam crucem. Hæc ille. Istud clarissimè docet sententia Leontij episcopi Neapoleos Cypri, Christū, inquit, Christique passiones, passim in ecclesijs, in domibus, in foro, in picturis, in sindonibus, in

fixi, & allegatur concilio 2. Nicæno act. 4.

Aspectus imaginum quales habeat effectus?

Lib. 7. epist. 109. quæ est ad Serenū episcopū Massiliensem.

Imagines sunt rudibus vice literarum.

Lib. 4. orthod. fidei cap. 17.

Vt habetur præfato Cōcil.

Libro 7. epist. 53. ad Secundinum.

Lib. 5. Apologiæ contra Iudæos, quæ citatur Actio. 4. Cōcil. Nicæ. 2.

in promptuarijs, in vestibus, omnibus denique in locis hanc figuram ponimus, quò continuò contemplantibus nobis, hæc in mentem veniat, & non obliuiscamur Domini Dei nostri, quemadmodum tu Iudææ oblitus es Domini Dei tui. Sicut autem tu adoras librum, non naturam membranarum aut atramenti adorans, sed verba Dei quæ in illo continentur; sic & ego imaginem Christi adorás, non lignorum aut colorum naturam adoro, absit, sed inanimatum characterem Christi; hunc enim cùm habeam, per ipsum, Christum me tenere & adorare mihi videor. Quemadmodum etiam Iacob, accipiēs vestem filij sui Ioseph sanguine tinctā, cum lachrymis eam osculatus est, suisque oculis circumposuit; non ipsam vestem diligendo aut honorando hoc fecit, sed per eam arbitratus est se Ioseph osculari, & in manibus habere. Sic & Christiani omnes imaginem Christi, aut Apostoli, aut martyris tenentes, nostrosque libros osculātes, animo videmur nobis ipsum Christum aut martyrē amplecti. Agedum qui arbitraris nullum manufactum, aut planè effigiatum adorandum esse, nunquid sæpè vxoris aut filiorum mortuorum vestem, aut ornamentum in vestiario videns, illud osculatus es, & lachrymis rigasti? neque tamen in hoc damnatus es: Non enim vt Deum vestes adorasti, sed ipsum amorem erga eum qui amiciebatur, tum per oscula declarasti. Quandoquidem ipsos nostros liberos & patres, qui miseri sunt peccatores, subinde osculamur, neq; ob id damnabiles sumus, non illos tanquam deos amplectimur, sed amorē nostrum erga eos naturalem, per eiusmodi osculum declaramus. Tertiò propter affectus tarditatem, introductæ sunt imagines, vt videlicet homines qui non excitātur ad pietatem, saltem intuitu rerum in imagine præsentium, quæ iam olim gestæ sunt, compungantur, & in picturis transacta mysteria tanquam præsentia oculis mentis & corporis cernentes, inflammentur: plus enim excitatur noster affectus, per ea quæ videt quis, quàm per ea quæ audit: Siquidem Greg. Nissen. vt in prælibata quarta actione habetur, sic de se legitur loquutus: Vidi sæpius inscriptiones imaginum, & sine lachrymis pertrāsire nequiui, cùm tam efficaciter pictura obturibus meis proponeret historiam Abrahæ & Isaac: Procumbit enim, inquit, ante aram Isaac genibus innixus, circunductas manus in tergo ferens, ille verò à tergo pueri innixus pedū curuamini, sinistra manu comam apprehēdit pueri, dextrām autem gladio obarmatam gestat, quam etiam ad cædem dirigit, iamq; gladij acies ipsum propemodum attingit, cùm illum diuina vox à facto deterret. His Gregorij verbis, quidam Basilius Aurisanus episcopus, in hoc eodem Concilio subnectit: Beatus pater Gregorius histo-

Christi passio vbiq; pingēda

Genes. 37.

Quid in imagine honoretur?

historiam subinde legit, sed postquam picturam vidit, amarè fleuit. Idem confirmatur ibidem verbis Greg. Nazian. referentis mulierculam quandam impudicam à delicto turpitudinis, & ab affectu patrandæ fornicationis fuisse coërcitam aspectu imaginis. Scortum, inquit, intemperans aliquis iuuenis ad se vocauerat, illa verò vbi propè limen peruenisset, de quo in imagine Polemum prospiciebat, inspecta illa, spectaculo victa, mox recessit vt viuum reuerita pictum, Leontius quoq; Episcopus Neapoleos Cypriæ commemorat ibidem, quotidie per orbem terrarum homines planè impios idololatras, homicidas, latrones & scortatores, cõfestim per Christũ & crucis eius imaginem compunctos, ad agnitionem veritatis venire, mundoq; renuntiantes, omnem virtutem colere. Ad capiẽdum ex auaritia congregandarumq; opum studio, affectum, & terrenorum, contemptum, Matthæus ex thelonario Apostolus depingitur effectus, Et Zachæus ascendens arborem sicomorum Christum videre cupiẽs, dimidium bonorum pauperibus distribuens, & quadruplum restituẽs, misericordiam commẽdat, necnon iustitiam inculcat, Casti Ioseph imago execratur adulterium, rapitque affectum meretricio amore detentum, Nec minus cælibem agentes vitam corroborat Susannę effigies expansis brachijs auxilium diuinum implorantis. Hinc secundum Thomam, imago dicitur quasi imitago, vt imitari non pigeat, quod aspicere delectat. Verùm Ioannes Caluinus, obganniuit, imagines non esse signa imitanda, sed perditissimi luxus & obscœnitatis exemplaria. Equidem dolore debito, fatemur interdum modestiùs & pudicitiùs cultas meretrices, lupanaria ostendere; quàm templa eas quas volumus censeri virginum imagines. Cautissimè tamen est aduertendum, ne pro abusu, vsus tollatur: non enim valet argumentum à rei abusu, ad malitiam ipsius rei. Vnde si quis ita in detestationem vini argumentetur, inebriari, lasciuire, luxuriari, mala sunt; igitur vinũ malum est, quia illa omnia vinolentos comitantur, vitiosa certè est collectio: non enim à vini vsu, sed abusu procedit argumẽtum. Huiusmodi tamen, mirum, quanta impudentia plerique nostrę tempestatis homines, res per se bonas & saluberrimas institutiones, ex sola abusuum consideratione infament, execrẽtur, & pedibus conculcẽt. Hinc sanctissimũ Christi sacerdotiũ contẽnunt, quod nõnulli videãtur illo ad voluptatẽ & quæstũ abuti, sacras quoq; diuinorũ officiorum cæremonias, imaginũ cultũ, aliaq; huiusmodi eliminãt, quasi quicquã sit tã bonũ in rebus humanis, quo nõ possit abuti humana malitia. Quid verbo Dei sanctius & augustius? & hoc quàm multi pessimè abutũtur? quid Dei lõganimitate melius? & illa, vt ait

Effectus imaginis inspecta.

In scripto 1. dist. 8. quæst. 2. art. 1.
Imago est quasi imitago.
Lib. 1. ca. 11. Instit. Christ. sect. 7. & 12.
Immoderatius exibilatur imaginũ ornatus.

Paulus ad Romanos primo) peccatores ingrati impudenter abutuntur ad cumulũ damnationis, thesaurizantes sibi iram in die iudicij? quid scripturis sacris magis vtile: & illis diabolus, Matth. 4. ad tentandum Christũ abusus est: atque etiamnum multi illius imitatores, vt Petrus habet, eas deprauant, ad suam aliorumque perditionem. Facessant igitur Sophistæ isti, cum suo illo splendido loco ab abusibus, desinantque miseri, iudicio atque adeò sensu ipso communi carentes, res per se optimas, sine causa, atra notare infamia, magisque ex vsu bono, vt debent, singula discant commendare. Ornatus siquidem imaginum, & statuarum laudabilis est, si modo decentior illis cultus attribuatur. Nec proficiunt, sed supercilium produnt, obijcientes, Virgo gloriosa cum plurima sanctorum sanctarumque caterua, in hac lachrymabili valle constituta, simplici ac humili contenta extitit tegumento, non igitur iam eget cultu splẽdido, auro, byssoque, mirifica artificis opera contexto. Verùm quidem est, quod illis iam non indigeat, vtpote spiritualibus refulgens charismatum donis & vernantibus ac coruscantibus gemmis, in cælis resplendens, decet tamen illam gloriosam personam, mundi cęlique reginam talibus gloriæ vestimentis in hoc mundo insigniri, sicut sutoris vxor perpaucis quiescit, nec serica vel holoserica corporis indumenta requirit: Imperatrix tamen fortè fortuna effecta, deberi sibi talia pretiosiotaque non ambiget, vti luculenter patet in regina Beth-sabée, Ita sanctorum imagines licitè ornamus, & meritoriè, quas non dubitamus cum Christo regnare in cælis. Est & alia ratio, ob quã eas cultiori amictu circumdamus; vt nimirùm animi nostri candorem gratitudinemque Deo & sanctis, externo signo ostendamus, quorum admirandam celsitudinem magnificare non sufficimus, sicut Dauid est protestatus 1. Paralyp. 29; Tua sunt omnia, & quæ de manu tua accepimus, dedimus tibi, qui licet æternus sis, temporalia tamen & terrena non aspernaris beneficia, quæ simpliciter etiam sunt operibus misericordiæ præferenda, teste Theophylacto. Sed dicet aliquis, Iudaizãs, poterant hæc vænundari multò, & dari pauperibus. Verum quidem est, pauperibus subuenire, sacrificiu esse Deo quàm acceptissimum, Vtensilia tamen ecclesię distrahi non debent, vt habetur, nisi isti fame cõtabescant, tum omnia potius sunt distrahenda, quemadmodum ingruente necessitate, legimus Ambrosium vendidisse sacros calices, vt viua Dei templa sustentaret, nec alio modo illis opem ferre posset. Achatius ecclesiastica distraxit vtensilia simili causa, teste historia Tripartita. Item Augustinus sacris vasis non pepercit, vt inopiæ miserorum succurreret, quemadmodum legitur; Imò Paulinus

2. Pett. 3.

Aliud de ornatu gloriosa virginis cauillum.

Alia ornatus causa.

Super 26. ca. Matthai, & Chrysost. hom. 27. super Gen.

Argumento Iuda multi calumniantur.

Math. 25.

Lib. 2. Instit. de rerum diuisione, Leg. superiore. §. nullius.

Lib. 2. Offic. cap. 28.

Lib. 11. c. 16.

Serm. 32. ad fratr. in eremo.

linus Episcopus seipsum Barbaris obiecit capiendum, vt cuiusdam pauperis mulierculæ filium à captiuitate redimeret, teste Gregorio, cui consentaneus est Episcopus constitutus, Deus tamen non reprehendit mulierem, sed toti orbi per effusionem vnguenti celebrem effecit, secundùm Chrysostomum, qui ibidem subdit: Si præparasse quosdam vasa videris sacra, aut ornatum quendam alium circa parietes ecclesiarum, & pauimenta confecisse, noli reprehendere aut venundari iubere, quod factum est, ne animum eius qui fecit, perturbes: Sin verò antequàm fecerit, te consuluerit, pauperibus offerre iubeto. Nec satis existimemus ad salutem, si viduis & pupillis expilatis, aureum calicem & gemmarum offeramus: si enim vis honorare sacrificium, offer animam, nec aurea vasa duntaxat offeramus, sed etiam vt ex iustis laboribus fiat oportet, nec aureis vasis Deus indiget, sed aureis animabus, & hæc dico, non prohibens huiusmodi oblationes fieri, suadens autem cum his eleemosynas exhiberi. Nec nouitius est templorum ornatus; Nam accuratissimè & religiosissimè fuit temporibus Hieronymi obseruatus, vt docet epist. ad Demetriadem, & Ambrosius, Augustinus commemorat altaria floribus fuisse respersa, item Chrysost. Deus, inquit, sanctorum loca & sepulchra simul & tẽpora perenni memoria celebrari curauit, tu verò mihi sepulchrum Alexandri ostẽdas, & profer diem quo vitam finiuit, sed nihil horum insigne; omnia sunt destructa & exterminata, Christi verò seruorum sepulchra, clara sunt, regiam assequuta ciuitatem, & dies notissimi mundo festiuam offerentes lætitiam & illius quidem loculum proprij nesciunt, horum autem sciunt & barbari, Et seruorum crucifixi sepulchra, regijs aulis confluentium studio sunt clariora: nam purpura indutus accedit ea complexurus, & fastu deposito stat sanctis supplicaturus, vt pro se intercedant, & fabrum & piscatorem etiam mortuos vt protectores orat, qui diademate redimitus incedit. Nec hoc tantùm Romæ quis fieri viderit, verùm & Constantinopoli, nam & hoc Constantinum magnum ipsius filius honore magno censuit haberi, si pro foribus piscatoris paternum corpus collocaret. Et Greg. Nazianzenus commemorat altaria fuisse in die luminarium omni honore & reuerentia culta. Sic Theodoretus refert de Constantino, quod iusserit aram diuinam, tapetibus regijs donisque aureis templum, in festiuitate dedicationis templi Hierosolymæ ornari. Quibus astipulatur sermo sancti Sophronij Episcopi Hierosolymitani, quẽ habuit de sancto Cyro & Ioanne, teste concilio Nicæno 3. Venerantur, inquit, alij sanctos hos, diuersimodè eorum dona magnificantes, hi quidem excelsorum templorum erectionibus,

Lib. 3. Dialogorum, ca. 1.
Lib. 7. ca. 25. apud Gregor. Turonen.
Homil. 81. super Matth.
Homil. 60. ad populũ Antiochenum.
Lib. 2. Offic. cap. 21.
Lib. 22. de ciuit. cap. 8.
Homil. 66. ad populum Antiochenum.
Constantinus ante fores Ecclesiæ sepultus.
In Monodia Basilij.
Lib. 1. Eccles. histor ca. 31.
Actione 4.

illi verò variorum ornatibus, alij gemmarũ & auri contextibus, alij præclaro pictorum artificio, alij aureis argenteisque denarijs, alij sericis bombicisque texturis, & (vt vno dicam verbo) omnes in martyrum honorem, pro cuiuslibet opibus & voluptate inuicem vincere contendant, quo affectionem erga sanctos hos clarè ostendant, referantq; pro corruptibilibus, immarcescentia; pro temporarijs ea quæ finem non habẽt præmia; talibus enim donis admirandi isti, suos amatores rursum afficere solent. Ecce non solùm statuas ornandas denotat, sed fructum inde promananrem etiam nobis manifestat. Concilium insuper Constantinopolitanum 3. prohibet imagines impudicè ornari, qui Canon est sanctissimus, & nostris temporibus renouãdus, cùm in Ecclesia maximè non sint admittenda, nisi castitatis & pudicitiæ insignia, cui consonat Concilium Tridentinum, quod vbi docuit imagines Christi, aliorumque sanctorum in ecclesijs habendas, & in templis retinendas, subnectit. Omnis turpis quæstus eliminetur, omnis denique lasciuia vitetur, ita vt procaci venustate imagines non pingantur nec ornentur.

Fructus ornatus templorũ. Cap. 100.

Sess. 25. §. 2. & cæteris.

Procellis persequutionum ac iconoclastarum furoribus exagitata Ecclesia, semper (vt sponsus eius) victrix emersit. CAP. LXIII.

2. Reg. 19. & Ad Rom. 11.

HAVD immeritò Helias Propheta Domini, deplangit truculentam persequutorum rabiem, inquiẽs: Altaria tua destruxerunt, & prophetas tuos occiderunt, quoniam conspiciebat eo quosdam tendere malignos, vt Dei notitiã eiusq; cultum, prorsus si possent, exterminarẽt; quod summo conamine nisi sunt impij Nabusardan & complices eius, quãdo splendidissimum illud Salomonis templum Vulcano consecrauerunt, & vniuersa eius vasa diripuerunt, vt habetur 4. Reg. 25. & 2. Paral. 36. quod etiam permisit Dominus tempestate Machabæorũ: Nam crudelis ille Antiochus altare aureum dissipauit, ac vniuersa templi vtensilia comminuit. Similem ferè istorum impiorum crudelitatem Deus admirabili æterni iudicij sui dispensatione, tempore noui testamenti non semel aut bis, sed decies & eo ampliùs, instar plagarum Aegypti fieri permisit, quemadmodum docet Augustinus, Non tamen perperuò vniformiter, quia in exordio nascentis Ecclesiæ, Tyrannica impietas potissimùm efferbuit in viua Dei templa, vt nimirùm Christi fideles ecclesias & templa materialia non ira passim habentes, cum ipso Christo prorsus extinguerent & eliminarẽt; Sed oppositum luce meridiana clarius emicuit, quò enim magis fremuerunt

1. Macha. 1.

Decies repetiuntur templa destructa. Lib. 18. ciuit. Dei, cap. 52.

gentes

gentiles principes, & quò crudelius ferrum in Christianos stringerunt, eò numerosiores, instar nummi, malleis dilatati, euaserunt, teste Augustino, necnon Theodoreto. Prima persequutio, crudelitate Neroniana computatur peracta, nam Eusebius Cæsariensis, commemorat, hunc flagitiosissimum præter reliquam tyrannidem in Christi discipulos, & proprios domesticos patratam, circa annum Domini 60. Coryphæum Apostolorum Petrum, & Gentium doctorem Paulum peremisse. Secundam persequutionem exercuit Domitianus Imperator, qui per omnia Neroni similis, degener filius patris Vespasiani effectus, Ioannem Euangelistam exulare in Pathmos compulit, & innumera Christianorum millia quotidie furibundo animo iugulauit. Persequutionẽ tertiam est auspicatus Traianus, quemadmodum manifestum facit idem Eusebius, Hac martyr effectus est Simeon Cleophæ filius, secundus episcopus Hierosolymitanus. Quartam fecit Antoninus, de quo Eusebius libro quinto Ecclesiasticæ historiæ refert, quod multa millia martyrum quotidie Deo gloriosa morte trãsmittebat. Huic successit re & nomine Seuerus Imperator, qui graui pœna Christianos fieri inhibuit, magnamque Christianorum cladem exercere non expauit. Cùm autem nonnullam haberent Christicolæ respirationis quietẽ, adeptiq; essent regum principumq; fauorẽ; Templa extruere Deo non tardauerunt, præsertim cùm Imperator Adrianus singulari amore Christianos prosequeretur circa annũ Domini 120. & templa in eorũ vsum erigere non grauaretur. Verùm nostræ salutis æmulus diabolus, Christiani profectus impatiens, non diu dissimulauit; sed sextam persequutionem, eamq; atrocissimam, per suum satellitem Maximinum Imperatorem fieri procurauit. Hic namq; nõ solum innumera hominũ millia neci dedit, sed & templa Deo sacra destruxit. Septimam à Decio perpetratam, docet Eusebius; Sub hoc Laurentius martyrij palmam est consequutus. Valerianus exercuit octauam, quo tandem rex Persarum nomine Sapor, vsus est scamni vice, equum ascensurus. Galienus filius eius regniique consors quàm maxima atrocitate persequutus est gloriosissimum martyrem Cyprianum Episcopum Charthaginensem: Stragem proximam Christianis intulit Aurelianus, cruoris humani sitientissimus, huius tamen tyrannidem superauit Diocletianus & Maximianus, qui non solum edictum promulgarunt, vt templa solotenus destruerentur circa festum Paschatis; sed & centum Christianos, & amplius per aliquot annos, singulis diebus incredibili feritate enecabant, teste Eusebio, postea tamen condignas pœnas dederunt. Post annos verò duodeuiginti, aut circiter,

Lib. de agone Christiano, ca. 12. & homil. 8. lib. 50. homiliarum.
Lib. 9. Græcarum affect.
Prima persequutio.
Lib. 2. Ecclesi. hist. cap. 25.
2.
Lib. 3. ca. 20.
Ca. 17. et 32. eiusdem libri.
3.
Lib. 2. ca. 33.
4.
Cap. 1. & 3.
5.
6.
Lib 6. ca. 20.
7.
Lib. 6. ca. 31.
8.
9.
Lib. 7. cap. 9.
10.
Lib. 8. cap. 2. 4. 8. & 9.
Ca. 15. et 18.

Constantinus pijssimus. circiter publicus Christiani nominis professor Constantinus Imperator inclitus, anno Christi 312. proprijs sumptibus & laboribus Ecclesias erexit, & omnibus principibus fabricare eas præcepit: diabolus autē religioso & pientissimo huius principis affectui & effectui inuidens, igne succendit Arrium, qui scintillis falsorum dogmatum vniuersum mundum adussit,
Lib.9.ca.20. teste Nicephor. atque suæ factionis alumnos, ecclesias inuadere instigauit, quin & subsellia, thronū, mensam ligneam tabulas ecclesiæ, & cætera quæ poterant foras illata ante ve-
Epist. ad solitariam vitam agentes; & epist. ad ortho. stibulum templi thura inspergentes, cōbusserunt, teste Athanasio. Cæterùm diuina vltio Arianorum scelera declarauit, vt ibidem subnectit: nam quidam ex petulantioribus in throno insidere præsumpsit, & audacter sedendo, fornicarios run-
Diuina vltio non remoratur Arrianum Iconoclastam. cos de naribus insonuit; deinde exurgens thronum & sellam conuellere ausus, fragmento ligni inde in ventrem ipsius resiliente, & quasi ab ipsa vltione rupta aluo, intestina miser effudit. Subdit & aliud miraculum admiratione dignum, alij templorum prophanatori factū, quod breuitatis gratia missum facio. Nec solùm templa demoliebantur Alexandriæ circa annum Domini 365. sed & Christi & eorum qui illi pla-
Lib.16.c.27. cuêre imagines venerandas esse diruendas, teste Nicephoro, magna temeritate præsumpsērū. Imò & plurimos Ghristianos, Episcopos religiosos, ac sanctimoniales, acerbissimis & incredibilibus cruciatibus enecabant, secundum Athana-
Lib.2.Eccles. hist.ca.14. & lib.3.cap.67. Lib.3.cap.8. sium eodem libro, & Theodoretum. Iulianus quoque apostata post Constantium rapuit regnum, secundum Theodor. atque Athanasium, in Thebaidam relegauit, necnon templa magnificè à Constantino & Constantio ædificata, obstruxit, obseratisque ianuis aditum prohibuit: Vasa nihilominus ærario regio inferri præcepit, de quibus hoc protulit, Fœlix eiusdē quæstor thesauri: En qualibus vasis ministratur Mariæ filio. Sed huius furiosæ audaciæ haud longè post commeritas luir pœnas, teste Theodoreto. Iulianus verò vlceribus
Lib.3.ca.12. & 13. putrescens excrementa per os ebulliuit, tandem diro vulnere
Iulianus talionem sustinuit. inuisibiliter sauciatus, manum sanguine oppletam in aëra aspersit, atque in hæc verba ore blasphemo moribundus eru-
Lib.3.ca.25. pit; vicisti Galilee, alloquens Christum saluatorem, Deumque nostrum super omnia benedictum. Huic tragœdiæ quæ procurante diabolo excitata fuit in Aegypto, similis extitit, quæ contigit circa annum Domini 380. tempestate Basilij in
Epist.69. & 70. ad Episcopos Italiæ & Galliæ. alio mundi climare, sic enim habet, Ablatum est gaudium & lætitia spiritualis, nostræ festiuitates in luctū conuersæ sunt, domus orationum conclusæ, vacua sunt spirituali cultu altaria, non amplius fiunt conuentus Christianorum, non amplius doctorum præsidentiæ, non dogmata salutaria, non hymni

hymni nocturni, neque beatum illud gaudium, quod in conuentibus credentium in dominum accedit. Nobis conuenit dicere, quod non est in hoc tempore princeps neque propheta, neque oblatio, neque locus sacrificandi in conspectu Domini, & inueniendi misericordiam, neque de vna ecclesia periculum est, neque duæ aut tres in hanc tempestatem collapsæ sunt, sed fermè à finibus Illirici vsque ad Thebaidem, hæresis malum depascitur. Huic fermè coetaneus Ambrosius commemorat. Iudæos & gentiles templa Deo sacta incendisse, magnamque tyrannidē in Italia exercuisse. In Aphrica quoque circa annum Domini 430. grassati sunt Donatistæ, qui non solùm homines catholica fide imbutos trucidârunt; verumetiam ecclesias vulcano tradiderunt, ac circumcelliones hæreticos hoc ipsum facere coëgerunt, teste Augustino: Totus, inquit, mundus tantis affligitur malis, vt penè pars nulla terrarum sit, vbi non talia qualia scripsisti, committantur, & plangantur: Nam ante paruum tempus in illis solitudinibus Aegypti, vbi monasteria separata ab omni strepitu quasi secura delegerant, à Barbaris interfecti sunt fratres. Iam verò modò quæ in regionibus Italiæ, quæ in Gallijs nefaria perpetrata sunt, etiam vos latere nō arbitror; De Hispanis quoque tot prouincijs, quæ ab his malis diu videbantur intactæ, cœperunt iam talia nuntiari. Sed quid longè imus? Ecce in regione nostra Hyponensi, quoniam eam barbari non attigerunt, clericorum, Donatistarum, & circumcellionum hæreticorum latrocinia, sic vastant ecclesias, vt barbarorum fortassè facta meliora sint. Quis enim barbarus excogitare potuit, quod isti, vt in oculos clericorum nostrorum calcem & acetum mitterent? quorum membra etiam cætera plagis horrendis vulneribusque sauciarunt? depredantur etiam domos aliquas & incendunt, fructus aridos diripiunt, humidos fundūt, & talia cæteris comminando, multos etiam rebaptizari compellunt. Pridie quàm ista ad te dictarem, ex vno loco per huiusmodi terrores quadraginta & octo animæ mihi rebaptizatæ nuntiatæ sunt. Horum vesanam impij cordis peruersitatem, luculentius exaggerat, idem Augustinus: Sunt homines, inquit, valde mali, qui conantur, si fieri posset non esse ecclesias, vbi illis prędicētur pręcepta Dei; Nónne & ipsum Christum occiderent, si in terra viuentem inuenirent? Quod autem in Christo nequiuerunt, secūdum Theodoretum, in sectis tentauerunt: Nam sacerdotum, monachorum monacharumque aluos diruptas, satellites Iuliani hordeo impleuerunt, ac porcis & equis deuorandos obiecerunt. Seuerus quoque hæreticus sub annum Domini 553. Ecclesiam Antiochenam, & totum ferè oriētem turbauit: nam crudeli ferro monachos

Epist. 29. ad Theodosiū, & 30. ad Valentianum.

Epist. 50. quæ est ad Bonifaciū, & lib. 1. contra epist. Parmeniani cap. 7. et epist. 122. ad Victorianum.

Inhumanitas Donatistarū.

Serm. 220. de temp.

Lib. 3. cap. 6. Eccles. hist. Iuliani crudelitas.

nachos peremit, peremptis sepulturam negando, volucribus ac feris deuorandos obiecit, neque sacris Altaribus & vtensilibus templi pepercit, columbas aureas & argenteas, in forma Spiritus sancti, super diuina lauachra & altaria appensas, sibi appropriauit, quemadmodum habetur actione 1. concil. Constantinopolitani secundi eorum quæ Constantinopoli habita sunt, alioquin respectu generalium, diuersis in locis habitorum; quintum à patribus nuncupatur. Haud dissimilis ecclesiæ facies fuisse legitur, circa Annũ Domini 600. Sic namque scribit D. Gregorius primatu & patria Romanus: Ecce depopulatæ sunt vrbes, euersa castra, ecclesiæ ac monasteria destructa, in solitudinem agri redacta sunt. Anno autem domini 718. vel circiter, inualuit Leo tertius, Imperator 68. Iconomachus appellatus, hoc est imaginum oppugnator, propterea quòd imagines ac statuas sanctorum è templis auferri, & incendi præcepit, quem Gregorius tertius, imperio, & fidelium consortio spoliauit. Anno autem 727. Saraceni (qui non propriè ob hæreticæ prauitatis falsitatem, sed iustissime talionis diuinitus admissæ dispensationem hic inseruntur) Vasconiam, Burdegalam, Engolisinenses, Sanctonas, Pictauosque spoliatis direptisque templis odio religionis, omni clade belli deuastârunt. Verùm Matellus rex Francorum post trium annorum curriculum, trecenta septuaginta quinque millia barbarorum nefario sacrilegiò conspurcatorum, prospero Marte fudisse legitur apud Ioannem Meyerum, vbi & subnectitur, quod Gandaui (iam 120. quasi annis excusso Mercurij idoli capistro, fœliciter Christo initiati) tũ temporis excitatus fuerit tumultuosus ciuium concursus, propter sanctorũ imagines, quas aliqui ceu idololatriç instrumenta execrabantur. Alij habendas in venerationeac in templis relinquendas censebant, hoc discordiæ furore, ac indomitæ plebis impetu inualescente; inter præcipuos martyrij palma coronatus mundo cessit Hildebertus abbas Blandiniensis, quòd contra fautores Cæsaris, nempe Leonis Iconomachi decretis Pontificum de habendis statuis adhæsisset. Constãtinus autem Coprónimus, à patris impietate nequaquam degenerauit: nam præter imaginum euersionem, saburram alui in sacro fonte blasphemus exonerauit. Verùm hos secunda synodus Niceæ celebrata, cõdemnauit, & 350. Episcopi ibidem præsentes sanctorum imagines venerandas esse, iuxta catholicam obseruationem decreuerunt. Quidã etiam Dagobertus D. Hilarij episcopi Pictauiensis, Ecclesiam spoliauit, vt phanum Dionysianum sumptuoso ac magnifico opere inceptum, perficeret, cùm autem spolia maris gurgitibus transuehenda committerentur, procellosa tempestate nauis

In epist. Cleric. ad Synodũ.

Hom. 17. lib. 40. homiliarũ.

Leo Iconoclasta.

Lib. 1. Annalium sectione 730. anni.

Sectione 752. anni.

Tragœdia Gandauensis.

Memorabilia exempla cõtra Iconoclastas.

nauis absorpta, amplius non apparuit, secundum Ammonium. Quidam nebulo etiam vasa sacra diripuit ac cõfregit, teste Greg. Turonen. quod cum Clodoueus rex rescivisset, arma eius, quasi illegitima, in terram proiecit, quibus subleuandis inclinatus, manu regali condignas capitis dedit pœnas. Aliud non minus efficax commemorat de sancto Martino idem. Matiscus autem quæ est ciuitas Franciæ, quendam habuit principem, qui tyrannica violentia ecclesias expilabat, monachos & canonicos in exilium agebat. Cumque diu concessa potestate abusus esset; alijs tyrannis factus est exemplo, teste Petro Cluniacensi: nam cum sollenni quodam die in palatio, nobilium corona constipatus, consedisset; protinus homo incognitus equo insidens palatium ingreditur, atque vt princeps sequeretur reuertentem imperauit, at ille inuisibili potentia constrictus ad ostiũ palatij processit, vbi equum paratum, iussus, ascendit, Cuius habenas ille accipiens repentè velocissimo cursu per aëra ferri cunctis adspicientibus cœpit, cumque totam ciuitatem tali spectaculo commotam interpellasset, succurrite ciues, succurrite; subtractus obtutibus humanis, æternus factus est, quod meruerat, dæmonum socius. Subnectit & quendam Orgerium ecclesias deuastasse, sed postmodum à diabolo in aëra fuisse sublatum, ac confestim dimissum corruisse, corporeque grauiter colliso, posteris funestam sui memoriam reliquisse. Contigit etiam circa annum Domini 1248. apud Iconium vrsum cuiusdam magi, teste Christiano Massco lib. 13. Chronicorum mingere ad pedem crucis in pilario pictæ, statimque emori. Ethnicus id male ferens pugno percussit imaginem, & illico brachium obriguit. Accurrẽs alius etiam mingere præsumpsit necdum cessantẽ mors inopinata prostrauit. Vnde Gunthrandus Rex subditis, inquit, teste Gregor. Turonẽ. Quomodo victoriam obtinere poterimus, quia quæ patres nostri consequuti sunt, non custodimus: illi ecclesias ædificantes, in Deum anchoram spei figentes, martyrum Mausolæa honorantes, sacerdotalem dignitatem honorantes, victoria potiti sunt; nos non solum Deum non metuimus, verùm sacra eius deuastando demolimur, ministros interficimus, ipsa sanctorum pignora ridiculè discerpimus: nequaquam potest ibi haberi victoria, vbi talia increscũt flagitia, manus inualidæ, ac ensis tepescit, vbi ista rabies locum obtinet. Tandem Ioannes Wiclephus, circa Annum Domini 1400. quasi ex orco surrexit, qui ecclesias in Anglicano regno deuastauit, & sacra loca prophanauit, vt deplangit Thomas Waldensis. Postea strinxit armatam manum in virgines sanctiomoniales, quas incredibili furore oppugnare aggressus est, sibi tamen delubra & synagogas

Lib. 4. c. 20.
Lib. 2. ca. 27.
Lib. 7. ca. 42.
Lib. 2. cap. 1. de miraculis.
Lib. 8. ca. 30.
Lib. de sacramẽtalibus, tit. 15. cap. 137.
Tit. 9. ca. 87.

gogas sathanæ fecerunt, instar eorum quorum mentionem facit D. August. vt idem Thomas docet, in quas magis noctu confluebant, quàm interdiu, vbi ferunt (qui ab ipsorum spurcissima prauitate resipuerunt) quod turpem carnis commixtionem extincta lucerna, in tenebris, à præceptore tenebrarum execrandam, non celebrandam, discere non formidauerunt. Ex quibus omnibus perspicuum cuique esse potest, non semel aut bis, sed decies Christi fideles esse lacessitos, morte horribili peremptos, templa euersa, sacra prophanata. Atqui non fecit hic diabolus persequendi finem, etsi fortè mitius nobiscum agere videatur, quòd mysticis Christi membris talem vbique locorum non inferat crudelitatem, vt in nascentis Ecclesię exordio, clamor tamen germanorum martyrum, Anglicorumque, non dubium est, quin factus fuerit cælo; nā Episcopis vndecunque viris doctissimis ac sanctissimis, primatibus, etiam secularis officij dignitate fulgentibus, necnon religiosis sacri ordinis Franciscani, & Carthusiani, inaudita crudelitate mortem procurarunt; Quid autem dicam, aut deplangere, quomodo incipiam, truculentam illam rabiem, quam Christianissimi regni Galliæ, hæretici præsertim religiosis personis nostra miserabili ætate intulerūt? nam præter 50. Franciscanos fratres aut circiter, quorum aliquos quatuor equis discerptos, certissimè adserunt, & aliqui, amputatis brachijs & cruribus, in sanguine tanquam trunci sunt volutati: alij diris tormentis diabolica adinuentione confictis, martyrij palmam adepti sunt. Nec hi solùm, sed illo florētissimo & alias Christianismo regno, sex millia spiritualium, tum sacerdotum, tum monachorum vtriusque sexus trucidati, verissimè commemorantur. Nos hac in parte fœliciores in nostra Belgica extitimus, vel (vt verius dicā) infœliciores, quòd tale (quo indigni eramus) præmium sit nobis negatum: Terribiliori tamen modo desæuire probantur aduersarij, quando in ipsum caput Christum Iesum, furibundo animo debacchari cognoscuntur: venit namque nobis mœsta dies, redijt lachrymabile tempus, nigro proculdubiò notandum lapillo, quo non hostes, sed ciues rursus, teste Theodoreto, grassatos in ecclesias Deo sacras fuisse, anno Domini 1566. vel audiuimus, vel coràm positi, corde doloris gladio transforato, eheu instar veterum hæreticorum vniuersa demolientium, conspicere debuimus, vbi deplangit suis perpetratum temporibus. cuius nostra Belgica, etiamnum hodie, seruat in plurimis oppidis & pagis vestigia. Eheu quò cæcitatis adeoque insaniæ prorupit nostræ tempestatis temeritas? quò æui prudentia nostri, quò dominatores nostri, vt in tam iniquis, tamque intolerabilibus conniuerent, ac dissimularent? sed Dei bonitas non sinit,

Lib. veteris & noui testamenti ca. 114.
Tit. 7. ca. 57.

Monachi & sanctimoniales in Francia trucidati.

Lib. 1. Eccles. hist. cap. 6.

fluit, catholicum pectus magni illius Philippi regis Hispaniarum non permisit, vt hæreditas eius. Deique peculium, daretur in direptionem hæreticis, & conculcationem cunctis gentibus, quin potius in brachio excelso fecit victoriam. O fontes lachrymarum; vbi vos subtraxistis? imbres lachrymarum deducant oculi nostri super tam nebulosis, tamque horribilibus nostræ Belgicæ tenebris. Optimo siquidem iure exclamare nos ipsa necessitas compellit, quod B. Polycarpum de calamitoso sui temporis seculo pronuntiasse, & exclamasse commemorat Eusebius Cæsariensis, Bone Deus, inquit, in quæ tempora me reseruasti, vt hæc audiam & videã? Et cum insigni athleta Dei Matathia. Væ mihi, vt quid natus sum videre contritionem populi mei? nam filij belial sanctum sanctorum pollutum duxerunt, imagines confregerunt, tremendissima atque augustissima sacramenta barbarorum immanitatem superantes, Christũ Iesum, non rosas porci conculcauerunt: Cùm enim quidam Gotthorum magnitudine & vasorum Ecclesiasticorum pulchritudine oblectaretur, eaque suis vsibus applicare meditaretur, teste Orosio, virgo sanctimonialis ad barbarum confidenter, ait, hæc Petri Apostoli mysteria sunt, præsume si audes de facto, tu videris, ego quia defendere nequeo, tenere non audeo, barbarus verò ad reuerentiam religionis, timore Dei ac fiducia virginis motus, ad Alaricum hæc per nuntium retulit, qui continuò reportare ad Apostoli basilicam vniuersa, vt erant, vasa imperauit. Verùm elapsis sex annorum illorum curriculis, posteriora, facta sunt deteriora prioribus, quando ab Aquilone, tanta subitò emersit malorum colluuies, qui tanto furore fuêre perciti, vt quique timorati, vix fuga sibi cõsulere potuerint. Nec iam rebus inanimatis, imaginibus, ac simulachris contumeliam dũtaxat per vniuersam fermè Hollandiam, & tellurem Zelandicam intulerunt, sed viui Dei templis, sacris initiatis, non pepercerunt. Præsertim tamen nostræ familiæ Franciscanæ, alumni complures, cum illis palmam martyrij, incredibili cruciatu adepti sunt, adeò vt quidam quadripartita sectione non ambigãtur discerpti, alij summitatibus digitorum & pedum veridica relatione feruntur suspensi, alij inauditis tormentorum generibus excruciati: gloriosum de hoste tulêre triumphum. Verùm aliquis iconomachus fortè subsannabit, inquiens, quare sinit Deus hæc (si sint) fieri flagitia? quare seipsum vlcisci distulit? quare nõ manus ipsorum instar Hieroboam, arescere fecit? aut quare vorax illos flamma vt Nadab & Abiu, non consumpsit? quare ora eorũ tanquam plumbo non oppilauit, & paralysi tanquam Alcimum aliquem percussit? quare etiam illos in scelere non confudit, qui Antio-

Deplangit nostra miseria statum.

Lib. 5. Eccles. hist. cap. 20.

1. Macha. 2.

Lib. 7. de Alarico rege Gotthorum.

Deus quare non est vltus hereticorũ rabiem.

3. Reg. 13.

Leuit 10.

1. Machab. 9.

1.Macha.1. chum in templo Naneæ interfecit? Cur istos Iconoclastas nõ
2.Macha.3. igne cęlitus misso consumpsit, qui Heliodoro templorum in-
Responsio. uasori parcere noluit? D. Augustinus respondet, tali phrene-
Super Psalm. tico, Quod quosdam martyres in sua confessione constantes
68 cõcione 2. visibiliter liberat, vt liquet de tribus pueris, omnes tamen in-
Tract. 11. in uisibiliter coronat. Ita interdum sancta sanctorum abire
euang. Ioan. et quidem sinit in direptionem & conculcationem, sed tunc se-
homil. 8. super ipsum Deum vltionis ostendit, quando ficos Philisteis im-
epist. Ioan. misit: hoc siquidem indicatur per circumloquutionem scri-
Daniel. 3. pturæ, vbi dicitur computrescebant prominentes extales eo-
1. Reg. 5. rum. Similiter Oza pollutis manibus attractauit arcam, &
2. Reg. 6. mox diuinitus percussus interijt. Aliquando etiam patien-
ter conniuet, & ad tempus dissimulat, vt in æternum per-
4. Reg. 25. dat, sicut liquet de Nabusardam, qui domum Domini vul-
cano tradidit, omnemque templi supellectilem Babylonem
transmisit, nec vltrici mox pœnæ subiacuit, sicut nec Iudæi
qui dissoluerunt templum, de quo habemus Ioannis 2. Nec
Matth. 27. rabido ore vociferantibus, Si filius Dei es, descende de cruce,
Tract. 3. in condignas ilicò pœnas inflixit, quia secundum Augustinum
Ioannem. exemplo patientiæ nos præmunire complacuit. Nec ali-
quẽ admiratio inuadere debet ratione longanimitatis Chri-
sti, quia non est indignum, quod dignetur sustinere aliquid
aduersitatis in veste; qui tam acerba perpeti patientissimè
dignatus est in corpore. Aliquando quoque demonstratur
similibus, quòd digni simus iusto Dei iudicio in æternum
derelinqui, quibus permissu Dei media salutis, eorumq; or-
natus & splendor exibilantur, quod prophetæ deplangunt
Threnorũ 4. Iudæis huiusmodi rerũ processu esse factum. O quoties in-
Ezech. 16. quinatissimis nostris moribus, ansam obtulimus perfidis ex-
Ozeæ 11. &c. probrandi, subsannandi, ceu commentitiam legem nostram,
blasphemandiq; nomẽ Dei nostri! quin verò hanc hæresum,
quam patimur, pestem truculẽtam, inde compertissimum est
fuisse subortam; indeq; nutritã; quòd qui ex nobis exierunt,
videbunt iuxta verbum Esaiæ 52. Dominatores nostros ini-
què agere, legesque pessundare, leges ipsas cœpere floccipen-
Diuersis de dere, Ecclesiæ authoritatem denegare, prælatos conculcare,
causis Deus suggillare dogmata fidei, ac deniq; sacrosancta mysteria pro-
istam permisit phanare. Prèterea æquanimiter ista permittit, vt robusti fide
tragœdiam. apparerent in procellis tribulationum constantiores, secun-
Serm. 25. de dum August. nam arborem concussit diabolus, vt poma decu-
temp. tere posset. Postremò Deus istam tragœdiam non respexisse
Lib. 1. de ciui. videtur, nec talionem rependere cognoscitur, quòd peccata
Dei cap. 29. nostra talia meruerunt, teste August. & Gregor. Quanto, in-
Homil. 17. li. quit, mundus, gladio feriatur aspicitis, quibus quotidie per-
40 homil. cussionibus intereat populus videtis; cuius hoc, nisi nostro
præci-

præcipuè peccato agitur, ecce depopulatæ vrbes, euersa castra, Ecclesiæ ac monasteria destructa, in solitudinem agri redacti sunt, sed pereunti populo authores mortis existimus, sicut non semel apud prophetas legimus, qui debuimus esse duces ad vitam, sed exempla prauitatis demõstramus, quando ipsi peccamus, qui compescere aliorum peccata debuimus. Siue autem hac ratione, aut illa Deus Iconoclastas aliquando non horribili pœna flagellet, non tamen semper tacebit, impio cõculcante iustiorem se, quin potius æternis gehennalis flammæ cruciatibus mancipabit; vti commonstrare non desinunt prælibata paradigmata, & ea quæ commemorantur Tripartita historia, & apud Aulum Gellium, huic instituto accommoda. Quæ attendens Concil. Lateranen. sub Alexandro tertio celebratum, voluit omnes Ecclesiarum inuasores & spoliatores excommunicationis vinculo innodari; Paulo Apostolo, Si quis violauerit templum Dei, disperdet illum Deus, concordans. Quibus suffragantur pijssimi Imperatores Arcadius & Honorius, qui (vt fœlici sydere socientur humana diuinis, terrena cælestibus, ima summis) indomitam impiorum rabiem tali legis capistro cõpescere nisi sunt, Lege Si quis, Cod. De sacrosan. Ecclesijs. Si quis in hoc genus sacrilegij proruperit, vt in ecclesias catholicas irruens, sacerdotibus & ministris, vel in ipso cultu locoq; aliquid importet iniuriæ, à prouinciæ rectoribus animaduertatur, atq; ita moderator prouinciæ sacerdotum & catholicæ Ecclesiæ ministrorum, loci quoq; ipsius & diuini cultus iniuriã, capitali in conuictos seu confessos reos sententia nouerit vindicãdum; nec expectet vt Episcopus iniuriæ propriæ vltionem deposcat, cui sanctitas ignoscendi gloriam dereliquit, sitcunctis laudabile, factas attoces sacerdotibus aut ministris iniurias, velut crimen publicum persequi, ac de talibus reis vltionem mereri, &c. Nec tanti rigoris debet aliquis mirari vehementiam, cùm legatur ff. digesto nouo, lege Qui statuas, tit. ad legem Iuliam, vbi sic habetur: Qui statuas aut imagines Imperatoris, iam consecratas conflauerint, aliũdve quid simile commiserint, lege Iulia læsæ Maiestatis tenentur. Et Theodosius pijssimus Imperator, vrbem Antiochenã durissimè afflixit, propter contumeliam quandam in statuam coniugis factam: nam teste hist. Tripart. Niceph. atq; adeò ipso Chrysost. Ciues Antiocheni procaci animo, & præsumptuosa temeritate deiecerunt, & confregerunt æneam statuã laudatissimæ Placillæ coniugis magni illius Theodosij, quòd cum Imperator resciuisset, egerrimè tulit, licet è viuis iam excessisset optima cõsors, & quasi furore percitus, priuilegia ciuitati ademit, vrbiq; vicinę primatum tribuit, arbitrãs hoc illis

Lib. 6. ca. 12.
Lib. 3. Noctiũ Atticarũ, c. 9.
Tit. de pactionibus cap. 61.
Iconoclastæ sunt excõmunicati, & capitis sententia plectendi.
1. ad Cor. 3.
Lib. 9. ca. 32.
Lib. 12. c. 43. eccles. hist.
Homil. 2. 17. & 20. ad populũ Antioch.
Theodosius Antiochiam condignis pœnis afflixit.

maximo dolori futurum (inuidebat enim iam olim Antiochiæ Laodicia) post hæc autem & incendium & deuastationem minabatur, & in vici formam se egregiam vrbem redacturum. Nec immeritò, cùm imago repræsentet personam imaginatam, quemadmodũ preco iudicem. Quocircà huic, sicut citra contumeliam iudicis, nihil mali possumus machinari, ita nec illi, quia secundum scripturam. Et Ambros. qui sanctos honorat, Deum honorat, & Deum spernit qui sanctis contumeliam infert, imò si imagini detrahas, secũdum Ambros. Et August. ser. 119. de temp. ei cuius est, videbitur detractum. Pientissime Deus, qui iniquitatum ad te conuersorum non recordaris, sed eorum gemitus clementer exaudis: Respice templa tua infidelium manibus prophanata, & tui dilecti gregis afflictionem intuere. Reminiscere hæreditatis tuæ, prætiosissimo sanguine tui vnigeniti acquisitę: Vineamque tua plantatam dextera, quam ferus aper de silua exterminare conatur, feruenter visita, ac illius cultores aduersus deuastantium rabiem tua virtute corrobora, victores effice, in eaque bene operantes tui fac regni possessores. Per eundem Dominum nostrum Iesum Christum filium tuum, qui tecum viuit & regnat Deus, per omnia secula seculorum, Amen.

Luc.10. *Ser.6. et epist. 26. ad Gratianum.* *Imagini detrahens ei cuius est detrahit.* *Lib. de incarnat. Dominicæ sacram. ca. 10*

Diluuntur obiectiones contra imaginum vsum militantes. CAPVT LXIIII.

MAGNA me inuadit admiratio, quãdo Ioannis Caluin. impudentiam conspicio, non enim videtur voluisse intelligere, vt bene crederet & scriberet: Tanta namque procacitatis peruicacia ac religionis inuidentia, sua probra in Dei sanctorumque iconas euomuit; quatenus sui cerebri adinuentiones, veritatis prætextum haberent; vt nullum scripturarum respectum habuisse credatur, sic enim procedit, disertis verbis Dominus dixit, Non facies tibi sculptile, &c. Et insimulat populum Iudaicũ idololatriæ, vitulo fusili commisisse, Ezechias quoque absque reprehensionis nota, æneum confregit serpentem, plura continentur quæ rudibus & nasutioribus occasionem dubitandi præstent, imò inducant ne aliquando reuerentiam imaginibus aut statuis exhibeant. Producit etiam Caluinus D. August. tanquam causæ suæ patrocinantẽ, vbi dicit eos sic errare meruisse qui Christum & Apostolos eius, non in sanctis codicibus, sed in pictis parietibus quæsierunt, & affectu quodam infirmo, rapit infirma corda mortalium, formata similitudo, & membrorum imitata compago. Cuius sensum ita reddere conatus est Caluinus.

Lib. 1. Instit. ca. 11. sect. 5. & 6. *Exod. 20.* *Exod. 32.* *Obiectiones Caluini.* *4. Reg. 18. & Esa. 44. & Baruch 6.* *Lib. 1. de consensu Euangelist. cap. 10.* *Super Psal. 113. super illa verba, Simu-*

uinus. Verum est, neminem orare vel adorare intuentem simulachrum, qui non sic afficiatur, vt ab eo exaudiri se putet, vel sibi præstari quod desiderat, speret. Et Epiphanius, ~~vbi in cœlo~~ sic scripsisse fertur. Præterea audiui quosdam murmurare aduersum me, quòd cùm vidissem in foribus ecclesię velum, habens imaginem Christi vel sancti alicuius, scidi illud, & magis dedi consilium eiusdem loci custodibus, vt pauperi mortuo illud offerrent. Necnon Lactantius Firmianus, non est dubium, inquit, quoniam religio nulla est, vbi simulachrũ locum obtinet: Nam si religio ex diuinis rebus est, diuinum autem nihil est, nisi in rebus cælestibus, caret ergo religione simulachrum, quia nihil potest esse cæleste, in ea re, quæ fit ex terra, quod quidem ex ipso nomine apparere sapienti potest: quicquid enim simulatur, falsum sit necesse est. Insuper Concil. Elibertinum, sic habet: Placuit in ecclesia picturas esse non debere, ne quod colitur aut adoratur, in parietibus depingatur. His omnibus quamuis ex prælibatis prompta queat esse solutio, singulis tamen breuiter & clarè respóndebimus, vt meritò nulli debeat, sana mente prædito, remanere tergiuersandi locus. Præstò est igitur scriptura: Non facies tibi sculptile, &c. Cui passui duobus licet respondere modis: Primò videlicet, quòd patres catholici in Conc. Nicæno 2. Anathematismo excõmunicauerunt illos qui scripturam hãc detorquent ad sacras imagines, pronunciantque patres eam intelligendam esse, vel de falsorum Deorum imaginibus, quas idola apellamus, vel de Dei veri imaginibus, quatenus Deus inuisibilis est, & incomprehensibilis: & proinde infigurabilis. Priorem intellectum habet Adrianus Papa. Atque confirmatur in Concil. Trident. vt quod dicitur: Non facies tibi sculptile vel similitudinem; intelligatur, non de sacra imagine, sed de agalmate, id est, statua abiecti animalis, quod idololatræ coluerunt. Simulachra ergo alienorum Deorum, hic interdicuntur, & ipsorum falso confictorum Deorum, cultura: verbis immediatè præcedentibus, & subsequentibus inhibetur: Præcedentibus quidem, quia non habebis Deos alienos. Subsequentibus verò, quia non adorabis ea, neque coles. Non igitur simpliciter omnem similitudinem inhibet, sed eã duntaxat quæ adoraretur, & coleretur; quasi in se habens diuini aliquid numinis, aut virtutis, quemadmodum adorârunt illi qui Hiere 2. ligno dixerũt, pater meus es, & lapidi, tu me genuisti, & Baruch 6. statuas ligneas & lapideas, deos existimarunt, in quibus spes salutis foret collocanda, ita siquidem colebant Babylonij sua figmenta, vt luculenter apparet illud 6. caput Baruch legentibus quasi prora & puppis nostræ salutis (vt dicitur in prouerbijs) non esset in aliquo alio quàm in la-

Simulachra gentium argentum & aurum, os habent & non loquentur.

Epist. ad episcopũ Hierosolymitanum.

Lib. 2. ca. 19.

Cap. 36.

Solutio.

Exod. 20.

Bipartita obiectionis solut.

Actione 1.

Actio 2. dicti Concilij.

Sess. 25. tract. de Inuocatione sanctorũ. §. 2.

Serm. I. Satyra 8. pidibus & lignis, quæ ſuggillat digna prophani poëtæ Horatij ſubſannatio:

Olim truncus eram ficulnus, inutile lignum,
Cùm faber incertus ſcamnum faceret ne, Priamum
Maluit eſſe Deum: Deus inde ego, furum, auiumq;
Maxima formido.

Hoc quis non cuſtode ſecurus? Improperat Deus quoque Iſraëlitis, quòd vna ligni parte vilia abſoluāt officia, furnum incendant, carnes coquant, pulmentum parent, altera autem
Eſa. 44. Deum ſibi faciant, adorātes & dicētes, Libera nos, quia Deus meus tu es. Profectò iſte locus non militat contra nos, neq;
Baruch 6. ille quem habemus apud Baruch: Nemo enim tam vecordis & inſulſi animi eſt, vt credat illis aliquam diuinitatem aut virtutem ineſſe, propter quod eſſent colendæ: non enim à lignis aliquid petimus, aut fiduciam in illis figimus, nec ſpem in illis reponimus, quemadmodum Iudæi, exemplo Babyloniorum facere didicerant, iuxta Pſalmographi ſenten-
Pſalm. 105. tiam: Commiſti ſunt inter Gentes, & didicerunt opera eorum, & ſeruierunt ſculptilibus eorum, & factum eſt illis in ſcandalum. Non eſt igitur par ratio Iudæorum, & Chriſtianorum: nam etſi interdum vna parte ligni furnus incendi queat, & caro elixari, altera imago efformetur, & ſtatua, non
Nota. tamen hoc nobis contumelioſis eſt inſultandum verbis, quia quod calcaneo ſanando congruit, oculus reſpuit, & maiorem
Simile. honorem vni membro præ reliquis præſtamus: Sicut enim genis oſcula infigimus, non poſterioribus corporis partibus; ita quoque natura comparatum eſt, vt huic ligni parti reuerentiam & honorē exhibeamus, non alteri, non propter ligni materiam, ſed propter formam artificis opera introductam; Qua rationem vmbræ obtinent noſtræ imagines ac ſtatuæ, ad idola Babyloniorum collatæ, quoniam ipſi altiori intellectu rapiebantur; & quod obtutibus humanis offerebatur, Deus colebatur, apud catholicos non item, nam omnia imaginum vmbratilia referunt ad prototypa, quæ illæ repræſen-
Lib. 4. orthod. fid. cap. 16. Seſſ. 25. §. 2. de imaginibus. tant, teſte Ioanne Damaſ. Et Concil. Trident. ita vt per imagines quas oſculamur, & coram quibus caput aperimus, & procumbimus, Chriſtum adoramus, & ſanctos, quorum illæ ſimilitudinem gerūt, veneramur; id quod Conciliorum, præſertim 2. Nicenæ ſynodi decretis, contra imaginum impugnatores eſt ſancitum. Ex quo diſtichon, memoriæ iuuandæ cauſa, fertur euulgatum:

Hoc Deus eſt quod imago docet, ſed non Deus ipſa,
Hanc recolas, ſed mente colas, quod cernis in illa.

Alter ſenſus propoſitę ſentētiæ, Nō facies tibi ſculptile, &c. exponitur act. 5. dicti Concilij, nō facies tibi ſculptile, nempe

Dei

Dei veri, qui eſt inuiſibilis, & proinde inſigurabilis; prior ta- 1. Timoth. 1.
men intellectus eſt textui ſcripturæ conformior. Si ad omnẽ
ſimilitudinem etiam prælibata extenderetur ſententia, ſcri-
ptura ſacra ſecum ex diametro pugnaret: quippe quæ alijs in
locis imagines & ſimilitudines fieri præcepit: nam & docet 3. Reg. 7. &
ſcriptura Salomonem 12. leonculos fabricaſſe in throno rega- 2. Paralip. 9.
li, & boues ſculpſiſſe, item leones & boues, & cherubim in ba-
ſibus æreis, Si nullus tũc temporis fuerit pictor aut ſculptor,
quis hæc fecit? nec poſſumus dicere Salomonem in hoc opere
peccaſſe, quod certè nõ ſiluiſſet quæ ipſum laudat ſcriptura,
& de moneta, ait Chriſtus, Cuius eſt hæc imago? Quod ad al- Matth. 22.
teram pertinet ſcripturam de vitulo fuſili; dicendum, quod *Diluit obiect de vitulo fuſi*
reprehendantur filij Iſraël, ſicut illi de quibus Ierem. 2. dici-
tur. Sed cauillatur Caluinus, quoſdam ſentire catholicos, de
adoratoribus vituli illius, non fuiſſe adeò vecordes & ſtupi-
dos, vt metallum ſibi perſuaſerint eſſe Deum, ſed hoc in ipſis *Caluinus aſtu*
reprehenſione fuiſſe dignũ, quòd in metallo adorarẽt Deum *elabi nititur.*
& proinde eâdem ratione reprehendendos, qui Deum & ſan-
ctos in imaginibus adoramus metallinis, ligneis & lapideis.
Cui reſpondendum eſt, quod ſi hoc etiam concedatur, quod
tamen eſt improbabile, nihilominus tamen iuſtiſſimè repre-
henſos, vituli adoratores conſtat, quia ſaltem in hoc à verita-
tis ſemita exorbitârunt, quod ſuum induxerunt in animum,
Deum illũ qui eduxerat eos de ſeruitute Aegyptiaca, formã
vituli ſibi delegiſſe, vt in ea illos gubernaret, & ob hoc illi for-
mæ vituli, tanquam in qua Deus pręſideret, deferendum eſſe
cultum diuinum, tale nihil de ſuis imaginibus cõminiſcun-
tur Chriſtiani. Ezechias autẽ laudabiliter æneũ ſerpentẽ cõ-
fregit, quẽ Deus fieri iuſſerat; quia eo loci cauſam non diſſi-
mulat ſcriptura, quòd vſq; ad illud tẽpus filij Iſraël adolebãt
ei incenſum: Vnde ex eadem cauſa etiam hodie ſi cõſtaret de
tali abuſu imaginis alicuius, nec populus à ſuperſtitione per
inſtructionem poſſet cohiberi; certè magis illa eſſet tollenda.
Authoritates D. Aug. intelligendæ ſunt, de imaginum abuſu,
nec intẽdit bonum excludere earũ vſum, quæ ſimilitudinem
habent membrorum humanorum, cùm Canone 82. Concilij
Conſtantinopolitani decretũ ſit, quod Chriſtus tali imagine
quæ humana mẽbra referret potius effigiendus ſit, quã agni
ſpecie, licet approbetur & ipſa, quemadmodũ demonſtratum
eſt luculẽtius articulo de imaginibus. Verbis ſiquidẽ D. Aug.
erudimur, nos Chriſtum & ſanctos noſſe debere, potiſſimum
ex ſcripturis auditis ſeu lectis, & non ſolùm ex imaginibus;
ne detur occaſio erroris, deinde etiam, quòd ceſſante ſcriptu-
rarum inſtructione, imagines quæ ſpecies membrorum re-
præſentant, infirmas mentes, & carnalibus illicebris deditas,

 magis

magis natæ sunt curuare, & in superstitionẽ adducere. Epiphanij locus, diluendus est per hoc, quod credere non valemus, ipsum illa scripsisse verba, cuius hæc nostra est ratio, quoniam ante prælibatam sententiam, manifeste vice Colophonis addiderat, Deus autem pacis conterat sathanam sub pedibus vestris, ne scindatur vinculum pacis, & charitatis, & prædicatio rectæ fidei, tali Coronide absoluit librum suum Epiphanius. Quibus cuique perspicuum esse potest, prædicta verba à quodam Iconoclasta esse assuta. Præterea probabile est, ipsum in templo non scidisse imaginem sacrã: licet enim Iconomachi multa falsata ex Epiphanij scriptis allegassent, pro suæ vesaniæ confirmatione, Respondet tamen Epiphanius diaconus, quemadmodum habetur actione 6. Concilij Niceni 2. vel actione 6. Concilij 7. generalis: Vide, inquit, ista falsa scripta contra venerandas imagines, dicuntur esse Epiphanij, qui contra hæreses acerrimè pugnauit, non tamen sunt: cùm eiusdem discipuli templum in Cypro ædificârint, eiusdem patris nomine appellatum, & cum multis picturis illius quoque imaginem collocârunt ibidem, quod profectò nunquam fecissent discipuli, si contrariam cognouissent doctrinam Magistri, Lactantius autem non loquitur de imaginibus sacris, sed de falsorum deorum, hoc est, idolorum simulachris Concilium Elibertinum, dato quod non sit falsatum, parùm aliquem mouere debet, cùm particulare fuerit, & primus illius canon, potissimùm de non recipiendis ad pœnitentiam, redoleat hæresim Nouatianorum, negantium in fine pœnitentiam, secundum Augustinum. Vel etiam intelligi commodissimè potest, de diuinitate quæ est infigurabilis: Indignum siquidem est, tria corpora, vel tres facies in Deo comminisci, vti in libellis quibusdam cernitur delineatus, vel tanquam grandeuus & antiquus dierum promissa, ac cana barba in solio cõstitutus, quia humanis limitibus diuina non sunt circumscribenda, aut restringenda; ne gloriam incorruptibilis Dei, in similitudinem corruptibilis hominis cõuertamus. Hinc: Nõ facies tibi sculptile, neq; omnẽ similitudinẽ. Et: Nõ vidistis aliquãdo similitudinẽ, in qua Dominus locutus est in Oreb in medio ignis, ne fortè decepti faciatis vobis sculptam imaginem masculi, aut fœminæ, &c. Huic adstipulatur D. Aug. Non triformis est, vna quippe forma est, quia vna deitas, Deus pater, Filius & Spiritus sanctus, quem si cogitare conamur, nullus cogitetur per locorum spatia complexus, quasi trium corporum, sicut tricorpotem gerionem fabulæ ferunt; sed quicquid tale animo occurrerit vt maius in tribus, quàm in singulis; minusq; in vno, quàm in duobus; absque vlla dubitatione respuatur, & D. Athanasius Oratione contra

Lib ad Quoduultdeum, hæres. 36.

Deus est infigurabilis.

Roman. 1.
Exod 20.
Deuter. 4.

Epist. 177. ad Pascentium.

contra Sabellij gregales, Augustinus, Hieron. Et Damasc. inquiunt, inuisibilis & incorporei, incircumscriptibilis & infigurabilis Dei, quis potest facere repræsentationem? Insipientiæ igitur est, & extremæ dementiæ, figurare diuinitatem: Si tamen Deus reperiatur præfato modo efformatus, non sunt tales imagines impetuosa temeritate, aut præsumptuosa audacia de sacris locis eliminādæ; quin potius imperitum & indoctum vulgus est erudiendum, ne quod intuetur in imagine; opinetur rem ita se habere in veritate. Vnde Concil. Trident De inuocatione sanctorum, quòd si aliquando historias aut narrationes sacræ scripturæ, cùm id indoctæ plebi expediat exprimi & figurari contigerit; doceatur populus, non propterea diuinitatem figurari, quasi corporeis oculis conspici, aut coloribus exprimi possit.

Lib. 8. de Trinit ca. 2. Lib. de fide et symbolo cap. 7.
In 4. cap. Esa.
Lib. 4. orthod. fidei cap. 17.
Deitas quatenus depingi valeat.
Sess. 25. §. 3.

Veneramur quoque Deum & sanctos, festorum celebrationibus. CAPVT LXV.

QVANDOQVIDEM de festorum solennitatibus & institutionibus commodior in tertio præcepto restat dicendi locus, non absonum alicui videri debet, si illis inpræsentiarum supersedeamus.

Honoramus Deum & sanctos etiam peregrinationibus. CAPVT LXVI.

QVAMVIS caninis latratibus perstrepentes, ac patulis rictibus mordentes, Ioannes Caluinus Institutionis Christianæ, necnon Erasmus in epistola sui Enchridij dedicatoria, calumnientur, peregrinationes sacrorum locorum esse cultum inutilem, religionemque superstitiosam, tamen sancti iuxta ac docti patres nihil prius viliùsve cognouerunt, quàm intimo cordis affectu inuisere sacra limina Petri Apostoli, aliorumque sanctorum, quorum reliquias aut iconas in hoc vel illo loco, sacrosancta conseruat ecclesia. Imò ipsis priscis veteris testamenti patribus, hic cultus plurimum fuit cordi, quando tribus in anno vicibus, magno prolixi itineris labore, apparere debuerunt, iussu diuino Hierosolymis. Rebecca quoque Genesis 25. perrexit, vt consuleret Dominum ad aram Abrahæ, vbi orationes fundere consueuerat, teste August. Caleph quoque deprecandi gratia peregrinatus fuit ad mausolæa patriarcharum principalium, quorum corpora tumuli penetralibus inclusa, requiescebant in Hebron, & quemadmodum insinuatur Iosue 14. quando dicitur in singulari numero, terra quam calcauit pes tuus, erit possessio tua. & Num. 13. Et ascenderunt per meridiem, exploratio-

Lib. 1. ca. 11. sect. 10.
Exod. 34. & 2 Paralip. 8.
Lib quæst. super Gen. c. 72.
Genes 23.
Peregrinationes tēpore veteris test. fuere.

ploratores scilicet; & subditur in singulari: & venit, nimirum solus Caleph in Hebron, vt manifestè patet ex Hebraica veritate, quæ sic habet, Vaiialou bannegebh vaiiauo, quia secũdum Rabbi Salomonis elucidationem, & V. patris Nicolai Lirani expositionem, solus Caleph properauit in Hebron, oraturus ad sepulchra patrum, quatenus eum Dominus celica fiducia præueniret, firmaretque, ne aliorum exploratorum vulgaribus hominibus timorem inutilem incutientium, deceptionibus, à recto veritatis tramite flecteretur. Haud dissimili religionis affectu fecit Absalom quando dixit, Vadam & reddam vota mea, quæ voui Domini meo in Hebron: Cui suffragatur in eundem locum Angelomi commentarius, intelligentis prædictam sententiam de peregrinatione. Quam vsitatissimam fuisse reperimus in nono etiam testamento: nam Magi ab Oriente venerunt Hierosolymam & Beth-lehem. Eunuchus Candacis reginæ Aethiopum venit, vt adoraret dominum in Hierusalem Act. 8. Huc etiam profectus est Alexander episcopus Cappadocum, qui Hierosolymæ diuino oraculo præmonitus mitra pontificali Hierosolymæ fuit redimitus, secundum Euseb. D. Ignatius Ioannis Euangelistæ discipulus scribit ad dilectissimum præceptorem obsecrando, vt per eum liceat petere Hierosolymam, desiderio visendorum sanctorum, præcipuè virginis Deiparæ, cuius, plurimos secum contuitum contactumque, omnibus votis optare adserit. Origenes etiam voto se obstrinxit, vt inuiseret limina Petri Apostoli, cuius voti compotem fuisse effectum adseuerat Euseb. Ioannes quoque Chrysostomus sic loquitur ser. 3. in Epistolam ad Romanos. Ego Romam propterea diligo, tametsi aliunde queam illam laudare nempe à magnitudine, ab antiquitate, à pulchritudine, à multitudine, ab imperio, à diuitijs, à rebus in bello fortiter gestis: Sed dimittens omnia ob id illam beatam prædico quod erga illos Paulus dum viueret adeo fuit beneuolus, adeo illos amauit ac coram differuit & postremo vitã apud illos finiuit. Cuius sanctum corpus ipsi possident, & propterea ciuitas illa hinc facta est insignis magis quam ab alijs rebus omnibus & tanquam corpus magnum ac validum duos habet oculos illustres sanctorum videlicet corpora. Non ita cælum splendescit quando radios sol demittit, quemadmodum Romanorum vrbs, duas illas lampades vbique terrarum effundens. Hinc rapietur Paulus, illinc Petrus, considerate & horrete quale spectaculum visura sit Roma, Paulũ videlicet cum Petro ex theca illa repentè resurgentẽ in occursum Domini sursum ferri. Qualem rosam Christi mittet Roma? Qualibus coronis duabus ornatur vrbs ista? Qualibus cathenis aureis cincta est? Qua-

[Margin notes: 2. Reg. 15. — Math. 2. — Lib. 6. Eccles. hist. cap. 9. — Episcopi peregrinati.]

les habet fontes? Propterea admiror hanc vrbem non propter copiam auri, non propter columnas, neq; propter aliam rem, sed propter columnas illas ecclesiæ. Quis mihi nunc dabit circumuolui corpori Pauli, affigi sepulchro videre puluerem corporis illius quæ adhuc in Christo deerant adimplentis stigmata illius gestantis? Hoc ipsum contemplabatur beatus Ioannes Chrysostomus in memoriam reliquiarum sanctorum illorum Apostolorum adeo, vt maximo teneretur desiderio illas visitandi, imo dicit alio in loco, quod nisi impeditus multis curis ac Ecclesiæ occupationibus fuisset, & si per sanitatem corporis licuisset, nihil in mundo eum cohibuisset à suscipienda peregrinatione illa Romana, vbi cathenas illas & carceres, quibus Apostolus constrictus fuit, videre posset. Haud secus D. Augustinus proponit visitare sacras D. Hieronymi reliquias in Beth-lehem, vti habetur epistola 205. ad Cyrillum episcopum Hierosolymitanum. Quin & imperalis maiestas accedit illa amplexura sepulchra, & fastu deposito, stat sanctis supplicatura, vt pro se apud Deum intercedant, teste Chrysost. ad populum Antiochenum & scenatum fabrum, id est, Paulum & piscatorem, id est, Petrum etiam mortuos, vt protectores orat, Imperator, qui redimitus incedit. Nec hoc tantum Romæ quis fieri viderit, verùm & Constantinopoli: nam Constantini ipsius filius, honore magno censuit haberi, si pro foribus piscatoris, paternum corpus collocaret. Et paulò post, quò regias aulas videat, nullus vnquam peregrinatus fuit, multi verò reges plerunque huius spectaculi gratia peregrinati sunt, quemadmodum liquido constat ex Ruffino de Theodosio. Et Helena Constantini mater, crucem Domini honoratura, profecta est Hierosolymam, secundum Theodoretum. Necnon Imperatrix Eudoxia, orandi causa illuc quoque iter arripuit, teste Nicephoro. Nec solùm isti dominatores ac moderatores orbis Christiani, tam spirituales quàm seculares quasi ocio torpidi, & diuitiarum abundantia nimis onusti, loca sacra visitârunt, nam & pagani idem factitare consueuerunt, secundum Valerium Maximum ac etiam plebei & vulgares homines, quoniam parentes sanctæ Agnetis, supplicandi gratia visitarunt suæ sacrum sobolis tumulum, & mirabili apparentis virginis gloria & splendore, quasi renouati, domum concesserunt, teste Ambrosio. Augustinus etiam duos sacris initiatos inducit, atque horratur peregrinari atque visitare corpus sancti Felicis Nolensis episcopi. Item Greg. miratur Rusticanum cur deliberatæ viæ eundi ad loca sancta, intentionem & votum deflexerit, cùm nihil necesse sit mente concipi, quin debeat celeri deuotione compleri. Ioannes Chrysost. salutari-

Serm. 5. de S. Iob.

Homil. 66.

Lib. 11. c. 33.

Lib. 1. ca. 18. Eccles hist. & Tripart. hist. lib. 2. ca. 18.

Lib. 14. cap. 30. & 32. ac Tripart. hist. lib. 12. cap. 9.

Lib. 1. cap. 1.

Serm. 90.

Epist. 137. ad Clerum.

Lib. 2. Epistol. epist. 21.

salutaribus monitis suos tanquam calcaribus instigabat, peregrinari in Arabiam, ad visendam osculandamque terram & fimum, in quo sanctus Iob vlceribus plenus opprobrijsque saturatus, vtcunque quieuisset. Neque hæc peregrinatio adsumitur à fidelibus, cupiditate videndorum locorum; aut curiositate antiquitatum, sed, teste Augustino, populus Christianus memorias martyrum religiosa solennitate concelebrat, ad excitandam imitationem, & vt meritis consocietur, atque ex ipsorum locorum admonitione, maior affectus exurgat ad acuendam charitatem, & in illis quos imitati possumus, & in illo quo adiuuante possumus & orationibus adiuuemur: nam sanctorum cinis, ossa & fauilla inuisibiles illas potestates dilaniant. Quocirca regalibus sepulchris hæc sanctorũ monumenta sunt clariora, teste Chrysostomo. Animæ quoque defunctorum refrigerij sedem, luminis claritatem, peregrinationibus sanctorumque corporum visitationibus, adipiscuntur secundum Augustinum. Et Ambrosius de obitu Theodosij, vbi fides est, ibi est exercitus angelorum, bona itaque fides operatur in mortuis, frequenter denique aduersarius, ac legationes eius quotidiana martyrum virtute torquentur, vnde arbitror, inquit, quòd fila chordarum cytharæ ideo fides dicantur, quoniam & mortua sonum reddant, vti luculenter patet apud Augustinum. Nam Alexandrini peregrini protecti sunt, stupendo miraculo, ne latrones sibi aliquam vim inferre possent, ac vt omnes alliciat Chrysostomus, Quid miserius illis est, inquit, qui conuentũ istum splẽdidum derelinquunt, quo sanctorum corpora visitamus, & quid vobis beatius, qui ad tantam sollennitatem concurrere voluistis? Et Ambrosius pronuntiat illos plurimùm damni passos, qui nuper memoriæ Petri & Pauli nõ interfuissent, & econtra plurimum illis lucri spiritualis accessisse qui adfuissent. Quotiescunque ergo martyrum memoria recurrit, prætermissis omnibus sæculi actibus, sine aliqua dubitatione cõcurrere debemus, illis reddituri honorificentiam, qui nobis salutem sui sanguinis effusione pepererunt, præsertim cùm Dominus dicat: Qui vos spernit me spernit. Et Epiphanius testatur, tantam hominum multitudinem ad monumentum Ezechielis prophetæ confluere, precum & obsequij causa, vt loci incolæ Chaldæi, metuant, ne eum aliquando asportent. Fortasse hæretici calumniabuntur peregrinationes fidelium, duntaxat esse corporis recreationes, & perditissimi luxus, occasiones. Profectò inficias ire nequimus quin Ambrosius & Augustinus acerrimè agant in illos, qui visitando martyrum sepulchra, carnis illecebris indulgent, & omnis generis dissolutionibus vacant, sicut Concil. Cabilonen. 2. inuehitur contra illos,

Homil. 5. ad pop. Antioch.

Lib. 20. cõtra Faust. cap. 21.

Cuius rei gratia fiant peregrinationes.

Homil. 66. ad pop. Antioch.

Ser. 44. ad fratres in eremo.

Epist. 206. cap. 6.

Serm. de Ascensione Domini.

Serm. 6.

Luc. 10.

Lib. de vitis prophetarum.

Obiectio ex abusu

Lib. de Elia et ieiunio ca. 17.

Lib. 20. cõtra Faust. ca. 20.

Cap. 25.

illos,qui temeraria præſumptione exiſtimant ſeſe probe egiſſe, ſi vrbem Compoſtellam aliâve ſacra loca ſolo orationis prætextu luſtrârit.Nō enim Hieroſolymam vidiſſe,ſed Hieroſolymis bene vixiſſe,laudandum eſt,Hieronymo teſte,epiſtola ad Paulinum: Quid enim ſi multi peregrini non euadant meliores, ſed deteriores, qui ſe per mare, per terras circunferentes, cælum non animum mutant, vt habet Seneca. Non enim per Apenninum montem, vel alium quempiam,non per famam vel fortunam,&c.inquit,peruenitur ad ſummum bonum;ſed per animum rectum,quia non alia ratione Deo ſimilis effici anima noſtra poteſt. Num ideò peregrinatio exibilanda & abroganda,quòd illi ſeſe propria immiſceat ſenſualitas, aut aliquis abuſus irrepat & inualeſcat? Ergo eadem ratione & opera erunt improbanda,quòd in illis aliqui cum Phariſæo intumeſcant, omnes relinquant mundum,quia in maligno poſitus eſt,omnes diuitias abrumpant, potius quam abijcianr,quia multi ijs pereunt,vino omnes renuntient, quia in eo eſt luxuria: Sicque non attendentes bonum alicuius rei vſum, ſed abuſum, qui poteſt ex hominum malitia, caſu aut ignorantia contingere, contemnamus omnes Dei, cum Manichæo, creaturas, quas ipſe creauit valdè bonas;omnia ſiquidem peruerſæ poſſunt peruertere mentes: Nec aliquid eſt tam ſanctum tamque eximium, quod non queat mala mente proſcribi,ac hoc argumēto reprobari,cùm quis abutitur,quibus vti incumbebat. Quò autem maturiùs huic abuſui occurrere valeat ſacroſancta mater Eccleſia, tria potiſſimum decreuit peregrinaturis obſeruanda: Primò vt nemo viſitare ſacra loca præſumat, niſi licentia prius à paſtore obtenta,quemadmodum docetur in Concil. Laodiceno & Salegunſtadienſi cap 16. à quo canonicas & teſtimoniales literas conferre debeat. Secundò debent proficiſci pro indulgentijs adipiſcendis aut peccatis emendandis aut votis adimplendis,teſte concilio Tridentino. Tertiò humili exomologeſi Deo reconcilientur, proximisq; ſatisfaciant, antequàm viam carpere incipiant,ſecundùm Concil. Cabilonen. 2. Poſſunt nihilominus rei voti,interdum ab itineris prolixo labore abſolui, ſecundùm Concilium Lateraneu. ſub Alexandro tertio celebratum,maxime quando Apoſtolica authoritas ſua indulgentia impartita,dimittit,aut commutando relaxat. Illi quoque qui nō ſunt ſui Iuris, vt pueri & mulieres,poſſunt à ſuo Epiſcopo abſolui, nec ad ſedem Apoſtolicam pro abſolutionis beneficio properare debent, ſi manus violentas fortaſſis in clericum iniecerint, Tir. de illis qui incidunt Canonem latæ ſententiæ. Pari modo, eoſdem excuſatos crediderim, ſi votum eleemoſynis redimatur, ne cogantur diſſitas peragra-

Lib. 3. epiſtola vltima.

Epiſt. 31. li. 4

1. Ioan. 5.
Matth. 19.
Epheſ. 5.

Tria peregrinaturis obſeruanda.

Ca. 41. et 42. & allegatur de cōſecr. diſt. 5. cap. Non oportet.

Seß. 25. in principio.

Cap. 45.

A voto qui abſolui valeant?

Tit. de pactionibus cap. 35.

Eiuſdē Concilij cap 12.

Tit. de pœnitē. cap. 3. & de pact. cap. 38. eiuſdē Concil.

peragrare, maxima locorum intercapedine, regiones.

Honoramus Deum & sanctos supplicationibus & circumgestationibus.

CAP. LXVII.

RELIQVA pars disciplinæ quæ processiones & supplicationes concernit, in eo est, vt pro temporum necessitate plebem exhortentur pastores, ad sollennes supplicationes, quarum nec tempus, nec modus, nec forma præscribitur verbo Dei, sed Ecclesiæ iudicio relinquitur. Huius partis obseruatio, sicuti est vtilis, ita veteri Ecclesiæ ab ipsis vsque Apostolis, semper fuit vsitata. Quanquam ne ipsi quidem Apostoli primi fuerint authores, sed exemplũ sumpserint ex lege & prophetis. Videmus enim illic quoties graue aliquod incidebat negotium, conuocatam fuisse plebem, supplicationes, ieiunia instituta, teste Iuone. Sic Exodi 15. Moyses conuocata multitudine virorum, dulci modulo, magnificauit Dominum, gratiasq; ei egit, pro beneficio singulari, quo barbarum illud rubri maris elementum, solidum viantibus Iudæis præbuisset obsequium, Iudith. 16. persoluunt grates Domino Deo, de victoria manu fœminæ parta, Hester. 4. Congregati sunt Iudæi iussu Reginæ, vt instantissimis precibus ad thronum gratiæ Dei pulsarent, quatenus impendenti exitio eximi possent. Propterea Salomon deprecatus est, vt si fames suborta fuisset in terra, aut pestilentia, aut ciuitas obsessa, vel etiam si clausum fuisset cælum, & nõ plueret super terram, propter hominum peccata, orantes in loco sacro conuersi essent; exaudiret, atque in omni tribulatione succurreret. Huiusmodi supplicationes vsitatas, cognoscere licet ex Iosepho: Nam Iaddus Princeps sacerdotum, propter timorem quem Iudæis incusserat Alexander Imperator, diuino oraculo præmonitus, instituit multitudinem vestibus albis indui, antistites bissinis stolis ornari, principem autem sacerdotum hiacinthina & aurea stola amiciri, habentem cidarim in capite, & super frontẽ laminam aureã, in qua nomẽ Dei Tetragrammaton scriptum erat. Ciuitatem etiam sertis & coronis ornari. Hoc ergo sequuti sunt Apostoli, quod populo Dei nouum non erat, & vtile fore prouidebant: quando enim primus papa, vertex Apost. Petrus erat carceri mancipatus, oratio fiebat sine intermissione ab Ecclesia ad Deũ pro eo, & stupendo miraculo liberrimè euasit. Sic in summa habendum est, quoties de religione incidit controuersia, quam vel Synodo, vel Ecclesiastico iudicio finire oportet, quoties tractatur res aliqua difficilis, ac magni momenti: quoties deniquè

Marginalia: *Supplicationes quàm antiquæ.* — *Part. 4. c. 50.* — *3. Reg. 8. & 2. Paral. 6.* — *Lib. 11. ca. 8. Antiquit. Iud.* — *Actor. 12.* — *Quando supplicationes indicendæ.*

denique apparent indicia irę Dei, vt sunt pestilentia, bellum, fames, hoc sanctum est & salutare institutum, ac commune in periculis Christianorum asylum, vt pastores ad publicum ieiunium, & extraordinarias preces plebem horrentur. Profectò Hugo de sancto Victore testatur, tres præcipue supplicationes seu sollēnes rogationes in Ecclesia seruari solitas, prima fuit in purificatione Mariæ, cum cereis & lucernis, de qua ei coëtaneus beatus Bernardus. Præter aliarum sollennitatum consuetudinem, inquit, hodie acturi sumus processionem & procedemus bini, candelas habentes in manibus, ipsasque succensas, non quolibet igne; sed qui prius in ecclesia sacerdotali benedictioue sit consecratus. Secundam habemus in ramis palmarum, cū floribus & palmis, de qua idem Bernardus. Nec mysterio vacat quod populus Christianus crucem quæ circumgestatur Dominica in ramis palmarum, dissolutis templorum aditibus, tanquam adapertis cælorum repagulis, impetere contendat, & certatim in ipsam flores & ramos proijcere: nihil enim hoc aliud significat, quam, quod redemptionem nostram, cælique apertionem, illi soli, quem ramis victoriæ impetimus, feramus acceptam, quod & seruatum fuit antiquitus: nam Simon intrat, cum palmis, victoriam significantibus, quatum vsus etiam erat Romanis, teste Plinio & Aulo Gellio. Nec obstat quod tempus redemptionis octiduo prænenimus: quia propter infallibilem certitudinem, prophetiæque euidentissimam veritatem, quæ futura erant, facimus tanquam præterita, teste Augustino, Ambros. Leone, sicuti Esa. 50. dicitur, Corpus meum dedi percutiētibus & genas meas vellentibus: & 53. Verè languores nostros ipse tulit, & dolores nostros ipse portauit: nam potitū victoria, ante certamen Christum gaudemus, atq; ante belli conflictum, intrepidè canere consueuimus triumphum. Tertiam sub Ascensionem Domini, quę lytania non est ab heri & nudius tertius inuecta, sed tempestate Augustini tribus diebus, strictissima disciplina, fuit obseruata. Nec alicuius negotij prætextu, fas erat se conuentui Ecclesiæ subtrahere, quin potius ieiunijs & cilicijs angi, & pro reconciliatione ad Deum exclamare. Significant autem lytaniæ, supplicationes publicas, hoc est, precationes ad Deum & ad sanctos, cùm aut proceditur ex templis in templa, aut circumitur, extra vel intra templa, vt habet adhuc in vsu catholica Ecclesia. Vnde concil. Maguntinum 1. Lytaniæ Grecè dicūtur, Latinè Rogationes, quæ tribus diebus à patribus institutæ sunt, ad rogandū Deū, & impetrandam eius misericordiam, super quacunque tribulatione, nec splendidis aut cultioribus vestibus fieri debēt, sed discalciati, fideles, cinere & cilicio, nisi infirmitas impedierit, induti,

Lib. 4. erudit. Theolog. c. 14.

Tres sollennio-res supplicationes.

Serm. 2. eiusdē sollennitatis.

Cæremonia diei Palmarū.

Serm. 2. eiusdem diei.

1. Macha. 13.

Lib. 5. cap. 6.

Lib. 13. ca. 4.

Certitudine prophetiæ, præteritū ponitur pro futuro.

Tract. 105. in Ioā. Ser. 109. de temp.

Lib. 1. de fide cap. 7. lib. 3. cap. 4. lib. 1. de Abrahā ca 8.

Serm. 18. de pas. Domini.

Serm. 172. & 173. de temp.

Ca. 32. et 33

Rigor disciplinæ veteris Ecclesiæ.

induti, procedant. Isti canones promulgati sunt Anno 800. vel circiter. Nam tempore Caroli magni celebratum fuit istud Concilium, cuius canones inseruit suis constitutionibus, quæ hodie sub titulo Caroli magni circumferuntur. Et Concil. Aurelianen. 1. sic habet Rogationes, id est, lytanias, ante Ascensionem Domini placuit celebrari, ita vt præmissum triduanum ieiunium, in Dominicæ Ascensionis sollennitate soluatur, per quod triduum serui & ancillæ ab opere relaxentur, quo magis plebs vniuersa conueniat. Non ignorandum est tamen, duplices esse in sancta Ecclesia lytanias Minores & Maiores: Minores appellari consueuerunt, teste Carolo Magno, Sigeberto, Ruperto, Iuone, quæ sollennibus processionib⁹ ante ascensionē Domini celebrātur, institutæq; sunt à Mamerto, Episcopo Viēnēsi circa annū Domini 430. propter grauem illius regionis afflictionem: nam lupi turmatim ciuitates inuadentes, omnia cadaueribus oppleuerunt, Deo, peccatis exigentibus, permittente, in quibus triumphatoris cælos ascendentis insignia cruces, & vexilla præferebantur, quemadmodum refert Ado Episcopus Viennensis. Et Greg. Turonen. Cœpit autem vsus portandi cruces, & vexilla in processionibus, à tempore Constantini magni, qui labarium, hoc est, signū & vexillū, teste Ambros. Crucis imagine insignirū, suis militibus adorandū, hostibus expauescendum, præire mandauit, teste Ruperto Abbate Tuitiensi, vbi suprà. hist. Tripart. & Eutropio. Similē cum cruce supplicationē, celebrarūt in Cæsarea Palæstinæ cū reliquijs S. Anastasij martyris, vt habetur Act 4. Niceni Cōcil. 2. Maiores verò lytanias instituit Gregor. magnus, qui floruit circa annū Dom. 590. Has celebramus in festo D. Marci Euāgelistæ, nam cùm post ingens diluuium, in Italia, pestilentia inguinaria, infinitam hominum multitudinem extinxisset: & Pelagium papam è medio abstulisset, Gregorius qui tunc Leuita erat, omnium calculis suffragijsque suffectus, septiformem lytaniam instituit, in qua totum vrbis populum septuplici diuisione distinxit. In prima clerum vniuersum, in secundo choro, omnes abbates & monachos, in 3. omnes abbatissas cum sanctimonialibus suis. in 4. infantes, in 5. omnes viros laicos, in 6. viduas, in 7. omnes mulieres coniugatas, teste eodem Gregor. Paulo diacono, Sigeberto autem in Chronicis adscuerat, quod hi septem ordines ex alijs basilicis egrediebantur, vsque ad basilicam Dei genitricis, vbi omnes congregabantur. Hæc ergo dicitur maior, quòd à maiori, id est, summo Pontifice instituta sit: Illa minor, quod à simplici Episcopo introducta Nemo tamen sibi persuadeat, hisce solùm diebùs institutas esse supplicationes & lytanias, celebri cultu obseruatas, cùm circa Annum

Margin notes:

Cap. 20.
Cap. 29. circa annum Domini 516.
Duplices Lytaniæ.
Lib. de ritibus Eccles. ad Alcimium.
Lib. 9. de diuinis off. ca. 5.
Part 4. c. 11.
Cruces in supplicationibus.
In Chronic. de 6. ætate c. 111
Lib. 2. histor. cap. 34.
Epist. 29. ad Theodosium.
Lib. 1. cap. 5. & 9.
Lib. 11. de Cōstantino.
Ordo processionis generalis à D. Gregor. distinctus.
Li. 11. epist. 2
Lib. 3. de gestis Longobardorum ca. 11.
Lib. 10. ca. 2.

Annum Domini 536. Agapitus Papa instituerit singulis diebus Dominicis processiones, & supplicationes esse sollennizandas, quemadmodum habent Chronica Martiniana. Similiter alijs anni temporibus, toties rogationes & supplicationes sunt celebratæ, quoties ciuitates aut regna aliqua aduersitate fuerunt tribulatæ, aut angustia afflictæ, sic rogationes institutę sunt in ciuitate Arelatensi, in medio quadragesimę, propter inguinariam tabem, & votis potiti sunt, secundum Gregor. Turonen. Aliæ quoq; lytaniæ institutæ leguntur in Concil. Toletan. 5. tribus diebus, singulari cultu obseruandæ idib Decembris, quæ confirmantur eodem Concil. 6. Sic alijs temporibus procellis inhorrescentibus sedulo cordis affectu, homines se rogationibus & supplicationibus dederunt: Nam cùm Alexandriæ vis aquarum adeo inundasset terram continentem, vt cataclysmo ad locum suum recepto, in tectorum tegulis, scaphæ marinę essent repertæ; supplicationibus, diuinam opem implorantes, exauditi sunt, teste Nicephoro, & Constantinopoli ob minas diuinitus factas, sub Proclo Archiepiscopo, populus sollennes celebrauit supplicationes, sub quibus puer in aëra mirabiliter subleuatus, Angelico ministerio instructus, descendit populum docturus Trisagium, Sanctus Deus, Sanctus fortis, Sanctus & immortalis, miserere nobis, quod populus frequenti iteratione ac pia intentione replicans, Deo est reconciliatus, vltricem manum euadendo, secundum Ioannem Damasc. & Niceph. & confirmatur Constantinopolitano Concil. 5. Sic Anthiochiæ in publicis supplicationibus, carmina miscebāt luctuosa, ad commiserationem in tempore tribulationis mouendam, secundum Niceph. Hinc Concil. Laodicenum, præcipit in processionibus, singulorum Psalmorum ordinabiliter debere fieri lectionem. Et propter pluuialem tempestatem celebrata est lytania, in qua Theodosius Imperator priuato abiectoque habitu incessit, ibidem, Hic iam plenis buccis stomachatur Ioannes Caluinus & Melanthon, quòd cum pompa venerabile sacramētum circumgestamus, ac sanctorum reliquias, vel statuas, circumferamus, cum Chronica Martiniana, luce meridiana clariùs doceant, D Gregor. fecisse supplicationes à Laterano vsque ad sanctum Petrum, circumferendo capita sanctorum Apostolorum Petri & Pauli, quibus ita animati fuêre Romani, vt Imperator Fredericus maluerit soluere obsidionē Romanis paratam, quàm inutili insultu confusus, animosos efficere fortiores. Item, præeuntibus turbis & choreis ac cantibus Dauidicam melodiam insonantibus, reliquias clarissimi victoris, martyris Babilæ, & qui cum illo vna decertârant, adolescentum quorundā, deportatas legimus. Episcopus etiam

Supplicationes Dominica.

Li. 4. hist. c. 5

Cap 1.

Cap. 2.

Varijs téporibus, supplicationes certas ob causas indictæ.

Lib 10. eccle. hist. cap. 35.

Trisagium.

Lib. 3. orthod. fid. cap. 10.

Li. 14. Eccles. hist. cap. 46.

Lib. 12. c. 43.

Cap. 17.

Theodosius in supplicatione procedit.

Lib. 14. ca. 3.

Lib. 4. Instit. Christ. ca. 17. sect. 35. et 37

In Apolog. pro Bucero.

Cauillum hareticorum.

Lib. 3. Theodoreti cap. 10.

Diuersa reliquia in suppli-

cationibus deportata. etiã portat pignora ſancti Stephani cum magno populorum conſenſu, teſte Auguſt. Sic Childebertus rex & Chlothatius
Li.22. ciuitatis Dei, ca.8. ciuitatem obſederunt Cæſaraugustanam, quod ciues agnoſcentes, cilicijs humiliati, ac ad Deum conuerſi, tunicam S. Vincentij martyris, muris ciuitatis, dulciſſimis pſallentium vocibus, deportando; plebeis eam fuſis lachrymarum imbribus in ſequentibus, circumierunt; quorũ circuitus rationem,
Lib.3.ca.29. obſidentes cùm agnouiſſent, teſte Gregor. Turonenſ. timore perculſi, ciuitatem reliquêre inuictam. Fertur etiam, ac veridica aſſertione tenetur, D. Gregorium, in ſolenni proceſſione Imaginem glorioſæ virginis Mariæ deportaſſe, quam proprijs, D. Lucas Euangeliſta, manibus compoſuerat, teſte Ni-
Li.15.ca.14 ceph. Si magno cordis iubilo, magnoq́ue apparatu tubarum & timpanorum eiuſque generis aliorum, Arca fœderis in
Ioſue 3. & tranſitu Iordanis filiorum Iſraël, & circumitu ciuitatis Ieri-
2.Reg.6. cho, à ſacerdotibus Domini venerabiliter legitur deportata,
Ser.22.et 80 & apud D. Ambroſium ſanctorum reliquias, ſtatuas, aut imagines, laudabiliter in proceſſionibus nouimus deportatas; multò magis venerandum ac tremendum ſacramentum: hoc enim præmonſtratum eſt nobis in figura, quando arca à
Ioſue 6. & ſacerdotibus, magnis ſolẽnijs fuit deportata, quam licet ado-
2.Reg.6. rare nemo potuerit aut præſumpſerit; indignationem tamen omnipotentis Dei euadere non potuerunt Oza & Michol
Super Pſa.98 vxor Dauidis, quando gloriæ Dei detraxerunt. Vnde Auguſtinus, Non peccamus adorando iſtud ſacramentum, ſed peccamus non adorando. Nec obſtat quod nullibi ſit à Chriſto
Matth.20. præcepta circumgeſtatio, aut adoratio: quia Chriſtus non venit in terras, vt adoraretur & honoraretur; ſed vt illuderetur ac crucifigeretur. Nemo tamen ſanæ mentis, tres Magos
Matth.2. Matth.26. Et idololatras dixerit, nec Mariam Magdalenã culpauerit, quan-
Ioan.12. quam nullum habuerit pręceptum effuſionis vnguenti, cùm ore Dominico laudetur. Rurſus cedentes ramos de arboribus, ac veſtimenta ſternentes in via, item clamãtes Ozanna, nullum habuere præceptum, tamen tantum abeſt, vt reprehenſi ſint inſolentiæ, vt etiam lapides clamaſſent, niſi ipſi di-
Cap.19. uinas laudes perſoluiſſent, ſecundum Lucam. Vnde Con-
Seſſ.13.ca.6. cil. Trident. Si quis dixerit in ſancto Euchariſtię ſacramento vnigenitum Dei filium non eſſe cultu latriæ, etiam externo, adorandum; atque ideò nec feſtiua peculiari ſollennitate venerandum, neque in proceſſionibus, ſecundum laudabilem & vniuerſalem ſanctæ Eccleſiæ ritum & conſuetudinem, ſolenniter circumgeſtandum; vel non publicè, vt adoretur, populo proponendum; & eius adoratores eſſe idololatras; Anathema ſit. Nec alicuius roboris eſt argumentum, quo ſe triumphare iactitant aduerſarij ex Baruch 6. Vbi idololatriæ inſimu-

insimulat eos Hieremias Propheta, qui deos aureos, argenteos ac ligneos in humeris portarent; quo conficere volunt, non circumgestandum statuam aut imaginem Petri, aut alicuius cæterorum sanctorum, ne idololatriæ crimen incurrere videamur. Verum enimuero quis vnquam fidelium somniauit simulachrum Petri, aut imaginem Pauli esse Deum? Quis vnquam docuit imaginem Stephani, aliquid numinis habere? Tantum abest vt imagines dicamus esse deos & statuas, vt nec prototypa credamus, aliquid cum diuinitate habere commune. Præterea vel ipsum capitis allegati ex Baruch argumentum, diluit ipsorum cauillum, quando ait: exemplum epistolæ quod misit Ieremias ad abductos captiuos in Babylonia, timebat siquidem vt conuersatione paganorum allecti, discerent, idololatrando, ac Deum Israël abiurando, opera eorum. Nec aliquem inuadat admiratio oportet, quod iam sagittarij armati, apparatu quasi bellico instructi, non aliquod religionis aut pietatis specimen, sed fastuosam vanitatem exhibentes procedant; quia plurimi eorum, licet classicum canituris sint externo quasi apparatu præparati, tamen intimis cordis medullis credendi sunt Deum inuocare, (nisi fraudem patiatur intentio) sicuti legitur, vbi pugnantes gladijs, leuabant puras manus ad Deum, sic 2. Esdræ 4. vna manu faciebant opus, altera ad pugnam tenebant gladium, quo maximè opus erat. Circa Annum Domini millesimum, propter truculentam ipsius Berengarij impietatem & blasphemiam, qua istud tremendum Eucharistiæ sacramentum, cum suis sequacibus conculcare satagebat; Ecclesia tribulationibus succrescens, & ex malis multa bona eliciens; statuit suauissimum festum omni iucunditate repletum, summis laudibus celebrandum, & sacratissimam Eucharistiam circumferendam aliquando, hæreticis vel inuitis. Quod ergo tunc fuit necessitatis, propter rabiem iniquorum Berengariorum; potest iam esse & deplorandæ necessitatis, ac etiam laudabilis erga tantum sacramentum, sicut Iosue 6. legimus animositatis & pietatis.

Locus Baruc exponitur.

Occasio supplicationis in armis.

2. Macha. 15.

Tremendũ sacramẽtum raro est deportandum in supplicationibus.

Clement. de veneratione sanctorum ca. Si Dominum.

Honoramus Deum & sanctos, luminaribus & candelarum incensionibus. CAPVT LXVIII.

QVANQVAM Phrænetici spiritus obganniant, sub prætextu religionis, propè gentilium cultum in ecclesiam introductum, quãdo vident cereos meridiana luce accendi, tamen hoc cauillum non ipsi primùm confinxerunt, sed quod in putrido fonte, Vigilantio hæretico, repererunt, vesana mente hauserunt; magis volentes in tenebris ambulare, quàm in luce veritatem cognoscere. Non enim

Vsus candelarum scripturis est cõsentaneus Gentilium ritũ inducimus, nec Deũ istis indigere cognoscimus; sed Deo in scriptutis loquenti, obaudimus, qui precipit fieri candelabrum, inquiens, Facies candelabrum ductile de
Exod.25. auro mundissimo, cuius sex calami egredientur de lateribus, tres ex vno latere & tres ex altero. Sequitur, facies & lucernas
Exod.27. septem, & pones eas super candelabrum. Et: Præcipe filijs Israël, vt adferant tibi oleum, vt ardeat lucerna semper in ta-
3.Reg.7. bernaculo testimonij extra velum. Et: Salomon fecit 5. can-
Replicant hæretici. delabra aurea. Verùm respondebunt hæretici, Nihil ad nos vetus testamentum. Equidem fatendum est: alioquin namq; candelabra auro purissimo fabrefacta habere deberemus, sed vti tunc temporis, Deus his non indigebat, nec quasi cæcutiens in tenebris palpitabat, ita nec modò. At isti viri misericordiæ, si dijs placet, censent non inutilem cãdelarum faciendum esse sumptum, sed pauperum inediam esse subleuandam. Profectò tali pietate commotus, imò auaritiæ facibus succensus, Iudas, idem Domino (qui scrutatur renes & cor-
Ioan.12. da) proposuit, quando Mariam Magdalenã infructuosi ope-
Matth.26. ris insimulauit, qui vel inuitus audire fuit compulsus, quanquam nihil emolumenti Christo inde accresceret: Cur molesti estis huic mulieri? Bonũ opus (non malum, vt existimas) operata est in me. Quem fructum adeptus est Deus, ex tam numerosis victimarum oblationibus? Quid lucri ex tantis vi-
Ambros.lib.3 tulorum sanguinibus? Quid, obsecro, lucis nactus est ex im-
Offic.cap.14. mortalibus & perpetuis ignibus, qui est lux vera illuminans
Leuit.6. omnem hominem venientem in hunc mundum? Nihil pœ-
2.Machab.1. nitus: Maluit tamẽ sibi illa, quàm idolis fieri, & gratitudinem
Ioan.1. animi, obsequijs externis ostẽdi, quemadmodũ habet Chrys.
Homil.17.in & Theophilact. quo docet vt honorẽ quẽ Deo debemus, præ-
Genesim. feramus omnibus, etiã misericordiæ operib⁹, cui suffragatur
Super 26. sentẽtia scripturæ: Tua sunt omnia, & quæ accepimus, inquit
Matth. Dauid, de manu tua, dedimus tibi. Nec aliquis suggillet, aut
1.Paral.vlt. exulcerato animo subsannet sacrum istum cãdelarum in no-
In colloquijs. uo Testamento vsum, quod Erasmus eas derideat. Et Lactã-
Temeritas E- tius Firmianus reprobet, & Concilium Elibertinum accen-
rasmi taxatur. dendas vetet: Quia non est mirandum quòd in cæremonias
Lib.6.cap.2. ecclesiasticas impingat laudabiliter institutas, qui etiam in
Cap.37. rebus fidei nugari, nutare, ac quasi ingenita temeritate, toto cælo errãdo, iocari non formidat. Lactantius etiã eodẽ capite congruam profert solutionem: nã sicut optimas hostias Deo tanquam esurienti, & vina tanquam sitienti, offerunt & profundunt idololatræ infidelitatis tenebris inuoluti, quas ludibrio habet; ita lumina in tenebris deridet, exigens & requirens in nobis non fumidum obsequium, sed clarum mentis oculum, scilicet vt Deum agnoscant, & sequitur, Illorum autem

autem dij, quia terreni; egent luminibus, ne in tenebris sint, quorum cultores, quia cęleste nihil sapiunt, etiam religiones, quibus deseruiunt, ad terrā reuocant. Ex his facilè quis considerauerit, nos alia intentione candelas incendere Deo, sanctisq; eius, quàm idololatræ suis monstris portentosis. Concilium autem Eliberrinum nullius est roboris, cùm quidam ipsius Canones redoleant hæresim Nouatianam. Vel dicendum, quod agat de idololatris, quibus candelas incendi interdicit: De his namq; loquitur eodem cap. allegato, & cap. 39. 46. 59. & 60. Concilium verò Trident. eas comprobat, superstitiosum autem numerum earū damnat. Et quo expressius nihil dici potest, Concil. vniuersale sextum, id est, Constantinopol. tertium, quod passim appellatur, Tertia Synodus, ita habet, Conueniendum est sabbato die, cum luminaribus cuilibet Christiano, ad Ecclesiam, cōueniendum est ad vigilias, siue ad officium matutinum. Vnde D. Hierony. Quicunque, inquit, accendunt cereos, secundum fidem suam habēt mercedem. Et paulò post: Per totas Orientis Ecclesias, quando legendum est Euangelium, accenduntur luminaria, iam Sole rutilante; non vtiq; ad fugandas tenebras, sed ad signum lætitiæ demonstrandum. Et August. magnis laudum pręconijs effert illorum vota, qui candelas offerūt ad luminaria noctis. Et Germanus patriarcha Constantinopolitanus nō offendat quenquam, inquit, quòd ante sanctorum imagines lumina, & suaue olentia thimiamata accendantur: simbolicos enim ista fieri, non lignis aut lapidibus ipsis, sed in honorem illorum opinandum est, quorum cum Christo requies, quorum honor ad ipsum recurrit, quia domino defertur cum seruus honoratur, Ambros. teste, Qui seruus nonnunquam honoratur dignitate domini, secundum eundem ibidem. Legimus quoq; de celebratione Missarum, quòd Missas celebrare illicitum sit absque candelis. Et cap. Sanè, præcipitur ne sacramentum Eucharistiæ infirmo deferatur, nisi lumine semper præcedente. D. Athanasius quoq; conqueritur, impios Arrianos candelabra, & cereos Ecclesiæ idolis adoleuisse. Quin & canon Apostolorum 3. docet, non aliud altari admouēdum, quam oleum in candelabrum, & incensum oblationis tēpore. Toletanum Concilium 4. admonet Gallicanas Ecclesias, vt lucernam ac cereum Paschalem solēni benedictione, Hispaniæ Ecclesijs conformes, sanctificarent. Nec huius institutio nunc primùm edicitur, sed quod ante per Sosimū Papam ordinatum erat, teste Platina in vita eius, vt vbiq; seruaretur, confirmatur: nam ante, si Thomæ Waldensi fides sit adhibenda. D. Ambros. Episcopus Mediolanēsis benedictionem cerei Paschalis docuisse ac diuulgasse cognoscitur.

Sess. 26. ca. 7. *Cap. 8.* *Lib. cōtra Vigilantium.* *Candelarum vsus veteribus comprobatus.* *Ser. 7. de tēp.* *Lib. 7. ca. 14.* *Epistola 2.* *Lib. 3. de fide cap. 7.* *Cap. Literas.* *Epist. ad orthodoxos.* *Cap. 8.* *Cereus Paschalis.* *Lib. de sacrament. tit. 24. cap. 66.*

Honoramus Deum & sanctos genuflectionibus ac capitis apertionibus. CAPVT. LXIX.

Esther 5. NVLLI non est contestatissimum, Mardochæum noluisse genuflectionis reuerentia adulari, aut venerari
Ibidem 13. crudelem Aman, Libenter, inquit, pro salute Israël,
Obiectio modernorũ hæreticorum. etiam vestigia pedum eius deosculari paratus essem, sed timeo ne honorem Dei transferam ad hominem. Et Apocalyp.
Apocal. 22. loquitur Ioannes Euangelista: Cùm audissem & vidissem, cecidi vt adorarem ante pedes angeli, qui mihi ostendebat hæc, & dixit mihi, vide ne feceris, Deum adora. Ergo ex his concludi posse videtur, quòd nullis sanctis debeamus genuflectionem, similémve reuerentiæ exhibitionem, quemad-
Lib. 1. Instit. Christ. cap. 11 sect. 10. Confessionis Christ. cap. 5. art. 20. modum prætendunt hæretici, Ioannes Caluinus & Theodorus Beza. Verùm prius argumentum haud difficulter diluitur, si res ipsa penitius consideretur: Aliquid namque ratione sui cõprobari potest, quod circumstãtia aliqua inordinata, reprobatur, tanquã illicitũ: Sic genuflectio Mardochæi exhibẽda ipsi Aman fuit licita; sed ex parte recipientis, Aman probatur illicita, quippe qui hoc modo adspirabat ad regnum, quo
Iudith 3. adepto tanquam Deus coleretur, instar Nabugodonosoris, &
Actor. 12. Herodis. Angelus quoque (vt posterius soluamus) humanæ
Angelus quare recusauit adorationem? dignitatis ignarus, adorationem Abraham non reprehendit, nec humilitatis Iosue obsequium impediuit, vbi autem resciuit humanitatem adeò dignificandã, & exaltandã: vt vnio-
Genes. 18. ne hypostica, diuinitati coniuncta, consideret in patris de-
Iosue 5. xtera; vetuit ne sibi fieret adoratio, ab eo, cuius naturã adeò iam cognouerat supra se in sublimibus cælorum exaltãdam.
Lib. 20 cõtra Faustum Manich. cap. 21. Vel secundùm Augustinum, angelus non permisit sibi fieri, quod soli Deo debetur, sicut nec Paulus & Barnabas. Nihil tamen vetat, quo minus Deo, sanctisque eius genuflecten-
Actor. 14. do, aut caput denudando, reuerentiam exhibeamus; Exterio-
Vniformis est reuerentia extrinseca diuersa intentionis. ra siquidem, metimur, secundùm interioris hominis intentionem, ita vt idem actus referendus sit, vel ad latriam, vel ad duliam; quemadmodum vnico venerandi modo honoramus reges, & aulicos nobiles, nec ideo tamen concludi valet, quod eundem aulico exhibemus honorem, quem regi. Sic genua flectimus ad honorem Christi & Petri, vel candelam incendimus, vel templum erigimus, nemo tamen sibi persuadere debet, quod tantùm honoris exhibeo Petro, perinde atque Christo; eo quòd interiores affectus magno discrimine discrepent, licet exteriores actus nulla disparitate separentur, quòd serui interdum honorentur dignita-
Lib. 3. de fide, cap. 7. te Domini, teste Ambrosio, Christo namque flecto genua, quia cognosco eum verum Deum creatorem vniuersorum, ac re-

ac redemptorum, virgini Mariæ reuerentiam exhibeo, tanquam Dei genitrici, secundùm Ambrosium, sancto Petro verò flecto genua, recognoscendo ipsum esse verissimum Dei amicum, illúque in beatitudine cælesti adsociatum. Sic Abigail, ad terram postrata, adorauit Dauidem; & Abdias, Eliam Prophetam, quod non fecisset, vtpote nec Elias permisisset, nisi genuflectio etiam hominibus, & potissimùm sanctis facta, esset licita, & Ecclesia cognoscens talem adorandi modum, non solùm non reprehendit, sed maximè commendat. Hinc magnis laudum præconijs afficiuntur reges apud August. Necnon Chrysostomus, quòd ad sepulchrum & memoriam piscatoris, deposito diademate, flexisq́ue poplitibus oraturi concesserint.

Lib. de Spiritu sancto, ca. 12.
1. Reg. 25.
4. Reg. 1.
Epist. 42. ad Medaurenses idololatras.
Epist. 44. quæ est ad Maximum grãmat.
Ser. 4. in festo Apost. Petri & Pauli. Et ser. 28. de sanctis. Homil. 66. ad populum Antiochenum.

Primo præcepto non prohibetur sanctorum inuocatio, aut imaginum veneratio.

CAPVT LXX.

PERSVASISSIMVM omnibus esse debet, quòd non alia ratione sancti cælesti habitatione beati, quàm ij, qui constituti sunt, adhuc in ista ærumnosa corruptibilis corporis vita, inuocantur, hoc est, non tanquam largitores, sed tanquam intercessores: Et quo plures accesserimus, hoc faciliùs impetramus: Verè enim scripsit Hieron. in 18. cap. Matth. quod impossibile sit multorum preces non exaudiri. Quamobrem non ipsi modò Deum deprecemur, verumetiam sicut admonitum legimus, conuertamur ad aliquem sanctorum, sicut Paulum quoque non semel fecisse videmus, vt se fratrum orationibus peteret adiuuari. Sic & nos sanctorum intercessionibus iuuari postulamus, non eorum tantùm, qui in hac lachrymarum valle nobiscum degunt, sed magis etiam illorum qui cum Christo fœlicissimè viuunt. Qui cùm fratres nostri sint, eiusdem, cuius nos, corporis membra, atque ideò nos non diligere non possint, cùm præsertim fides & spes cessatura sint in patria: Charitas autẽ non modò non cessatura, verumetiam tum demum perfecta sit futura, fieri nulla ratione poterit, vt salutis nostræ cura non tangantur: Preces autem eorum, tanto plus apud Deum ponderis obtinere dubium non est, quanta certò certius exploratum habemus, eos apud illum gratia valere, quod de ijs certè sciri non potest, qui nondum sunt de corpore mortis huius liberati. Iam verò quod oblatrare canes non cessant, calumniantes inuocationem sanctorum primò Decalogi præcepto prohibitam, eaq́ue Christi gloriam obscurari; tantum abest, vt etiam magis illustretur, quando in

Impossibile est multorũ preces non exaudiri.
Iob 5.
Roma. 15.
Colos. 4.
Inuocatio sanctorũ non officit gloriæ Dei, nec huic primo præcepto.

non alium tota fiducia,quàm in Christum transfertur ? Nisi fortè, si quis parum sibi benè conscius, atque ideo regis conspectum reueritus, deprecatores ad eum allegauerit, quos apud eum esse gratiosos existimet. Is quoniam ipse non adijt, Regis gloriæ detraxisse sit putandus. Certè & pudor hominis, quo cùm suam indignitatem agnoscit, tum regiam maiestatem reueretur, adeò non offendit regem, vt reddat illum ei commendatiorem. Et fit non raro, vt princeps, per alios dare malit, quod petitur; nimirùm, si qui sunt quibus gratiam & authoritatem apud populum hoc pacto velit conciliare. Quod facere nonnunquam ipsum etiam regem regum, & Dominum dominantium, non est incredibile, qui vsque adeò suæ gloriæ iacturam nihil metuit, vt discipulis suis

Ioan. 14. dicere, non dubitauerit: Amen amen dico vobis, qui credit in me, opera quæ ego facio, & ipse faciet, & maiora horum faciet.

Obiectio. Sed obijciunt scripturas pro se quasi militantes, quia dicitur: Gloriam meam alteri non dabo. Et: Soli Deo honor & gloria, non ergo sanctis. Et: Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli seruies. Impiè ergo faciunt, qui contra Dei præceptum ita clarum, & manifestum; Deo debitum cultum in homines transferant.

Esa 42. 1. Tim. 1. Deuter. 6. Matth 4.

Diluitur cauillum. Scripta sunt hæc quidem, sed mentem scribentis induere deberent, si sane intelligere vellent, teste

Serm. 43. de temp. August. Neque enim secum ex diametro pugnat scriptura quæ dicit: Gloria & honor omni operanti bonum. Videtis

Roman. 2. igitur, non de verbo Dei inter nos esse controuersiam, sed de intelligendi modo esse differentiam. Quod si præfata verba etiam diligenti indagine trutinaueritis, cùm dicitur, Dominum Deum tuum adorabis & illi soli seruies, nunquam colligere ijs licebit solùm Deum esse adorandum, sed potius illi soli seruiendum, ex quo conficietur, quod homo homini, famulari aut seruire nequibit: Atqui Paulus adeò non prohibet hominem homini seruire, vt etiam de eo quemadmodum

Ephes. 6. seruire oporteat, præcepta dederit. Serui, inquit, obedite Dominis carnalibus, non ad oculum seruientes; sed cum tremore & timore in simplicitate cordis vestri sicut Christo. Insuper honos qui attribuitur imagini, non alio quàm ad proto-

Lib. de Spiritu sancto ca. 18. typum refertur, sicut etiam à Basilio legimus annotatum, & Ioannem Damascenum, lib. 3. ca. 17. Cùm autem nemo tam sit rudis, & omni sensu alienus, vt lapidibus & lignis inesse putet sensum, nihil contra præceptum hoc primum peccatur, si sanctis, eorumque imaginibus, debita veneratio præstetur, modò ne in homine, néve in statua, aut depicta tabula aliqua, sed in Deo solo, spes omnis & fiducia collocetur.

De idolatria externa. CAPVT LXXI.

Praemisimvs Dei ſanctorumque notitiam, non eſſe poſitam in frigida ſpeculatione, ſed ſecum trahere eius cultum quem annexuimus, ſed hic ſummam generalis doctrinæ colligere propoſitum eſt. Ac primò quidem obſeruent lectores oportet, ſcripturam, vt ad Deum nos dirigat, diſertè excludere omnes deos gentium, quibus multis temporum ſpacijs, locorumque diuerſitatibus paſſim adulterata fuit religio. Verùm quidem eſt, vnius Dei nomen vbique fuiſſe notum, ac celebre: nam qui ingentem deorum turbam colebant, quoties ex genuino naturę ſenſu loquuti ſunt, ac ſi vnico Deo contenti eſſent, ſimpliciter vſi ſunt Dei nomine, atque hoc prudenter notauit Iuſtinus martyr, qui in hũc finem librum compoſuit de monarchia Dei. Vbi ex plurimis ſcripturarum teſtimonijs oſtendit vnitatem Dei, fuiſſe omnium cordibus inſculptam. Idem ex communi ſermone comprobat Tertullianus. Sed quia omnes ab vno, vanitate ſua vel tracti vel prolapſi ſunt ad falſa commenta, atque ita euanuerunt eorum ſenſus, vt quicquid de vnico Deo intellexerunt, non vltra valuit, niſi vt eſſent inexcuſabiles. Nam & ſapientiſſimi quique eorum, vagum mentis ſuæ errorem palam aperuerunt; quando Iouem, Mercurium, Venerem, Mineruam, tanquam deos deaſque ſuſpexerunt. Nec hos duntaxat, ſed magnam deorum turbam introductam à Romanis conſtat. Nec ſingulis locis peculiaria ſolum conſecrabant deorum figmenta, ſed ſingulis rebus, actibus, atque officinis, ſingula attribuebant deorum portenta, teſte Auguſt. Adeoque vnius Dei iugum fœliciſſimum excuſſerunt, vt eorum numeroſitas milleſimum triceſimum tranſcenderit, quod Pantheon templum à multitudine deorum ita appellatum demonſtrare poteſt. D. Athanaſius quoque teſtatur, primitus homines, cælo, ſoli, lunæ, atque ſideribus diuinos exhibuiſſe honores. Deinde adhuc magis humi cum tenebricoſis ſuis cogitationibus ſubſidentes, æthera, & aërem eaque quæ in aëre ſunt, deos appellauerunt. Prouecti verò vlterius in malis, iam & elementa principiaque illa, quibus corpus conſtituitur, calorem, frigus, ſiccitatem & humiditatem pro numinibus celebrârunt. Vt autem qui penitus ex alto in terram afflicti, inſtar terreſtrium cochlearũ, torquent ſeſe ac reptant; ita quoque impijſſimi mortales, vbi ſemel ceciderunt à concipienda imagine Dei, homines deinde ac hominum formas, tum viuentium, tum defunctorum in deos retulerunt, quemadmodum omnibus eſt in confeſſo Ninum feciſſe; quando Beli patris ſui, vita functi, imagine depicta, dolorē mitigauit, quem

Vnus Deus, omniũ cordibus inſculptus.

Roma. 1.

Lib. 4. de ciuit. Dei ca. 8.

Oratione 1. contra idola.

Numeroſitas deorũ gentiliũ.

Origo idololatriæ.

quem ob mortem patris conceperat, quasi in specie iterum
cernens, quem putrescere non ignorabat in puluere, teste La-
Lib.1.ca.15. & 18. ctantio, Gregorius Nazianzenus, & Cyprian. & Athanas.
Chrysostomus & Ambrosius. Adulatores verò, quorum
Li.3.de Theologia. Deus venter erat ad honorem & regis assentationem, simu-
lachrum istud Beli colere incœperunt, tum quòd Nini regis
Lib.de vanitate idolorum. animum, vana honoris assentatione demulcere voluerint,
tum quia Ninus fontes propter cultum patris imagini exhi-
Oratione contra idola. bitum, supplicijs impendentibus eximebat. Et certè faten-
dum est, istum morē fuisse vetustissimum, cū sanctus Moy-
Homil.18.super illud 5. ca. ad Ephe. Quod est idolorū seruitus. ses referat, furatam esse Rachelem patris sui idola, nec secus
de illis quam de communi vitio loquitur. Vnde colligere licet
hominis ingenium perpetuam, vt ita loquar, fuisse idolorum
fabricam, ac credibile est, superstite adhuc sancto patriarcha,
idololatriæ deditos fuisse nepotes, vt oculis suis nō sine acer-
In 1.cap. ad Rom. super illud, Et volucrum, & quadrupedum. bissimo dolore cernere debuerit idolis fœdari terram. Philo
lib.1. Biblicarum antiquitat. tractans locum qui est de Thare
coniecto à Chaldæis in ignem, locus est pulcherrimus & di-
gnus qui serio legatur, cuius corruptelas Deus nuper tam
horribili iudicio purgauerat, nā Thare pater Abrahæ, & Na-
Genes.31. chor auus eius falsorum deorum abominationibus se com-
Antiquitas idololatriæ. miscuerunt, teste Iosue. Ex quibus contestatissimum cuique
esse potest, diuersis cordis adinuentionibus deos esse fabrica-
Genes.11. tos, nunc patrem à filio in deorum collegium esse sublima-
Genes.8. tum, nunc filium à patre tanquam numen esse adoratum.
Iosue 24. Acerbo luctu dolens pater citò rapti sibi filij fecit imaginem,
Sapient.14. & illum qui quasi homo mortuus fuerat, tanquam Deus coli
cœpit. Verùm postmodum cogitationibus consilijsque de-
terioribus initis, in lapides etiam & ligna tam aquatici gene-
1.Reg.5. ris, sicut Dagon, qui piscis formam habebat, tam terrestris,
Lib.10.Eccle. hist.cap.25. quorum plerique flagitijs fuerunt famosi, teste Ruffino, vt
Bacchus, Hercules, Iuppiter, imò & in bruta ferasque diui-
num honorem transtulerunt, sicut liquidò manifestum facit
Aug.lib.18. de ciuit. Dei, cap.5. de Ape & Serapis boue, & quosdam anseres coluisse comme-
morat. Ambros. alij simiam deorum cathalogo adscripserūt,
Tripart.hist. & tantopere quidam sunt prolapsi, tantisque te-
Lib.5.hexameron ca.13. nebris suum inuoluerunt animum, vt quæ nequaquam esse
poterant, numina fecerint, quales sunt apud Aegyptios Asi-
Lib.9.ca.27. nicipites, hoc est, monstra, asini capite deformia, sic canicipi-
tes, & serpenticipes. Isti eo quoque vesaniæ proruperunt, vt
Lib.6.Recog. crepitum ventris pro Deo coluerint, teste Clemente. Alij
Oratione 1. contra idola. suffecerunt partes corporis, quibus diuinum honorem im-
pendere maluerunt, secūdum Athanasium, Hoc modo Lon-
Lib.3.Dialog.cap.27. gobardi adorarunt caput capræ, teste Gregor. Hæc & eius
farinæ alia portentosa monstra, cùm in sacris literis con-
demnata,

demnata, tùm in prophanis & ecclesiasticis authoribus obuia, passim filij Adæ fabricauerunt, atque diuinum cultum nimium cæcutientes istis impenderunt. Verùm sciscitabitur aliquis, qui Ethnici & pagani eo cæcitatis prorúperunt, vt sibi persuadere ligna & lapides opera manuum hominum, inter deos esse referenda, potuerint? Profectò in exordio, quando mala inualuere super terram, fuerunt tyranni, qui suas suorumque imagines mirabilibus priuilegijs decorârunt, vt nimirùm rei eis honorem exhibentes, remissionem criminium impetrarent, mortemque, quam suis sceleribus commeruerant; impunes euaderent, quemadmodum de Belo Babyloniorum Rege memoriæ proditum est, vt supra euasit manifestum. Deinde propter aliqua præclara facinora, vt Romulo, propter vrbem conditam, seu propter insignes victorias, vt Herculi statuæ positæ sunt, quæ non habebantur primitus vt Dij: nam extabant solùm in eorum memoriam, qui præclare aliquid gessissent, vt essent vice calcarium ijs, qui rempublicam quibuscunque rebus, vel domi, vel belli gestis augerent. Hac oblata occasione dæmon illuc ingressus, vt olim serpentem, sensuales homines adeò fascinauit, vt per responsa quæ dabantur ex statuis, sibi honorem diuinum sumpserit, simulatque in cælis illum obtinere non potuit, in terris saltem asciuerit. Hinc quando arguebantur idololatræ, respondebant, inquit August. se non visibile illud colere, sed Numen illud quod inuisibiliter illic habitabat, & luculentius. Non mirum est, inquit, si præuaricatores Angeli, quorum duo maxima vitia sunt, superbia atque fallacia, per hunc aërem volitantes, quod vni vero Deo deberi nouerant, hoc sibi à suis cultoribus exegerunt, à quibus Dij putari voluerunt, dante sibi locum vanitate cordis humani, maximè cùm ex desiderio mortuorum constituerentur imagines, vnde simulachrorum vsus exortus est, & maiori adulatione diuini honores deferrentur, tanquam in cælum receptis, pro quibus se in terris dæmonia colenda supponerent, & sibi sacrificari à perditis & deceptis flagitarent. Decipiebantur autem à diabolo, quatenus ei genua flecterent, Deumque recognoscerent: quando namque aliquid admiratione dignum, vel alias inconsuetum, vel insolitum fieri videbant; mox illud Deorum cathalogo adscribebant, sicut patet de boue Serape, qui toto corpore niger, quadratam maculam albam portabat in fronte, secundum Herodotum, vel in latere dextro, secundum Plinium. Quo mortuo alius quærebatur, & reperiebatur vitulus coloris eiusdem, quem diuinitus sibi procuratum credebant, non enim magnum erat, inquit D.Aug.

Ratio cæcitatis idololatrarum.

Genes. 2.
Origo responsionis diabolicæ ex idolis.
Ezech. 28. & Isa. 14.
Luc. 10.
Apocal. 12.
Super Psalm. 113.
Lib. 22. cōtra Faustum Manich. cap. 17.

Lib. naturalis hist. cap. 46.

Lib.18.ciuit. Dei cap.5. D.Aug. Dæmonibus ad decipiẽdos homines, oſtẽtare vaccæ concipienti phantaſiam talis tauri, vnde libido matris attraheret, quod in eius fœtum corporaliter appareret, ſicuti de *Geneſ.30.* Iacob Patriarcha legitur. Falluntur quoque homines eorum gratiſſimis prima facie reſponſis, per ſtatuas exhibitis; quibus ſi aliquando vera præſagire potuerunt, id non ſcientiæ, ſed *Lib.10 Græcarum affect.* fortunæ opus fuit, quemadmodum docet Theodoretus. Imò tanta fuit interdum oraculorum perplexitas, vt omnia ambiguè pro hac vel illa parte intelligi valerent, ſicuti perſpicuum eſſe poteſt hiſtoriam Cræſi callentibus, qui Lydiæ Rex ad ſummam calamitatem redactus eſt, teſte Appolline: Cræſus Alyn ſuperans magnam conſumet opum vim. Vtrum enim regnum perditurus eſſet, ſuúmne videlicet, an ingruentium ſibi inimicorum, minimè prodidit, vt quemcunque euentum vel victoriæ vel cladis Cræſus experiretur, vatem accuſare non poſſet. Simile quiddam Athenienſibus attulit. Etenim cùm Xerxes infinita hominum millia aduerſus Græcos duxiſſet, miſſi ab Athenienſibus conſultores, ad oraculum pro- *Ambigua deorum oracula.* perârunt, quibus Pythius Apollo ambiguis verbis futura pandit, inquiens:

Otia quid miſeri trahitis, ſegnesq́, ſedetis?

Hoc autem reſponſum manifeſtam Apollinis ignorãtiam prodit: Si enim verè præſciſſet Athenienſes victoria potituros, non eos vtique miſeros, non ſegnes ſed fœliciſſimos appellaſſet. Superârunt itaque illi ducentas, ſupra ter mille Perſarum naues, teſte Theodoreto, terq́ue decies centena hominum milia. Tali ferè Amphibologia dictum eſt:

Aio te, Aeacida, Romanos vincere poſſe.

Potuit ſiquidem iſtud idoli oraculum intelligi, quòd iſte vinceret Romanos, vel è conuerſò, quòd Romani vincerent Aeacidem. Haud abſimili modo, Rex Iſraël conſuluit 400. *3.Reg.22.* Prophetas, an deberet præliari cõtra Ramoth Galaad, qui reſponſione ambigua, eos claſſicum canere fecerunt, dicentes: *Deuter.4.* Aſcende, & dabit eam Dominus in manu Regis, poterat ſiquidem intelligi vel de rege Syriæ, vel de rege Iſraël. Sic decepti fuerunt ſimplices, humana induſtria, ad colenda idola: *Super 20.ca. Leuit.* Nam commemorat V. Pater Nicolaus Lyranus; Idolum erectum fuiſſe chalibeum ſiue æreum, in cuius concauitatis *4.Reg.16.* vacuitate ignis extructus, idolum reddebat ignitum, cuius *Mira cæcitas idololatrarum.* manibus cùm puer idolo conſecratus imponeretur, repente ſacerdotes tympanis ac clangore tubarum obſtiterunt, quo minus parentes pueri morientis gemituũ miſererentur, quin potiùs aſſumptum in ſublimioribus cælorum, & in gloriam beatorum tranſlatum gauderent. Reſponſis quoque humana induſtria confictis, ſimplices fuiſſe impoſitos, non ſemel legimus

legimus apud Theodoretum. Tripartitam historiam, Erant enim simulachra æ rea intus vacua, dorsaque parietibus copulata habentia, vbi sacerdotes quædam foramina relinquebant, vt ingredientes illam concauitatem, quæ volebant per eorum ora tanquam diuina oracula eructarent. His accedit Philo, inquiens, hoc ætatis meæ tempore noui ego nonnullos qui statuas fecerunt illis, ipsis quas fecerũt preces adhibuisse, hostias immolasse, quibus satius fuisset alteram manum adorauisse, aut saltem malleos incudes, penicillos, forcipes, aliaq; instrumenta quibus materia formata est colere debuisse potius quam ipsas statuas. His consentanea est impostura Danielis 14. deprehensa. Præterea mirabilis admodum apparuit hominum præsumptio, quando & ipsi diuinum honorem ambire non pertimuerunt, qui maximè infirmi erant, teste Tyrio Maximo Platonico, vti docet & clarissimè Ludouicus Celius lib. 2. cap. 5. qui scribit Psaphonem quendam, olim in lybia plurimas collegisse aues vocales, maximeque dociles, easque docuisse hæc personare verba. Magnus Deus Psaphon. Itaque edoctas auolare permisisse, illæ autem cantillabant sicut erant instructę, aliasque idem personare docebant. Porrò Lybes cùm hæc diuinitus accidisse existimarent, Psaphoni sacrificia libârunt, eumque Deorum cathalago adscripserunt. Contra hãc mentis insaniam, intonat scriptura: Non habebis deos alienos coram me, nec facies tibi sculptile, aut aliquam similitudinem, non adorabis ea neque coles: Vendicat enim sibi totum cor hominis Deus, nec modò non præferri, sed nec exæquari sibi quicquam in amore patitur, secundum illud: Coaugustatum est enim stratum, ita vt alter decidat & pallium breue, vtrumque operire non possit.

Lib. 5. Eccles. hist. cap. 22. Lib. 9. ca. 28. & lib. 11. c. 8

Alia techna idololatriæ.

Lib. Biblicarũ antiquitatum.

Exod. 20.

Esa. 28.

De Idololatria spirituali, siue interna.

CAPVT LXXII.

VERVM longè altiorem, quàm vulgus passim intelligat, admittit sensum istud præceptum: Cùm enim inhibetur idololatria; non de illa duntaxat, intelligit, quæ externum machinatur idolum, ac probè se gessisse existimat, si nullum idololatriæ specimen forinsecus ædiderit. Atqui multò aliud diuinum intendit præceptum: Duplex quippe reperitur idololatria: Vna exterior, qua homo, lapides & ligna, tanquam numina suspicit. Altera spiritualis, & interior est; quando scilicet, vel timore pœnæ, vel commodi amore, foris genua quidem curuare creaturis recusat; sed interiori affectu illis thura libenter incendit. Quæ est enim religio, corporalia non flectere genua diuitijs & honoribus, & tamen cor vel

Duplex idololatria.

cor vel nobilissimam eius partẽ offerre illis? Hoc enim adorare in carne est Deum, spiritu autẽ, idolum fabricare: Nam
Ephes. 5. diuitiæ & delitiæ sunt idolorum seruitus, teste Apostolo. Primùm igitur obseruasse profuerit, præceptum hoc, non solum externum opus interdicere, sed internam quoque cordis adhæsionem prohibere: Imò non solùm prohibet, ne creaturis adhæreas; sed vt ipsum solum, tanquam verum Deum colas. Nedum igitur negatiuum est, sed & affirmatiuum. Ad euidentiorem autem huius præcepti declarationem, intenta animi consideratione aduertere incumbit, quid sit Deum habere, quod nihil aliud est, quàm habere illum, qui est tibi in rebus gerendis prora (vt dicitur) & puppis, sacraque desiderij tui anchora, in qua confidas; ad quam confugias, à quo solo, auxilium & consolationem in necessitate speres; quo adepto, exultas; quo deficiente, desperas. Qualemcunque creaturam tanti facis, iam Deum quidem habes, sed alienum; sic qui summam suam fiduciam in diuitijs collocat, ac proinde securum se existimat, intumescit, neminem curat, quibus amissis spem animumque ponit, quasi nil spei reliqui sit, & quasi nõ sit Deus in cælo. An non videtur tibi Deum constituere alienum? siquidem nihil horum ageret, si vero Deo, suum honorem integrum seruaret. Haud dissimili modo, qui in propria, honore mundano, vel etiam propria iustitia fiduciam collocat, profectò alienum Deum, officina cordis eius fabricat: Quid enim aliud paganos, de quibus prælibatum est, priori articulo, olim eo cęcitatis perduxit, vt externa sibi idola constituerent, nisi interna hæc animi in creaturis propensio? Sic quibus potentia placebat; Iouem, quibus voluptas cordi erat: Venerem, quibus res bellicæ arridebant, Martem, &c. sibi præstituebant. Ex quibus manifestum euadit, Deum habere, etiam gentilibus, nihil aliud prætendere, quàm summam in creaturis fiduciam collocare. Ego ego, inquit, & non alius sum dominus, gubernator, & Deus creator tuus, qui vt te creaui; guberno, non tu tuapte potẽtia, viribus aut iustitia; Ego de te optimè merui, redimendo à malis, locupletando bonis, & tuus sum, quantus quantus sum, & quantum valeo. Tua tamen interest, vt me talem recognoscas, talemque erga te esse sinas, nempe vt à me totus dependeas, in omnibus obtutus mentis in me dirigas, neque vnquam aliò oculos deflectas, aut cor apponas. Creaturis vtere, non fruere, id est, cor
1. Corint. 7. non appone, dum habes vxorem, esto tanquam non habeas, dum vteris hoc mundo; tanquam non vtaris. Exigit enim Deus hoc pręcepto, vt ipsum credas esse Deum summè bonũ iustum, sapientem, summeque potentem. Contra hoc igitur præceptum delinquunt, quicunque de eius bonitate vel

misericor-

misericordia ambigunt, promissis diffidunt, vel impunitatem peccatorum sibi promittunt, qui Deum non omnia sapientissimè ordinasse calumniantur, qui omnipotentiam eius infringunt. Insuper non suffecerit in ipsum Deum credidisse, nisi vnicum Deum agnoscas, à quo solo omnia promanant, siue corpus, siue anima, siue esca, & quicquid est horum simile, etiam quicquid per homines aut creaturas ministratum fuerit: Ipse enim est qui creaturis, tanquam secũdarijs causis pro nostris vtitur necessitatibus, teste beato Aug. & D. Tho. præterea omnia mala & aduersa, vt sunt, paupertas, infirmitas, ab ipso profecta vult accipiamus, quemadmodum docetur: Dominus dedit, inquit, non parentes, Dominus abstulit, non diabolus. His consentaneus est beatus Aug. & Greg. Vltimò requirit præceptum vt Deum cognitum diligamus. Diliges Dominum Deum tuum in toto corde tuo, &c. Si ego sum pater, vbi est amor meus? Istud post habere probantur qui seipsos, filios, cognatos, possessiones plus diligunt, quàm Deum, Quod contingit, quando propter ipsa, Deum negligunt, quod eheu creberrimum videre est: Qui enim amat patrem aut matrem, plus quàm me, nõ est me dignus: Quòd hac potissimùm causa fieri dolendum est, quia Deum non ita sublimem, eumque tremendum cor nostrum æstimat, atque meritò secundum suam patientiam, misericordiam, sapientiam, maiestatemque deberet: Præterea sacra eius præcepta ad millesimam partem non ita ponderat, quemadmodum ipse strictissimo extremi iudicij examine, ad nostræ confusionis cumulum iudicabit. Exemplo potest nobis esse protoplastes Adam, qui amicabili quadam beneuolentia, delitias suas mœrore afficere recusans, ac paruum peccatum, quod maximum erat, reputãs; teste beato Aug. æternæ damnationis capistro se subiugauit, profectò illam pomi seu ficus refectionem carè emit, quoniam rigidissima nongentorum triginta annorum pœnitentia. Et Irenæus, peccatum illud suum expiare nequiuisset, nisi post quinque milium annorum spatium, secundum Greg. Magnum, Christus victoriosa ac triumphali resurrectione pœnam damni, mortemque peccati destruxisset, ad laudem gloriæ gratiæ suæ, qui inæternum est benedictus, Amen.

Iacobi 1. Lib. 3. de Trinit. cap. 4. 1. parte, quæ. 22. ar. 3. et 4 Iob. 1. Lib. cõtra epi. Manic quam vocãt Fũdam. ca. 38. et 39. Lib. 21. cõtra Faust. c. 2. et 3 Lib. 3. Moral. cap. 6. Malach. 1. Matth. 10. Vnde fit quod præcepta non obseruentur? Lib. 11. de Genes. ad literam ca. 42. & lib. 14. de ciuit. Dei, cap. 11. Pœnitẽtia Ada Genes. 5. Lib. 3. aduersus hæres. cap. 34. & 37. Lib. 15. Moral. cap. 29.

Magna intercapedine dissidet cultus sanctis martyribus & idolis exhibitus. CAP. LXXIII.

NEQVAQVAM nos fugit Ludouicum Viuẽ in hanc rem impegisse, quãdo scripsit hoc modo: Multi Christiani in re bona plerunq; peccant, quod diuos diuasq; non

In comment. lib. 8. ciuit. Dei, cap. 27.

non aliter venerantur quã Deum, nec video in multis quod sit discrimen inter opinionem eorum de sanctis, & id quod gentiles putabant de dijs suis. At qui non magna me inuadit admiratio, quia cum exile de rebus religionis haberet iudicium, de ea tamen sibi iudicium adsumens ita vt hic, ita & alibi hallucinatur; Alibi, inquam, cùm docuit solum adultos
Lib. 1. de ciuit. Dei ca. 20 olim baptismo fuisse ablutos, idque velut pro intellectu Augustini, cuius vicesimum caput commentabatur, non attendebat Ludouicus se Anabaptistis fomentum & calcar præ-
Lib. 9. cap. 17 bere erroris. Alio loco damnat eos qui existimant improprio sensu dici filium Dei hominem adsumpsisse. Vtrumque scripsit ex imperitia eorum quæ contra Pelagium & Nestorium à veteribus Concilijs & tractatoribus definita sunt. Discrimen inter cultum sanctorum & paganorum ritum sa-
Lib. 8. ca. 27. tis perspicua fuisset Ludouico, si Augustini verba quæ commentatur, trutino rationis expẽdisset. Nos martyres nostros, inquit, nec diuinis honoribus, nec humanis criminibus colimus, sicut colunt illi deos suos, nec sacrificia illis offerimus, nec eorum probra in eorum sacra cõuertimus. Et infra: Absit vt eos, quãuis vt deos habeãt sanctis martyribus nostris, quos tamen vt deos non habemus vlla ex parte audeant cõparare. Sic enim non constituimus sacerdotes, nec offerimus sacrificia martyribus nostris, quia incongruum, indebitum, illicitumque est, atq; vni Deo tantummodo debitum, vt nec criminibus suis, nec ludis eos turpissimis oblectemur, vbi vel flagitia isti celebrãt deorum suorum, si cum homines essent, talia commiserunt, vel conficta delectamenta dæmonum noxiorum hi homines non fuerint, &c. Rursus, Nec tamen nos ijsdem martyribus templa sacerdotia, sacra & sacrificia constituimus, quoniam non ipsi, sed Deus eorum Deus nobis est. Hæc August. Vbi vnquam vel audiuit Ludouicus, vel vidit sceleratos homines à Christianis coli, aut crimina eorũ in eorum sacra verti? vbi item cernere potuit Christianum sancto martyri offerẽtem sacrificium vel libamina? Non negamus quidem coli & honorari sanctos, sed interim & homines peccatores quondam ac demũ Dei gratia liberatos fuisse prædicamus, iamque sua intercessione à Deo nobis plurima obtinere. At quod pro dijs vulgò Christianorum habeantur, velim vel tenui argumento adstruxisset Ludouicus. Id profectò si conatus fuisset, calamo mox temperasset, & in pro-
Hæres. 79. prijs argumentis indubiè erubuisset. Commemorat Epiphanius fuisse quasdam mulieres in Arabia, non quæ statuam circumferebant, & ei libamina offerebant, sed quæ Mariæ collyridem quandam sacrificabãt, vel vt deæ cuidam, aut pro ipsa Maria seu ad Mariæ honorem. Verùm Epiphanius rem planè

planè fuiſſe ſtolidam edocet, quod neque Maria Deus ſit neque mulieris ſit ſacrificare. In hæreſi autem Aërij, oſtendit paternæ traditionis eſſe, quod in memoria martyrum & Apoſtolorum offeramus, ſiue vt ipſe loquitur, quod pro patribus, & prophetis, & Apoſtolis, & cæteris memoriam facimus. Oſtendat qui hac in re Ludouici partes tueri non recuſat (quales ſunt moderni hæretici) ſi valeat, Chriſtianum quempiam ſacrificaſſe Mariæ, aut mulieres in honorem eius ſacrificia Deo (Eccleſia Romana interim vel approbante, vel diſſimulante, vbi ad eius peruenit notitiam) obtuliſſe, & herbam ei porrigemus. At non poterit nunquam ſiquidem permiſit, nunquam quoque permittet creaturæ ſacrificium offerri, vel vt martyrum memoria celebretur, niſi tanquam ſeruorum Chriſti & ex eius gratia habẽtium quicquid laude dignum in ſe habent, niſi denique ipſa recordatio in Chriſti gloriam cedat. Fatemur eſſe qui vndecunque occaſionem venantes explendis ſuis voluptatibus, etiam in martyrum natalitijs ſeſe inebrient, epotandiſq́ue calicibus operam nauent: ſed mirum eſt, ſi vel hoc aut peiora non faciant, qui ſanctos inuocare recuſant: nam nunquam potuerũt omnes tolli abuſus. Cæterum hoc fortiter propugnamus publicè receptum à multis ſeculis ſanctorum cultum nihil omnino cum cultu alienorum deorum habere commune, qui iuxta Danielis cæterorumq́ue prophetarum vaticinium per Chriſtum eſt à Chriſtianis iam olim ſublatus.

SECVNDVM PRÆCEPTVM.

Non aſſumes nomen Dei tui in vanum.

Iuramentum quid & quæ requirat?

CAPVT I.

DEVS, ſimul atque cor humanum diuinis erudiuit myſterijs, omnemq́ue idololatriç falſitatem, procul abeſſe iuſſit; hoc 2. præcepto linguç frenum imponit, vt ſequenti mandato etiam opere Deo adhærendum, fideliq́ue illi induſtria famulandum, edoceat. Finis namque huius præcepri eſt, vt ita nos animis & linguis deceat eſſe compoſitos, vt nihil de ipſo, Deus velit, eiuſq́ue myſterijs cogitemus, aut loquamur, niſi reuerenter, magnaque cum ſobrietate, Vt, inquam, in æſtimandis eius operibus, nihil niſi hono-

rificum (seclusa omni iuramenti vanitate & temeritate) erga
Iurare quid? ipsum sentiamus. Est autem iurare, Deum testem inuocare,
Homil. 9. in teste beato Ioanne Chrysostomo, & quasi fideiussorem dare,
Act. Apost. dicto satisfacturum. Quod contingit, quando aliquis adseuerat se adeò veritatem tueri, eamq; tam firmiter polliceri, vt etiam Deum cui omnia manifesta sunt, in veritatis testimonium inuocare vel expetere nō dubitet, Vt, inquam, ipse Deus, hic vel postea ita rem se habere, quēadmodum homo
Ratio iuramēti pronuntiat, contestari velit. Particularia siquidem hominum facta, debitam confirmationis infallibilitatem, ex sua natura non adsequuntur, ꝓpter rationis humanæ defectum, teste
2.2. quæst. 89 D. Thoma, quia deprauatus hominis sensus ad mendacium
art. 1. inclinatur, iuxta illud Dauidis; Os eorum locutum est mendacium. Deinde ob defectum cognitionis, qua non præsagiunt homines futura, nec abscondita cordium scrutantur, nec longè lateque dissita rimantur: quorum tamen notitia, rebus humanis plurimum emolumenti conferret. Necessariò igitur tanquam ad asylum in decisione controuersiarum, recurritur ad diuinum testimonium, quod mentiri nequit,
Duo iurandi nec fallere potest. Reperitur autem duplex iurandi modus,
modi. Vnus est execratorius, quo quis sibi vel alijs mala impreca-
Matth. 26. Et tur, quēadmodum Petrus cœpit anathematizare, detestari &
Marc. 14. iurare. Alter est simplex Dei contestatio, Sicut est mihi Deus
Iurādi formulæ testis, Coram Deo loquor, Accipio Deum in testē, Tam verè
scripturis fa- hoc dictum veritatem habet, atq; Deus viuit, Deus scit, quia
miliares. non mētior, &c. Istos modos reperire in sacris eloquijs prom-
2. Corinth. 1. ptum est. Nam iurat Paulus Corinthijs: Ego Deum testem inuoco in animam meam, quod vobis parcens, non veni vltra Corinthum. In qua sententia duo iuramenta, seu duo iurandi modi offenduntur: Prior est, Inuoco Deum testem: Posterior, in animam meam, quod est perinde atq; dixisset, Deus mala animæ meæ inferat. Cui similem iurationem fe-
1. Reg. 12. cisse legimus Samuelem & Dauidē: Hæc faciat mihi Deus,
2. Reg. 3. & hęc addat; si ante occasum solis gustauero panem, vel aliud
Deut. 4. & 30. quippiam, sicuti etiam Moyses iurauit, Inuoco cælum & terram hodie testes, quod proposuerim vobis vitam & mor-
Roman. 1. tem, benedictionem & maledictionem. Et Paulus: Testis est
1. Thess. 2. mihi Deus, cui seruio in spiritu meo, &c. Non fuimus in occasione auaritiæ, Deus testis est. Et paulò post: Vos testes
Diuersitas tē- estis, &c. Interest tamen aduertere iuramentorum discri-
porum, diuer- mina in diuerso statu temporum obseruata, Alio namque
sitas habuit iu- scemate iurabant veteris legis patres, quam Ecclesiæ primi-
rādi formulas. tiuæ flores, & tunc aliter quam nunc, Patres veteris testa-
Effectus iura- menti, iurabant hac aut simili forma, Viuit Dominus, Viuit
mentorum. anima mea, Hæc addat mihi Dominus. Primitiua Ecclesia;

Testis

Testis est mihi Dominus, Testis est mihi conscientia mea, Hoc dico coram Deo. Hodie iuramenta fiunt per Deum, & sic me Deus, & omnes sancti eius adiuuent. Quæ iurisiurandi formulæ solidius operantur, quam simplices promissionum contractus. Vnde Concilium Toletanum 8. Omne quod in fœdera pacis venit, tunc solidius consistit, cum iuramenti interpositione corroboratur, & omne quod amicorum animos conciliat, tunc fidelius durat; cum eos sacramenti vincula ligant; & quod testibus confirmatur, verius constat, qui si deficiant; innocentis fidem, sola iurisiurandi taxatio, manifestat. Si prælibatis patribus licuit, iurisiurandi sacramento controuersias obortas dirimere; certè nobis non debet esse inhibitum. Præterea, illi non perperam diuinam intellexerunt legem, nec Euangelicam violarunt sententiam; qua Dominus dicit, Audistis quia dictum est antiquis, Non iurabis, reddes autem Domino iuramenta tua. Ego autem dico vobis, Non iurare omnino; neque per cælum, quia thronus Dei est; neq; per terram, quia scabellum est pedum eius; neque per Hierosolymam, quia est ciuitas Regis magni; neq; per caput tuum iurauetis, quia non potes vnum capillum album aut nigrum facere; sit autem sermo vester, est est, non non. Quod autem his abundantius est, à malo est. Quam sententiam D. Iacobus epistolæ suæ quasi inserens, sic habet, Ante omnia fratres mei nolite iurare, neq; per cælum, neque per terram; neque aliud quodcunque iuramentum; Sit autem sermo vester, est est, non non, vt non sub iudicio decidatis. Profectò D. Iacobus scribebat 12. tribubus Israël, in quibus plurimi erant iusti & sancti, vt Abraham, Isaac, Iacob, Ioseph, Moyses, Samuel, David, qui iurarunt, non ergo apparentiam habet iuramenta simpliciter nobis esse interdicta; cùm imperfectiores multo sumus illis, qui iurasse leguntur. Quocircà operæpretium fuerit aduertisse: quo cæcitatis præcipites tuerint Scribæ & Pharisæi, quid etiam Dominus Iesus intenderit. Quod euidentius vt fiat, oportet distinguere scripturam & pœnitiùs inspicere Græcanici textus veritatem, qui sic habet apud D. Iacobũ, Sermo vester sit, Est, est; &, Non, non. Quæ phrasis clarescit, vbi Apostolus Paulus sic loquitur: Cùm ergo hoc voluissem, nunquid leuitate vsus sum, aut quæ cogito, secundum carnẽ cogito; vt sit apud me, est, & non, sed est in illo est. Vbi Græca exemplaria habent, est, est; non, non: Fidelis autem Deus, quia sermo noster, qui fuit apud vos, non est in illo, est & non; sed, est in illo est, Dei enim filius Iesus Christus qui in vobis, per nos prædicatus est per me & Siluanum, ac Timoth. non fuit in illo, est & non, sed est in illo fuit: Quotquot enim promissiones

22. quæst. 5. cap. Iuramẽti, et ex ra de iureiurando, cap. Debitores. Cap. 2.

Matth. 5.

Iacob. 5.

2. Corinth. 5.

Dei sunt in illo est. Quibus verbis Apostolus insinuandum curat prægnantia obstitisse negotia, quibus præpeditus promissis non steterit. Nec Euangelium detrimentum pati debet, quasi minus veritatis ex eo habeat, quod suum est, non sit est, & non, non per est intelligendo euidentissimam rei veritatem, vt nimirum sic res se habeat, quemadmodum affirmatiua adsertio demonstrat. Quando igitur beatus Iacobus dicit, sermo vester sit est, & non, non, vult nos in omnibus esse veraces, & quia excerpsit ex euangelio sua verba, non debent discrepare intelligentia, sed vnus vtriusque debet esse sensus, vt quando iuramus summopere caueamus, vt nostrum est, sit est, & non, non, alioquin periurio incideremus in barathrum iudicij & condemnationis. Vnde cõficimus Dominum apud Matthæum & Iacobum inhibuisse periuria, contra superstitionem Scribarum & Pharisæorum, qui tenebris ignorantiæ inuoluti dogmatizabant quædam periuria esse floccipendenda, nec crimini obnoxia, vti habemus apud Matth. Væ vobis duces cæci, qui dicitis: Qui iurat per templum, nihil est, quicunque autem iurauerit in dono, quod est super illud, debet; Cæci, quid maius est, donum, an altare quod sanctificat donum? Qui ergo iurat in altari, iurat in eo, & in omnibus quæ super illud sunt. Et quicunque iurauerit in templo iurat in illo qui habitat in ipso. Et qui iurat in cælo, iurat in throno Dei, & in eo qui sedet super eum. Ex quibus liquido constat, sicuti hoc loci tradit D. Hieronymus, quod Iudæi nihili faciebant iuramenta per cælum, per templum, per altare, similiaque facta, sed quando aliqui attestatione nominis Dei vel auri vel sacrificij altaris iurabant, obnoxios in istis duntaxat se credebant. Talemque huius præcepti vulgaribus sensum ingerebant: Non periurabis scilicet per Deum: nam si aliquid Deo polliciti fueritis, aut iuramento te illi obstrinxeritis, soluere non procrastinetis: Quando autem iuramentum celebrabatur per templum, & id genus aliorum sese innoxios existimabant. Istam cæcitatem corrigit Dominus, inquiens, non iurare omnino, nam seruare cogimini quod iurabitis, ne periuri efficiamini, quando enim per creaturas iuratis, per eum iurare probamini, à quo sui originem sumpserunt, teste D. Hieron. in præfatum Matth. locum, & August. Quæri potest, inquit, cùm diceret, Ego autem dico vobis, non iurare omnino; cur additum sit, neque per cælum, &c. Itaque Dominus docet, nihil esse in creaturis, vt per hoc quisquam periurandum arbitretur, quando ab infimis vsque ad summa diuina prouidentia creata regantur, quasi dicat; dictum est antiquis non periurabitis, quod intelligebant per Deum non esse periurandum. Ego autem dico vobis, sicut per Deum non est periuran-

Error Scribarũ et Pharisæorũ. Matth. 23.

Quæst. 1 super Leuit. & lib. 1. de sermone Dom. in monte cap. 31.

Alia præfatæ sententiæ Matthæi expositio.

periurandum, ita neque per creaturas omnino iurãdum est, id est, periurandum.: Reus siquidem est periurij, etiam qui per ea, in quibus diuina veritas, sciẽtia & prouidentia relucet, deierar, perinde atque illi qui per Deũ. Nec minus per Deum peierat, prout relucet in crearis atque qui per Deum vt in se est; Aliam D. Augustinus, præfatæ sententiæ expositionem habet, ne videlicet quisquam assiduitate iurandi ad periurium mala consuetudine dilabatur. Propterea se quisque cohibeat, vt non eo vtatur, nisi necessitate exigente, cum videt difficiles esse homines ad credendum, quod eis vtile est credere, nisi iuratione firmentur: Ad hoc enim pertinet quod dicitur, sit autem sermo vester est, est, non, non: Quod autem amplius est, à malo est, id est; Si iurare cogaris, scias de necessitate venire infirmitatis eorum quibus aliquid suades. Et postea, Tu autem non malum facis qui bene vteris iuratione, quæ etsi non bona tamen necessaria est, vt alteri persuadeas, quod vtiliter persuades, sed à malo est illius cuius infirmitate iurare cogeris, Et ser. 30. de verbis Apostoli. Quantum ad me pertinet iuro, sed quantum mihi videtur magna necessitate cõpulsus, cum video non mihi credi, nisi faciam, & ei qui mihi non credit, non expedire quod non credit, hac perpensa ratione, cum magno timore dico, coram Deo, aut Deus est testis, aut scit Christus sic esse in animo meo, & video quia plus est quam est, est, non, non, sed quod his amplius est à malo est, & si non à malo iurantis, à malo tamen est non credentis. Ideoque Iuramentum ferendum non est, teste D. Thom. & Alexand. de Hales nisi quatenus succurrat humano defectui, qualis est in corporalibus sumptio porionis, aut pharmaci ad purgandum, sectio capitis ad vulnus sanandum, malum quidem est venenum delibare, vel manum amputare, vel merces in mare proijcere, in casu tamen necessitatis ratione melioris boni laudandum est, sic in necessitate ad aliquem vtilem finem & necessarium licet. Cum iudicio igitur legendus est sanctus Ioannes Chrysost. vbi Pelagio consentaneus esse videtur ponenti iurationem omnino lege Euangelica esse vetitam. Sic Theophyl. & Oecumenius eo loci vehemẽtiores fuere, vt iurandi pessimam consuetudinem stirpitus euellerent, & prorsus eradicarent, quod vel homil. 5. ad Antiochenos manifestum euadit, vbi certorum iuniorum castigatione iurandi consuetudinem docet esse frenandam, Imo in eodem volumine vix vna est homilia, vbi non ex professo eandem promat cantilenam, quatenus iurandi facilitatem periculosam fugare queat, alioqui Latini doctores aliquando iuramentum decernunt non esse illicitum. Nam D. Ambros. non iurandum, inquit, est facile. Et super illa verba, Iuraui & statui

Lib. 1. serm. Dom. in monte cap. 30.

21. quæst. 89. art. 5.

Lib. 1. summa tit. 18.

Similitudinibus probat iuramentorũ necessitatem.

Homil. 17. in Matth.

Modus frenãda consuetudinis iuramentorum.

Lib exhortationis ad virgines.

Psalm. 118.

statui custodire. Si Dauid, ait, metueret, an diuina posset seruare mandata, non iuraret. Et August. Quamuis non peccet qui verum iuret, remotior tamē à peccato est qui non iurat. Epistola quoque 89. quæ est ad Hilarium, monet Dominus non iurare, non quia peccatum est verum iurare, sed quia est grauissimum peccatum falsum iurate, quo citius cadit, qui iurare consueuit. Et D. Hieron. super Zachar. 8. Iuramētum mendax ne diligatis. Præcipit, inquit, Deus in Euangelio, non iuretis pœnitus, qui enim non iurauerit, nunquam poterit peierare. Iuramētum igitur si debitis fulciatur circumstantijs, non solum non est illicitum, sed etiam diuini honoris adducit incrementum, homines quippe per maiorem sui iurant. Qui Deum testem inuocat, hoc ipso Deum maiorem esse confirmat, cuique meritò fides adhibeatur, demonstrat. Vnde Deuteron. 6. dicitur: Dominum Deum tuum timebis, & in nomine eius iurabis, ne in nomine idolorum iuraméta deponerent: Dominus tamen omne iuramentum docuit esse vitandum ad præcauendum periurium, quo nomen Dei blasphematur, ne inquam ad facilitatem iurandi deuolueremur ex facilitate, in consuetudinem à qua in periurium prolaberemur. Sicut igitur longissima intercapedine dissidet ab homicidij malo, qui ne fratri quidem irasci cupit, & ab adulterij præcipitio, qui nec alienam formam impudico contemplatur oculo; Sic plurimùm abest à periurio, qui non iurat omnino. Deinde interdicta sunt à Christo iuramenta, ne nomen Dei frustra vsurpemus & in vanum, vt vel sic discamus nomen Dei reuereri. Vbi ergo nomen Dei non blasphematur, nec in vanum sumitur, illic iuramentum non est prohibitum, & proinde licitum est vera iurare, si honor Dei id exigat, aut iustitiæ veritatísve defensio, quæ alioqui periclitaretur, seu commoditas, vel necessitas proximorum id requirat. Sic pro intertenenda amicitia inter Isaac & viros Gerare, iuramentum intercessit. Pro fœdere pacis reformando Iacob, non illicitè iurauit. Pro consuetudine quoque Ecclesiæ seruanda, iustum est canonicorum iuramentum: nam filij Israël iurarunt sese legis fore obseruātes. Pro veritate etiam declaranda, In ore duorum vel trium testium, stet omne verbum, necnon cap. 21. pro purgatione iuramentum reperitur concessum, Item pro subiectionis recognitione, vt abbates iuramento se Episcopis adstringunt. Pro fidelitate etiam seruanda, principes regi iurisiurandi sacramēto se obligant, vel miles principi. Hoc modo Abraham exegit iuramentum, & filij Israël iurauerunt, Dauid in Hebron. Deinde pro veritate confirmanda: Fidelis Deus, quia sermo noster non est in illo, est & non; Testis mihi est Deus. Pro sopienda calumnia:

Lib. 19. contra Faustum Manich. cap. 25.

Exod. 23.

Iuraméta vniuersaliter quare fugienda?

Genes. 26. Genes. 31. Exod. 24. Deuter. 9. Modi quibus iuraméta sunt concessa. Iud 11. 2 Reg. 5. De Ferijs, cap. Omnes dies. Genes. 24. 2. Reg. 5. 2. Corinth. 1. Roma. 1.

Omnis controuersiæ finis est ad confirmationem iuramentum. Quibus scripturarũ passibus nomen Dei non in vanum assumitur, sed laudatur, iustitia defenditur, ac pax retinetur.

De periurio. CAPVT II.

SANCTVS Matthæus cap. 5. sui Euangelij ita antiquis dictum esse commemorat, Non periurabis, reddes autem Domino iuramẽta tua. Ego autem dico vobis, &c. Huius mentionem præcepti videre licet Leuit. 19. vbi dicitur, Non peierabis in nomine meo, nec pollues nomen Dei tui. Quo concludendum occurrit, periurium vergere in contemptum nominis Dei, atque hac de causa hoc secundo Decalogi præcepto inhibitum, quando Exod. 20. legitur, Non assumes nomen Domini Dei tui in vanum. Quo non solum nominis Domini blasphemia interdicitur, sed & eiusdem inuocatio, laus & confessio præcipitur: Hoc itaque præceptum prẹuaricantur, qui tribulationibus pressi, non subleuãt mentis obtutus, ad inuocandum nomen Domini, sed dæmonum prẹstigijs, ac magorum incantationibus abducti, relicto Deo, creaturis confidunt, impingentes in illam imprecationem, Maledicti qui confidunt in homine, vel maximè Deus siquidem aduersitatibus hominem exercet, vt occasionem prẹstet ad se recurrendi nomenque suum inuocandi, vt tandem expertus dicere queat, quàm verè stet promissis, qui dixit: Inuoca me, in die tribulationis eruam te, & honorificabis me. Secundò istud transgrediuntur præceptum, qui gratiarum actiones impensis beneficijs non referunt: nam lapideam vel ligneam non dedit nobis naturã (vt August.) sed ad imaginem suam nos formauit. Præterea alia dignitate nos nobilitauit, quia omnibus præfecit creaturis, Dominamini piscibus maris. Ecce dedi vobis omnem herbam & omnem creaturam hominum vsui natam & creatam, manifestum est etiam per sanctos angelos qui administratorij ab Apostolo dicuntur spiritus: Omnia subiecisti sub pedibus eius oues & boues. Quando igitur tunicam induis, lauda nomen domini, qui ouem creauit, quæ lanam tibi produxit, nec de dignitate creationis duntaxat gratias agere oportet, sed & de assumptione carnis qua demonstrauit maiori se affectu diligere hominem, quàm angelum; Primò quia maiorem ei honorem exhibuit, quando non eius, sed hominis naturam assumpsit. Deinde vehementiorem ardentioris amoris affectum homini, quem proprio sanguine reparauit, ostendit: Empti estis pretio magno. Tertiò in visione æternæ vitæ quando ex contemplatione humanitatis homo maiori gaudio quàm angelus perfruetur; videbit namque

Transgressores huius præcepti.

Hierem. 17.

Psalm. 49.

2. *Præuaricantur.*

Lib. de spiritu & lit. ca. 17.

Genes. 1.

Gratiarũ actiones de quibus agendæ?

Hebr. 1.

Psalm. 23.

Deus triplici ratione hominẽ magis quã Angelũ dilexit

Hebr. 2.

1. Corinth. 6.

maiori Sonoduam naturam diuinæ vnitam, Iob 19. In carne mea videbo Deum meum. Quartò in tolerantia passionis, quia demonstrat se hominem plus se ipso diligere: quia vt hominē morti eriperet se illi tradidit, quis filium flagellet vt seruo parcat?
Ioan. 14. Maiorem charitatem nemo habet. Quid autem aliud hæc & eius generis innumerabilia beneficia sibi volunt, nisi vt gratus existens assurgas in laudem Dei? nec aliam ob causam os homini sublime dedit. Delinquit ergo cōtra hoc præceptum, qui Deum laude sua spoliat, nec grates persoluit, sicut oportet.
3. Transgrediuntur præceptum. Transgrediuntur hoc præceptum etiam qui vel ex mala consuetudine vel aliàs nedum non laudant nomen Domiui, sed blasphemant, irrident passionem Christi, sanguinem, vulnera, &c. adeoque in consuetudinem trahunt iurandi & deierandi pronitatem, vt vix aliud verbum frequentius ex ore eorum resonet, quod grande nō dubitatur piaculum, etiamsi verum iuramento firmetur. Vult namque Deus honorem nominis sui integrum seruari, nec alia nos vti ratione, quàm ad gloriam eius, nec consuetudo excusat, sed aggrauat. Qui autem deliberato animo falsum peierant, scienter cupientes fallere proximum hoc vel grauissimum est peccatum, quod
4. Reg. 25. & Actor. 5. rarissimè etiā in hoc mortali corpore manet inultum; vt patet in Sedechia & Anania. Quid enim grauius, quàm Deū testē mendacij constituere? Quid hic aliud agis, quàm testaris Deum esse mendacem? Imò spolias Deum in officina cordis tui sua diuinitate & veritate; quod grauissimum esse peccatum quis abnuat? quis magnam fieri Deo contumeliam hac in re non videat? deinde damnum proximi intendit, & tertiò
Ex trium defectu nascitur periurium. à veritatis semita exorbitat. Ex triplici siquidem defectu periurium nascitur, primò periurium censetur, quod iudicio discretionis ex parte iurantis priuatur, quia discrimini falsitatem iurandi ex inconsideratione se committit, secundum D. Hieronymum super Hieremiæ cap. 4. Deinde intuitu eius quod iuramento firmatur, requiritur veritas. Quando namque incumbit iurare, iuranda est res vera, alioquin si ad falsitatis confirmationem Deum adhibemus testem periurio, Deum facimus mendacem: Mendax siquidem est, qui mendacij testis est, imo sua veritate & deitate spoliatur, dum falsi
Leuit. 5. Malach. 3. & Iosue 3. suffragator & approbator constituitur. Hinc dicitur, Fili mi da gloriam Deo, vt innuatur grauissimè inhonorari, si per
Lib. de summo bono cap. 31. Deum peieretur, teste Isidoro, adeo vt nunquam peccati læriferi noxam excludat. Significatur namque quod veritatis non sit cognitor, sed falsitatis sit adsertor. Quod haud vulga-
2. 2. q. 83. art. 3. & 89. art. 2. re censendum est peccatum, secundum D. Tho. Vltimò iustitia iuramento adsit oportet, vt licita duntaxat confirmet, quando Iosue indignari cœpere Israelitæ, quod Gabaonitis hosti-

hostibus intercedente iurisiurandi sacramento pollicitus esset pacem, vti explicat Amb. Propter defectum tamen trium præmissorum, nō eodem ordine incurritur periurium. Principaliter namque periurium constituit veritatis defectus. Secundario, iustitiæ defectu iuramentum redditur inualidum. Tertio, quando deest iudicium, qui enim indiscretè iurat, haud difficulter ex ingratitudine & inconsideratione peierat, vt notauit D. Thom. Hinc concil. Tolet. 4. D. Ambros. necnon B. Aug. Homines, inquit, falsum iurant, vel cùm fallunt, vel cùm falluntur: aut enim putant verum esse quod falsum est, & temerè iurant; aut putant falsum esse, & tamen pro vero iurant, & nihilominus cum scelere iurant. Distant tamen ista periuria commemorata: faciliùs enim iurat qui verum putat esse, pro quo iurat, tamen falsum est; Non ex animo iste peierat, tamen fallitur, quia hoc pro vero habet, quod falsum esse constat. Datur alius qui scit falsum esse, & dicit verum esse, & iurat tanquam verum sit, quod non ignorat falsum esse. Ecce quoties homo tanquam gladio lingua se vulnerat? quoties medullas cordis cuspide periurij transfigit? Si desideres ergo abesse periurio, iurare noli: Qui enim iurat, aliquando verum iurare potest, qui autem non iurat, mendacium iurare nūquam potest: Nulla siquidem iuratio secura est, vera iuratio periculosa est, falsa exitiosa, iuxta illud, Illaqueatus es verbis oris tui & proprijs sermonibus captus: quando namque licitum quis transgreditur iuramentum, laqueo illo tanquam propria manu strangulat se. Sacrilegus quoque esse conuincitur, qui rem alienam tactis sacrosanctis inuadit, Et rem sacram prophanat, quando nomen Domini in vanum contra prohibitionem sibi & cuilibet homini in secundo præcepto factam vsurpat, falsarij quoque crimen non euadit, vtpote qui nomen Domini gloriosum in secula ad falsitatem stabiliendam adsumit. Imò iste iniquitate crucifixores Christi anteuertit, qui Christo dūtaxat malum pœnæ intulerunt, iste malum culpæ inurere, testemque falsitatis constituere non veretur. Quin & dęmones impietate vincit, qui præfato Dei nomine terrentur, iste autem contumeliam inferre non erubescit. Porrò qui à Domino suo aut hero scienter compulsus peierat, cum domino reus existit: dominus quia præcipit, miles quia Dominum plus quàm animam suam diligit, & quadragesimalis ieiunij rigorē panis & aquæ refocillatione septennio temperare debebant, teste Pio Papa: Qui peierat pręter infamiā, tactis crucis mysterijs, triū annorū maceratione, corpus castigare debebat. Iā autē digitorum falsa intentione extensorum amputationem requirit periurium, aut venenatæ linguæ professionē legib. Imperialibus.

Lib. 3. Offic. cap. 10.

2. 2. q. 98. art. 1.

Cap. 65. & 8. cap. 2.

Lib. 1. de Cain & Abel, c. 10.

Serm. 30. de verbis Apost.

Prouer. 6.

Grauitas periurij.

Epist. 2. et allegatur 22. q. 5. cap. Qui cōpulsus, ca. Autem.

De iuramento per Deum & sacrum eius euangelium. CAPVT III.

Tripliciter iuramentũ emittitur.

VT veritatem super hoc doctrinæ capite proferamus, operæpretium est considerare inuocationem Dei in teste trifariam contingere. Primò quando quis scienter falsum statuit, ac mendacium iuramento, siue iocò, siue seriò confirmat, tum propter irreuerentiam maiestati diuinę illatam, quam nec de viro honesto homo præsumeret, peccato læthali se commaculat, secundum Thom. Grauius tamen per Deum iuratur quando deliberato animo ac subdola mẽte, in detrimentum proximi, iuramentum emittitur, vti cùm vxor vel seruus negat mendaciter se non fecisse, vel non dixisse, siue non vidisse hoc vel illud, vel cùm aliquis diuendit mercem, iuratque per Deum, se non minori pretio daturum, quàm tali & contra animi sententiam mentiendo iurat, profectò læthiferum peccatum incurrit. Rursus qui mala bonis immiscent, & tanquam vniuersa sint bona, iurando distrahunt, simili se periculo committunt. Quoties (proh dolor) in vilibus rebus proximos circumscribimus? quoties rerũ ignaros simplices maligna nostra calliditate circumuenimus? Tertio modo iuramentum inuocato Dei nomine peragitur, quando quis iurat rem veram licitamq́ue, vt dicendo per Deum cras comedam, vel ieiunabo, cras proficiscar, vt passim fit in quotidianis iuramentis ex leuitate & iniqua consuetudine inductis, quæ non videntur gratiam semper excludere & damnationem adducere, nisi fortè quis adsueta iuramentorum iteratione, tanquam multiplicatis guttis nauim tandem suæ substantiæ per lætiferum incautè deuolutus iuramentum demergat, secundum Augustinum, & D. Gregor. & B. Bonauentura. Propterea omnium obtutibus constituenda est Dominica sententia, Matth. 12. de omni verbo otioso quod loquuti fuerint homines, reddent rationem in illa die, multò magis de iuramentis. Haud dissimili ratione, communi loquendi vsu proferimus: In veritate, vel per fidem, quæ geminam asciscuntur intelligentiam; priori namque acceptione pro ipsa veritate quæ Deus est vsurpantur: Ego sum via & veritas, tuncq́ue veritate aliquid stabilire, iuramento per Deum æquipollet. Si autem pro veritate humana, hoc est, veraciter accipiatur, non obtinet rationem iuramenti: sic accipitur, Act. 10. in veritate comperi, &c. Pari modo de fide sentiendum est: Si enim de fide intelligatur, quam habeo in Deum vtique iam vicem iuramenti subit: verùm si pro humana adsertione vt fideliter significet, proferatur, nequaquam præsentis disputationis tractatum concernit,

22. quæst. 98.

Tract. 12. in Ioan. Tract. 1. in epist. Ioan. Epist. 108. ad Seleucianum. Lib. 6. cap 2. in lib Regum. Et li. 33. Moral. cap. 10. Lib. 3. senten. dist. 39. disputat. 2. q. 1. ad solut. 4. argu.

Per veritatem dupliciter iuratur.

Ioan. 14.

concernit, vt perspicuum esse potest intuenti commẽtarium Thomæ Caietani. Reperimus autem iuramenta tactis sacrosanctis euangelijs celebrata; Hoc modo, patres in concil. generali, inquiunt, per has sanctas scripturas & Deum, qui per eas loquutus est, inueni rem ita se habere, &c. quemadmodum habetur Concil. Constantinopol. 6. Eiusque violatio grauius delictum non est ambigendum, cum ratione scandali, rum maioris deliberationis respectu, quàm si per Deum quotidiano sermone, quis iurare præsumeret. Quibus æqualiter hinc inde pensaris cæterisque paribus, maiori noxæ subiacet qui per Deum deierat, quam qui per euangelium, quòd maior sit qui sanctificet euangelium, quàm ipsum, quòd à Deo sanctificatur, teste beato Ioãne Chrysostomo. Iuramenta præterea celebrata leguntur super crucem Dominicam, teste concil. Nicen. 2. Qui Canon desumptus est, ex 2. epistola Pij Papę Italis directa. Interdum super sacras reliquias, vt liquidò constat ex 2. epistola Euticiani Papæ Siculis scripta, vbi Episcopus in Synodo residens, septem viros honestate ac morum probitate conspicuos, debet iurisiurandi sacramento tactis sanctorum pignoribus cõstringere, vt quicquid emendationis remedio egere conspexerint, protinus Episcopo denuntient, nec segnirer, sed sub protestatione, qua pronuntiabant, ita me Deus adiuuet, & istæ sanctorum reliquiæ. Hoc aut simili tenore, iuramento se obligantes episcopi, efficiuntur in consecratione (vt abbates in benedictione) ecclesię sponsi, quemadmodum docetur de iureiurando. Quanquam in Pontificali Romano longè plura iuramẽta firmanda præscribantur. Iuramentum autem quo inauguratur Romanus Imperator, habetur in Clemẽtinis eodem titulo. Reges quoque iuramentum præstare debent, vt habetur dist. 23. Formam tamen eius reperire est, dist. 83. & expressius in consecratione regis, Pontificali Romano. Porrò clerici vota suæ promissionis & canonici exhibent episcopis & ecclesiæ prælatis, tenore qui allegatur, dist. 33. ex concil. Toler. 11. cap. 10. Concil. Trident. De iuramento autem quod vasalli, hoc est, Domini nationum, ac regionum gubernatores, præstant admotis digitis sacris euangelijs & reliquis dominis & principibus legere licet canonem. De forma 22. quæst. 5. constitutum.

Super 6. art. q. 89. 2. 2. D. Thom. Aquin.
Act. 13. et 14 & Act. 4. Cõcil. Niceni 2.
Grauius est iurare per Deũ quàm per euãgelium.
Homil. 44. super Matth.
Act. 4. et 22. quæst. 5. cap. Qui cõpulsus.
Cap. Ego Episcopus.
Prælatorũ iuramenta.
Cap. Romani.
Cap. Quãquã
Cap. Tibi Domino.
Cap. Quãquã
Sess. 24. et 12
Epist. 2. Italis directa, & citatur 22. q. 1. cap. Si quis hoc modo.
Part. 12. cap. 32. & 72.

De iuramento per membra Dei. CAPVT IIII.

Execrabilis & intolerabilis est peruersorũ imprudentia, qui iurare noneformidãt, per intestina Dei, per pulmonẽ, vel per caput, aliáve mẽbra, de quibus ita scribit Pius Papa. Et apud Iuonẽ Episcopum Carnotensem. Si quis

Si quis per capillum Dei, vel caput iurauerit, vel alio modo, blasphemia contra Deum vsus fuerit, si in ecclesiastico ordine est, deponatur, si laicus, anathematizetur. Huc quoque reducendi sunt qui iurare non expauescunt, per quinque vulnera Christi, per mortẽ & pretiosum eius sanguinem: Nam puer quinquennalis malè edoctus, cùm his & similibus modis Deum blasphemasset, morti propinquus diabolico ministerio ad inferos crudelissimè est protractus, teste D. Gregor. Magna siquidem Deò fit contumelia & irreuerentia, quando acerba eius passio, pretiosaque eius vulnera, tanta crudelitate pro nobis inflicta, tanta longanimitate tolerata, in vanum adsumuntur & quasi ludus æstimantur, de quibus incessabili voce gratitudinis holocausta offerre necessum esset, secundum Augustinum, Ioannem Chrysost. & D. Ambros. quod salus nostra inde manârit. Ideoque sunt mortalia peccata, & quidem adeò grauia, vt in regionibus inferioris Germaniæ arcti carceris maceratione in pane tribulationis & aqua angustiæ affligantur, imò præter hanc pœnam publicè in theatro confusi, lingua leguntur perforandi, lib. 3. Ordinationum Imperialium ac Regalium, vnde legitur in Autenticis titulo, Vt non luxurientur contra naturam, collatione 6. §. Omnibus hominibus. Non iurent (inquiunt, pijssimi Imperatores) per mẽbra Dei aut capillos aut alio modo Deum blasphement: His namque delictis & fames, & terræmotus, & pestilentiæ fiunt, præcipimus tales comprehendi, atque vltimis plecti supplicijs, nisi resipiscant ne ciuitas & respublica tam impijs actibus læsa, vniuersa pœnis subiaceat.

Per quinque Christi vulnera iurare grauissimum est peccatum. *Horribile exemplum pueri iurantis.* *Lib. 4. Dialog. cap. 18.* *Lib. de spiritu & ani ca. 17.* *Homil. 25. ad popul'um Antiochenum.* *Ser. 42. et 43* *Pœna per Christi membra iurantis.* *Rubrica 1. art. 43.*

De iuramento per falsos deos & creaturas.

CAPVT V.

FACESSAT hic etiam oportet hominum deprauata consuetudo, qua per falsos deos & creaturas alias, nempe lumen vitale, panem quo vescimur cęteraque similia iurare subinde non pertimescũt, teste Concil. Aurelianensi 4. cap. 16. quia Christus expressis hoc verbis inhibuit, quando neque per cælum, neque her terram, neque per capillum (vt prælibatum est) iurare imperauit, quòd vniuersa cæli circũferentia ac terræ finibus comprehensa ipsius directioni subiacerent, prouidentiaque eius diuina in illis reluceret, teste August. Haud tamen ignorandum est iuramentum bifariam per creaturas fieri, secundum D. Bonauenturam & beatum Thom. Priori modo, inquantum relucet in eis vestigium diuinæ veritatis, sic aliquando non est illicitum creaturarum inuocatione iuramentum confirmare; Haud secus namque faci-

Lib. 1. serm. Dom. in monte cap. 31. *Iuramentũ per creaturas bifariã contingit.* *Super 3. dist. 39. art. 2. q. 2* *2. 2. quæst. 89 art. 6.*

facimus, quàm si per eum, qui in eis relucet, iurisiurandi sacramēto aliquid stabiliamus: quia religio non defertur creaturæ, sed creatori. Sic Ioseph iurauit per salutem Pharaonis, inquantū. s. relucebat in Pharaone, indicium potestatis omnis, etenim potestas est à Deo; quasi dicat, per illum qui est salus Pharaonis. Posteriori modo innocari potest secundum se cōsiderata, quod ab omnibus fidelibus maximè debet esse alienum, alioquin significare videremur aliquid numinis illis inesse, ratione cuius veritas possint dici, & per huiusmodi testimonium cōfirmari. Quare, optimè Christus nobis præscripsit non esse iurandum per cælum, neque per terram, in se nempe considerata, teste D. Hierony. super prefato passu, & Concil. Carthag. 4. vbi sic legimus: Clericum per creaturas iurantem, acerrimè iudicamus obiurgandum, & si in vitio perstiterit, excommunicandum. Quod capitulum desumptum est ex ser. 3. Augustini de verbis Apost. Ecce dico charitati vestræ, qui per sanctum lapidem iurat falsum, periurus est. Etsi religio vetuerit apud Gentiles, teste Augustino. Falsorum deorum allegatione aliquid statuere; multò magis fidelibus Christi debet esse hoc interdictum, secundum eundem serm. 30. de verbis Apost. Et resumitur apud Iuonem. Quia dum aliquis intendit iurare, intēdit testimonium infallibile adferre; & dum per falsum Deum aut creaturas iurat, profitetur creaturam illam seu illum Iouem vel Herculem testem esse infallibilem, quod est proprium Deo immortali. Quādo ergo mortali hoc adscribitur, peccatum grauius periurio cōmittitur, necnon crimen blasphemiæ incurritur. Hinc Iosue 23. Ne iuretis in nomine deorū gentium.

Genes. 42. *Roma. 13.* *Cap. 61. quod allegatur 22. q. 1. cap. Clericū & 22. q. 5. cap. Ecce.* *Per falsos deos iurare illicitū.* *Lib. 1. de ciui. Dei cap. 15. & epist. 154. qua est ad Publicolam.* *Par. 12. c. 34*

Crudelis & stulta promissio non est seruanda.

CAPVT VI.

DVO mala licet omninò sint cautissimè præcauenda, periculi tamen necessitas, si vnum ex his perpetrare compulerit, id debemus resoluere cui minori nexu colligamur. Quid autem leuius quídve grauius sit, rationis perpendiculo inuestigandum est. Etenim dum peierare contingit, creatorem quidem offendimus, & nos tantummodo commaculamus. Cùm verò noxia promissa complemus, & Dei iussa contemnimus, nosipsos quoque crudeliori mortis gladio trucidamus, ac proximis (vt triplex gladius locum obtineat) impia crudelitate nocemus, teste Concil. Tole. 8. Cui adstipulatur D. Ambros. Nullus promittat aliquid inhonestum, aut si promiserit, tolerabilius est promissum nō facere, quam facere quod turpe est. Sese plerique sæpè constringunt iurisiu-

Stulta promissio tripliciter nocet. *Cap. 2. & resumitur dist. 13. cap. Duo mala.* *Lib. 3. Offic. ca. 12. & habetur 22. q. 4 c. Vnusquisq;.*

iurisiurandi sacramento, vt cùm cognouerint promittẽdum non fuisse, sacramenti tamen contemplatione faciunt quod spoponderũt: sicut Herodes qui saltatrici primum quod turpiter promisit, crudeliter soluit; turpe siquidẽ est quod regnũ pro saltatione promittitur, crudele quod mors prophetæ pro iurisiurandi temeritate exhibetur. Quanto tolerabilius tali fuisset periurium, si tamen periurium dici posset, vt Ambro. & Thom. vbi dicitur de Iephte, cuius mentionem habemus Iudic 11. Miserabilis est, inquit, necessitas, quæ soluitur paricidio Nõ enim omnia semper soluẽda sunt promissa: Quando enim aliquid vergit in salutis alicuius detrimentũ, adeò vt sine peccato mortali iuramentũ obseruari nequeat, vtputa in occisionem alicuius hominis iurare, sicut illi qui decreuerant iuramento se nil cibotum gustaturos, nisi prius è medio Paulum Apostolum tulissent, vel quod tẽdit in perfectionis impedimentum, sicut abiurare ingressum religionis, & similia. Pœnitenda est in his promissio, non perficienda præsumptio, quia quemadmodum istud iuramentum nõ est licitum, ita nec obligatorium; licet ipsum obseruare non sit grande piaculum: non enim peccatum incurrimus, quando religionis approbatæ rigorem remissiores fugitamus, teste Isidoro ac D. Ambros. Si quid ergo nos incautius iurare contigerit, quod obseruatum peiorem vergat in exitum, rescindamus fidem, & in tali voto salubriori consilio mutemus decretum, ac magis instante necessitate peierandum est nobis, quàm pro vitando periurio in aliud crimen grauius diuertendum. Et epistola 29. ad Theodosium: Ne veritatis sacramentum nunquam Deo displicere poterit, quod pro eius emendatur honorificentia. Deniq; 1. Reg. 25. Iurauit Dauid per Deum occidere Nabal, sed ad primam intercessionem Abigail fœminæ prudentis remisit minas, reuocauit gladium in locum suum, nec aliquid culpæ se tali periurio contraxisse doluit.

Lib. 3. de virginibus. In scripto 4. dist. 38. q. 1. art. 1. ad solutionẽ 3. arg.

Actor. 23.

Lib. 2. de summo bono c. 31. Lib. 3. Offic. ca. 10 & citatur 22. q. c. Inter cætera.

Pluſculis deinde modis iuramentũ censendum est illicitum: Primo, respectu personæ, & hoc bifariam: vno modo intuitu illius, cui iuramentum defertur; Sic quidam Anachoreta, illusione diabolica, seductus, iuramento pollicitus est illi, se non adoraturum imaginem Mariæ virginis paruulum in vlnis gestantis, teste Concil. Nice. 2. act. 4. post medium. Vnde Concil. Lateranẽ. sub Alexandro 3. celebratum. Non est contra iuramentum veniẽdum nisi vergat ad interitum salutis. Insuper clericus laico iurare non debet, secundum Concil. Triburien. vbi sic habemus, Si quis presbyter contra laicum, vel laicus contra presbyterum aliquam habeat quærimoniæ controuersiam, episcopo præcipiente, sine personarum acceptione finiatur, laicus per iuramẽtum, si necesse sit, se expurget,

Pluſculis modis iuramentũ censendum est illicitum.

Tit. de iuramento cap. 1.

Ca. 21. & allegatur 2. q. 4 cap. Si quis.

get, presbyter verò, vice iuramenti, per sanctam consecratio-
nem interrrogetur quia sacerdotes ex leui causa iurare non
debent. Cui consona est sentẽtia quæ habetur de iureiurãdo,
& cap. 1. Concil. Lateranen. sub Alex. 3. celebrati, quãdo dicit,
Clerici non debent præstare iuramentũ calumniæ. Secundo,
redditur illicitum, ratione personæ iurantis. Impuberũ siqui-
dem quarrumdecimum annum nondum attingentium, ne-
quaquã tenet iuramentũ, vti docetur de pactionibus. Deinde *Cap. In præ-*
ratione finis iuramentũ reperitur illicitum, quemadmodum *sentia, & 22.*
docetur 8. quæst. 3. Sic iuramenta Ecclesiasticæ libertati ob- *quæst. cap. 5.*
uiantia, neutiquam sunt obseruanda, vt habetur in sexto de *Paruuli, &*
iureiurando Causa quoque eius vim eneruat, potissimùm ad *cap. Pueri.*
tumultuantis populi clamorem emissum, teste D. Ambros. *3. ca. Astaldus*
Modus etiã iuramento adsit oportet, ne temerè, aut indiscre- *Cap. Cõtingit.*
tè, aut minus necessario aliquid iuramento firmetur, ibidem *Lib. 3. Offic.*
cap. Si aliquid. Postremò non minùs tempori religio defer- *cap. 12. & re-*
tur, quàm personæ aut causæ. Propterea à Septuagesima vsq; *peritur 22. q.*
ad octauas Paschæ, quemadmodum habetur 22. quæst. 5. Et *4. cap. Vnus-*
ab Aduẽtu Domini vsq; ad octauas Epiphaniæ, necnõ Qua- *quisque.*
tuor temporũ, diebus quoq; Rogationũ ac Dominicis, dem- *Ca. Decreuit.*
pto pacis ac concordiæ fœdere nullus iurare debet. His non
sunt illi subtrahendi qui sacris in literis passim sunt obuij,
quibus edocetur ne libenter, hoc est, faciliter cum appetitu
propensæ voluntatis iuremus. Ante omnia, inquit Iacobus *Iacob. 5.*
Apostolus, fratres mei nolite iurare, &c. Secundo non caret
vitio qui frequenter iurare non pertimescat. Vnde Sapiens: *Eccles. 23.*
Iurationi non assuescat os tuum. Deinde mendaciter, hoc est,
cognita falsitate aliquid stabilire, vt de periurio præmissum
est, decernitur. Quartò illicitum iuramentum, etiamsi inuti-
liter, nempe nulla necessitate vrgẽte aut vtilitate, emittatur.
Ego dico vobis, ait Dominus, non iurare omnino. Quintò *Matth. 14.*
præcipitanter effutitum censetur illicitum, hoc est, sine deli-
berãdi discretione, sicuti cum iuramẽto pollicitus Herodiadi
rex quicquid postularet impetratum ferret. Prætereà ne-
quiter ex liuore offendimus iuramentum in Actis Aposto- *Actor. 23.*
lorum emissum esse ab ijs qui voluerint interimere Paulum.
Deinde fallaciter aliqua verborum arte, de quo Isidorus:
Quacunque arte verborum quis iuret, Deus qui conscien- *Hebr. 6.*
tiæ testis est, ita hoc accipit, sicut ille cui iurauit, intelligit.
Octauo reperimus imprudenter quendam iurasse filiæ suæ
interfectionem. Nono, Saul iuramento stulte se adstrinxit *Iud. 11.*
Ionatham esse occidendum. Iurauit etiam Dominus, sed *1. Reg. 14.*
non pœnitebit eum, qui sit gloriosus & superexaltatus in se- *Psalm. 109.*
cula, Amen.

De exi-

De exigentibus Iuramentum. CAPVT VII.

Vel maximè istud transgrediuntur præceptum, qui scientes, imò cogentes alios faciunt peierare & lethaliter delinquere, secundum August. & Iuonem. Multum interest, inquit, si nesciat ille, qui exigit iurationem, illum falsum iuraturum, an sciat: Si enim nescit, ideoque dicit iura mihi, vt fides ei fiat, non audeo dicere non esse peccatum, humana tamen tentatio est. Si autem sciat eum fecisse, & nouit fecisse, vidit fecisse, & cogit iurare, homicida est. Ille enim suo periurio se peremit, sed iste manu interficientis expressit. Et ser. 11. de sanct. quòd allegatur 22 quæst. 5. cap. Ille. sic loquitur D. Aug. qui hominẽ prouocat ad iurationẽ, & scit eũ falsum esse iuraturum, vincit homicidam, quia homicida corpus occisurus est, ille animam, imo duas animas & eius animam quem iurare prouocauit, & suam, scis verum esse quod dicis, & falsum quod ille dicit, & iurare compellis. Ecce iurat, ecce peierat, tu quid inuenisti, imò & tu peristi, qui de eius morte satiari voluisti. Verùm enimuerò ex istis iam concludi posse videtur, quod nemo queat alium cogere ad soluendum, quando nequit alterius exigere iuramentum, haud difficulter tamen diluitur si consideretur nil restare quam iuramentum quod te nil iuuare posset. Si igitur aduerteris ipsum ad iurandum expeditum, patienti animo habeas propter Deũ ipsum supportatum, Deoque fraterna charitate commendatum, itaque accrescet tibi cumulus meritorum. Sed dicis; ex eo conijcient homines malam me defensasse causam, si nolim rem iuramento decidi. Propter iudicium deprauatorum hominum, certè nemo debet Dei præcepta præuaricari, aut animam suam periculo damnationis committere. Et si vnus malignus sit, qui perperam de te sentiat, decem reperientur probitate conspicui, ac consilio maturi, qui magnis laudum præconijs mansuetudinem animi tui, qua illum à iuramento supportasti, extollent. Nihilominus iudex & persona publica non peccat exigendo iuramentum, quia ex ordine iuris obligatur qualecunque sit recipere. Quod autem Deo displiceat, scienter falsum ab alio requirere iuramentum, tali exemplo demonstrat D. August. serm. 2. Decollationis beati Ioannis Baptistæ. Aliquid dicam, inquit, quod nunquam dixi charitati vestræ, de quodam Hyponen. ciue innocente, simplici, beneque fideli nomine Tutislymeni pluribus noto, qui commotus prouocauit debitorem ad iusiurandum; iurauit ille, iste perdidit, sed isto perdente, ille penitus perijt, dicebat ergo ille Tutislymeni, ipsa nocte se exhibitum fuisse ad iudicem, magnoque impetu ac terrore peruenisse ad præsidem quendam

Epist. 154. ad Publicolã, & serm. 30. de verbis Apost. Par. 12. c. 30.

Grãde piaculũ exigere periurium.

Obiectio.

Solutio.

Est, ser. 11. annexus sermonibus 10. tom. de sanctis.

Exemplũ memorabile.

quendam admirabilem & excelsum, dictumque sibi fuisse; Quare prouocasti hominem ad iurationem quem falsum esse iuraturum non ignorabas? Respondit, Ille negauit mihi rem meam, dictumque est illi, Et nónne melius erat, vt rem tuam quam exigebas perderes, quàm animam istius falsa iuratione perimeres? Prostratus iussus est cædi, cæsus est tam grauiter, vt in dorso euigilantis vestigia plagarum vibicesque apparerent, postea dictum est illi, parcitur innocentiæ tuæ, de cætero caue ne facias, fecit ille magnum quidem peccatum & emendatus est. Sed multo grauius peccatum faciet, qui post istum meum sermonem, istamque meam admonitionem tale quid fecerit. Cauete à falsa iuratione & temeraria, ab his duobus malis securrissimi cauebitis, si consuetudinem iurandi à vobis abstuleritis.

De assumptione nominis Domini in familiari colloquio. CAPVT VIII.

ANABAPTISTAE qui sua simulata sanctitate Germaniam infecerunt, & Memnonistæ qui specimen religionis atque pietatis se prætendere existimant, nunquam in familiari colloquio nomen domini, Iesus vel Christus vsurpant, sed eius loco, quo alijs bene precari consueuimus, non dicunt seruet te Deus, benedicat tibi dominus, liberet te, aut vbi dicimus crastino die, Deo opitulante sum hoc facturus, vel Deo volente sum profecturus; Ipsi dicunt, bene conueniat tibi, meditor instituere profectionem, vel potest fieri vt cras iter faciam; Existimantes aliter irreuerentiam & contumeliam Deo inferri: In precibus autem vel psalmis decantandis, nomen domini iterare non formidant, quòd in talibus non Dei ignominia, sed gloria sit constituenda. Verùm ô vos cæci & duces cæcorum, quare inuocatio nominis Dei fieri nequit etiam extra oratione̅ cum reuerentia? Omnia quæcunque facimus, ad gloriam diuinæ maiestatis facere debemus, quemadmodum docet D. Paulus, siue comedas, siue bibas, aut aliquid aliud facias, omnia facite ad gloriam Dei. 1.Corin. 10. Si valeam igitur per gratiam Dei, & præcipiar sermones meos etiam in familiari colloquio dirigere ad gloriam Dei, vtique possum ad eius gloriam nomen domini in sermone familiari compellare, quia Paulus præcipit Colos. 3. vt omnia quæ facimus in opere & sermone agamus in nomine domini nostri Iesu Christi, gratias agentes Deo patri per ipsum. Si debeamus omnia verba, ergo etiã familiari sermone prolata (alioqui nõ diceret, quicquid efficitis in sermone) agenda ad Dei gloriã in nomine Iesu Christi. Necessario

T confe-

consequitur, quod interdum nomē Domini in familiari colloquio assumendum sit. Quod si nunquam illud compellem, quomodo agnoscam & protestabor, quod omnia perficiam ad gloriam Dei in nomine eius? Si enim nunquam dixero, Deo gratias, vel in nomine Domini, aut Deo volente, benedicat tibi Deus, & seruet te Deus, quomodo cōfiteor nomen eius? quomodo omnia in nomine eius facio, quomodo gratias ago per ipsum? Quicunque gratias agit Deo, per ipsum compellitur Deum nominare, & qui vniuersa verba sua institutaque & vota aggreditur in nomine Iesu, iustum est vt de nomine Iesu in verbis cogitet efformandis, expetendo gratiam eius & præsidium, quod si fecerit ad confitendum
Matth. 10. nomini Domini quoque adstringetur: Qui me confessus fuerit, inquit Dominus, coram hominibus, confitebor & ego eum coram patre meo, qui in cælis est. Si enim perraró aut nunquam nomen Domini allegetur, est argumentum, talem
Matth. 12. diuini nominis esse immemorem, quia ex abundantia cordis os loquitur, si non mente recolo nomen Domini, quomodo efferūtur omnes in nomine Domini sermones? Vter, obsecro, plenius præceptum Pauli implet, qui dicit, profecturus in nomine Domini, Deo volente instituam profectionem, an ille qui duntaxat audet & dicit, cogito proficisci? Vbi hic præceptum Paulinum locum habet? omnia in verbo vel opere agite in nomine Domini Iesu Christi. Et iterum, Vtra precatio magis negotijs salutis prodest, qui dicit, Deus benedicat tibi, Deus prosperum det operi successum, incipias in nomine Domini, vel quod isti nasutiores dicunt, bene conueniat tibi? Quare non das honorem Deo, cui omnia debemus ferre accepta? Quid aliud facimus, quando in nomine Domini, alijs benè precamur, quàm breuē orationem quandam fundimus? Præterea scrutemur scripturas, qui-
Iacobi 4. bus Iacobus præcipit aliquid ordientibus dicere (si Deus voluerit) Ecce, inquit, nunc, qui dicitis hodie, aut crastino ibimus in illam ciuitatem, & faciemus quidem ibi annum, & mercabimur, & lucrum faciemus, qui ignoratis, quid erit in crastinum? Quæ est enim vita vestra? vapor est ad modicum parens, & deinceps exterminabitur, pro eo vt dicaris, si Dominus voluerit, & si vixerimus, faciemus hoc vel illud: Quid isto testimonio euidētius? nónne Iacobi Apost. doctrinæ obsecundāt boni catholici, dicētes, Hoc aut illud faciā Deo concedente vel si Deus voluerit? Nec nomē Domini adsumitur in vanum, sed potius est honorificū, illum allegare ex cuius
1. Corin. 4. & Philip. 4. munificentia omnia procedunt illis qui nihil absq; illo possunt, atque omnia illo confortante conualescunt. Et Paulus
Act. 18. Ephesios sic alloquitur, Iterum reuertar ad vos Deo volente.
Sic

Sic Rom. 1. Obsecro, si quo modo tandem aliquãdo prosperum iter habeam, in voluntate Dei, veniẽdi ad vos, & 15. cap. eiusdem epistolæ, veniam ad vos in gaudio, per voluntatem Dei, & refrigerer vobiscum. Quin & istam assumendi nomen Domini consuetudinem, nouimus fuisse in veteri testamento vsitatissimam: Nam Boos dicit communi tritoq; salutationis eloquio, Dominus vobiscum, qui responderunt ei, benedicat te Dominus. Haud dissimili salutationis genere vsus fuit Paulus, Gratia vobis & pax à Deo patre & Domino nostro Iesu Christo. Quid interest an chartæ mandetur, an viuæ vocis oraculo pronuntietur? Et Euangelistæ commemorando mirabilia Dei opera sæpissimè enuntiãt nomen Iesus, nam Matthæus 3. cap. ait: Tunc venit Iesus à Galilæa super Iordanem ad Ioannem, & 4. Iesus respondit Ioanni; & cùm baptizatus esset Iesus, Ductus est Iesus in desertum, & eius generis sexcenta alia loca, in quibus nomen Domini honorificè assumitur.

Ruth 2. Roman. 1. Matth. 4.

De voto. CAPVT IX.

DIVINVM istud præceptum præuaricari non dubitantur, qui votum Deo, debita cum deliberatione factum, quod est veluti iuramenti quoddam decretum, transgrediũtur, paulò tamen altiori repetito principio, differendum est quid sit votum, ne de illo, tanquã cæci de coloribus, disputare videamur, & describitur esse spõtanea promissio, cum deliberatione facta, vel sic: Votum est cõceptio melioris propositi, cum deliberatione firmata. Aut tertio modo, colligitur esse deliberata promissio, ab existente in libertate, Deo facta, de bonis consilij, ad quæ quis nõ tenetur: Necessitas siquidem obuiat naturæ ipsius voti, ita vt nullum censeatur, si pollicear me nõ moriturum, aut non volaturum, quod nostrę nõ sit potestatis, mortis iura dissoluere, vel aëra volatu celerrimo secare. Nec solũ necessitas absoluta (cuius iam mẽtio pręcessit) sed & conditionata: qua præceptorum Decalogi obseruantia præcipitur, hic excluditur. Quod ratio voti, propriè consistat in operibus supererogationis, ad quæ quis non tenetur, fusiori tractatu prosequitur D. Ioannes Viguerius. Ex quibus manifestũ euadit, quod votũ libertatẽ requirẽdo, necessitatem excludat: Puerperæ namq; vouentes, vt facilem habeãt enixũ, vel alij angustijs pressi promittẽtes peregrinari, vel aliquid huiusmodi, nõ videtur obligari, nisi plenus fuerit & deliberatus cõsensus. Deinde si parẽtes vel cognati aliquid voto promiserint pro filijs sui iuris & cognatis ignorantibus, arbitrio relinquitur filij, fidẽ rescindere vel obseruare promissam. Dicitur etiã Deo factã, quia promissio homini firmata,

Votum quid? *Lib. Instit. Theologic. post D. Thomam.*

non habet proprie voti rationem: tamen Ioannes dicendo Petro, si ingrediaris religionem vel visites limina Petri & Pauli Apostolorum ego idem sum facturus, se obligatum credat oportet, etiam si Deo votum non fecerit tamen propter Deum, secus se res haberet, si non intendisset Deum, sed duntaxat societatis ergò verba protulisset.

De voto simplici. CAPVT. X.

Votū simplex. VOTORVM aliud est simplex, aliud est solenne, Simplex est quod absque arbitris testibus solennitate ac ecclesiæ ministris coram Deo per nudā cogitationem matura deliberatione factam confirmatur quia homines vident quæ patent, Deus autem cor intuetur, aut per expressā verba Deo promissa, impediens matrimonium contrahendum si sit castitatis, vti manifestum euadit, obligatque coram Deo non minus quàm solenne, adeo vt si quis contrahat post votum simplex, peccet læthaliter, nec debitum exigere possit, sed triennali pœnitentia inconstantiam expiare debeat. Viduus autem factus secundum decretalē vbi supra, cap. Rursus ad secundas nequit conuolare nuptias, quod non minori quàm solenne, hoc est, perpetuo obliget tempore.

1. Reg. 16. *Ext. Qui clerici vel vouētes, cap. Consuluit.* *Dist. 27. cap. Si vir, & 27. q. 1. c. Nulēdi.*

De voto solenni baptismatis. CAPVT XI.

VOTVM solenne dicitur quod in præsentia prælatorum ecclesiæ vel eorum potestatem habentium celebratur, sicut in susceptione sacri baptismatis Christo inaugurati efficimur debitores legis euangelicæ obseruandæ, ita olim circumcisus legi adstringebatur, teste Paulo Apostolo, Testificor, inquit, omni homini circūcidenti se, quoniam debitor est vniuersæ legis faciendæ, sic Matth. 28. Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti, docentes eos seruare omnia quæcunque mandaui vobis, Solennizabatur autem bis quotannis, tempore Paschali nempe, & in solēnitate Penthecostes, cuius etiamnum vestigiū aliqualiter remansit, quando hactenus sacrum fontem ecclesia illis temporibus consecrare consueuit, secundùm beatum Leonem Papam tota epist. 4. septem capitibus distincta ad Episcopos Siciliæ, & 80. ad episcopos Campaniæ, & resumitur de consec. nisi necessitatis ingruentis periculum aliud requireret.

Galat. 5. *Bis in anno baptisma administratum.* *Dist. 4. c. Duo tempora.*

De voto solenni sacri ordinis. CAPVT XII.

HAVD solùm susceptione baptismatis votum extitit solennizatum, secūdum Aug. & D. Amb. verumetiam per susceptionem sacri ordinis & religionis sede Apostolica

Epist. 67. ad Maximū medicū ser. de tēp. Lib. de Isaac & anima c. 3.

stolica approbatæ, vti docetur in 6. de voto & voti redempt. cap. Quod vota. Quorũ duo posteriora, nõ solum impediunt matrimonium contrahendum, sed etiam dirimunt contractum, secundum decretalem. Reliqua quandoque impediunt matrimonium contrahendum, quantoque manifestius sunt emissa, propter plurium scandalum, duriora debẽtur transgressoribus pœnitentiæ cauteria, nequaquam tamen rescindere possunt matrimonia post cõtracta. Licet autem in istis, æquis incedant passibus, tamen à se inuicem in alijs diuersas amplectuntur semitas, quoniam sacerdotali ordini, vti religionis professioni, non est necessaria paupertas: præterea sacerdos non totum, vt religiosus, se Deo consecrat holocaustum. Vltimò castitas non est vinculo essentiali annexa sacris ordinibus, vt religioni, quod summus pontifex in seculari sacerdote, vrgente necessitate, vel publica vtilitate dispensare possit, vti docetur de statu monachorum. Bonauent. super 4. dist. 38. Videtur tamen solennius esse votum ordinis quàm religionis, quia illud fuit solennizatum per institutionem ecclesiæ Catholicæ in sacrosancta Synodo Nicena, cui complures patres miraculis coruscãtes interfuerunt, secundũ Theodoretum, quin & Chrysantus, necnon Musonius sancti episcopi vita functi, ac tumuli penetralibus inclusi, stupendo modo, decreta concilij subscribendo comprobârunt, teste Niceph. Religionis autem solenne dicitur, quod in præsentia abbatis alteriusve superioris celebratur. Nec hoc decreti proposito, quod allegatur in calce Concilij ex lib. 2. Tripart. hist. cap. 13. alicui ecclesia sancta laqueum inijcere tentauit, sed vltroneos ministros huic iugo castitatis voluit esse subiectos, quam precibus instantissimis obtinendam non proprijs viribus seruandum docet D. August. & D. Basilius. Legi tamen ferendæ obstitit Paphnutius Episcopus Thebarum superiorum, quibusdam rationibus motus, quæ allegantur ex prælibata historia Socratis & Eusebio Cæsariensi eccclesiasticæ historiæ, Niceph. Ideo Græci non obsequentes proposito concilij, copulant sibi in minoribus ordinibus cõstituti, vxores quas retinere in maioribus promoti consueuerunt. Quæ si morte præuentæ fuerint, ad secundas nuptias conuolare non præsumunt, quemadmodum legitur de clericis coniugatis. Græcis iam multo inferiores hæretici & Sardanapalo persimiles toti sunt carnis illecebris subacti, quos non solum diuina lex reprehendit, sed & paganorum castitas confundit, nam Xenephon commemorat virtutem & voluptatem figuris formosarum mulierum in solitudine Herculi apparuisse, qui multis ab vtraque oblatis, spreta voluptate, virtutem cõplexus est, vt etiam insinuat Quintilianus libro nono Institutio-

Qui clerici vel vouentes, cap. Rursus. §. Quod si, et ca. Insinuante.

Cap. Cùm ad monasteria, 27. q. 1. cap. Quod vouẽtes.

Solennius est votum ordinis quã religionis.

Concil. Nicenum comprobant defuncti.

Lib. 1. Eccles. hist. cap. 7.

Lib. 8. ca. 23.

Lib. 6. Confes. cap. 11.

Lib. de virginitate.

Paphnutius.

Dist. 31. cap. Nicena.

Cap. 12. cũ 4. sequẽt. lib. 10.

Lib. 8. ca. 19.

Græci seruant vxores.

Cap. Cũ olim, et dist. 28. ca. de Syracusana

turionum oratoriarum: Huc quadrat præclarum Xenocra-
Lib.4.cap.3. tis exemplum apud Valerium Maximum positum: Occidentalis autem Ecclesia promptissimo obruit animo castitatis fidem, adeo vt Episcopi nullum ordinare præsumant subdiaconum, nisi qui se castè victurum pollicitus fuerit, vt ci-
Lib.1.epistola 42. & allegatur dist.28.c. Nullũ, & cap. Diacon. tatur ex Gregorio. Verùm ista professio, non tam viuæ vocis oraculo, quàm viuo exemplo factoque celebratur, vti docetur extra de voto & voti redemp. Concil. Arelateñ.3. Lateraneñ. sub Innocentio 3. titul. de clericis matrimonio copulatis. Toletano 1.cap.1. & Toletano 2.cap.3. Africano cap.32.
Cap. Antiqua. Aurelianeñ.3.cap.2.& 3.Braccareñ.1.cap.27. Neocæsarien.
Cap.2. cap.1. Maguntino cap.10. & 19.& Concil. Trident. Clerici,
Cap 1. & 8. sequent. inquit, non habeant concubinas, nec alias mulieres, de quibus suspicio oriri possit, detineant. Si à superioribus mo-
Sess.25.c.14. niti, non contineant, tertia parte fructuum priuentur Ecclesiæ applicandorum. Si secunda vice non obtemperent, prçter fructuum priuationem, officio suspendantur. Si nec sic acquiescant, omnibus beneficijs spolientur, & inhabiles omnibus dignitatibus reddantur. Et si semel dimissam resumant, excommunicationis gladio feriantur. Idem antea fuit con-
Cap. Clericos, et dist.32.ca. Nullus, & ca. Prater. stitutum, Extra de cohabitatione clericorum. His consentanea est D. Clementis sententia, quæ habetur epistola 2. ad Iacobum fratrem Domini, Leonis Papæ epistola 84. cap.4. & epistola 92.cap.3. D.Hieron. epistola ad Sabinianum, D. Augustini epistola quæ est numero 64. Aurelio Episcopo di-
Quarũ cohabitatio sacerdotibus est licita? recta. Ne tamen ministri Dei omni solatio, & ministerij fraudẽtur in rebus domesticis suffragio, indulsit Concil. Nicenum cap.3. vt mater, soror, auia, matertera valeant cohabitare. Suffragantur huic Concil. Matisconense 1. cap.1. Elibertinum cap.27. Tolet.4.can.41. Braccareñ.1.cap.15. Quod præter dictas admittit proxima consanguinitate coniunctas, quanquam istam conditionem dubio procul, non sine vrgente causa, idem Braccareñ.3.cap.4. restringat. Nec immeritò quoniam beatus Augustinus etiam sororibus cohabitationem recusauit, quòd sorores non essent, quæ cum sorori-
Li.7.epist.39 bus viuerent, secundum D.Gregorium.

Ratio mutationis habitus in religioso.

CAPVT XIII.

In vita D. Hieronymi. ERASMVS videtur esse canis in præsepio (vt dicitur in prouerbio) qui cum fœnum comedere non appetat, tamen comesturos latratibus propulsare non desinit. Sic enim eo loci habet: Vestitus monachorum erat simplex, non præscriptus, sed suo cuique arbitrio sumptus, non qui prodi-

prodigiosa nouitate faceret insignem & digito notandum; Cuius rei, si quis fidem requirat, legat Hilarionis vitam, legat institutionem monachi ad Rusticum, item ad Paulinum, hęc ille. Profectò non est absurdum, si quis damnet studiũ quod semel deseruit, & ne ipse solus abiectæ vestis monasticæ accusetur, omnibus superstitionis & hypocrisis notam inurere non veretur: Nequaquam enim sunt hominibus dissimili à se habitu prodigio, quin potiùs exemplo, quatenus mundum cum flore contemnere discant, calcariumq; vicem subeant. Quando namque caballo ephippium, antilenæ, postilenæ, ac phaleræ adhibentur sibi properandum in via arripienda non ignorat? Haud secus quando religiosi se sacris atque dissimilibus conspiciunt ab alijs vestibus amictos, quasi calcaribus incitati, in via consiliorum Dei cursitandum sibi non ambigunt. Habitus etiã à cæteris secularibus distinctus quãquam haud parum multis displiceat, multisque etiam professione Deo consecratis proscribatur, nihilominus plurimum necessariæ vtilitatis adducit, dum disparem habitum nemo non discernat, quando alij quicunque habitu non discreti quouis erumpere incogniti more secularium possunt. Vnde diuus Basilius: Quemadmodum qui temporariam pulchritudinem amat non modo pecunias & omnes diuitias suas amoris gratia insumit, sed & cibum & somnum, vestitum & habitum, imò corpus & vitam negligens solius amoris assequendi gratia, & muros & domos, omniaque intermedia obstacula audacter transiliens, contra gladios furiosus fertur, nihil magis futurus compos non sit consueto habitu ad huius amorem procedere studens, quam si oporteret transmutato habitu, et cum indecoro gestu serpere eumque assequi, cum voluntate tolerans: Sic qui verè Deum amat & sollicitus est, quomodo ei quem amat certificandi gratia, per hoc quod iussionibus mandatorum ipsius obedit, contẽnere debet, sed etiam necessarium victum, somnum & externum habitũ & reuera corruptam in hoc mundo opinionem, insuperq; & ipso corpore & in hoc vita neglecta cælestis amoris assequendi gratia & muros sanguine coniunctorum, & domos parentum, & in medio mundum positum transilire, & econtra martyrij gladios si occurrãt insilire vt pauperem habitũ & vulgo probrosam vitã cum voluptate toleret, quo diuina, vt ita dixerim insania pro bona fruitione legitime correptus vere amabi, quantũ velit, fruatur. Atq; hac potissimũ ratione arbitror sanctos ac priscos patres stolis iucunditatis ac vestimẽtis gloriæ relictis, exhausta disciplinæ rigore corpuscula, cilicijs, alijsq; vilibus indumentis, ab aliorũ habitibus distinctis nuditatẽ suã protexisse. Quemadmodũ luce meridiana clarius

Habitus monachorũ quare mutetur?

Lib. de virginitate.

liquet in primo Anachoreta, beato Ioanne Baptista, cui tempore Christi præbuit hirtum tegumen camelus, artubus sacris, tropheum bidentes. Imò ex ipsis D. Hieron. epistolis per ipsum Erasmum supra citatis prorsus conuincitur oppositum. Aut ergo sciens & volens, dataque opera desides in errorem voluit præcipitare aut lethæis aquis immersus (alioquin acumine ingenij insignis, ac scriptorum numerositate librorum vndecunque præclarus) de ignotis sententiam ferre præsumpsit. Siquidem hæc in ipsius epistolæ limine ad Hilarionem offenduntur. Statim vt vidit Hilarion Antonium mutato pristino habitu, &c. & paulo post: Diuenditis omnibus & pauperibus dispersis sacco tantum membra operiens, & pelliceam habens Epeuditem, id est, vestem exteriorem, quàm illi beatus Antonius proficiscenti dederat. Et aliquanto post, Super nudam humum stratumque iunceum, vsq; ad mortē cubitauit, saccum quo semel fuera. indutus, nunquā lauans, & superfluum discernens esse mun ditias in cilicio quærere. Et epist. ad Rusticum monachum Tu verò si monachus esse vis, non videri, sordidæ vestes, candidæ mentis sunt indicia, vilis tunica, cōtemptum seculi pro bat, ita duntaxat, ne animus tumeat, ne habitus sermoque dissentiant, vestis aspera, zona pellicea, omnia virtuti & continentiæ præparata. Item epistola ad Paulinum, Tu audit: sententia Saluatoris: Si vis esse perfectus, &c. Tunicam mu tas cum animo. Et pauló post: Non est grande tristi & lurid: facie vel simulare vel ostentare ieiunia, possessionum redditibus abundare, vile portare palliolum, Et post humilitaten vestium, tumenti animo non appetas, secularium & maxim potentium consortium deuita. Quid tibi necesse est ea videre crebriùs, quorum causa monachus esse cepisti? Soror tu: matronarum declinet consortia, nec inter sericas vestes & gemmas circumsedentium fœminarum, se sordidatam au doleat aut miretur, quia alterum propositi pœnitentiæ, alterum iactantiæ seminarium est. His perpendiculo rationī ponderatis, liquidissimè constat, quàm facilè Erasmiana sen tentia corruat. Insuper militat & pro nobis, D. Hieron. ep: stola ad Eustochium: Horrebant, inquit, sacro membra de formia, & acri reprehensione adoritur Eustochium: Posti (inquiens) quod si volueris respondere te nobili stirpe genratam, semper in delicijs, semper in plumis fuisse, nec possā vino & esculentioribus cibis abstinere, nec his legibus viue districtiùs. Respondebo, viue ergo lege tua, quæ Dei non p tes. Et reprehendit quorundam abusus: Videas inquit, plerasque infœlicem conscientiam, mentita tamen veste protegere. Et quanquam dicat eadem epistola, vestis nec sit munda

Arguitur Erasmus mēdacij.

Bona sententia mundum contemnentis.

nec sordida, & nulla diuersitate notabilis, ne ad te obuiã prætereuntium turba consistat, & digito mõstreris; postmodum subnectit quo sensu hoc dixerit, videlicet, ne tibi, inquit, iactantiam generet, quæ seculi iactantiam contempsisti, te ne cogitatio tacita subrepat, vt quia in auratis vestibus placere desijsti, placere coneris in sordidis: Sunt quippe nonnulli exterminantes facies suas, vt appareant hominibus ieiunantes, vestis pulla, cingulum saccinum, veste mutata erubescunt esse quod sunt. Sunt & qui cilicijs vestiuntur & cucullis fabrefactis & venter solus quia videri non potest, æstuat cibo, hæc sunt arma diaboli. Sunt alij (de mei ordinis hominibus loquor, inquit, beatus Hieron.) qui ideo presbyteratũ & diaconatum ambiunt, vt mulieres licentius videant. Omnibus his cura est de vestibus, vt bene oleant, tales cùm videris, spõsas existimato, non clericos, multo minùs monachos. Idem habet Hieron. & sanctus August. Ex qua Erasmus sumpsisse videtur argumentum, calumniandi super epist. Hieron. ad Rusticum, habitus non sit notabilis. Vbi profectò Augustinus monachorum non damnat habitum; quippe qui duobus in locis eiusdem epistolæ eum commendauit antea: Collaudans namque sorores, docet habitum à præposita esse requirendum: Distribuatur, ait, vnicuique à præposita victus & tegumentum. Per notabilitatem igitur, intelligit quemuis notabilem in vestibus excessum, vt habetur in Clement. Vnde idem lib. sermonum Domini in monte super illa verba, Cùm ieiunatis. Et D. Ambros. monachi vestium fugiant curiositatem: atque hunc esse Augustini sensum, dilucidè sequentia manifestant: Nec affectetis, inquit, vestibus placere, sed moribus, nec foris spargat negligentia, vel componat industria, nec in accessu vel habitu aliquid fiat quod alliciat cuiusquam libidinem. Huic adstipulatur D. Hieron. super obitu Blesillæ. Ambros. Gregorius magnus: Iste autem habitus monachalis quasi crucis referens figurã, dæmonibus, vt crux Christi est terribilis, vnde Hieronymus: Vis dona cognoscere? vestimenta Pauli dæmonibus terrori existunt. Verùm istud nequaquam admiror, sicut ne illud quidem, quod vmbra Petri languorem corporum pellebat, eamque tunicam regum purpuris præferebat, dicens: Obsecro quicunque hæc legis, vt Hieronymi peccatoris memineris, cui si Dominus optionem daret, multo magis eligeret tunicam Pauli, cum meritis suis, quàm regum purpuras cum pœnis suis, & fimbria Christi sanat infirmos. Sed dicunt, Quod congruit domino, non congruit seruo: verùm est, sed quid sanctitatis continebat palliũ Heliæ, cuius altero ictu Iordani alueus retrocessit? Hac de causa benedici solent, teste beato Ancelmo, & V. Beda,

Curiositas vestiũ reprobatur

Epist. in Sabinianum.

Serm. 28. ad frat. in eremo.

Lib. 5. contra Iulianũ ca. 4.

Epist. 82. ad Eudoxiam.

Epist. 199. ad Editiã, et 109 ad monachas.

De statu monach. Cap. Ne in agro.

Epist. 31. ad Valentinianũ.

Epist. 38. ad Paulinum.

Homil. 17. lib. 40. homil.

Habitus religiosorũ est dæmonibus terribilis.

Homil. 5. de laude Pauli.

Actor. 5.

Marc 6.

4. Reg. 2.

Epist. 99. ad Troarnensem Abbatem.

Li. 3. hist. Anglorũ cap. 26.

Benedictio habituum monasticorum. quoniam mandasti vobis vnam cucullam benedictam mitterem, benedixi vestrum, qua ego aliquandiu vsus, eamque vobis cum absolutione quam ego legi transmitto. Et confirmatur, ca. Statungius de regularibus & transeuntibus ad religionem: Nihilominus, inquit, statuentes ad omnem ambiguitatem penitus amouendam, quod cùm in quibusdam locis religiosis, nouitiorum habitus non distinguatur ab habitu professorum, professionis tempore benedicantur vestes, quæ profitentibus conceduntur, vt nouitiorum habitus à professorum habitu discernatur. In præsentiarum tamẽ, obiter notandum est, triplicem esse habitum, quorum primus dicitur professionis, qui votum haber annexum, matrimonium contractum dirimens & impediens contrahendum, teste concil. Carthag. 3. Secundus est cõuersionis, qui similiter votum habet annexum, atqui non dirimit contractum, de hoc habetur, Extra Qui clerici vel vouentes, habitus probationis est, qui nec impedit nec infringit matrimonium, de quo habetur Ext. de Renuntia. ca. vlt. Isti autem habitus aliquo exteriori signo discernuntur, vt professus à neophyto dinoscatur. Clement. Nec solùm habitum habebant mutatum, sed & comam detonsam, teste D. Hier. Moris est, inquit, in Aegypti & Syriæ monasterijs, vt tam virgo quàm vidua, quæ se Deo vouerint & seculo renuntiantes, omnes seculi delitias conculcârint, crinem monasteriorum matribus offerant desecãdam. Cuius rationem facti adsignat D. Aug. Capilli, ait, de vertice rasi, significãt criminũ numerositatẽ & superfluitatem mundanorum de mẽte ablatam, huic suffragatur hist. Tripart. & ante omnia sanctissimus Pater Dion. Areopag.

Triplex habitus.

Cap. 4. & allegatur 27. q. 1. Sicut bonũ. Cap. Cõsuluit, & de regular. cap. Sunt eo. De regular. et transeuntibus ad relig. cap. Eos qui. Epist. ad Sabinianum. Serm. 27. ad fratr. in eremo. Lib. 8. cap. 1. Cap. 6. ecclesi. hierarch.

De velo sanctimonialium. CAPVT XIIII.

Solet etiam velum imponi, quod quadruplex apud canonistas reperitur; Vnum est consecrationis, quod tantùm virginibus imponitur, teste concil. Carthag. 3. Secũdum velum est, ordinationis, quod olim imponebatur diaconissis. Tertium est prælationis, quod dabatur Abbatissę quę non eligebatur ante 60. annum, teste Greg. Iam concil. Trident. permittit, vt 40. annorum eligatur, & quæ 8. annis post professionem laudabiliter vixerit. Quartum est professionis, quod virginibus profitẽtibus imponitur, teste Leone, & Trident. concil. Quod sinu liberiori super caput defluere cernitur, quàm acicularum alligationibus constringatur: Nam est de rebus supererogationis nequaquã aliqua obligatione necessarijs, pendulum quoque scapulas absque manicarum appositione contegit, quod cordis contemplationem, non manum operationem potissimum requirat.

Cap. 4. & repetitur 20. q. virgines. 20. q. 2. cap. Sãctimoniales, & 27. q. 1. c. Diaconissã. Li. 3 epist. 11 Sess. 25. ca. 7. Epist. 90. ad Rusticum. Ses. 25. c. 17.

Professio

Professio qui antiquitus fieri solet.

CAPVT XV.

PROFESSIO passim nō omnibus fieri poterat diebus, sed Epiphaniarum, aut in Paschalibus diebus, vel Apostolorum Natalibus, vt habetur 20. quæst. 1. nisi fortè ægritudinis infirmitas obstitisset: Ordinatio tamen postliminio facta obtinuit, vt qualibet dies Dominica hac professionis solennitate decorari posset. Extra de tempore ordinandorum cap. 1. hinc D. Ambros. improperat virgini lapsæ quod in die Paschatis esset velata coram altari in ecclesia Dei: Quo confluebant magnæ numerositatis homines, partim vt tali, quasi calcari, excitari, compungerentur, partim vt coram Deo rei gestæ testimonium perhibere possent, teste Ambros. lib. Institutionis virginis, vbi dicit: Veniunt placentinę virgines, item ex Mauritania & Bononia, vt Mediolani recipiantur. Declamatorio quoque sermone commendabatur vitæ monasticæ professio, vnde idem. Non es memorata diei sanctæ Dominicæ resurrectionis, in quo diuino altari te obtulisti velandam, In tanto itaque solenni conuentu ecclesiæ Dei, inter lumina illa splendentia, inter cādidatos regni cęlestis, quasi regina nuptura regi processeras, non es memorata qualis alloquutio facta sit illa die ad te. Audi filia & vide, & obliuiscere populum tuum & domum patris tui, & concupiscet rex decorem tuum, quia ipse est Dominus Deus tuus, Aspice ergo quantus ad sponsi tui & Domini nuptias cōuenerit populus, seruare te oportuit fidem, quam sub tātis testibus pollicita es, semper cogitare debueras, cui virginitatem spoponderas Nec iste ritus inoleuit primitus tempore Amb. & Aug. sed etiam tempestate Apostolorū: Nam sancta Valeria fecit professionem & vouit castitatem, teste Martiale Apostolorū discipulo. Huic suffragatur, quod legimus apud Abdiam, nempe Matthæum Euangelistam Epigeniam Aethiopum regis filiam sanctimonialium velo, atque virginitatis voto consecrasse, quæ postea præfecta fuit ducentis virginibus. Et istis contempotaneus sanctus Dionysius Areopagita qui ita describit monachorum consecrationem: Presbyter legitimas illas futuro monacho astanti, orationes imprecabatur, quibus expletis eum rogabat, num abrenuntiaret omnibus secularibus, tam vitæ quàm cogitationum generibus, Cui annuenti exponebat vitæ sanctioris perfectionem. Quæ vbi omnia professus esset se facturum, sacerdos signo crucis eum consignatum tundit, appellans tres personas diuinæ beatitudinis, omniq́ue veste detracta, eum alia induit, & cum alijs sanctis viris, qui adsunt (quod hodie osculo significatur impres-

Cap. Deuotis, ex Gelasii epistola 14. ad Episcopos per Lucaniam.

Lib ad virginē lapsam ca. 4. & 5.

Ca. 18. et lib. 1. et 3. de virginibus.

Cap. 5 ad Susannam virginem lapsam.

Psalm. 44.

Ser. 4. & 27. ad frat. in ere.

Epist. 109. ad monachas, & 81. ad Eudoxiam.

Epist. ad Tholosanos ca. 8.

Lib. 7. Eccles. histor.

Lib. Eccles. hierar. ca. 6.

impresso) salutat ac participem facit diuinorum mysteriorum, sicut nos promittere consueuimus vitæ æternæ fruitionem. Quod non est contra scripturam: nam si Christus præcepta decalogi seruātibus, dicat: Si vis ad vitam ingredi serua mandata; multo fortius debetur vita illa & mandata ac consilia diligentius custodientibus. Vnde D. Ambros. Quod nobis promittitur vobis præsto est, votorumque vsus apud vos est, de hoc mundo estis & non estis in hoc mundo.

Promissio vitæ æternæ non est temeraria in professione. Matth. 19. *Lib. 1. de virginibus.*

De antiquitate vitæ monasticæ. CAPVT XVI.

CASSIANVS de cœnobiorum institutione, post D. Basilium scribit monachos normam viuendi ex sancto Marco, Euangelista sumpsisse. Philo quoque de vita contemplatiua scribit grandæuas virgines amore sapientiæ continentiam vouisse, & D. Ignatius hortatur virgines vt agnoscant, cui se cōsecrauerint. Quin & in Actis Apostolorum fit mentio quatuor virginum, Philippi filiarum, quarum duas in virginitate narrat consenuisse ex Policrate Ephesiorum Episcopo Apostolorum tēporibus vicino. Nec vna aut altera solum erat, qui se religionis votis adstringebat, sed si fidem tribuimus D. Gregor. inueniemus monasteria vbi ducenti monachi moram traxerint, vt præfatum est de Epigenia, & lib. Epistolarum 18. meminit Cenobij trium milium sanctimonialium. Imò sic habet D. Hieronymus: Ante non multos annos in eodem loco circiter quinque milia monachorum diuisis cellulis in summa paupertate viuebant. Nec D. Hieronymi tempestate hæc conuentualis congregatio tantum fuit supra communem vitæ cōsuetudinem seruitio Dei mancipata, cùm maximè istud (vt missos faciamus Helias & Helisæos) ex factis Christi reluceat, qui instar prouidi guardiani suos sequaces Apostolos disciplinatioris vitæ methodo informauit. De obedientia non est multis immorandum verbis, cum Christus venerit facere voluntatem non suam, sed patris. Descendi, inquit, de cælo non vt faciam voluntatem meā, sed eius qui misit me patris. & Philip. 2. ad mortem vsque hanc seruasse legitur. Quod hanc Apostoli indefesso tenuerint animo, vel ex eo liquet, quod ad mortem vsque Christum sequuti sint, quibus dixerat: Qui vult venire post me, abneget semetipsum, & tollat crucē suam & sequatur me. Horum typum expresserat olim sanctus Isaac Genesis 22. De castitatis virtute, quid dubitandum; cùm virginis filius Christus Iesus, illibatam casti corporis continentiam semper zelauerit, & consilium dederit sequentibus se, inquiens, qui potest capere capiat? Et Paulus: Vellem omnes esse sicut meipsum. Ex quibus concludere videtur liber apud D. Au-

Epist. 12. Actor. 21. *Eusеb. lib. 3. c. 31. eccl. hist.* *Lib. 1. Dialog. cap. 1.* *Epistola ad Eustochium.* *Numerositas monachorum simul commorantium.* *Primus Guardianus et Prælatus Christus.* Ioan 5. & 6. Marc. 8. Luc. 17. Matth. 19. 1. Corinth. 7.

D. August. beatum Paulum votum castitatis emisisse, sicut & beata ac gloriosa virgo Maria, teste August. necnon Bernard. De paupertatis professione, nihil est manifestius Christo, qui plenissimè mundum & omnia quæ mundi sunt, habuit contemptui. De Apostolis dicitur Lucæ 14. Nisi quis renunciauerit omnibus quæ possidet non potest meus esse discipulus; & Matth. 19. Si vis perfectus esse, vade & vende omnia quæ possides, &c. Et Act. 5. Omnia ante pedes Apostolorum offerebant, quin & beatus August. dicit Apostolos paupertatem fuisse professos. Cùm autem votum principaliter respiciat opera consiliorum, ad quæ nullus obligatur, de quibus dicitur secundum Augustinum, qui potest capere capiat, nec neophirus est inuito animo retinendus, nec ante annum probationis ad professionem admittendus, quam tamen si ante annum sponte faciat, verè se obligat. In ordinibus tamen mendicantium, ante completum annum professionem emittentes, non alligantur ordini quod iam concil. Trident. de quacunque religione intelligit. Insuper eos recipientes sunt excommunicati & à receptione aliorum suspensi. Nec sanctis aut alicui mortalium defertur, sed voto homo superbenedictæ trinitati consecratur, quod obligationem quandam exprimat voluntate factam, qua nemini potest obligari, nisi ei qui voluntatis est cognitor Deus; Ideoque si quando sanctis fieri videatur, hoc non fit, nisi secundum quod per suffragia, mediatores sunt inter Deum & homines, sicut oratio diuersimodè dirigitur Deo & sanctis eius, vel votum Deo offertur vt tale vitæ genus, quali iste sanctus effectus est homo imitetur, secundum Thom. Hoc voto efficitur Deo holocaustum vt dicere queat illud Apost. ad Gal. 6. Viuo iam non ego, viuit autē in me Christus, famet in me Christus, infirmatur in me Christus, ambulat in me Christus, dormit in me Christus, vt tandem glorificet cum Christo, exaltet cum Christo, secundum D. Thom. Quod autem voto homines fuerint adstricti, liquet ex Paulo 1. Tim. 5. Habentes damnationem quia primam fidem irritam fecerunt.

De opere Monach. cap. 23. *Lib. de sancta virg. ca. 4. & lib. de opere monach. c. 32.* *Serm 3. super Missus est.* Luc. 2. Matth. 8. *Lib. 7. de ciui. cap. 4. & de eccles. dogmat. cap. 71.* *Epist. 169. ad Eusebium.* *De regular. & transeuntibus ad religionem, ca. Super cū, et ca. Apostolicā.* *Sess. 25. c. 15.* *In 6. de regularibus et trāseuntibus ad religionē, ca. Nō solum, & cap. Cōstitutiones.* 2. 2. q. 88. *art. 5.* 2. 2. q. 88.

Professio religionis alter quomodo baptismus?

CAPVT XVII.

QVEMADMODVM prædicti damnationem, ita & alij benedictionem & omnium peccatorum remissionem adipiscuntur, adeo vt per ingressum religionis, & professionem debitè factam, profitens consequatur omnium peccatorum remissionem, plenariamque indulgentiam. Vnde leguntur in vitis patrum vouentes religionem, eandem percepisse

percepisse gratiam, quam baptizati perceperũt, remissionem nimirũ culpæ ac pœnæ. Nec hoc mirũ alicui videri debet: Si enim eleemosynis quis peccata redimere possit, iuxta illud: Date eleemosynã, multò magis per istam largã animę & corporis eleemosynã, qua homo expẽdit seipsum, & paternam portionem atq; voluntate totum mundum. Istud confirmat D. Hiero. epistola ad Paulã de obitu Blesillæ, inquiens: Nunc verò cum propitio Christo ante quatuor ferme menses, secundo quodammodo se propositi baptismo lauerit, itaque deinceps vixerit vt calcato mundo, semper monasterium cogitauerit, & D. Bernard. Audire, ait, vultis à me, vnde inter cætera pœnitentiæ opera, monasterialis disciplina hanc meruerit prærogatiuam, vt secundum baptisma nuncupetur? arbitror ob perfectam mundi abrenuntiationem, ac singularem spiritualis vitæ excellentiam, qua professores suos angelis similes efficit, dissimiles hominibus facit, imò diuinam in homine reformet imaginem, nos configurans Christo, instar baptismi. Et in Autenticis. Monachalis vita sic est honesta, vt omnem quidem humanam eius maculam detergat. Hinc intranti monasterium & vouenti (vti habetur in glosa) non est pro peccato ante dimisso imponenda pœnitentia, sic etiam remissa fuisset Astulpho pœnitentia publica, quam vxoricidio meruerat, si ingredi monasterium voluisset, & hoc propter continuationem pœnitentiæ, qua semper monachi debent esse occupati, sicut legitur 16. quæst. ca. Vos autem ex epist. 81. ad Eudoxiam Augustini. Istud etiam cõprobat Petrus de Plaude. D. Tho. Dimittitur, inquit, pœna si sit in statu gratiæ, per professionem non ex opere operato, quia non est sacramentum, sed opere operantis, intuitu videlicet sequentium operum in professione inclusorũ, præterea pœna martyrij omnium remissionem meretur, vti habetur de consecr. Hanc quoque religiosus diutino labore spiritualis mortis acquirit quod maioribus afflictionibus se conficiat ac protelata prolixioris temporis angustia euisceret.

Ecclef. 3. Luc 11. Daniel. 4. De præcept. et dispensat. parũ ante finem lib. & ser. de duplici baptismo. Leg. Conuersationis. De voto et voti redemp. cap. Scripturæ. 33 q. 2. cap. Admonere. In 4. sent. dist. 38. conclus. 8. 2. 2. q. 189. ad solu. 3. arg. & in script. 4. dist. 4. q. 3. ad solut. 3. argu. Dist. 4. c. Baptismi, & ca. Catechumenũ.

Opus voto elicitum gratius est quam ex libertate profectum. CAPVT XVIII.

Hvivs autem intercessione voti, plus sibi meritorum accumulat religiosus quam ijsdem operibus secularis tali voto nõ adstrictus propter liberalitatem donationis propriæ voluntatis, quæ cunctis holocaustomatibus præstat, Deinde qui duabus obsequitur volũtatibus, maiora consequitur merita, quam qui vnam implet, bonum opus autem ex voti obligatione procedẽs, duas respicit voluntates, primò vouendo

vouendo, deinceps reddendo, vnde Propheta Psal. 75. Et Ecclesiastes 5. vouete & reddite, Qui verò aliquid operis exercet absque voto, vnicam duntaxat complet Dei voluntatem, itaque minus mereri conuincitur. Verum his obuiare videtur, quod secularis spontaneo pietatis affectu absque aliqua voti obligatione vel necessitate opus bonum perficiens, magis mereatur quàm religiosus necessitudine voti coactus, quia dicit Apostolus: Non ex tristitia aut necessitate hilarem datorem diligit Deus. Cui est respondendū secūdum Richardum & Tho. Verum quidem istud esse de necessitate coactionis & violentiæ, qua quis aliquid efficit, contra vel præter suam voluntatem, quia non ex hilaritate perficit, vt oportet: Verùm tantum abest vt minuat meritum ipsa necessitas, ad quam spontaneo voluntaris proposito peruenit, & diuino consilio obtemperauit, vt etiam rem magis gratam efficiat, maioraque incrementa merito adijciat, secundum sententiam D. August. Fœlix necessitas quæ ad meliora compellit. Omnia siquidem quæ religiosus ex obedientia facit, sunt dupliciter voluntaria, primò ratione voti voluntariè emissi, quia voluntariè se homo ad hoc obligauit, 2. ratione actus tunc voluntariè facti, vt ipsum votum obseruet, quare religiosorum sunt magis voluntaria ac meritoria quàm secularium opera. Sed replicabit fortasse aliquis. Secularis potest largas impartiri eleemosynas pauperibus, quos & proprijs potest sustentare laboribus, quod monachus nequit, ergo secularis videtur maiora posse comparare sibi merita, quā religiosus, potissimum cùm Paulus dicat: Qui parce seminat, parce & metet. Respōdendum est religiosum plus mereri, quia offert cor & affectum, Deus enim non ita requirit quantum, sed ex quanto dederimus, teste Ambros. Et dat non solùm quod habet, sed hoc quod habere posset Aug. de ecclesiæ dogmatibus. Opus quoque eo est excellentius maiorisq; meriti, quo est à superiori virtute imperatum, sed votum est actus latriæ, ergo est maioris meriti, ideo docet beatus August. quod & similitudine tali probat D. Ancelmus. Sicut maius est donum si quis totam arborem cum fructibus imperpetuum nascituris donet, quàm si penes se retineat dominium arboris, & solum daret fructus annuatim, ita præstantius est donare corpus & animam cum omnibus operationibus futuris, sicut faciunt religiosi, quam solummodo aliquas operationes seruato dominio propriæ voluntatis, vti seculares faciunt. Religiosus quoque omnia per obedientiam agit vel actualem puta, quia regula sibi ita præcipit, vel prælatus; vel interpretatiuam, nempe putat hoc suo placere prælato quod facit, aliter non esset bonus religiosus, si scienter aliquid vel minimum

Obiectio. *2. Corinth. 9.* *Solutio.* *In 4. dist. 3.* *2. 2. quæst. 8.* *Epi. 45. quæ est ad Armentarium.* *Replicatio.* *2. Corinth. 9.* *Responsio.* *Lib. de Cain & Abel ca. 7. & 8.* *Cap. 70.* *Lib. 17. de ciuit. Dei ca. 4.* *Lib. de similitudinib. c. 84.* *Simile.*

minimum faceret contra expressam vel tacitam prælati voluntatem, vel si cùm aliquid facit non est paratus omittere, si prælato nō placeat. Ergo in omnibus operationibus suis etiā commestione, donatione, offert & sacrificat Deo propriam voluntatem per obedientiam, quæ est propriæ voluntatis sepultura, idcirco religiosus maiora sibi accumulat meritorum munera, in quacūque sua operatione, in qua donat Deo propriam voluntatem & libertatem, quàm secularis etiam in maximis operibus ex propria voluntate factis.

De statu monachorum cap. Cùm ad monasterium.

De solenni voto obedientiæ. CAPVT XIX.

In 6. de verb. significatione. *Triplex votū religionis.* Matth 19.

RELIGIONIS votum cognoscimus ex cap. Exiuit, tripartitum: Primum & præcipuum cēsetur obedientia, qua voluntas humani cordis Deo resignatur, Hæc potissimum locum obtinet in præceptis diuinis, quibus obsecundare iubemur, Si vis ad vitam ingredi, serua mandata. Hanc docent vel maximè seruandam creaturæ rationis incapaces, sensuumque viuacitate carentes. Sol, inquam, & luna nullum præstiti obsequij emolumentum sperantes incessabili radiorum diffusione totam mundi machinam illuminant, Stellæ quoque motu orbium (quorum densiores sunt partes) infatigabili vt luminis claritatem inferioribus præstent, cieri non tardant, Campi etiam vnico præcepto frondescentes, silvescentes, vtilissimum producunt mortalibus fructum. Tu ergo vilis homuncio, solus tot miraculorum signis, ac præceptorum calcaribus instigatus sterilescere non erubesces? tu solus diuina iussa capessere negliges? Damnanda prorsus est voluntas quæ non quærit honorem Dei, non vtilitatem fratrum, sed sui commoditatem, nec intendit placere Deo nec alijs prodesse, sed proprijs animi motibus satisfacere. Hæc spreto Dei iugo suauissimo proprio vexillo militare contendit, hæc aduersus Deum inimicitias, exercet & guerram, inquit, D. Bernardus crudelissimam. Quid enim odit Deus, aut punit sicut propriam voluntatem? Cesset voluntas propria, & infernus non erit. In quem enim ignis ille deseuiet nisi in propriam voluntatem? Etiam nunc cum frigus, aut famem, aut aliquid tale patimur, quid læditur nisi propria voluntas? Quod si voluntarie sustinemus, ipsa iam voluntas communis est, sed infirmitas quædam & velut pruritus voluntatis adhuc de proprio est, & in illo omnes pœnas sustinemus, donec penitus consummatur. Nam voluntas illa propriè dicitur, cui adsentimur, & cui se liberum inclinat arbitrium. Hæc autem desideria & concupiscentiæ, quæ inuitos tenent non voluntas propria, sed corruptio voluntatis est. Porro voluntas propria quo furore Dominum maiestatis impugnet

Creaturæ insensibiles obedientiā docent.

Bern. ser. 3. de Pascha'e.

impugnet, audiant religiosi qui sunt propriæ voluntatis serui. Primo namque seipsam subtrahit eius dominatui, cui tanquam authori seruire incumbebat, deinde secundo omnia quæ Dei sunt tollit & sibi diripit. Quem etenim modum sibi ponit humana cupiditas [redacted], nónne qui per vsuram acquirit pecuniam modicam similiter mundum lucrari conaretur vniuersum, si non deesset possibilitas, & suppeteret voluntati facultas? Dico fiducialius nemini etiã auratus mundus posset sufficere, quin potius propria voluntas horribili ausu deseuiet in omnium authorem, quem vellet peccata sua vindicare nõ posse, aut nolle, aut nescire. Vult ergo eum non esse Deum, quæ quantum in ipsa est vult eum aut impotentem, aut iniustũ, aut insipientem esse. Sequitur etiã errorem suum, vt nullis velit etiam maturis & sanis acquiescere consilijs. Profectò qui hanc fouent, hydriam sunt vnitatis diuisores, inimici pacis, charitatis expertes, vanitate tumẽtes, placentes sibi & magni in oculis suis, ignorantes Dei iustitiam, & suam volentes constituere. Et quæ obsecro maior superbia, quàm vt vnus homo toti congregationi iudicium suum præferat, tãquam ipse solus spiritum Dei habeat? Idololatriæ scelus est non acquiescere, & quasi peccatum ariolandi repugnare. Eant nunc qui se faciunt religiosiores alijs, qui non sunt sicut cæteri hominum, ecce arioli & idololatræ effecti sunt, si tamen ei qui dixit hoc quam sibi iudicent esse credendum. Neq; dissentanea his est sentẽtia: Si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus & Publicanus. Haud dubiè tangit pupillam oculi nostri istud negotium. Si enim Dei filius postposuit consilium suum voluntati mulieris (beatã virginem loquor) & fabri pauperis, quanta animaduersione dignũ est nostrũ superciliũ? Christus subditus factus est illis, & nos miseri subdi illi ad nostram salutem subterfugiemus? Quis non erubescat obstinatus esse in consilio suo quando suum sapientia ipsa deseruit? Sicq; consilium mutauit suũ, vt quod iam tunc cœperat extũc vsque ad tricesimum annum ætatis suæ prorsus dimisit. Atqui fortè sciscitaberis quomodo voluntatem suam Christus reliquerit? O Domine voluntas Dei de qua dixisti vt non fieret si bona non erat, quomodo tua erat? Si bona erat, quare derelicta est? Sic & consilium si non bonũ, quomodo tuum; si bonũ, quomodo relinquẽdum est? Et bona erãt & eius erant, neq; minus tamen relinquẽda, ob hoc videlicet vt fierent meliora. Neq; etenim oportebat propria præiudicare communibus. Erat ergo voluntas Christi & bona erat quæ dicebat: Si fieri potest, transeat à me calix iste, sed ea quæ dicebat; fiat voluntas tua, melior erat: quia cõmunis non solum patris, sed & Christi ipsius. Oblatus est enim,

1. Reg. 15.

Matth 18.

Luc. 2.

Matth. 27.

Ioan. 12. quia ipse voluit, & nostra: Nisi enim granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, ipsum solum manet, mortuum verò multum fructum adfert & attulit. Atque hæc voluntas patris erat, vt videlicet haberet quos adoptaret in filios. Christi erat, vt sit ipse primogenitus in multis fratribus. Nostra erat, quia pro nobis faciebat vt redimeremur. De cõsilio idem esto iudicium. Christi enim erat & bonum erat consilium illud quod ait quia in his quæ patris mei sunt, oportet me esse. Sed quia illi non intellexerunt illud mutauit consilium, vt nobis exemplum mutandi consilij exhiberet. Exemplũ enim dedit nobis, vt & nos ita faciamus. Nam ab initio nouerat quid esset facturus, sed voluit formam nobis huius humilitatis exhibere, & ad abluendas propriæ voluntatis sordes præfulgidum adeoque diuinum in seipso parauit speculum.

De obedientia religionis. CAPVT XX.

OBEDIENTIA autem religionis non in præceptis obseruatis integratur, sed ad consiliorum obseruantiam dilatatur. Vnde Christus: Descendi de cælo, non vt faciam voluntatem meam, sed voluntatem eius qui misit me. Hæc vniuersis præpollet victimis, dicente Propheta Domini: Melior est obedientia quàm victima quælibet. Propria siquidem volũtas potior est proprio corpore, quod voto continentiæ offertur, & rebus exterioribus, quę voto paupertatis mactantur. Hinc Eucherius super præfatum scripturæ locum, Et Gregor. per victimas aliena caro, voluntas verò propria immolatur per obedientiam. Quæ vt tanquam sponsa pedissequis stipata procedat, tectas asciscit conditiones, Priori simplici animo absque discussione est obsequendũ, Deut. 13. Quod præcipio tibi, hoc tantùm facito, &c. Et D. Ioannes Chrysost. Quicquid pręceperit recipiamus, nec curiosè scrutemur, etiamsi humanæ rationi absurda videantur. Imò si impossibilia iniungantur, charitas de Dei adiutorio confisa, agere tentet, quod ratio non præsumit. Quemadmodum regula S. Benedicti docet, secundum Bernard. nam si quis ad oculum obediat, & in abscondito obmurmuret, inquit idem. Et D. Greg. Falsus est nummus eius, plumbum habet, vis audire perfectæ obedientiæ formam? Vidit Dominus Petrum, & alios discipulos mittentes rete in mare, quibus ait, venite post me, &c. at illi cõtinuò relictis retibus, sequuti sunt eum. Sed obgannis, Moyses non protinus acquieuit voci Domini, ergo & nobis tergiuersari non est inhibitum. Verùm huic obiectioni haud difficulter fiet satis, si consideraueri mus sanctũ Moysen ex profunda cordis humilitate, nõ proterua peruersę mentis

Marginal notes: Ioan. 6. — 1. Reg. 15. — *Quomodo votum obediẽtiæ præpolleat?* — *Lib. 25. Moral. cap. 10.* — *Homil. 2. super epist. ad Rom.* — *Lib. de præcep. & dispen.* — *Serm. 2. de S. Andrea.* — *Lib. 33. Moral. cap. 26.* — *Obiectio.* — *Solutio.*

mentis iniquitate se indignum (quod & nobis liceret) iudicasse. Alioquin non debemus procaci animo reuocare, quod larga mentis pietate obtulimus, non debemus nos ijs intromittere, quorum possessionem spontanea deuotione semel abrupimus. Secundo humilitatem requirit, Luc. 17. Cùm feceritis omnia quę pręcepta sunt vobis, dicite quia serui inutiles sumus. Cæsarius commemorat quendam monachum Cisterciensem, aduersa laborantem valetudine, præceptum habuisse abbatis, carnis comedendę, cui contumax obaudire recusauit, & ilicò furore percitus, ac in rabiem versus, tus concessit, vbi cadauer canis offendit, quod horribili dentium corrosione deuorauit. Tertio velociter, sic Samuel, 1. Reg. 3. & Genes. 12. Abraham delitias suas filium dilectum nō destitit immolare, cognoscens obediētiam matrem & custodem esse virtutum, teste August. citiusq; exaudiēdam vnius obedientis, quam decem milium contemptorū orationem, secundum eundem lib. de opere monachorū. Quæ consentanea sunt illi sententiæ quæ habetur Ioan. 3. Si quis Dei cultor est, & voluntatem eius facit, hunc exaudit. Hanc salutis scholam Christus Iesus instar fidelis ludimagistri viuæ vocis oraculo non solum expressit, sed & exemplo firmauit triphariam, in mundum namque prodiens, Descendi, inquit, de cælo non vt faciam voluntatem meam, &c. Secundo, mundialis vitæ tramitem carpēs: Subditus erat illis. Quis quibus? Deus, inquit D. Bernardus, hominibus: quia in his quæ patris mei sunt, oportet me esse; Non sicut ego volo, sed sicut tu, &c. Tertio in extrema vitæ periodo: Factus est obediēs patri, non in rebus proprio affectui seruientibus, non emolumentum sensualitatis adducentibus, sed vsq; ad mortem crucis. Certè ouicula nō eligit sibi hic aut ibi pascua, sed opilionis ducitur industria, sicut ferrum etiam curuatur, protēditur, &c. ad arbitrium fabri, ita religiosi debēt esse in manu prælati. Quod mirabili paradigmate comprobare potest Columbanus Abbas, cui fuit subditus nomine Gallus, inter trecentos quibus præerat fratres, Iste Gallus accersitus ab Abbate fuit, quādo sacris vestibus præparari cœperat altari, qui ire absoluto tremendo mysterio festinauit, cui dixit tum Abbas, quod obedientiam promisisset, & culpam confitenti illam imposuit pœnitentiam, vt se superstite nunquam celebrare præsumeret, quod prompta alacritate obseruauit. Elapsis duodecim annis Angelus Domini inuisit Gallum, in alio iam loco peregrinantem, cui quod Abbas vita functus esset celebrandum, imperauit. Lubet & aliud adiungere de quadam sanctimoniali, quę vehementi desiderio cupiuit oculis videre corporeis Christum, cuius precantis votis, tandem factum

Exemplū memorabile inobedientiæ.

Obediētia mater virtutum.

Lib. 4. de ciuitat. ca. 12. & de bono coniugali cap. 23.

Cap. 17.

Luc. 2.

Matth. 26.

Philip. 2.

est satis, Christus namque in specie pueri apparuit cum illius frueretur adspectu vocata fuit ab Abbatissa ad opus conuentus, quare in magno cordis agone constituta, nesciebat quid facto opus esset, tandem obnixè orauit, quatenus expectare dignaretur donec propter ipsum susceptũ expleffet obedientiam, & reuersa vidit magnum lumen iuuenemq; iam quasi 24. annorũ effectum, cui dixit: O bone Iesu qui tam magnus euasisti tam exiguo temporis spacio? ait, tua prompta obedientia me exornauit, itaq; bene consolatam reliquit: Sic memoriæ proditum est quendam fratrem, literam O inceptam non perfecisse, sed Abbati vocanti ilico occurrisse. Nec ista mira alicui videri debent, cum obediẽtiæ gratia Christus reliquerit cælum, templum, & vitam de primo dicitur, Exiui à patre, & cum hominibus visus sum & conuersatus. Secundo templũ dereliquit, vbi inter medios doctores sedebat. Tertio obediuit discolis Iudæis, 1. in maximis tormẽtis, 2. in magna flagellationis verecũdia & nudatione, confusione cõtempta, 3. in summa irrisione, quia blasphemabatur. Quid obsecro cælo dulcius? Quid Dei templo deuotius? Quid morte crucis acerbius? Ergo nil tam dulce, deuotum & acerbũ, quod obedientiæ causa non sit negligẽdum vel amplexandum. Hæc in tribus consistit: primo in reuerentia superiori exhibenda: secundo in mandato exequendo: tertio in iudicio subeundo, ne scilicet nostrũ sensum superioris iudicio præferamus. Debetur primo Deo, vt manifestũ euasit, secundo parentibus, tertio publico munere fungentibus etiam discolis. Et qui in hac obedientiæ scapha nauigat, etiã otiosus sedendo, fœliciter ad portũ salutis properat, siue comedat, siue dormiat, siue stricta pœnitentiæ opera exerceat, semper meritorũ incrementa accumulat, quia instar nauigantis non mouetur motu proprio, sed alieno. Est etiam clauis paradisi, quia Simon obediens, accepit claues, & inobedientia in Adam exulare debuit. Estque auis duabus alis, paupertate & castitate in cælum ascendens. Quarto virili & generoso animo obediẽdum est: Multi enim sunt (quorum de numero, vtinã Domine Iesu ego nunquam sim) qui oppidò quàm lubentes modicis & exiguis rebus obsequuntur, iuxta illud: Quid vis vt faciã tibi? Atqui fortia & ardua eorũ humeris si imponãtur recalcitrant, & difficiles se reddunt. Quod Ionæ prophetæ cõtigit qui primitus Domino lubenti paruit animo, simul atq; tamen ei præcepit, vt versus Niniuem viã carperet, fugam cœpit, sed vltricẽ manum nõ euasit. Christus heroico, imò diuino prorsus obsequio patri obtemperauit vsq; ad mortem crucis, facto demonstrans, quod pridem verbo edocuerat: Qui vult venire post me, abneget semetipsum, quod maius est, quam totum contemnere mun-

Marginalia: Ioan. 16. Luc. 2. Philip. 2. Baruch 3. Philip. 2. Hebr. 12. Matth. 27. Matth. 16. *Obedientiæ conditio.* Matth. 20. Ionæ 1. Philip. 2. Matth. 16. *Arduũ abnegare seipsum.*

mundum,ac ſtrictiſſimę ſe dedere religioni,nam citra mundanorũ contẽptum & religionis ingreſſum cęleſtis poteſt patere aditus,dicente Chriſto:Si vis ad vitã ingredi ſerua mandata. Matth.19. Sed ingreſſu religionis abſq; ſuiipſius abnegatione malarumq; concupiſcentiarũ refrenatione, nemo ſaluari valet, iuxta prælibatam Matthæi ſententiam. Vnde D.Gregor. fortaſſe laborioſum non eſt,homini relinquere ſua,ſed valde eſt laborioſum,relinquere ſemetipſum: Minus quippe eſt abnegare quod habet, valde autẽ multum eſt abnegare quod eſt. Homil.32.

De officio & exercitio religioſorum.

CAPVT XXI.

HAEC obedientia potiſſimum debetur prælatis, qui vice Dei conſtituuntur. Qui vos audit, me audit; & qui vos ſpernit, me ſpernit. *Obedientia quibus debetur?* Hi inuigilare debent non ſolum ſuæ,ſed aliorum etiam ſaluti, teſte D.Auguſt. præcedendo viuis exẽplis,& pijs admonitionibus, aures Deum timentiũ demulcendo. *Serm. 61. ad frat. in eremo. Et epiſt. 109. ad Monachos.* Si quando contingat aſperius cum ſubdito egiſſe,petet veniam,non ab homine, quem tranſiliendo limites rationis offendit,ſed à Deo. Quin & cellas viſitẽt ſingulorum, aureq; appoſita,quid faciant,diligenter explorent, tardiorem non facilè increpent, ſed diſſimulando ſæpius viſitent,& primitus incipiẽtes,magis exemplis prouocẽt quàm orare compellant,ſecundum B.Hieronymum: *Officium prælatorum.* Leui quoque pedis ſtrepitu prælati adſolent excitare conuẽtum nocturnis precibus,quod non profundo pridianæ ſuperfluitatis grauarenrur ſomno,ſecundũ Chryſoſt.homil.59 ad populum Antiochenum. *Epiſt. ad Euſtochium. Excitare quomodo ſolent noctu?* Hinc mos inoleuiſſe eſt credendus, quo excitator abſentium nomina prælato recenſere cogatur,in nocturnarum precum exordio. Et quanquam multas habeant rei familiaris occupationes,quibus quaſi impoſſibile ſit,vt ignis inflammetur in aqua,ita impoſſibile eſt, compunctionẽ cordis vigere in principatu:quia ſimplex vita vt eſt mater fletus, ſic iſta riſus,illa alas animæ dat,iſta plumbũ, pondus demergens in infernũ,teſte Chryſoſtomo annectir,tamen nõ facilè ſunt mutandi aut rude donandi, niſi culpa eos reiecerit,tanquam indignos,ſecundum Auguſtinum: *Periculũ prælatorum. Hom. 2. de cõpunct. cordis. Epiſt. 109. ad monachos.* Quod locus nullos ſaluet, ſed conuerſatio timorata edocet D.Auguſt. *Et de ſtatu monachorum, cap. Prælati.* Propterea debẽt ita lõgè abeſſe ſeculi perturbationibus,vt in cælo quaſi morari videantur,ſecundũ Chryſoſt.homil.70. ſuper Matth. Hinc aliquibus cęlum pro tecto,luna vice extitit candelę,nec de morte principum differebant,ſed quaſi in alio mundo habitantes,de corona gloriæ cæleſtis; ſicuti etiã nobis curæ non eſt,quid in cauernis ſuis formicæ factitent,ita nõ ſomniabãt *Serm. 27. ad frat. in eremo. Reſignatio monachorum.*

nec cogitabãt de nobis, sed de summo rege, de pugna contra diabolũ, de fugiẽdis eius insidijs, si colloquẽtes audisses protinus cælo dignos, ô me miserũ iudicasses; Illos accedẽtes reficiebãtur, quasi rosetũ accessissent: nam quemadmodũ nos de puerorum ludo ridemus, ita ipsi de superbiæ fastu, ibi siquidem iacebat ira prostrata, ebrietas effugata, verba iocosa procul abesse iussa exclusa cum equis & sella, id est, turpibus verbis & cogitationibus, venerea; Quin Deo precibus loquebantur, Apostolos alloquebantur: Cùm enim oramus, Deum alloquimur, cùm legimus ipse nobis loquitur, teste D. Ambr. & Aug. necnon Chrysost. hom. 56. ad populum Antioch. Quod commodius vt fieret horatias preces, tabulis interpositis à secularibus separatæ, in habitu virginitatis personabant, secundùm Ambr. instarque cicadæ noctium, ter surgere malebant, licet iam eas habeamus coniunctas, quas antiquitus habuere diuisas, teste Hieronymo ad Eustochium Nefas quoque ducebant ante concessum absoluti officij signum subterfugere, quod & exemplo demonstrat beatus Greg. Sic fuit alius qui rigorem ieiunij adamare simulabat se, sed mentitam sibi iniquitatem ostendit idem li. 4. cap. 34. Stargirij monachi tamen constantem animum disciplinæque rigorẽ manifestat Chrysost. Alteriusque qui 30. annis vnius panis hordeacei pabulo corpusculum iritauit potius, quàm recreauit, habet D. Hieronymus in vita Paulæ. Hinc antiquitus in ea erat gloria, vt teste Ioanne Chrysost. homil. 56. ad populum Antioch. tantam constitueriт differentiæ diuersitatem inter monachos & seculares, quanta est inter portum & pelagum, angelos & peccatores: quando namque Antiocheni statuam Placillæ coniugis Theodosij Imperatoris confregerant, ille iniuriam ratus sibi illatam, Antiochiam funditus euertere statuit, sed intercessio monachorum animum furore percitum sedatiorem reddidit, eodem teste cui suffragatur Gregor. Si monachi non fuissent, nullus per tot annos inter Longobardorum gladios subsistere potuisset. Quin & sacraria Dei appellat, eos D. Ignatius, & D. Hierony. dicit, Eustochium socrum Dei effectam epistola ad ipsam.

Orantes, Deũ alloquimur.
Lib. 1. Offic. cap 20.
Epist. ad Eustochium.
Serm. 112. de temp. & 22. ad frat. in eremo.
Orandi modus tempestate B. Ioan. Chrysost.
Lib. ad virginẽ lapsam c. 6.
Ter antiquitus noctu surgebãt omnes.
Lib. 2. Dialog. cap. 4.
Lib. 1. & 2. de prouid. Dei.
Discrimẽ inter monachum & secularem.
Homil. 17. ad Antioch.
Li. 6. epist. 23
Epistola 3. ad Tharsenses.

Quales antiquitus fuerint monachi?

CAPVT XXII.

HIc nobis occurrendum est, splendidis Theodori Bezæ mendacijs qui habet: Verissimum est, inquit, monachos quamdiu non impurissima fuit ecclesia, fuisse pro idiotis & laicis habitos, & monstri loco habet tempestate Gregorij fuisse monachum clericum, nedum diaconum vel presby-

Figmẽtũ Theodori Bezæ refellitur.
Ca. 7. sect. 14 confes. Christ.

presbyterum. Cùm nihil clarius fieri possit, ex priscorum patrum scriptis, quàm doctissimos complures fuisse monachos, & sacris initiatos. Verum quidem est, quod pluris faciendus sit idiota religiosus quàm imprudens sophista aut blasphemus secundum Irenæum Apostolorum discipulum, lib. 5. aduersus hæreses, tamen ad docendum populum in negotijs fidei eos exiuisse docet Theodoretus, vbi sic habet de Aphraate monacho, qui monasterium exiuit, vt simplicibus curam exhiberet necessariam, quem conspiciens, Valens Imperator ait, Quo vadis? pro tuo, inquit, oraturus imperio, cui Imperator, Oportebat te domi orare secundum monasticum morem, at ille, inquit, optime dicis, si sic quoque permitteres, hoc me oportebat facere, & hoc semper egi quãdiu Christi oues pristina pace fruebantur, sed quia iam tumultu commouentur, necesse est quouis discurrere vt saltentur. Sed dic mihi serenissime Imperator; Si puella essem in cubiculo residens, & lanæ vacans, aut colo, viderémque paternam ædem ignibus concremari, quid me facere deceret, intus sedere & ardentem contemnere domum, an certe discurrere, vt aquam ferrem? dicere te credo hoc esse faciendum, quod sapiens puella faceret: Te namque Arriano in domum nostram mittente flammas discurrimus, vt velociter extinguamus, at ille obmutuit. Vnde Iuo Episcopus Carnoten. epistola ad beatum Bernardum abbatem directa, licet amplexus speciosæ Rachel intendat labor militiæ nostræ, spe tamen numerosioris, amplexus Liæ nobis est tolerandus, quia cùm illa plus videat, ista plus fructificat, & cum illi visio sit iucundissima, huius actio multis est necessaria, & cùm (vt euidentius dicam) in illa penè sit dilectio Dei, in hac etiam manifesta est dilectio proximi. Cuius dilectionis sequacibus suis insinuandæ formam prætulit mediator Dei & hominum, qui non solùm pro nobis, de secreto suo ad publicum nostrum prodijt, sed etiam carnem assumptam flagellis, colaphis, sputis, ac demum morti crucis addixit. Quid hoc facto summus pastor nobis insinuat, nisi vt nos dicti pastores, oues erroneas ad custodiam nostram pertinentes, per deuia quæque & aspera fugientes, indeficienti charitate consectemur, vt ad gregem reportentur, licet in sequendo vepribus conscindamur, crebris spinarum aculeis cruentemur? Sic Moyses singularis vitæ monachus sex annorum spacio, corpori lasso non dedit requiem ab orationibus, quas continuis fletibus offerebat, omnibus aquam pro cuiusque arbitrio adferebat, tandem sacerdos ordinatus est, secundum Nicephorum. Ammonius legitur literarum studiosus fuisse, & Origenis, Didymi, Euagrij-

Monachi plerique fuerunt docti sacrisq; initiati.

Lib. 4. Eccles. hist. ca. 26. & 27. Trip. hist. lib. 8. cap. 4. Niceph. lib. 11 cap. 25.

Pulcherrimum exemplum.

Lib. suo epistolarũ epist. 1. quas iam in lucẽ, Deo dũce mittemus.

Genes. 29.

Vita Theorica & practica.

Lib. 11. ca. 36 & cap. seque.

Euagrijque scripta diligenter perlustrasse. Iulianus quoque
Monachi docti fuere. monachus, deserta relinquere loca, & Antiochiam se conferre compellitur, vt hæreticorum peruicaciam acri disputatione refelleret, quod nunquam præsumpsisset, nisi insigni erudi-
Lib.4.ca.27. tione claruisset, teste Theod. Quod autem humilis & simplex Theologus arrogantem philosophum superarit, adeò vt ne hiscere quidem posset, teste Eusebio Cæsariensi lib. 11. cap. 3, idem ante fecerat, teste Theod. ibidem, Antonius ille egregius, deserta namque solitudine, totam obambulauit Alexandriam, regnante Constantio, docens omnes vnicum veritatis preconem esse Athanasium, & ca. 28. eiusdem lib. complures reperiuntur qui singulari eruditionis titulo claruerũt
Serm. 22. ad fratr. in eremo. teste August. Quin & ipse Augustinus relicto deserti secreto exiuit, vt disputando conuinceret Fortunatum. Nec docti &
Ser. 4. et 5. ad frat. in eremo. eruditi duntaxat fuisse leguntur, sed & presbyteri, sicut Eutiches fuit presbyter & monachus secundum eundem Leo-
Epist. 8 & 9. ad Flauianũ. nem. Item apud August. erant sacris operantes, quemadmodum liquidò constat ex serm. 1. & 5. & 36. ad fratres in eremo. Imò quod his præpollet, ex monasterijs solent episcopi
Lib. 1. Dialog. cap. 1. colligi, sicut beatus Gregorius electus est. Et Eusebius fuit episcopus & monachus, teste Ambr. ad ecclesiam Vercellen-
Epist. 82. sem. Sic Narcissus episcopus fuit Hierosolymitanus, qui aqua
Lib. 6. cap. 7. lampadem fouit, secundum Eusebium Cæsarien. Et Ammonius sibi aurem amputauit, vt episcopatui inutilis redderetur. Cùm autem ei molesti essent, etiam linguam præscinde-
Lib. 11. c. 17. re voluit, secundum Nicephorum. Pari modo Achatius mo-
Lib. 4. ca. 27. eccles. hist. nachus episcopus Beroensem rexit ecclesiam, teste Theodoreto. Et vt vno verbo omnia dicamus, rari fuêre docti viri episcopi, qui non fuerint monachi, sicut beatus Hieron. Basilius, Hilarius, Augustinus, vt reliquos missos faciamus, aut non singulari effectu illis addicti, vti Chrysost. Amb. qui omnes tempora Gregoriana præcesserunt.

Monachi in laboribus manuum obligentur.

CAPVT XXIII.

Theod. Beza. RVRSVS insultat nobis iste Zoilus eo loci: quod manuum laborem abdicamus, quatenus otio torpeamus. Legimus profectò B. Ioannem Chrysostomum lib. 1 de compunctione cordis, se tandem accusasse nimiæ sensualitatis, quòd inquirebat, an in monasterio necessaria administrarentur, an recentes haberent panes, an etiam eodem oleo lucerna esset aptanda & mensa instruenda, an grauis esset laboris exactor, ne fortè cogeretur fodere terram, aut haurire communibus vsibus aquam, cùm tamen principum famuli,

horum

horum nihil inquirant; Legimus etiā Stagitium monachum horti negotijs fuiſſe mancipatum apud Chryſoſt.li.1.de prouidentia Dei. Hiero. etiam epiſtola ad Lætham, vult religioſas perſonas lanam texere poſt primam, tertiam, ſextam, nonam, & colum tenere in gremio. Notandum tamen hic eſt, quod noſtri aduerſarij velint religioſos manuum laboribus occupandos Pſalliani autem, ſecundum D. Auguſt. hæreſ. 57. quos Caſſiodorus vocat Maſſilianos, nullum manuum laborem monachis licere adſerunt, ſed ſemper orationi inſiſtere pertinaciter docent, quēadmodum Aphricani Catrhaginenſibus aliquando perſuaſerunt, ſeundum D. Auguſtinum lib. de opere monach. cap. 21. Ex quo etiam manifeſtum euadere poteſt, religioſos de altari cui ſeruiūt, viuere poſſe. Si enim miles collectus communi reipublicæ alimonia ſuſtentatur, multo magis operarius qui ſpiritualibus incumbit, ſecūdum euangelium Dei: Qui altari inſeruiunt, de altari participant. Iſtaque multis numeris antecellunt officium, quo monachi fiſcellam iunco texere ſolent, aut palmarum folia complicare. Nihilominus hæc operando diuina celeumata reſonabant: Si enim artifices vanitatibus linguam laxant & naturæ cantibus ſe excitant, magis ſeruus Dei diuinis debet eſſe odis mancipatus, ſecundum Auguſt. Quod autem mœchanicam artem non fecerint, nec paſſim mercedem laborum receperint, locupletiſſimus nobis eſt teſtis pauper Paulinus monachus & epiſcopus, teſte D. Greg. Eis ſiquidem qui ſpiritualibus occupantur operibus ad communem vtilitatem pertinētibus, debet prouideri de his quorum vtilitati inſiſtunt, ſecundum Apoſt. Si vobis ſpiritualia ſeminauimus, nō eſt magnum ſi carnalia veſtra metamus. Si enim iſtud locum habet in ciuilibus rebus & militaribus, eodem teſte, Quis militat ſuis ſtipendijs vnquam? multo magis qui in ſpiritualibus bonum commune promouent ratione talis miniſterij ſuſtentari poſſint, ſicque manuum laboribus non obligantur. Sunt autem quadruplicia opera ſpiritualia quibus communis promouetur vtilitas, quibus ſtipendia debentur, Primum eſt occupatio in iudicijs exequendis Eccleſiaſticis. Hinc D. Aug. excuſat ſe à manuum labore, quod iudicijs eccleſiaſticis eſſet implicatus. Secūdum opus ſpirituale in communem redundans vtilitatem eſt opus prædicationis de quo Dominus ordinauit, quod de euangelio viuere debeant. Nec hoc tantum referri debet ad illos qui habent prædicandi authoritatem, ſicut ſunt prǽlati, verum etiam ad eos, qui qualitercunque prędicant ex prælatorum conceſſione, quia ſtipendia nō debentur poteſtati, ſed operi, Laborantē agricolam oportet primum de fructibus percipere, Nec duntaxat illi qui prædicāt debēt

Exercitiū monachorum.

Lib. Tripart. hiſt. 7. ca 11.

Monachi de altari viuere poſſunt, nec obligantur operibus manualibus.

Matth 10. Luc. 10. Roma. 14. & 1. Corinth. 9.

De opere monach. lib. c. 17

Lib. 3. Dialog. cap. 1.

1. Corinth. 9. *Dignus eſt operarius mercede ſua.*

Quadruplicia opera ſpiritualia.

Roma. 13. *Lib. de opere monach c. 28.* 1. Corinth. 9.

2. Tim. 2.

1.Reg.30. de euangelio viuere,sed etiam illi qui eis ministrant,æqua est
Roman.15. pars euntis ad prælium & remanentis ad sarcinas,&: Si spiritualium participes facti sunt gentiles,debent etiam in carnalibus ministrare eis. Tertium opus spirituale cedens in vsum communem sunt,Orationes quæ celebrantur horis canonicis ad profectum ecclesiæ,quatenus ira Dei à populo auertatur.
Ezech.13. Non opposuistis vos murum pro domo Israël. Quartũ opus spirituale, quod redũdat in cõmunem reipublicæ profectum est scripturæ elucidatio, cui incumbentes possunt hoc opere
1.ad Tim.5. spirituali viuere. Qui bene præsunt presbyteri,duplici honore digni sunt, maxime qui laborant in verbo & doctrina,cui adstipulatur D.Hieron.lib. contra Vigilantium: Hæc in Iudæa vsque hodie perseuerat, inquit, consuetudo non solum apud nos, sed etiam apud Hebræos, vt qui in lege Domini meditantur die ac nocte & patrem non habent in terra, nisi solum Deum synagogarum totius orbis foueantur ministerijs.
Actor.6. Dicunt Apostoli; Non est æquum nos derelinquere ver-
2.ad Tim.2. bum Dei, & ministrare mensis. Item: Nemo militans Deo
Ca.12.et 44. implicat se negotijs secularibus,quibus consonat concil. Ca-
Epist.ad Hilarium. bilo.2. Et D. August. Nec his obstat D. Pauli posterioris ad Thessalon.3.sententia: Qui non vult operari,nec manducet:
Cauillũ aduersariorum ex D. Paulo desumptum. quoniam D.August.scripsit,lib. de opere monachorum contra quosdam, qui adseuerabant manuum laborem religiosis esse illicitum. Et propterea Paulinam sentẽtiam exponebant de spirituali opere,sed hanc D.Aug.multiformiter improbat,
Cap.5.6.7. demonstrando præfatam sententiam de laboribus manuum esse intelligendam. Nec tamen concludi valet omnes sine discrimine laboribus corporalibus esse astrictos: Ipse siquidem Paulus erat exemptus quemadmodum præmisit, Non, inquit,quasi non habuerimus potestatem sumptus accipiendi & sine labore manuum viuendi. Nihil ergo suffragatur hæreticis iste locus,quia alloquitur persequutorum rabie,perculsos Christianos quos oportebat manibus laborare, simul atque persequutiones & nouæ religionis odium obstaret,quo minus sibi facile prouidere possent. Certe qui alios instruit hoc tempore virtutum sterili, habet quod agat, etiamsi temporalibus non incumbat. Rursus instant Wiclephistæ, eo-
Philip.3. rumq; sequaces moderni, Paulus dicit: Imitatores mei estote,sed ipse quamuis prædicaret, manibus laborauit,ergo, &c.
Alia calũnia. Respondendum est hoc D. Pauli factum fuisse supererogationis
1.Corinth.9. quemadmodum docet, & talis posset oriri casus, quod prædicator consultius faceret labore manuum viuẽdo,quam euangelica prærogatiua fruendo, vt scandala vndecunque euadat, & perfectionis exemplo alliciat: vnde subdit, non quasi non habuerimus potestatẽ,sed vt nosmetipsos formam

datemus

daremus vobis ad imitandum, necnon ad rapacitatem pseudoapostolorum reprimendam. Quod autem facio & faciam, vt amputem occasionem eorum. 2.Thess.3. 2.Corin.11.

De solenni voto castitatis. CAPVT XXIIII.

VIRGINITAS est virtus qua integritas mentis & corporis vniuersorum Deo consecratur, vouetur & redditur secundum D. Augustinum, vel secundum Ambr.lib.de virginibus. Virginitas est integritas expers contagionis. In his descriptionibus duo potissimum occurrunt, D. Thomæ, pensiculatius consideranda. Quorum prius trito vocabulo apud scholasticos doctores dicitur materiale, quod est illibata carnis in membris generationi deputatis integritas. Alterum nuncupatur formale quod est firmum voluntatis propositum, nunquam quærẽdi venereorum oblectamenta. Hi sunt qui cum mulieribus non sunt coinquinati: Virgines enim sunt, & Eunuchi qui se castrauerũt propter regnum Dei. Vtrumque horum completæ virginitatis rationi est necessarium. Virginitas siquidem naturalis & corporalis (quæ est etiam in ligno & lapide) absque pudicitia mentis est quasi crumena absque pecunia, nux absque nucleo, dolium sine vino, laterna sine lumine, aurea apertura lattina, & sepulchrum foris dealbatũ, quibus improperat Christus. Væ vobis hypocritæ similes sepulchris dealbatis. Hoc modo Calligonus Valentiniani Imperatoris Eunuchus, gladio punitus fuit, quod ardore concupiscentiæ inflammatus, virginem amplexando, cum qua nihil rei habere posset ingemuit, teste August. Nihilominus corporis integritas bipartitam admittit violationem, Spontaneam aut inuitam. Si propria sponte vincitur, ipsa virginitatis perfectio infringitur. Si inuolũtarie aut per vim aliquid sustineatur, vt Lucretia castissima Romanorum matrona, teste beato August. nihil propterea in re mutatur, secundum sententiã sanctæ Luciæ virginis & martyris quam allegat August.de mendacio ad Consentium. Non coinquinatur corpus, nisi de consensu mentis. Illa autem integra perseuerante si ista lasciuiæ blandimentis amittatur, & consensu mentis corrumpatur, suspirijs & gemitibus est reparabilis, non autem corporis: Sicut enim lampas confracta nequit integrari, ita nec meretrix corpore fieri virgo; ad præterita namque non est potentia, vt docet D. Bonauent. S. Romanæ ecclesiæ Cardinalis lib. 4. sententiarum, & Amos 5. virgo Israël proiecta est in terram, non est qui suscitet eã. Hic iam obiter occurrit adnotandũ, vter status præcellat coniugalis ne an virginalis, profecto nõ ignoramus D. Hier. infectari Iouinianum tanquam hæreticum, quod nuptias virginitati æquet,

Lib.de virginit.c.8.et 15.
Duo in virginitate consideranda.
2.2.q.152.
Apocal.14.
Matth.19.
Matth.23.
Lib.6. contra Iulianũ, ca.5.
Dupliciter corpus violatur.
Lib.1 de ciui. Dei cap.19.
Cap.1.19.& 30. Lib.1.de ciuit. Dei cap. 18. & 19.
Epist.180.ad Honoratũ, & lib.4. contra Iulianũ ca.8.
Dist.15 et 33
Iouiniani error similitudinibus refellitur.

Sessione 24. cap. 10. æquet, nos eas ita recipimus, secundum concil. Tridentinum vt virginitatem præferamus, quæ de nuptijs nascitur, nũquid argentum non erit argentum, si aurum eo pretiosius sit? aut arboris & segetis contumelia est; si radici & folijs poma & fructus præferantur? Vt poma ex arbore, ita castitas virginalis ex radice coniugij nuptialis. Præterea coniugatos manent tribulationes carnis, quibus castimonia non grauatur, teste 1. Corinth. 7. Paulo Apostolo iuxta illud:

Qui capit vxorem, litem capit atque dolorem:
Qui caret vxore, lite caret atque dolore.

Denique anteferenda est coniugio virginitas propter solicitudinem: Qui enim sine vxore est solicitus est quæ sunt domini, quomodo placeat Deo: qui iungit matrimonio virginem, bene facit, qui non iungit, melius facit. Sed noui quosdam qui murmurēt: Quid si, inquiunt, omnes velint ab omni cõcubitu abstinere, vnde subsistet genus humanum? Quibus respondet D. Augustinus, vtinam omnes hoc vellent, duntaxat in charitate de corde puro & conscientia bona, & fide non ficta, multò citius Dei ciuitas compleretur & accelararetur terminus seculi. Quid enim aliud hortatur Apostolus, cùm ait: Vellem omnes esse sicut meipsum, & qui habēt vxores tanquam non habentes sint. Ex quibus concludere videtur Augustinus votum castitatis fecisse Apostolum Paulum de opere monach. quemadmodũ & beata virgo Maria, quod sic patescere valet ex scriptis, secundum August. & Bernard. quoniam si cuilibet virgini desponsatæ & nubere volenti dicatur, filium habebis, haud mirationem incurreret, aut percunctaretur, quomodo fiet istud, quippe quæ se desponsatam & propediem nupturam non dubitaret, & à viro fœcundari vsu naturæ speraret: Mariam autem sanctissimam nõ immeritò admiratio inuasit, & qualiter quod promittebatur Lucæ primo & Esaiæ 7. impleretur, requisiuit, quæ & si iam despõsata, nunquam tamen se nupturam aut viro commiscendam certissimo sibi animo habuit firmatum. Hanc innumeræ vtriusque sexus turbæ sequutæ sunt, atque in eodem stadio currentes, propter regnum Dei se castrauerunt, vniuersasque impudicitiæ illecebras ac illicitos concupiscentiæ motus abruperunt.

Cõmune vulgarium hominũ argumentũ.
Lib. de bono cõiugal. c. 10.
1. Corinth. 7.
Cap. 23.
D. Paulus fecit votum castitatis.
Lib. de virgin. cap. 4. Lib. de opere monach. cap. 32.
Serm. 3. super Missus est.

Castitas quare tanti apud Deum meriti.

CAPVT XV.

VNDE alio intuitu considerandum virginitatis propositum, & coniugale vinculum occurrit, nempe secundum habitum, decorem, & statum: Si secundum habitum

habitum vtrunque intuearis, talis est illis habitudo, qualis est inter excedentia & excessa, quia maiori castitatis habitu & affectione potest coniugatus pollere timoratus, quàm discola virgo. Rursus multis parasangis virgo præeminere potest: Nam canticum concinunt, quod nullis alijs legitur concessum. Huic suffragatur D. August. Non est impar meritum in Ioanne continentiæ, qui nullas expertus est nuptias, & Abraham qui filios generauit: Illius enim cœlibatus & illius connubium pro temporum distributione Christo militârūt, sed continentiam Ioannes in opere, Abraham in habitu solo habuit. Deinde si obtutus mentis ad decorem dirigamus, iam haud dubiè continentiæ coniugali præfertur virginitas, quia in hac non est corruptio fœda, vt in fornicatione cum peccato, vel sine peccato vt in coniugio, est tamen ibi inordinatâ & erubescenda quædam carnis rebellio, & ardor libidinis immodicus, qui peccato homines subderet, nisi bona coniugij temperarent, non quod malus sit in coniugio, sed malus esset nisi fieret in matrimonio, secundum August. & Magistrum sententiarum. In virginitate est incorruptio sancta, imò portio angelica, secundum Aug. lib. de virginitate: Hieron. epist. ad Demetriadem. Amb lib. 1. de virginib. & Ioannem Chrysost. homil. 22. ad Antiochenos, & D. Basilium lib. de virgin. quia in humano corpore angelorum retinent conuersationem, quæ non nubent neque nubentur. Nostra tamen est multiplicior (sit ipsorum bona pace dictum) quia est mentis & corporis. Est etiam nobilior, quòd angelorum sit ex natura nostra, ex gratia; Nemo siquidem, nisi Dei largitate, continere potest: Gloriosior quoque est, quia hæc in pugna certat, illa sine tentatione regnat. Denique fructuosior existit; nam nostra meretur, illa non, teste Esa. 56. Tenētibus fœdus meum dabo in domo mea locum meliorem à filijs & filiabus, & Sapient 3. fœlices dicuntur quod nesciērunt thorum in delicto, propterea sequuntur agnum quocunque ierit. Qualem etiam corporis membris castitas illibata conferat gratiam, discere promptum est ex lib. 3. dialog. beati Gregorij cap. 32. vt Aureolæ præmio supersedeamus. Verùm quid causæ subest, quod tantopere commendetur, tantæque sit æstimationis castitas apud Deum? Quia per illam Christo matrique eius sanctissimæ adsimilamur, quia: Omne animal diligit sibi simile. Hinc ambos Ioannes singulari dilectionis affectu Christus semper est prosequutus; Tum etiam quia hic status erit perpetuus, non enim nubent neque in cælo nubentur. Primordialis quoque ratione conditionis viscerosо virgines diligit affectu Christus, quod artifex diligat opus quod fecit: Deus nos incorruptos fecit, & castos creauit. Non possum esse

De differentia vtriusque.
Math. 25.
Apocal. 14.
Li. de bono cōiugal. cap. 2c
Discrimen castitatis Ioānis & Abrahā.
Lib. 1. de pec. meritis & remis. cap. 29.
Li. 4. dist. 26.
Virginitas est portio angelica, quomodo?
Ca. 14. et 24.
Mat. 18. & 22
Nostra castitas multiplicior est angelica.
Apocal. 14.
Castitas quare tāti apud Deū meriti?
Eccles. 13.
Math. 22.
Sapient. 8.

Lib. 4. orthod. fid. 16. esse continens, nisi Deus dederit. Vnde Ioan. Damasc. Virginitas à principio in hominum natura est plantata. Quarto ratione desponsationis quia filius regni cœlestis desiderat sponsas integras: Despondi vos vni viro virginem castã, &c. summus sacerdos præcepto legis iubetur accipere virginem, non viduam. Tertio secundum statum est consideranda virginitas, secundum tempus legis aut gratiæ: Si legis, tum status coniugalis continentiæ virginali præfertur, quia prohibetur, Crescite & multiplicamini, & sterilis maledictione percellitur; Si tempus gratiæ: Vbi non requiritur fœcunditas ventris, sed puritas mentis, virginitas præfertur, secundum Gregorium lib. 15. Moral. Non est tamen verisimile, crescite & multiplicamini, semper vim præcepti obtinuisse, tum quia videtur cessasse, ex quo repetitur Geneseos 9. tum quia sancti patres, Abel iustus à Christo pronuntiatus, Ioannes, Esaias, Hieremias, Daniel, &c. censendi iam essent legis præuaricatores: Vel si præceptũ fuerit, affirmatiuum fuisse, vt eleemosyna tempore necessitatis, credendum est, quæ necessitas nimia hominum numerositate, iam dudum euanuit, potissimum cùm per virginitatis consilium à Christo reuocetur, Qui potest capere capiat. Cuius merito, licet hæretici Seruatiani & Barbatiani derogent, teste Ambros. & Manichæi antistites dæmonũ appellent, secundum Augustinum. Quibus consentaneus est Ioannes Wiclef damnatus sess. 6. Concil. Constantien. Arriani etiam virginibus non solum infesti fuerunt, teste Theodoreto lib. 2. cap. 14. & 3. cap. 6. sed virginitatis emuli professarũ virginum aluos dissectos, hordeoq; impletos, porcis & equis obiecerunt.

Marginal notes: 2. Corin. 11. — Leuit. 21. — Genes. 3. & 9. — *Crescite et multiplicamini, quomodo exponẽdũ* — Deuter. 6. — Cap. 11. — *Virginitas est consilij.* — Matth. 19. — *Epist. 82. ad Vercellensem Ecclesiam.* — *Lib. 3. contra Faust. cap. 4.* — *Art. 21. cũ 2. sequẽt. & 31. necnõ art. 45.*

De virginibus vestalibus. CAP. XXVI.

Vestales, quales virgines?

MAIOREM certè honorem Romani detulerũt virginibus vestalibus idololatris, quàm isti sanctimonialibus summi Dei sponsis. Siquidem nõ minores sex annis, neque decennalibus maiores, seruitio vestæ, quod spherico in templo exhibebatur, mancipabantur; primis decem annis discebant ritus sacrificiorum, alteris operam dabant sacris. Tertio decẽnio recẽter initiatas docebãt. Quibus triginta annis exactis, nubere permittebãtur. Has Numa de publico ærario sustentandas sanciuit, & perpetua virginitate decoras honorãdas esse censuit: Nam Imperatores, consules, ac magistratus illis adsurgebant, deque via illis cedere soliti erant, imò fontem fortuito occursu obuiãtem supplicio impendenti eximebant. Si ipsarum tamen ignauia ignis perpetuus quem seruabant, extinctus fuisset, diris à pontifice flagellis adfligebãtur, si verò castitatẽ parum pudicè habuissent, ince-

incestusq; conuictæ fuissent, efferebantur, sequentibus mœsto silentio pontificibus & propinquis extra portam Collinam, iuxta quam erat specus subterraneus, quem ingredi scalis demittebantur, quibus sublatis, locus occludebatur, appositis pane, lacte, oleo, & incensa candela, ne fame enectæ viderentur, testibus D.Hieron. August. Aulo Gellio, T.Liuio 8. lib. primę decadis & tertię lib.9. & Valerio Maximo lib.8. cap.1. *Lib.1. aduersus Iouinianū. Lib.3. ciuit. Dei cap.5. Lib.1. Noctiū Atticarum.*

De clausura sanctimonialium.

CAPVT XXVII.

HINC vt omnis stupri suspicio euitetur, ac omnis periculi monialium præcludatur occasio, clausuram obseruādam docet Concil. Trident. Nulli sanctimoniali liceat post professionem exire monasterio, etiam ad breue tempus, quocunque prætextu, nisi aliqua causa legitima ab episcopo approbanda: Ingredi autem septa monasterij nemini liceat, cuiuscunque generis aut conditionis, sexus aut ætatis fuerit, sine episcopi vel superioris licentia in scriptis obtenta, sub excommunicationis pœna ipso facto incurrenda. Dare autem Episcopus vel superior licētiam debet in casibus necessarijs, neque aliàs vllo modo possit, etiam vigore cuiuscunq; facultatis vel indulti hactenus cōmissi, Et canone 7. Episcopus siue superior claustra monasterij non ingrediatur, sed ante cācellorum fenestellam vota singularum audiat vel excipiat. Hoc edicto eliditur temeritas Erasmi, qui habet sic in Colloquijs, Si pedem moueris retraheris à fuga, perinde quasi parentem veneno necaueris. Legimus quidem Martium monachum sanctitudinis prærogatiua insignem, à B. Benedicto reprehensum, quòd cathena sibi ferrea pedem ligauerit, eamq; saxo altera ex parte affixerit, ne ei liceret vlterius progredi, quàm cathenæ eiusdem prolixitas tendebatur. Nihilominus tamen D.Gregorius multis encomijs eum collaudat, quod nunquam postmodum solutum pedem tenderit vltra locum, qui hunc ligatum tenere consueuerat. Pari modo D.Hieron. ostendit apertius, claustrum tum temporis fuisse; Vespere namq; ait, vsq; mane fenestræ illius assides, & quia propter altitudinē hærere vobis cominus non licebat, per funiculū accipis aliquid, vel remittis, & cum talem vterq; vestrum habuerit voluntatem, nisi per fenestrā nocte fuit vobis facultas colloquendi. Et paulò post; Iam tibi & scalę, per quas deponeres miseram parabantur, iam iter dispositū, nauigia cōducta, dies fugę animo pertractata. Istis suffraganrur Concil. Aurelianen. 5. cap. 19. quando docet quosdam religiosos perpetuò inclusos. Et Trip. hist. religiosas nō patere homi-

Clausura sanctimonialium. Sess.25. ca.5.

Erasmi temeritas notatur.

Lib.3. Dialog. cap.16.

Ad Sabinianū Diaconū, qui sanctimoniali seduxerat.

Lib.6. ca.12.

hominum conspectibus, item Cabilo. 2. cap. 63. nullus clericus nec laicus claustra ancillarum Dei ingrediatur. Præterea sunt alij qui non ita habent perpetuam clausuram, tamē vniuersi, inquit D. Bernard. velut in carcere aperto tenentur, solo Dei timore hominum cōmercia euitantes. Quis enim ignem colligabit in sinu & non comburetur? quis ignem & stuppam componat & flammam non nutriat? cum etiam ferrum tandem igni emolliatur? Et D. Hierony. epistola ad Paulinum: Si desideras esse quod diceris, videlicet monachus, id est solitarius, quid facis in vrbibus? Nullus monachorum pro lucro terreno de monasterio nefandissimo ausu exire præsumat, sic claustro suo contentus; Quia sicut piscis sine aqua, teste D. Ambros. & Bernard. caret vita, ita monachus sine monasterio, maneat solitarius, qui mundo debet esse mortuus. Quando autem egredi compellit necessitas, etiam socius per superiorem comitetur assignatus, secundum August. Et redeuntes se prælato præsentare solebant, à quo permissi exiuerant. Hinc inoleuisse existimo regressum saltem ianitori insinuādum, teste D. Gregor. vbi etiam sanctus Benedictus absens cognouit, quod talia cibaria, viniq́ue ciphos in oppido bibissent. Atqui summus pontifex non videtur aliquos, qui semper libertate freti sunt, clausuræ rigore arctare posse, quia cōcil. Trident. habet, vt in omnibus monasterijs sibi subiectis episcopi ordinaria, in alijs verò sedis Apostolicæ authoritate clausuram sanctimonialium, vbi violata fuerit, diligenter restitui, & vbi inuiolata est, conseruare maximè procurare debeant. Ergo vbi non fuerunt prius instituta, non videntur prælibato canone instituenda. Verum in 6. de statu Regularium ita docet Bonifacius octauus, Præsenti constitutione perpetuò irrefragabiliter, valitura sancimus, vniuersas & singulas moniales præsentes atque futuras, cuiuscūque religionis sint, vel ordinis: in quibuslibet mundi partibus existentes, sub perpetua in suis monasterijs debere de cætero permanere clausura. Ita quod nulli earum religionem tacitè vel expresse professæ, sit, vel esse valeat quacunque ratione vel causa, monasteria ipsa egrediendi deinceps facultas. Sed quî præsentibus monialibus districtior vitæ modus imponi potuit? Respondet ibidem Ioannes Andreæ, quod nemo ad maiorem regulæ rigorem reduci debeat, at hic regulæ nihil adijcitur, quin potius habitandi modus secundum naturam rei laxatur, vel etiam religiosis qui volendi nolendiq́ue spoliati sunt facultate, potest strictius vitę genus imponi. Vnde breue Apostolicum sanctissimi D. Pij Papæ 5. concessum ita habet: Præsentium tenore statuimus, atque perpetuò decernimus vniuersas & singulas moniales, præsentes atque futuras, cuius-

Serm. 1. de dedicat. Ecclesiæ.
Monachi nomenclatura, quid signet?
16 q. 1. ca. Si et ca. Pla.uit.
Petrario exeundū monasterio.
Lib. 5. Hexameron cap. 4.
Serm. 1. de S. Andrea.
Epist. 109. ad monachas.
Lib. 2. Dialog. cap. 12.
Sess. 25. ca. 5
Ca. Periculoso. Summi Pontificis decreto religiosis asperior potest imponi status.
Anno 1566. die 9. mensis Iunij.

cuiuscunque religionis, ordinis, vel militiarum etiam Hierosolymitanarum sint, quæ vel iam receptæ sint, vel in posterum in quibusuis monasterijs siue domibus recipientur, & tacitè vel expresse religionem professæ, etiamsi conuersæ, aut quocunque alio nomine appellentur, etiamsi ex institutis vel fundationibus earum regulæ ad clausuram non teneantur, nec vnquam in earum monasterijs siue domibus, etiam ab immemorabili tempore ea seruata non fuerint, sub perpetua in suis monasterijs seu domibus debere de cætero permanere clausura, iuxta formam dictæ constitutionis fœlicis recordationis Bonifacij Papæ octaui prædecessoris nostri, quæ incipit, Periculoso, in sacro concil. Trident. approbatæ & innouatæ, quam nos authoritate præfata etiam approbamus & innouamus in omnibus & per omnia, ac illam districtè obseruari mandamus. Quod si aliquæ moniales forsan reperiantur quæ cõsuetudine etiam immemorabili aut instituto vel fundatione regulæ suæ fretæ, animo obstinato huic clausuræ resistant, aut quoquo modo reluctentur, ordinarij vna cum superioribus earum omnibus iuris & facti remedijs compellant easdem tanquam rebelles & incorrigibiles ad præcise subeundum dictam clausuram & perpetuò obseruandum. Et annectitur ibidem; Mulieres quoque quæ Tertiariæ, siue de pœnitẽtia dicũtur, cuiuscũq; fuerint ordinis in cõgregatione viuentes, si & ipsæ professæ fuerint, ita vt solẽne votum emiserint, ad clausuram præcise, vt præmittitur, & ipsæ teneantur, quod si votum solenne non emiserint, ordinarij vnà cum superioribus earum hortentur, & persuadere studeant, vt illud emittant & profiteantur, ac post emissionem & professionem, eidem clausuræ se subijciant. Quod si recusauerint, & aliquæ ex eis inuentæ fuerint scandalosè viuere, seuerissimè puniãtur. Cæteris autem omnibus, sic absque emissione professionis, & clausura viuere omnino volentibus, interdicimus & perpetuò prohibemus, ne in futurum vllam aliam prorsus in suum ordinem religionem congregationémve recipiant. Quod si contra huiusmodi hanc nostram prohibitionem & decretum aliquas receperint, eas ad sic viuendum, omnino inhabiles reddimus, ac illarum quaslibet professiones & receptiones irritas decernimus & nullas, prout etiam pręsenti decreto irritas facimus & annullamus. Porrò ne moniales vel Tertiariæ prædictæ propter hanc clausuram, detrimentum aut incommodum aliquod in earum necessitatibus maximè superuenientibus, ad illarum victum patiantur, sed vt eis opportunè consulatur, authoritate apostolica pręfata statuimus, decernimus, præcipimus atque mandamus ordinarijs & superioribus earum, vt curent colligi eleemosynas fidelium per

X conuer-

conuersas,quæ non sunt professæ,vel si professæ fuerint,sint tamen ætatis annorum 40.& in domibus contiguis,extra tamen monasterium degant, & non ingrediantur clausuram aliarum monialium, nisi in casibus ex earum constitutionibus permissis, & de earum domibus exire non possint, pro huiusmodi eleemosynis colligendis, nisi de licentia ordinarij vel earum superiorum. Et de cætero nullæ aliæ conuersæ professæ recipi amplius etiam de consensu suorum superiorum vel prælatorum possint;Quod si aduersus hanc nostram prohibitionem receptæ fuerint, illarum receptio nulla, irrita & inanis sit,prout ex nunc nullam & irritam facimus.Quod si prædicto modo necessitatibus monialium & mulierum Tertiariarum prædictarum succurri sufficienter non poterit, mandamus ipsis ordinarijs & superioribus earum,vt ipsi prouideant, de alijs personis pijs & Deo deuotis, quæ fidelium eleemosynas colligant, vel alias eo meliori & commodiori modo quo fieri poterit, etiam ex opere manuum ipsarum monialium & mulierum, prædictarum arbitrio ordinariorum & superiorum earundem,& prout eis congruentius expedire videbitur, prouideatur & succurratur. Et ne propter monialium numerum excessiuum clausuræ obseruatio violetur, inhærentes similiter etiam dispositioni dictæ constitutionis Bonifacij & concil. Trident. decreto, monialibus prædictis & illarum superioribus & ordinarijs districtè inhibendo præcipimus & mandamus, ne plures in earum monasterijs recipiant & admittant, siue recipi & admitti permittant, quàm ex proprijs reditibus ipsorum monasteriorum,vel consuetis eleemosynis commode sustentari possint, mandantes præterea in virtute obedientiæ, sub attestatione diuini iudicij & interminatione maledictionis æternæ vniuersis venerabilibus fratribus patriarchis, primatibus, archiepiscopis & episcopis,quatenus in ciuitatibus & diœcesibus proprijs,præsentes nostras literas publicari faciant, ac in monasterijs monialium sibi ordinario iure subiectis, in his verò quæ ad Rom.mediate vel immediate spectant ecclesiam, sedis Apostolicæ authoritate vnà cum superioribus eorundem monasteriorum clausuram, vt præmittitur, quamprimum poterit seruari procurent, contradictores atque rebelles, per censuram ecclesiasticam,appellatione postposita, compescendo, inuocato ad hoc, si opus fuerit, brachij secularis auxilio. Ac vt hoc tam salutare decretum, facilius obseruetur, omnes principes seculares,& alios dominos,& magistratus temporales,rogamus, requirimus & obsecramus per viscera misericordiæ Domini nostri Iesu Christi eisdem in remissionem peccatorum iniungentes,quod in præmissis omnibus eisdem

patriar-

patriarchis, archiepiscopis & episcopis, alijsque monialium superioribus assistant, ac suum fauorem & auxilium præstent, ac impedientes, pœnis etiam temporalibus afficiant. Præmissis constitutionibus & ordinationibus Apostolicis statutis & consuetudinibus etiam immemorabilibus, etiam per sedem apostolicam approbatis & confirmatis, priuilegijs, indultis quoque & literis apostolicis, etiam in fundatione & institutione eisdem monasterijs vel domibus & monialibus, sub quibuscunque verborum formis & clausulis irritantibus & alijs decretis quibuslibet concessis, cõfirmatis ac etiam iteratis vicibus approbatis & innouatis. Eodem anno, idem sanctissimus decreto in lucem emisso sanciuit, & disparem sexum à monasterijs virorum, hoc tenore exclusit, inquiens, Motu proprio & ex certa scientia, ac de apostolicæ sedis plenitudine omnes & singulas facultates & licentias ingrediendi monasteria ac domos Chartusiensium & aliorum quorumcunque regularium ordinum, etiam mendicantium mulieribus cuiuscunque status, gradus, ordinis, conditionis & quacunque dignitate ac præeminentia præditis, etiam Comitissis, Marchionissis, Ducissis, sub quibuscunque tenoribus verborum & formis, & cum quibuscunque etiam derogatoriorum derogatorijs alijsque fortioribus efficacioribus & insolitis clausulis, necnon irritantibus decretis ab apostolica sede quomodocunque cõcessis, quarum tenores, perinde ac si de verbo ad verbum præsentibus insererentur, haberi volumus pro expressis, tenore præsentium reuocamus & cassas, irritas & inanes esse decernimus. Districtè prohibemus mulieribus quidem prædictas facultates & licentias prætendentibus, sub excommunicationis latæ sententiæ pœna, postquam harum literarum notitiam habuerint, & à qua non possint absolui, nisi à nobis aut à Rom. Põtifice qui pro tempore fuerit, præterquam in mortis articulo, ne dictas domos & monasteria ingredi debeant. Ipsis verò monasteriorum & conuentuum abbatibus, præpositis, prioribus, & alijs præsidentibus quocunque nomine vocentur, & eorum monachis, canonicis & fratribus, siue mendicantibus, siue non mendicantibus, sub priuationis officiorum quæ in præsentia obtinent, & inhabilitatis in posterum ad illa & alia omnia, & suspensionis à diuinis ipso facto sine vlla declaratione incurrendis pœnis, ne eas introducere admitteréve præsumant. Non obstantibus præmissis ac constitutionibus & ordinationibus Apostolicis cæterisque contrarijs quibuscunque.

24. Octobris. Mulieres virorum monasteria ingredi nequeant.

De periculis castitatis. CAPVT XXVIII.

ADAMVSSIM castitas vt seruetur omniũ familiaritatum requirit fugã, quia etiam spiritualis amor haud difficulter in carnalem degenerare solet, quod sensus & cogitatio hominis ad malũ prona sint. Profectò Susanna (quæ liliũ siue rosa interpretatur) à senioribus & publicę iustitiæ, iudicibus non fuit tuta in domo sua. Nec à periculis immunes fuere, quæ pietatis ergo limina tabernaculi terebant, ob filios sacerdotis Ophni & Phinees. Nec secura fuit Thamar à fratre suo. Ac ista accidere solent mala, quinque potissimum de causis: Quarũ prima poterit censeri affluentia, manifestum siquidem est, quod commessationes (vt edocet sanctus Moses vltimo libro suo) & vinum sicuti indicat Apostolus, & ebrietas vt alio insinuat loco causæ sunt libidinis. Ecce hæc fuit iniquitas Sodomæ sororis tuę, saturitas panis, abundãtia, & ociũ, &c. Secundũ oportunitas, siue occasio inducens, sic Iudas cognouit Thamar, Sichen Dinam, & Dauid Betsabeam. Tertio iuuentus lasciuiens, mulieres, Oola & Ooliba in adolescentia sua fornicatæ sunt, secundum prophetam, Quarto libertas: Hoc modo Ophni & Phinees tanquam filij sacerdotis & iudicis iam senis & decrepiti effrenes facti, dormiebant cum mulieribus quæ obseruabant ad ostium tabernaculi. Et Ammon Dauidis primogenitus præsumptuosior violauit sororem suam Thamar, hac libertate vxor Putipharis ardebat sanctum Ioseph. O damnanda libertas, quantæ seruituti mancipare soles tuos alumnos, quod vel vnus acolastus abunde suo edocet exemplo. Vltimum est pulchritudo alliciens, quali captus fuit Holophernes quæ etiam senes decepit Danielis.

Genes. 8. Daniel. 13. 1. Reg. 2. 2. Reg. 13. Deuter. 21. Ephes. 5. Roma. 13. Ezech. 16. Gen. 38. & 34. 2. Reg. 11. Ezech. 23. 1. Reg. 2. Genes. 39. Iud. 10. Daniel. 13.

De solenni voto paupertatis. CAPVT XXIX.

RELIGIOSI vouent quidem sacrum euangelium, non tamen singulas ac vniuersas eius partes, quod miraculorum signis choruscare promitterent, secundum D. August. sed sinechdochichos eius medullam, renuntiando rebus temporalibus per paupertatem, carnis illecebris per castitatem, & potentijs animæ per obedientiam, vti habetur de verborum significatione, ita loquitur pater pauperum Christus: Si vis perfectus esse vade & vende omnia quæ habes, & da pauperibus, & veni sequere me. Hanc perfectionis formulam, non semel antea magnis laudum præconijs extulerat, Matth 4. relictis omnibus sequuti sunt eum, Matthæi 5. Beati pauperes quoniam ipsorum est regnum cælorum, & 8. Filius hominis non habet vbi caput suum reclinet, quod

Lib. de sancta virgin. c. 35. Cap. Exiui, in Clement. de paupertate. Matth. 19.

nunquam feciſſet, ſi vtiliter bona caduca ſuſcipienda eſſe duxiſſet, hũc paupertatis rigorem, vltroneo pietatis affectu, ſequuti ſunt monachi, teſte D. Hieron. quorum laudabilis praxis militat contra Iouinianum, qui ſatius eſſe ducebat ſenſim facultates pauperibus diſtribuendas, quàm mundum cum flore relinquere, quem idcirco D. Hieronym. inſectatur tanquam hæreticum, quia maioris alacritatis eſt argumentum, iſta ſimul omnia abrumpere, quàm tepido pectore, lentaque manu, parum egenis impartiri. Quemadmodum comprobat D Auguſtinus, vbi dicit Apoſtolos paupertatem profeſſos, & de dogmat. eccleſ. & beatus Ancelmus pro hoc doctrinæ capite, arboris vtitur ſimilitudine lib. de ſimilitudinibus, quæ ſi offeratur tota, gratius erit donum, quàm ſi aliqui eius fructus tradantur, hoc modo Paulinus nobili ſtemmate patritius, omnia terrena cum habitu quaſi exuit, teſte D. Ambroſ. Huiuſmodi commemorat Euſebius Cæſarienſis, ex lib. de vita contemplatiua Philonis, complures renuntiaſſe cunctis facultatibus ſuis, vt vitam amplecterentur theoricam. D. Auguſt. quoque refert duos tribunos ſpaciãdi gratia ad campos conceſſiſſe, ibique duos monachos Deo militantes, in caſa reperiſſe, in quorum libro ibi inuento, alter eorum cœpit vitam ſancti Anthonij Anachoritæ legere, interque legendum meditari, arripere talem vitam, & amore ſancto repletus, dixit amico, Dic quæſo, omnibus iſtis laboribus noſtris, quo ambimus peruenire? quid quærimus? cuius rei gratia militamus? maior ne eſſe poterit ſpes noſtra in palatio, quàm vt amici imperatoris ſimus, & ibi quid non fragile, plenumque periculis? Amicus autem Dei, ſi voluero, ecce iam fio. Dixit hoc, & mundum quaſi veſtimentum abiecit, inquiens ſocio; Ego iam abrupi me ab illa ſpe noſtra, & Deo ſeruire ſtatui, & hoc ex hac hora, in hoc loco aggredior, te ſi piget imitari, noli aduerſari, & inſeparabili nexu religionis, illi alter adhærendo perſeuerauit, & ſponſæ eorum quas ambo habebãt, ſimul atque hoc reſciuerunt, virginitatem Deo ſuam cõſecrauerunt. Tali quippe calore fidei incitati, hi qui primitus credebant, vitam duxiſſe memorantur, ſicut euidenter in Actibus Apoſtolorum legimus ſcriptum, quia omnes fideles ſuas poſſeſſiones & prædia vendentes, pretium ponebant ante pedes Apoſtolorum. Veruntamen huic obſeruantiæ hodie à multis contradicitur, qui religioſam amplectuntur monaſticæ vitæ formam, non vt Deo liberiori vacent animo, ſed vt ſuo indulgeant ingenio, ſicuti luculenter edocet D. Bernard. Sunt eo pacto, inquit, pauperes, vt nihil eis deſit, & ſic diligunt paupertatem, vt nullam patiantur inopiam. Propterea vanæ interrogationes agitantur inter religioſos, ait Chryſoſt. an in tali

Epiſto'a ad Euſtochium.
Melius eſt omnia abrumpere quàm ſenſim pauperibus ſubuenire.
Lib. 17. ciuit. cap. 4.
Cap. 71.
Cap. 84.
Epiſt. 36. ad Sabinũ epiſco.
Lib. 2. cap. 17 Eccleſ. hiſt.
Lib. 8. Confeſſ. cap. 6.
Vel exẽpla monent contemnere mundum.
Serm. 4. de aduentu.
Lib. 1. de cõpunct. cordis.

tali conuentu sit requies, an omnia abundanter administrentur, an nihil eorum desit, quæ lata & spatiosa vita desiderat, an non eodem oleo & lucerna & mensa sit aptanda, si non sit etiam grauis exactor laborum, cùm principum serui horum nihil inquirant. O homo quid loqueris? arctam & angustam viam arripuisti, & de abundantia percunctaris? mundum spreuisti; &, tanquam canis ad vomitum, blandimenta eius requiris? O munde immunde quid perstrepis? (inquit Aug.) quid auertere nos conaris, tenere nos vis fugiens? quid faceres si maneres? quem non deciperes dulcis, qui amaris dulcia alimenta mētiris? nam lutum præbes vt aurum accipias, imò cælum auferas, secundum Ioannem Chrysost. Sirenem adducit Bernardus (cuius superior pars ad vmbilicum formosæ virginis habet formam, posterior verò speciem piscis prætendit) dulci modulamine nautas decipientem, vt ostendat delitias mundi decipulam esse bonorum. Aliqui namq; iam magis sunt dediti sensualitati, quam vnquam in seculo fuissent, conciliant sibi amicos & familiares, ac sub velamine spiritualis charitatis abscondūt venenum prauæ sensualitatis; Quid enim reportamus de omnibus vagis & superfluis discursibus, nisi plurimas imperfectiones, & malarum distractionum occasiones? Quo liquet Senecam optimè dixisse, Quoties inter homines fui, minor homo redij. Quod vitare desiderans D. Hieron. & D. August. dicebant mihi oppidum carcer, & cella paradysus, piscis siquidem extra aquas emoritur, teste B. Bernar. Nec solum cella debemus esse contenti tanquā sepulchro, quin magis paupertas cellæ diuitem ornet conscientiam, teste August. quæ securior sopori dat se in terra, quàm diues in purpura, propter magnam mentis tranquillitatem, quam habent vbi meū & tuum exulare coguntur, secundum beatum Ioannem Chrysost. & August. Ideoq; centum quinquaginta indumēta habere adsolent communibus vsibus deputata, ibidē serm. 22. Et ne aliqui monachi ditiores essent, quàm fuerant seculares, neque opes possideant sub paupere Christo, quas sub diabolo fallace non habuerant, secundum D. Hieronymum ad Nepotianum, consultissimum fuerit nihil munusculorum recipere, teste D. August. quod D. Anthonius studiosius obseruauit, qui literas à charissimis sibi amicis destinatas legere recusauit: Malo, inquit, eas comburere, quàm à vobis vanitatibus & leuitatibus comburi. Idem ser. 40. ad fratres. D. tamen Hieronymus recepit ab Eustochio epistolas, columbas, canistrum cerasorum. Quæ arbitror ita admittenda, vt tali eleemosyna, huius in vinea Domini laborantis necessitati, duplicique honore digni, infirmitati occurratur, vti docet Theodoretus de sancto Marciano, qui sorori

Serm. 29. de verbis Dom.
Pulchra B. August. sententia.
Homil. 35. ad Antiochenos.
Sirenis techna.
Serm. 53. ad sororem.
Sententia Senecæ.
Lib. de opere monach.
Eodē tit. ca. 7.
Serm. 1. de S. Andrea.
Serm. 212. de tempore.
Homil. 58. ad Antioch.
Ser. 2. ad fratres eremiticos.
Aliqui ditiores in monasterio quàm fuerunt in seculo.
Munuscula an recipienda.
Ep. 109. ad monachas.
Lib. hist. sanctorū patrum.

forori cum filio (cuius maritus facilè erat princeps vrbis Ciri) accessum ad se non permisit, sed filio eius inquiens, Quibus monasterijs tribuistis quod hic adfertis, dicunt ei nulli; non ergo capio vestra, quia ex naturali ductu ista attulistis, non ex deuotione, nam sic alijs ex vestra abundantia distribuissetis. Clam tamen prælato aliquid retinere, est furtum committere, secundum D. Augustinum. Et Nitriæ gestum est quod quidam ex fratribus centum solidos (quos lina texendo acquisierat) moriens dereliquit, initum est consilium inter monachos, quid facto opus esset, Aliqui pauperibus distribuendos, Alij ecclesiæ, Alij parentibus dandos adserebāt, Macharius verò, Pambo, & Isidorus; Spiritu sancti afflati, decreuerunt cum ipso infodiendos, dicentes, pecunia tua tecum sit in perditionem, & tantus inuasit omnes timor, vt nil sibi seruare auderent, secundum beatum Hieronymum; sic proprietarius tumulatus fuit extra sacrum locum, teste August. Et alius similiter apud D. Gregor. Nec ista asperitas miranda est, cùm Act. 5. eadem docetur à Petro. Hic tamen non ignorandum est quod paupertas ipsa non faciat nos per se Deo acceptos, licet iam definitum sit generalis concil. Trident. quod omnes vtriusque sexus religiosæ etiam primæ Regulæ sanctæ Claræ, annuis possint gaudere redditibus, temporalibusque bonis dotari, demptis fratribus Franciscanis de obseruantia nuncupatis, quales sunt in istis partibus & capucinis: Nam Crates Thebanus substantiam mundi Athenis calcauit, nec putauit se virtutem, simul & diuitias, sapiētiam & delitias possidere posse, teste D. Hiero. ad Paulinum. Et Diogenes adeò omnia spreuit, vt solum scutellam seruaret, qua laticem ori apponeret, quam etiam proiecit, cùm puerum aquam manu lambentem cerneret, teste Cicerone: Nec immeritò, quia expeditiores currunt in semita mandatorum Dei, quàm onusti. Ista quæ temporalia, sunt quædam quasi onera & indumenta, quibus teneri possimus. Qui ergo ad certamen properat vestimenta abijciat, ne habendo quo teneatur succumbat, secundum D. Greg. Necessariorum tamen in conuentu dispensator & Oeconomus singulis mensibus prælato cum timore rationem reddere solebat. Hier. ad Eustochiū. Et secundū Chrys. cibo sumendo talē mensæ præmittebant benedictionē, teste Athanasio: Miserator & misericors dominus, escā dedit timentibus se, Gloria patri, & filio, & spiritui sancto, more Franciscanorū, pro gratiarū actione sic orabant: Deus omnipotens, & domine noster Iesu Christe gratias agimus tibi, & collaudamus te, quod dignatus es nos bonorū tuorū participes efficere. Rogamus te, Domine, vt cęlesti pabulo nos refocillare digneris desq; nobis gloriosum &

Clam prælato nihil seruādū.
Epist. 109. ad monachos.
Proprietarij pœna antiquitus.
Epistola ad Eustochium.
Ser. 5. ad frat.
Lib. 4. Dialog. cap. 55.
Sess. 25. ca. 3.
Franciscani paupertati quo modo adstringuntur?
Socratis & Diogenis factum.
Lib. Tusculanarum quæst.
Lib. 40. homiliarum 32.
Homil. 58. ad Antioch.
Lib. de virginitate.
Benedictio mēsæ monachorū.

sanctum nomen tuum honorare, vt obaudiamus præceptis tuis, per eundē dilectum filium tuum Iesum Christum Dominum nostrū, cum quo tibi gloria & imperiū in secula seculorum, Amen. Similis gratiarū actio post mensam dici solita, habetur apud Chrysost. cui vicissim ministrabant, nec strepitus aliquis in mensa excitabatur, sed strictissimo silentio lectio mensalis excipiebatur, teste Hiero. ad Eustoch. & beato August. Et si quis fabulis aut inordinato strepitu alióve modo communitatem offendisset, vt pudor corrigeret, ad fores triclinij cibum separatim sumebat. Regula quoque singulis hebdomadibus semel more regulæ Franciscanæ legebatur, ne ignorantia, teste Augustino & Hieron. esset delinquendi occasio.

Hom. 57. ad Antioch. Lectio mēsalis. Ser. 1. ad frat. Pœnitētia lapsuum quotidianorum. Epist. 109. Epist. ad Marcellam.

De Apostasia. CAPVT XXX.

ALIENAM sibi Pharao adsciuit vxorē, quod nimia formositate speciosam vidit adductam, tandem diuinitus præmonitus reddidit vxorem Abrahæ, pater gentium nuncupato: Pari modo, religiosus pater bonarum censetur cogitationum, cuius vxor est religio, quæ non nisi spirituali copulatur amore, Pharaonis nomenclatura inconstantem denotat animum, hanc Saram, sacram videlicet religionem Pharao qui imaginem tenet carnalis affectus, audiēs laudibus extolli, commendariq́; arridet eius desiderio. Sunt quippe nonnulli qui otiosam in religione venantur conuersationem, rerum omnium appetunt affluētiam, largam promissionis præstolantur benedictionem, porrò vbi hanc sibi sociauerint tentationibus flagellantur, tędio afficiuntur, pondere crucis prægrauantur, tandem laborum impatientes reddunt spirituali Abrahę vxorem suam, vt libere motibus concupiscentiæ acquiescant, incentiua vitiorum requirant, ollas carnium retro respicientes, veluti canes ad vomitum, instar vxoris Loth repetant, seq́ue diaboli seruituti mancipent, ac aliorum honori notam infamiæ inurunt, dum sua iniquitate aliorum innocentiam denigrant, vno siquidem discolo existente in monasterio, omnes mali reputantur, sicut vinum in vase reprobatur per illud tartarum; quod plateatim defertur, teste Gregorio & August. Subdit tamen ibidem, meus conuentus non est melior quàm arca Noë, nec est melior quàm congregatio Apostolorum. Propterea non deseramus bonos propter malos, sed malos propter bonos sustineamus, secundum eundem, & beato Bernardo, donec admonitionibus emendati corrigantur, aut incorrigibiles de cœnobio propellantur, grauius enim offendunt Deum in claustro, quàm facerent in seculo, quia se perdunt, & Ecclesiam quotidie

Genes. 12. Genes. 17. 2. Petr. 2. Gen. 11. & 19. Similitudine probat vnum malū multum bonis nocere. Lib. 9. cap. 4. Moral. Epist. 137. ad Clerum. Lib 2. contra epist. Parmeniani cap. 8. Epist. 102. Epist. 109. ad monachas.

tidie ſcandalis perturbātur, ſecundum Ambroſium, & Bernardus ſerm. de ſancto Michaële, de quibus ira loquitur Auguſt. Sicut non ſum expertus peiores, quam qui in monaſterijs ceciderunt, ita non ſunt meliores quam qui in monaſterijs profecerunt, quoniam apoſtatæ à religione retrocedentes læthaliter peccant, ſicut Simplicius apud Auguſtinum. Et quidam alius ſubdiaconus, qui duas ſanctimoniales abduxerat. Gordiana apud Gregor. quæ nupſit viro poſt votum. Et Robertus apud D. Bernard. quo falſum eſſe conuincitur, quod Eraſmus habet prælibato loco, nulla votorum fuiſſe vincula aſſerens, & ſi quam ſui pœniteret voti, totam pœnam fuiſſe inconſtantiæ notam: Sic namque habet beatus Auguſtinus de bono viduitatis, exponens verba Pauli, 1. ad Timoth. 5. Habentes damnationem quia primam fidem irritam fecerunt. O vidua antequam promitteres, in tua erat poteſtate vt nuberes. Ex quo tempore confeſſa es vt mihi permaneres, ex eo tempore mea eſſe cœpiſti, ſi volueris ſecundum maritum ducere me contempſiſti, adultera es, quia mihi iam iuncta eras; Sic & tu monache antequam promitteres, in tua erat poteſtate facere quod volebas, vox tua ligauit te mihi, promittere fuit tuum, dimittere non eſt tuum, Et poſtea, promiſiſti, præmium habes, neglexiſti, pœnam habes, non eſt meum, vtrunque eſt tuum, elige quod velis, habes viam mortis & vitæ, ingredere qua volueris. Vnde Concil Tolet. 4. His ad mundum reuertendi, intercludimus aditum & omnes ad ſeculum interdicimus regreſſus: Duo tamen ſunt viduarum genera, ſeculares & ſanctimoniales; ſeculares poſſunt nubere, ſanctimoniales, ſi ad nuptias tranſierint, non ſine damnatione erunt, quia ſe primò, Deo vouentes, poſtea caſtitatis propoſitum abiecerunt. Nec ſolùm damnabiliter delinquunt, ſed Deo mentiuntur, & ſacrilegium committunt, teſte Ambroſ. ad virginem lapſam. Et Auguſt. ſic habet: Non ſolum capeſcere nuptias, ſed etiam ſi non nubatur velle nubere, damnabile eſt: Non dubitauerim dicere lapſus & ruinas à caſtitate quæ vouetur Deo, adulterijs eſſe peiores. Et diuus Cyprianus lib. 1 Non veretur fœdifragas nuncupare Dei adulteras; Et proinde eas à corpore Eccleſiæ gladio excommunicationis perſcindendas, docet Concilium Toletanum 4: Si autem ſalubriori obaudientes conſilio, à diaboli laqueis reſipuerint, decennali recipiantur pœnitentia, teſte Concil. Elibertin. Si verò nec minis, nec blandirijs ad habitum reſumendum induci poſſint, arcto carceri mancipentur, ita quod vita ſibi miſera tantum reſeruetur, vti habetur de apoſtatis. Formam, qua reſipiſcentes abſoluti Eccleſiæ & communitati reſtituantur, habemus

Lib ad virginē deuotā c. 2. & ad virginē lapſam cap. 7. Ep. ſt. 137. Serm 28. ad fratres. Epiſt. 169. ad Euſebium. Homil. 38. li. 40 homil. Epiſt. 1. Eraſmi temeritas notatur. Ca. 9. ſer. 34. & 60 ad fratres in eremo. Cap. 48. Duplices vidua. Ibid. cap. 55. Cap 9 & 10 De bono viduitatis ca. 9. & cap. 11. ac epiſt. 144. ad Iulianum. Epiſt. 11. Ca 51. et 54. Reſipiſcentes quomodo recipiendi? Cap. A nobis.

11. quaest. 3. c. Cùm aliquis. Modus absoluendi excommunicatum.

in Pontificali Romano. Hoc tenore, virgæ percussione in dorso excommunicati corrigantur, & interea, Miserere mei Deus, cum Deus misereatur nostri, perlegatur. Deinde Kyrieeleyson, Pater noster, Et ne nos inducas, Saluos fac famulos tuos, &c. nihil proficiat inimicus in eis, &c. Esto eis Domine turris fortitudinis, &c. Domine exaudi orationem meam, Dominus vobiscum. Oremus, Deus cui proprium est misereri, &c. quos excommunicationis cathena constringit, &c. Oremus, Præsta quæsumus Domine his famulis tuis dignum pœnitentiæ fructum, vt Ecclesiæ tuæ sanctæ, à cuius integritate deuiârant peccando, amissorum veniam consequendo reddantur innoxij, per Christum Dominum nostrum: & subdit Prælatus, Authoritate Dei omnipotentis, & beatorum Apostolorum Petri & Pauli, ac Ecclesię suæ sanctæ, & ea qua fungor, Absoluo vos à vinculo excommunicationis maioris, qua ligati eratis, in nomine Patris, &c. Reduco vos in gremium sanctæ matris Ecclesiæ, & ad consortium & communionem totius Christianitatis à quibus fueratis per excommunicationis sententiam eliminati, & restituo vos participationi ecclesiasticorum sacramentorum, in nomine Patris, & Filij, &c. Nec vnquam iudici seculari sunt tradendi, nisi post depositionem fuerint incorrigibiles: tunc namque excommunicantur, & si postmodum crescat contumacia, brachio seculari sunt committendi, vt apertè docetur de iudicijs, & practicarum reperitur. Iam considerandum occurrit, An liceat eijcere aliquos in religione professos? Et respondendum est, quod scandolosi per eos possint sine habitu dimitti, quibus hoc per priuilegia ordinis est commissum, quando alio modo oues nequeunt seruari: Bonum commune siquidem præpollet particulari. Membrum ergo putridum, est resecandum, ne totum corpus inficiat. Si sese apostatando eijciant, gratiæ sunt Deo agendæ, non quia peccauit frater, sed quia oues à contagiosa peste liberauit, teste Apostolo Paulo: Vtinam abscindantur qui vos conturbant, Hæc fusè tractantur in compendio priuilegiorum. Quando autem tales eijciuntur, possunt eis dari literæ notificatoriæ expulsionis eorum licentiantes permissiuæ, eos ad religionem aliam vel statum conuolare, vt vel ibi melius saluti suæ consulere possint. Si hic obijciatur canon, qui habetur extra de regularibus, vbi præcipitur, quod fugitiui & eiecti requirantur ac intra ordinem puniantur. Dicendum est quod iure humano positiuo decretum erat hoc, quod prælibatis priuilegijs pregnantibus rationibus iam existit abrogatum. Quod attinet ad ius diuinum. Respondendum est in præfato canone finali, illud

Apostata quando brachio seculari sunt committendi? Cap. At si clerici, & cap. Cùm ab homine. De verborũ significatione, c. Nouimus.

Maligni an sint de cœnobio & ordine eijciendi?

Ad Galat. 5.

Tit. Apostata, & tit. Eijcere ab ordine.

lud diſponi, quando ſine maiori malo & ſcandalo fieri poteſt; Quod veritatem non habet in fratribus incorrigibilibus: Qui autem hi ſint cenſendi, ex Silueſtro requirendum eſt. *Tit. incorrigibilis, & tit. Abbas, q. 3.*

TERTIVM PRÆCEPTVM.

Recordare vt diem Sabbati ſanctifices, Sex diebus operaberis, & facies omnia opera tua, ſeptimo autem die Sabbatum Domini Dei tui eſt, Non facies vllum opus, &c.

De Sabbato Iudæorum.

CAPVT I.

DEVS ſimul atque noſtri memores nos effecit præceptique vinculo non alienis ſeruire dijs, &c. ſed ſibi ſoli adſtrinxit. Cui nullam ignominiam irreuerentiamque inferendam, primo & ſecundo præceptis edocuit. In præſentiarum nos erudire inſtituit, quo cultu illi famulari conueniat, inquiens: Recordare vt diem Sabbati ſanctifices. Cuius præcepti, vt euidentiorem habeamus notitiam, nequaquam eſt prætereundum, Sabbatum triplicem aſciſcere ſignificationem. Primò à peccato ceſſationē, quod etiamnum incumbit ſtudioſius nobis obſeruãdum. Secundò allegoricam, quia Chriſti in ſepulchro quieſcentis imaginem prætendebat, quæ iam olim tranſacta præterijt. Tertiò anagogicam, æternam nimirum in cælis à laboribus repauſationem, quam ardenti amoris deſiderio ſperare debebāt. Origo tamen eius apud Hebræos inualuit, quod Deus ſeptimo die requieuiſſet ab omnibus operibus ſuis, imperaſſetq; non vtcunque, ſed ſub grauiſſimis pœnis ex tranſgreſſione, varijs de cauſis ipſum obſeruandum. Quorum quaſdã colligere promptum eſt ex prælibatis locis: Cùm enim populus Iſraëliticus terrenis nimio affectu inhiaret, illiſq; augmentandis numeroſum famulitiũ iumentaq;, perpetuo opere mancipata vellet; Deus illorum miſertus, Sabbatum decreuit inſtituẽdum, vt iu-

Sabbati triplex acceptio.

Geneſ. 2.

Exo. 20. & 25

Inſtituti ſabbati ratio.

Exod.23. vt iumenta feriando vires resumerent, & homines ab occu-
Prouerb.12. patione terrenorum, in psalmis & hymnis spiritualibus, ac meditatione diuinarum scripturarum, diem vniuersum septimum transigētes, Dei seruitio se dederent, quippe qui iugi studio ei vacare nequibant aut nolebant, saltē minimam vitæ
Lib.4. orthod. fidei cap.4. portionē ei impartirēt, teste D. Ioanne Damas. Hinc singulis ciuitatibus synagogas habebant extructas, quibus magna di-
Baruch 1. ligentia adseruabantur libri legales ac prophetarum oracula,
Luc.4. tantamque eis exhibebant legisdoctores, ac plebs Hebræa re-
Actor.13. uerentiam, vt non abiecto reconderent loco, sed editiori supra se pulpito docturi, aut honestiori sacrario absoluto officio reconderent. Nec hanc duntaxat externis corticibus honoris prærogatiuam ostendebant; verumetiam rerum contentarum rationem summoperè habebant, vt sacratiores magisque abditos intellectus, vel prorsus silentio præterirent, vel capaci solum ætati proponerent. Vnde primum Geneseos caput nulli antè trigesimum annum enucleabatur: Concionis verò audiendæ tanta erat auiditas, vt non solum turmatim, diebus sabbatinis ac festis conuolarent ad synagogas, sed etiā illa facta, tanquam alij doctores familiam informabāt, quod si labilis memoria tanquam aquis lethęis immersa, huius non recordaretur, saltem vt obiecta mouerent potentiam, exarata habebant in tabulis, vestimentis assuta negotia salutis, teste

Reuerentiam magnā libris sacris exhibētā docēt Iudæi.

Deuter.6. sancto Moyse; Eruntque verba hæc quę ego tibi pręcipio hodie, in corde tuo, & narrabis ea filijs, & meditaberis sedens in domo tua, & ambulans in itinere, dormiens atque consurgens, & ligabis ea quasi signum in manu tua, eruntque & mouebuntur inter oculos tuos, scribesque ea in limine, & ostijs
Numer.15. domus tuę. Et alibi: Loquere filijs Israel, & dices ad eos, vt faciant fimbrias per angulos quatuor palliorum, ponētes in eis vittas hiacintinas, quas cùm viderint, recordētur mādarorum Domini. Et Deuter.22. funiculos in fimbrijs facies, per quatuor angulos pallij tui quo operiris. Vnde D. Hieron. super
Matth.23. illud, dilatabant phylateria sua, &c. Pharisæi, inquit, scribebāt in membranis decalogum, ligantes in fronte, & quasi coronam capiti facientes, quod vsque hodie Indi, Persæ & Babilonij faciunt, & qui hunc habuerat, religiosus in populis reputabatur. Iusserat quoq; sanctus Moyses, vt in quatuor angulis palliorum hiacintinas fimbrias facerent, ad Israelis populum dinoscendum, vt quemadmodum in corporibus circuncisio signum Iudaicæ gentis daret, ita & distinctiua veste secernerentur. Nec istud religionis specimen exhibentes capita circumligabant solùm, sed etiam pedes quasi calcar adhibebant, dum spinas eodem teste acutissimas alligarent, vt ambulantes videlicet & sedentes interdum pungerentur, &

Phylateria Iudaica & fimbria.

quasi

quaſi hac admonitione ad officium reuocarentur, adeoq; pertinaciter ſabbati fuêre obſeruantes, illiusque honorem præferentes, vt artes mœchanicas vniuerſaliter illis diebus exterminarent, merciumque vecturam prorſus eliminarent, ac 2. Eſdr. 9. &
aliquid diuendere nefas ducebant, Ioan. 20. vel emere, ligna Hierem 17.
colligere, impium iudicabant, Numer. 15. quin & inculpata *Stricta Sabbati obſeruatio.*
proprij corporis tutela ſuum exiſtimabant violari ſabbatum.
Cadauerum quoque ſuſpenſorum fœtore credebant ſuos 1. Machab. 2.
fœdari ſabbatiſmos. Imò adiaphora tanquam magni ponderis negotia vetita ſucclamabant, Non licet tibi tollere grabatum. Ioan 19. Ioan. 2.
Vltra miliare quoq; ambulationē Sabbati quies non permittebat. Vnde ſuper illud, Sabbati habēs iter, venerabilis Actor. 1.
Beda, Sabbato vltra miliare, hoc eſt, plus quàm mille paſſus *Sabbati iter quid?*
lege incedere non licebat. Cibaria etiam Sabbatis præparata abominabantur, tanquam idolotyta, quod Dominus præcepiſſet duo Gomor pridie eſſe colligenda, quare diem paraſceues ſingulis præmittebant Sabbatis, ne rerum etiam neceſſariarum occupatione diſtracti, minus ſolennitati vacarent. Exod. 16.
Imò tam pertinaciter Iudæi (ſi dijs placet) magnum illum coluêre ſabbati diem, vt ſi fortè fortuna in ſeceſſus incidiſſent, eodem die extrahi recuſaſſent, ne ſabbatum illud ſuum violaſſent, quod tamen non habebant ex lege Domini. Sed hoc & eius farinæ alia, ſuperſtitionis argumenta ita mordicus traditione ſeniorum & Cabalæ authoritate obtruſa ſeruabant, vt tanquam oracula cæleſtia quantumuis contra præceptum Domini militantia, ea ſuſpicerent, manumq; dexteram iudicaſſent ſiniſtram, & contra, ſi Rabini, nomini Cabalæ hoc eis ſuadere voluiſſent, habebant; Siquidem teſte *Cabala Iudæorum.*
beato Aug. præter ſcripturas legitimas & propheticas, quaſdam traditiones, quas non ſcriptas memoriæ ſeruabant impreſſas, ac alter in alterum loquendo trāſfundebat, quas deuteroſes vocabant: Sed nónne Chriſtus improperat illis, quod ſacerdotes mactando boues, offerendo victimas, Sabbatum tranſgrediantur? dicendum quod faciebant non potiſſimum officio legis, nec obſequio charitatis, ſed ardore cupiditatis, qua velut face accenſi, intelligere refugiebant, hæc in corde gerenda, ſed externa larua tantum exhibenda. Quare inſigni ſarcaſmo illos depinxit proprijs coloribus, Væ vobis Scribæ *Lib. 2. contra aduerſariū legis cap. 1. Et cōcione 20. ſuper Pſal. 118.* Obiectio. Matth 12. Deuter. 22. *Solutio.* Matth. 23.
& Phariſæi hypocritæ, qui decimatis mentham & anethum & cyminum, ac reliquiſtis quę grauiora ſunt legis, iudicium, miſericordiam & fidem, Hæc oportuit facere, & illa non omittere; Duces cæci excolentes culicem, camelum autem glutientes, Væ vobis Scribæ & Phariſęi hypocritæ, qui mundatis quod deforis eſt calicis & parapſidis, intus autem pleni eſtis rapina & immunditia: Phariſæe cæce munda prius

quod

quod intus est calicis & parapsidis, vt fiat id quod deforis est mundum: Væ vobis Scribæ & Pharisæi hypocritæ, qui similes estis sepulchris dealbatis; quæ forinsecus apparent hominibus speciosa, intus verò plena sunt ossibus mortuorum & omni spurcitia.

De transmutatione Sabbati in diem Dominicum. CAPVT II.

NEMO calumniari debet contra catholicæ institutionem ecclesiæ obganniendo: Sabbatum si non bonum & sanctum, quare à Deo institutum? Si bonum quare abrogatum? Quia teste D. Augustino, hac mutatione non possumus Deo incōstantiæ notam inurere, nec arbitrabimur mutationis vicissitudinem in ipsum cadere, quod nunc his, nunc alijs vsus sit remedijs, quibus occurrit hominum saluti reparādæ. Nónne hyemi æstas addito sensim calore succedit? nonne diurnis tempora nocturna vertuntur? Quoties nostræ variantur ætates? adolescentiæ pueritia non reditura cedit, iuuentus adolescentiæ, non mansura succedit, quæ senectute fruitur. Non opinor cum agricola æstate aliud iusserit quam hyeme, ratio mutatur agriculturæ, & cùm mane surgit qui nocte quiescebat, vitæ consilium non mutauit. Aliud magister adolescenti quàm puero solebat imposuit. Et magnus ille nostrorum temporum medicus Vindicianus à quodam consultus morbo adhibuit, quod tunc temporis congruere iudicauit, & adhibitum sanitatem attulit. Deinde post aliquot annos recidiuo morbo correptus, ille hoc idem putauit adhibendum, adhibitum vertit in peius, miratus cucurrit ad medicum, qui tandem respondit, non illi ætati hoc se fuisse iussurum. Non itaque perpetuam habet veritatem trita sententia, Semel rectè factum nullatenus esse mutandum; Nam circuncisionem Deus instituit, quam postea abrogauit prius sanguine hircorum & vitulorum placari voluit, &c. postea iuge illud sacrificium exangue & incruentum prætulit. Rursus legem non soluere, sed adimplere venit, tamen ecclesia in concil. Apostolorum, cessationem legalium pronuntiauit. Præterea quod ibi decretum fuit, abstinere à sanguine & suffocato, processu temporum ecclesia disposuit, vtroque vtendum: Haud secus præceptum erat: Memento vt diem Sabbati sanctifices, tamen ecclesia mutauit in diem Dominicum, Et concil. Arelaten. 3. noscitur non obseruasse ad integrum statuta patrum in ordinandis clericis. Licet igitur plenario concilio mores & politiam ecclesiasticam pro qualitate, & conditione temporum, absq; præiudicio honoris Dei

Epist. 55. quæ est ad Marcellinum.
Aptissimis similitudinibus probatur mutatio.

Genes. 17.
Ioan. 3.
Galat. 5.
Leuit. 1.
Matth. 5.
Actor. 15.
Exod. 20.
Cap. 1. & 2.

Dei variare, teste Innocentio: Non debet reprehensibile iudicari, si secundum varietatem temporum statuta quandoque varientur humana, cùm vrgens necessitas aut euidens vtilitas id exposcit. Sicque intelligendus est beatus Augustinus, quando adseuerat consilia priora, posterioribus emendari. Verum impia Iudæorum nostri seculi perfidia, nobis insultat, atque opponit, Sabbatum non solùm à Iudæis ipsis, sed à nobis quoque Christianis esse literaliter duplici ratione obseruandum: Priori quia inter decem præcepta moralia eius obseruatio recensetur. Cùm ergo decalogi præcepta, sint omnibus obseruanda, quod sint iuris naturalis, concluditur Sabbatum ab omnibus obseruandum. Deinde posteriori, quia Sabbatum creationis quæ omnibus communis est, respicit beneficium: Sabbato enim quieuit ab opere quod patrârat, ideò sanctificauit ipsum ac benedixit, Quam ob rem cum illud sanctificari præcepit, quasi rationem adsignans, mox ita subnectit: Sex diebus operaberis & facies omnia opera tua, Septimo autem die Sabbatum Domini Dei tui est, non facies omne opus, &c. Cùm igitur ratione creationis Deo omnes obligentur, conficimus ad obseruationem Sabbati omnes adstringi. Quæ rationes & si parui sint momenti, ad eorum tamen obstinationem magis confundendam, qui tam ruinoso innituntur fundamento, primæ obiectioni est respondendum, quòd præceptum de Sabbati obseruatione partim fuit morale, partim ceremoniale, partim legis naturæ, partimque legis positiuæ. Ceremoniale fuit quantum ad temporis diei septimi taxationem: Nec hac ratione, teste Hesichio, computatur inter decalogi præcepta, sed inter alia ceremonialia. Hinc est quod in veteri testamento Sabbatum fuisse violatum reperiamus, quod minimè factum fuisset, si quantum ad diei septimi obseruationem, inter decalogi præcepta recenseretur, cùm nullo vnquam tempore illa soluere liceat, quæ sunt iuris naturalis. Isto modo ciuitas Hierichontina in Sabbato fuit expugnata, & Christus infirmos in Sabbatis curauit concedendo facultatem portandi grabatum, & discipulis licentiam vellēdi spicas. Vt autem est morale præceptum, obligat omnes aliquo tempore Deo vacare, iuxta illud: Cessate & cognoscite quia ego sum Deus. Proinde optimè dixit D. Augustinus, inter decem præcepta solum quod de Sabbato positum est, figuratiuè obseruandum præcipitur. Verùm his obuiare videtur scriptura, nam vbi æditio nostra habet; Et consummauit Deus in die sexto opera sua, Hebraica veritas habet, Beiom hasseuij, id est, in die septimo: Ergo nos tam Græci quàm Latini, præter D. Hieronym. in nostra æditione in die

Ca. Nō debet, de affinitate et cōsanguinitate *Lib. 9. ca. 13. & 16. lib. 22. cap. 77. et lib. 32. ca. 14. cōtra Faust. Manich. Itē epist. 49. quæst. 4. ad Deogratias Canillum Iudæorum.*

Solutio.

Sabbatum est ceremoniale et morale.

Iosue 6. *Marci 2.* *Ioan. 5.* *Matth. 12.* *Psal. 47.*

Epist. 119. ad Ianuariū c. 12 *Genes. 2.*

Difficultas ex veritate Hebraica.

in die ſexto, Deum opus perfeciſſe dicimus; Hebraica veritas in ſeptimo die Deum id feciſſe, ac compleſſe in eo opera ſua, necnon benedixiſſe commemorat. Reſpondendum eſt hanc diuerſitatem exortam fuiſſe, à ſeptuaginta interpretibus, qui locum hunc ita tranſtulerũt, quod fortaſsè arcanam aliquam in ſeptenario numero ſignificationem cognouerint, qui vtpote perfectionis numerus, perpetuitatem demonſtrare conſueuit, Cui & illud ſuffragatur, quod Moyſes in die quo narrat requieuiſſe Dominum ab operibus ſuis, finem deſcribendæ dierum & noctium ſucceſſionis facit. Poteſt & altera non improbabilis adferri numeri ſeptenarij notatio, quòd ſcilicet deſignârit Dominus, nunquam abſolutum fore Sabbatum, donec ad vltimum peruenerimus. Noſtram enim in illo beatam quietē hic inchoamus, ac nouos in ea quotidie facimus progreſſus, ſed quia adhuc aſſidua eſt cum carne militia, non prius conſummabitur, quàm implebitur illud, de continuanda Neomenia cum Neomenia, Sabbato cum Sabbato, nempe cùm erit Deus, teſte Apoſtolo, omnia in omnibus. Videri ergo poteſt Dominus per diem ſeptimum populo ſuo delineaſſe futuri ſui Sabbati in vltimo die perfectionem, quò Sabbati meditatione ad hanc perfectionem tota vita adſpiraret. Cæterùm non dubium, quin Domini noſtri Ieſu Chriſti aduentu quod cæremoniale eſt, abolitum fuerit: Ipſe enim veritas eſt, cuius præſentia omnes figuræ euaneſcunt, ipſe eſt corpus, cuius aſpectu vmbræ relinquuntur: Ipſe, inquam, eſt verum Sabbati complementum, quia hæc eſt vita æterna, vt cognoſcant te verum Deum, & quem miſiſti Ieſum Chriſtum, cum quo in conſortium mortis eius, per baptiſmum conſepulti ſumus, illique inſiti, vt reſurrectionis participes in nouitate vitæ ambulemus. Ideoque Sabbatum vmbram fuiſſe rei futuræ ſcribit B. Paulus ac corpus hoc, ſolidam veritatis ſubſtantiam extare in Chriſto: Præterea vt alteri obiectioni fiat ſatis, ſicut Sabbatum beneficium reſpicit creationis, ita dies dominica gratiam redẽptionis: Quemadmodum enim Deus in Sabbato opus creationis compleuit, ita in die Dominico opus redemptionis, per reſurrectionem Domini noſtri Ieſu Chriſti perfecit: Chriſtus enim mortuus eſt propter delicta noſtra, teſte beato Paulo, & reſurrexit propter iuſtificationem noſtram.

Eſa 66. 1.Corin.15. Ioan.17. Roma.6. Coloſ.2. *Reſponſio alterius obiectionis.* Roma.4.

Dies Dominica quantis prærogatiuis Sabbato præpolleat? CAPVT III.

PORRO vt luculentius ſecundæ obiectioni præmiſſo articulo poſitæ, fiat ſatis, eſt conſiderãdum, quanto præponderet huius diei ſanctificatio quæ nobis conceſſa eſt illi, qua

illi, qua Iudæis sabbatum dedicatum erat, quod aduertere haud erit difficile ex comparatione causarum vtriusque sanctificationis; Imparibus siquidem multoque diuersis causis & sabbatum creator noster benedixit, & primã sabbati idem ipse dedicauit. Causa benedictionis Sabbati extitit, quia Deus in illo ab omni opere quod patrarat cessauit. Causa verò benedictionis primæ Sabbati, id est, diei post sabbatum quę signat diem Dominicam est, quod Deus homo factus, in illa resurrexit à mortuis: Illic creator omnia inuisibiliter fecit hic creatura corporalis existens, omnia redemit. Quis non magna intercapedine hæc inter se distincta videat? Si enim Dei requies, causa sanctificationis diei est, consequenter vbi maior & verior eius requies, illic sanctificatio copiosior non ambigitur. Adhæc vbi maiorem in operante laborem attendimus, maiorem nihilominus in cessante requiem agnoscimus. Omnibus profectò est in confesso Deum creatorem mundi nũquam fuisse fatigatum, nempe qui omnia per verbum suum operatus est, & vniuersa componens, de singulis dixit, fiant, & facta sunt. Atqui ipse idem cùm mundum redimeret, homo factus, idemque Christus Deus passus, crucifixus & sepultus est, proculdubio fatiscentibus sacris artubus, acerba subeũdo, operoso labore, salutẽ nostram operatus est. Vnde D. August. Plus est quod factus est propter homines, quàm quod fecit inter homines Christus. Qua etiam die resurrexit, veram vtique requiem, gloria & honore coronatus intrauit, ac longè excellentius requie fretus est, quàm tunc quando à mundi creatione cessauit. Relinquamus ergo Iudæis vetus sui Sabbati gaudium, quod illis est ratione mundi visibilis, cuius solius fructu transitorio delectari, contenti fuerunt: Adeo namque terrenorum cupiditati locum prębuēre, vt quæcunque de cælestibus, illis erant promissa, imaginibus eorum quæ amabant, semper oportuerit velari. Quemadmodum insinuat eis sanctus Moyses. Terra quam ingredieris, non est sicut terra Aegypti, vbi iacto semine in hortorum morem, aquæ ducuntur irriguæ, sed montuosa est & campestris, de cælo expectans pluuias, quibus lacte & melle manare consueuit, quod nunquam literaliter cõtigit, sed tropicos omnem abundantiæ plenitudinem fertilissimamque regionis vbertatem demonstrat. Præterea otium sabbati in venerationem Dominicæ diei est translatum, ne Iudaizare videamur; præcipua tamen causa est Domini resurrectio, siquidem vna vel prima Sabbati quam Dominicam diem nuncupamus Christus à mortuis resurrexit. Item propter gentilis erroris abolitionem, qua eundem diem solùm sacris dedicabant, secundùm Leonẽ serm. 22. Quin & tantis diuinarum

Genes. 2. *Genes. 1.* *Tract. 17. in Ioannem.* *Iudæi terrenis immersi.* *Deut. 6. & 11.* *Lacte & melle manare quid?*

Prærogatiua diei Dominicæ dispensationum mysterijs dies Dominica est consecrata, vt quicquid insigne à Domino constitutum est in terris, huius *Epist. 81. ad Dioscorū Alexandriæ Episcopum, ca 1.* diei dignitate sit gestum, eodem Leone teste, August & concil. Constantinopol. 6. In ea etenim mundus sumpsit exordium, lucem condidit, ac manna in deserto ministrauit. In *Serm. 251. de tempore.* eadē Dominica die nasci dignatus est, stella Magis refulsit, ac quinque panibus & duobus piscibus, quinque milia hominum saturauit, item in ea baptismum à Ioanne in Iordane *Cap. 8.* suscepit, ac victoriosa morte gloriosus in eadem resurrexit, quin & Spiritum sanctum in ea super discipulos diffudit. Et *Homil. 7. super Exodum.* Origenes: Quæro qua die cœperit māna cælitus dari, & volo comparare Dominicam nostram cum sabbato Iudæorum, ex diuinis namque scripturis apparet, quod in die Dominica, *Māna die Dominica primitus descendit.* primo in terris data est manna, si enim, vt scriptura ait, sex diebus continuis collectum est, septimo autem die, quæ est Sabbati cessatum est, haud dubium initium eius à prima die quę est dies Dominica, fuit. Quod si ex diuinis scripturis hoc constat, quod Die Dominica Deus pluit manna de cælo, & in Sabbato non pluit, intelligant Iudæi, iam tunc prælatam esse nostram Dominicam ipsorum Sabbato. Iustissimè proinde magnis à Christi fidelibus colitur solennijs, quæ tantis legitur decorata prærogatiuis. Nec tanqnam nouitia aut recens *Antiquitas diei Dominicæ* est aspernanda vmbræ abolitio, & sacræ veritatis, quæ in die Dominico panditur, institutio, cùm non humana præsumptione credatur inuecta, sed Dominico iussu salubriter in*Epist. 119. ad Ianuariū c. 13* troducta, ac Apostolico ritu obseruata secundum sanctū August. Apostoli, inquit, ac Apostolici viri Dominicam diem re*Lib. 32. cōtra Faustū Manich. cap. 31. & serm. 251. de temp.* ligiosa solennitate celebrandam sanxerunt, sic Ambros. necnon Concil. Laodicenum: Non oportet, inquit, Christianos Iudaizare, & in Sabbato vacare, sed operari eos in eodem die, Dominicam pręponendo eidem diei, si hoc eis placet, vacent tanquam Christiani, quod si inuenti fuerint Iudaizare, Ana*Ser. 1. & 5. Cap. 29.* thema sint. Item sanctissimus martyr Ignatius, Ioānis Apostololi & Euangelistæ dulcissimus discipulus: Pro sabbatiza*Epist. 3. quæ est ad Magnesianos.* tione, inquit, diē festum celebret omnis Christianus Dominicam resurrectionem, regalem, eminentissimā omnium dierum, & præceptor eius (discipulus, inquam, ille quē diligebat *Apocalyp. 1.* Iesus) sic habet: Raptus fui in spiritu in Dominico die. Vnde perspicuum cuiq; esse potest, Dominicum diem non esse nouum, cuius vsum deprehēdimus vetustissimum, quoniam & Paulus Apost. Dominicam nostrā pro festiuitate nostra commemorat etiam obseruatam, per omnes Ecclesias, inquiens: *1. Corin. vlt.* Nam de collectis quæ fiūt in sanctos, sicut ordinaui Galatiæ, ita & vos facite per vnā Sabbati. Quem passum ita interpretatur B. Ambros. vna Sabbati Dominica dies est, sicut Euangelia

gelia dicunt Dominum vna Sabbati resurrexisse. Item D. Hieron. eo loci, vna Sabbati dies Dominica est. Hic igitur dies Dominicus festiuus tempestate Pauli Apostoli habebatur præ alijs, quo populus fidelium ad ecclesiam dimissis, operibus conuolaret.

De festiuitatibus Iudæorum. CAP. IIII.

IVDAEI præter Sabbati magnũ illum diem varia habuerunt festorum solennia, secũdum beatum Moysen, Quorum primũ atq; præcipuum erat Paschale, quod religioso cultu honorabant; memores liberationis de Aegypriaca seruitute, quæ ex hoc mundo ad patriam cælestem adũmbrabat peregrinationem, teste D. Irenæo, & sicuti Hebræi mare rubrum transeuntes euaserunt hostilia Aegyptiorum castra, ita nos baptismo aquæ liberamur à sarcina peccati, & tyrannide diaboli, secundum Aug. Secundò habebãt festiuitatem Penthecostes, quam colebant ob legem sibi in monte Sinai traditam in tabulis lapideis, quæ significabant duritiam Iudaicę gentis, quam Dominus tempore gratiæ ac euãgelij in mollitiem commutaturus esset cordium carnalium; Nec minori solẽnitate decimo Septembris festum propitiationis seruare consueuerũt, quia intercessore Moyse intellexerunt irã adoratione vituli diuinitus comminatam, esse remissam. Scenophegiæ etiam habebant, solẽnitatem aliâs tabernaculorũ appellatam, quod in dumosis ac frondosis tentorijs in perpetuã peregrinationis Aegyptiacæ deserti memoriam celebrabant. Deinde festum Tubarum & clangoris, quod tubicines & pecorũ cornibus ludentes, diem honorabant, in memoriã Isaac substituto pecore à mortis faucibus eruti. Quod prẹsignabat teste beato Augustino; Grande mysterium: Sicut enim aries inter vepres, Genes. 22. cornibus hærens, pro Isaacco morti subijciebatur; ita deitas illæsa & impassibilis, licet humanitas diris adflicta fuerit cruciatibus, permansisse creditur. Præter hasce iam dictas solennitates, celebrabant & alias, quarum mentionem reperimus, Hester 16. Iudith. 8. Esa. 1. cæterisq; similibus locis, quibus adducendis cùm vitandæ prolixitatis causa, tum quia sunt nobis impertinentia, supersedemus.

Exod. 23. Leuit 23. Exo. 12. & 13. Exitus de Aegypto, quid adumbrarit? Festũ Paschale. Lib. 4. aduersus hære. c. 50. Lib. 22. cap. 29. cõtra Faustum Manich. Exod. 31. Tabulæ lapideæ quid?. Festum Penthecostes. Festum propitiationis. Exod 34 & Leuit. 23. Festum Scenophegiæ. Festum tubarũ. Lib. 16. de ciuit. Dei c. 32. Lib 12. cõtra Faust. Manic. c. 25. et ser. 2. Domin ca 1. post Penthec. Aries pro Isaac immolat⁹ quid significarit?

De vigilijs antiquitus festis præmissis. CAPVT V.

ANTIQVA admodum & familiaris sanctis fuit omnibus vigiliarũ obseruatio: Nam Esaias exclamat ad Dominum, de nocte vigilat ad te spiritus meus, &c. *Esa 26.* Et regius Psaltes, Media nocte surgebam ad confitendũ tibi, *Psal. 118.*

 super

super iudicia iustitiæ tuæ; hoc quippe tempore vastator Angelus transiens, primogenita Aegyptiorum percussit, vnde nos vigilare oportet, ne discrimina Aegyptiorum, peccatorum sopore correpti, incidamus. Iisdem etiam horis venturum se esse, in euāgelio Saluator pollicetur remuneratorem, quo expergefactos & excubiarum obseruantes collaudat, inquiens: Beati serui illi quos cùm venerit dominus, vigilantes inuenerit, & si vespertina hora venerit, vel intempesta nocte, in concubijs existentes, vel crepusculo matutino venerit, & inuenerit eos vigilantes, beati sunt serui illi; Itaque & vos estote parati, quia nescitis qua hora filius hominis venturus sit. Nec verbis duntaxat hasce edocuit vigilias, sed etiam crebris exemplis nos instruere voluit, teste euangelio, quia erat pernoctans in oratione. Paulo quoque Apostolo & Sila, in custodia publica circa medium noctis orantibus, concussis carceris fundamentis ianuæ apertæ sunt, & vincula soluta. Quare consultissimum fuerit pulsis procul torporibus, instar cicadarum nocturnarum, teste D. Hiero. epistola ad Eustochium, noctis quietem rumpere, ac Domino vniuersorum Deo, suaui modulamine pangere dulce melos. Est autē quoddam genus hæreticorum, teste Concil. Aquisgranen. post Isidorum, superfluas existimantium sacras vigilias & infructuosas, qui Græco sermone Noctazontes, id est, somniculosi vocantur, qualis etiam fuit Vigilantius, qui execrabatur contra proprium vocabulum vigilias, teste Hieron. aduersus Vigilantium; Cùm tamen omnes sine discrimine spirituales & seculares, ea summa cordis alacritate seruare consueuerint: Nam peractis nocturnarum precum vigilijs, beatus Athanasius hostiles quærentium se quinque milium militum cuneos ad interficiendum incognitus cum alijs transeundo euasit, quemadmodum ipsemet fatetur, epistola ad Orthodoxos scripta, & Theodoretus. Has etiam summo pietatis affectu seruandas hortatur D. August. super Psal. 32. idem D. Ambr. & fusissimè Greg. Turonensis. Nec tamen singulis celebrandæ censebantur noctibus, sed determinatis ab ecclesia præcipuorum festorum temporibus secundum concil. Oxoniense. Prima erat vigilia noctis sacræ natiuitatis Domini, quæ non immeritò etiamnum obseruatur: Illa namque nocte vbi ab astantibus hymnizantium Angelorum choris decātatum est, gloria in altissimis Deo, pastores in eadem regione vigilantes, properārunt ad præsepia, crepundijs noui partus ad plaudentes. Et Durandus (qui creditur Author. lib. Rationalis diuinorum) edocet tres missas à Thelesphoro Papa sexto post beatum Petrum institutas, vti habētur in epistola eius decretali ad omnes catholicos, & allegatur de consecrat. Quo signifi-

Exod. 12.
Matth. 12.
Luc. 12.
Luc. 6.
Actor. 16.
Cap. 130.
Lib. 1. Offic. cap. 22.
Haretici excubias sacras pernegantes.
Epist. ad Riparium presbyterum.
Lib. 2. Eccles. hist. cap. 13. ac Tripar. hist. lib. 5. cap. 2.
Concione 2.
Et ser. 55. de tempore.
Epist. 85. ad sororem.
Lib. 10 c. 29.
Vigiliæ nocturnæ quando seruari solitæ.
Dist. 1. cap. Nocte.

significare complacuit Christum saluare patres trium temporum. Prima celebratur media nocte, propter densas illius sæculi tenebras & legis naturæ obscuritates: Patũ enim cognitionis habebãt, & hoc à perpaucis, de Christi incarnatione. Secũda in Aurora, quãdo aliquid splẽdoris illucescit, quia tẽpus legis plus claritatis accepit, quando Christũ non solũ humanandũ, sed & immolandũ holocaustis adumbrauit. Tertia celebratur, vbi iam plena dies horizontẽ illustrat, quia gratia & veritas tempore noui Testamenti patefacta est, laudes tamen sequuntur primam noctis missam, quod æterna generatio diuinæ naturæ primo sacrificio præsignata, omnem anteuerterit, quæ Deum laudaret, creaturam. Secunda est vigilia Paschatis, quæ iam apud plerosque exoleuit; Eius namque officium immutatis verbis pridie diei seruari inoleuit: Ita tamen de ea loquitur concil. Antisidorẽse. Non licet, inquit, in vigilia Paschæ ante horam secundam noctis vigiliam expedire, quia in illa nocte non licet post mediam noctem bibere, nec in Natali Domini, nec in reliquis solennitatibus. Ex quo canone colligere promptum est, qualem disciplinæ rigorem seruare soliti sint, nõ solùm in Paschate, sed etiam in alijs solennitatibus vigilias præmittentibus, quæ sunt, vigilia Pentecostes, vigilia sancti Ioannis Baptistę, Apostolorum Petri & Pauli, sancti Laurentij, Assumptionis gloriosæ Mariæ virginis, sancti Bartholomęi, sancti Matthæi, Apostolorum Simonis & Iudæ, vigilia Omnium Sanctorum, sancti Andreę, sancti Thomæ, sancti Iacobi, & vigilia sancti Matthiæ. Tantaque diligentiæ sedulitate has frequentare cogebantur clerici, vt etiam excommunicationis mucrone adigerẽtur, teste concil. Carthag. 4. vbi sic legitur, Clericus qui absque corpusculi sui inæqualitate vigilijs deest, stipendio priuatus excommunicetur. Hinc D. Ioannis Chrysost. has antelucanas orationes, intempestæ noctis silentio fusas aureo verborum profluuio collaudat, prorsus, Chrysostomum se ostendẽs, & beatus Ambrosius in illa verba, securis ad radicem arboris posita est, væ mihi si non euangelizauero, væ mihi si non media nocte ad confitendum tibi surrexero. Imò D. Hier. tempestate vti habetur epistola ad Eustochium, exemplo Samuelis, tripartita matutinarum precum diuisione excubias sacrarum vigiliarum obseruabant.

Tres missæ noctis natiuitatis

Cap. 11.

Ca. 49. & allegatur dist. 91. c. Clericus.

Pœna se vigilijs sacris subtrahentium.

Homil. 26. in Act. Apost.

Super 3. cap. Lucæ.

1. Reg. 3.

Ter singulis surgebant noctibus.

Loco vigiliarum ieiunia quare subrogata?

CAPVT VI.

TANTO fidelium concursu, tantoque pietatis affectu antiquitus seruatæ offenduntur vigiliæ Christianorum, vt magis angelorum viderentur excubiæ, quàm

pœnitentium cœtus. Verùm cõmunis omnium hoſtis, tanto profectui inuidẽs, mille meandris fategit hominem tanto de faſtigio religionis deturbare, & ad terrena carnaliaq; proſternere, nec fefellit ipſum opinio: quãdo namq; arbores in horto ſpiritualium delitiarum conſitas cõcutere adgreſſus eſt, non ſolùm fructus quaſſauit, ſed & excuſſit, aridaq; corda ad mũdana perduxit, & ad carnis illecebras pellexit, vt qui ſpiritu, eheu, cœperant, iam carne conſummarẽt. Quo factum eſt, vt fragiliras humana cum tentationis infeſtatione inducta, tum naturæ corruptione deprauata, in animæ detrimẽtum deſciuit, quod maximum proficiendi compendium conferre debebat. Hinc pernoctationum vigiliarumq; abuſus, qui proceſſu temporum irrepere potuerunt, rranſmutati ſunt in ieiuniorum parſimoniam, vt vel tali ſaltem viuendi methodo, Domino eiuſque ſanctis placere valeamus, teſte Concil. Elibert. Placuit prohiberi, inquit, ne fœminæ in cemiterio peruigilent, eo quòd ſępè ſub obtentu orationis ſcelera committantur. Cùm autem inſolẽtia altiores ageret radices, pluresq; magis ventris quàm mentis negotijs vacarent, prorſus à B. Ambroſ. (inſtigante pientiſſima Monica D. Auguſtini genitrice) vigiliæ leguntur exterminatæ: Scirote fratres mei, inquir Auguſt. quod antiquitus patres noſtri fideles ieiunare cõſueuerint in vigilijs magnarũ ſolennitatũ, vſq; ad noctem quod laudãdum erat & bonum: Sed hoc non ſolùm, ſed etiã vigilabant per noctem, & ad eccleſiam ludendo & chorizando conueniebant, quod deteſtabile erat & malum. Tales non ſolùm Romani erant, non ſolùm Papienſes & Rauennates, ſed etiam Mediolanenſes. De qua turpi conſuetudine dolebat Mediolani mater illa, quæ me carne & ſpiritu in Chriſto regenerauit & inſtitutum eſt, ipſa inſtigante à patre noſtro S. Ambroſio, vt vigiliæ ceſſarent, homicidia, fornicationeſq; deponerentur, ſolum ieiunium mentis & corporis cum eleemoſyna, Mediolanenſis eccleſiæ fidelibus relinquendo, Hæc ibi. Nudum ergo vigiliarũ ſeruamus vocabulum, vt aliquod remaneat antiquitatis veſtigiũ, ſed res corruptis noſtris moribus euanuit: Non enim iam in profeſtis vigilamus, ſed etiã vix tum ieiunijs corpus affic mus. Duplicia ramen ibidẽ conſtituit ieiunia, quorũ prius dicitur deuotionis, quo alicui honorem impendimus, motuſq; concupiſcentię refrenamus, ac virtutũ merita nobis accumulamus: Ieiunamus autẽ magis huic ſancto, quàm illi, quòd affectus noſter vehemẽtiori animo huic inclinetur, vel etiam quia regionis vel patrię vicinitate magis patrocinetur, vel tertiò quia pignoris huius ſancti, non illius præſentia locupletati ſumus; hoc modo, Romani ſanctis Apoſtolis Petro & Paulo magnũ detulẽre honorem, teſte

Vigiliarũ excubiæ interdicuntur.

Cap. 35.

Serm. 25. ad frat. in eremo.

Periphraſis Monicæ, cuius inſtinctu vigiliæ ceſſare cœperunt?

Duplex ieiunium.

Ieiun. ũ deuotionis.

Ieiunamus magis huic quàm illi ſancto, triplici de cauſa.

teste Leone, in natali Apostolorum, & Bonifacius comes san- *Ser. 1. & ser.*
ctum Stephanum prothomartyrem sibi delegit patronum, *5. de Epipha.*
secundum August. Mediolanenses sanctum Geruasium & *Patronos qua-*
Prothasium singulari dulia venerati sunt, teste Ambr. & Au- *les qui sibi de-*
gust. Theodosius Imperator secundum Niceph. Ioannem *legerunt.*
Baptistam magna cordis alacritate semper prosequutus est: *Epist 189.*
Pari religione solent timorati homines ieiunio honorare *Serm 92.*
diem Mercurij seu quartam feriam, cuius vestigium iam est *Lib. 9. Con-*
apud religiosos plerosque relictum, dum carnibus absti- *fess cap. 7.*
nent quartis ferijs, quod inito Iudæorum consilio decretum *Lib. 12. c. 39*
erat, Christum occidendum, & feriam sextam, quia tum car-
nem adfixit cruci, necnon feriam septimam siue Sabbatum,
quod tum pro salute nostra mortuus quieuisset in sepulchro,
secundum beatum Aug. & in decretis Iuonis. Aliud est ieiu- *Epist. 86. ad*
nium institutionis secundum Aug. serm. 25. qui est ad fratres in *Casulanum.*
eremo, quod requisiuerunt profesta assumptionis gloriosæ *Part 4. ca. 32*
virginis Mariæ, natiuitatis sancti Ioannis Baptistæ, sancto- *Ieiuniū insti-*
rum Apostolorum Petri & Pauli, Simonis & Iudæ, Matthæi *tutionis.*
& Andreæ, ac Iacobi maioris. Et quanquam reliquorum fe- *Profesta quæ*
stiuitates Apostolorum non habuerint tempestate D. Aug. *ieiunanda.*
vigilias, vt liquidò ex prælibato cōstat sermone; hodie tamen
omnium Apostolorum vigiliæ sunt diligentius obseruandæ,
quemadmodum Innocentius tertius docet de obseruatione *Cap. Consiliū.*
ieiuniorum, vbi sic habet: vigiliæ sunt in obseruatione ieiunij
obseruandæ, præter vigilias sanctorum Apostolorum Philip-
pi & Iacobi, & beati Ioannis Euangelistæ, quoniam illorum
solennitas infra solennitatem Paschalem; istius autem infra
natalem Domini, quibus ieiunium non est præscriptum, oc-
currit, teste Ambros. & August. ad Casulanum. Intellige hic *Ser. 61. et alle*
ieiunium necessitatis non esse præscriptum: Nam quod legi- *gatur dist. 76.*
tur, De diebus Rogationum sancti Marci quoque & vigilia *c. Scire debet.*
Pentecostes ieiunandis, accipi incumbit de laudabili consue- *Epist. 86.*
tudine pietatisque amore: Ab illo siquidem priscorum pa- *Dist. 76. cap.*
trum rigore, cuius mentionem articulo de supplicationibus *Non autem, de*
& processionibus præmisimus, proch dolor, multum deflexi- *consec dist. 3.*
mus, Religiosorum tamē est ieiunia ordinis Paschalibus ob- *ca. Rogationes.*
seruare temporibus, vti docetur, ex lib. 1. Offi. Isidori prose- *Dist. 76. cap.*
quitur præterea Innocētius prælibata decretali. Ieiuniū quo- *Post Pascha,*
que apud nos in aduētu Domini agitur, videlicet illis qui ver- *cap 40.*
bi incarnati amore, spontanea pietate carnē afficere concupi- *Omniū Apo-*
scūt: Vigilia etiā beati Matthæi Apostoli ieiunio est obnoxia, *stolorū vigiliæ*
ibidem cap. Ex parte: De Bartholomæi vigilia, est consuetu- *sunt nobis ie-*
do patriæ secundum decretalem obseruanda, & proinde om- *iunāda dēptis*
nium Apostolorum vigiliæ nostratibus sub obedientia eccle- *tribus diebus.*
siæ Mechliniensis iam primum Metropolitanæ degentibus,

necessariò sunt ieiunandæ, demptis vigilijs Ioannis Euangelistæ, Apostolorum Philippi & Iacobi, & sanct. Bernabæ. Si autem festiuitates feria 2. inciderint, & vigilias habuerint, sabbato præcedenti, eas quisque seruãdas meminerit, quemadmodum eo loci docetur. Et resumitur in prima synodo Mechliniensi in nostro conuentu ante 3 annos celebrata. Vigiliæ singulis annis per totam prouinciam Mechlinien. ab vniuersis ætatem habentibus, nec legitimè excusatis sub periculo peccati mortalis, ieiunandæ, præter quadragesimam & 4. anni tempora quæ sunt vigilia Penthecostes, natiuitatis sancti Iohannis Baptistæ, beatorum Petri & Pauli Apostolorum, sancti Laurentij, Assumptionis Mariæ, sancti Matthæi, sanctorum Simonis & Iudæ, Omnium sanctorum, sancti Andreæ, & natiuitatis Domini. Insuper cap. 2. sic habetur: In festo sancti Marci quo supplicationes pro laudabili ecclesiæ more fiunt. Et in diebus rogationum, abstineatur per totam diem à carnibus, & ieiunetur ad minus vsque ad prandium. Et si diebus Dominicis aut lunæ (vt prædicitur) euenerint, sabbatis præcedentibus ieiunentur: Non enim, ait, Christianus est censendus, qui diem Dominicmm studiose ieiunare præsumpserit, secundum concil. Carthag. 4. Item illi qui nec voto Deo sunt consecrati, nec regulari approbatæ religionis obseruantia adstricti, teste Honorio, vti reperire licet eodem titulo cap. explicari. Sexta feria, si festum Natiuitatis Dominicæ venire contigerit, carnibus propter diei excellentiam, secundum consuetudinem ecclesiæ generalis vesci possunt; non tamen sunt reprehendendi qui pietatis ergò abstinere voluerint.

Tit. de ieiunijs cap. 1.

Die Dominica nunquã ieiunandum.

Cap. 64.

Die natiuitatis feria sexta occurrẽte, quibus licet vesci carnibus.

De festiuitatibus Christianorum.

CAPVT VII.

CHRISTI fideles præter diem suum Dominicum, complures habent magnæ celebritatis festiuitates, quibus propensiore cura, Deo magis quàm operosis diebus censent vacandum. Suntque duplici discrimine distinguendæ: Nonnullæ enim sunt appellandæ festiuitates domini Sabaoth: Aliæ sanctorum cum Christo in cælis regnantium. Quod attinet ad priores iustiori titulo, speciosiorique ratione, nostræ redemptionis mysteria annua celebritate recolimus, ne decursu temporum, ingrata subrepat tantorum beneficiorum obliuio, teste August. & Bernardo, pulchrè rationem festorum dilucidante. Hinc habemus victoriosam, ac prorsus triumphalem resurrectionis gloriosæ Saluatoris nostri Iesu Christi semper benedicti solennitatem, quæ omnigenis diuini cultus honoribus est omnibus prosequenda, cui suc-

Duplicis dignitatis sunt festa.

Lib. 10. de ciuit. Dei ca. 4.

Serm. de Epiphania.

cui ſuccedit magnifica omniq́ue prçconio extollenda Aſcenſio Dominica, omnium certaminum Seruatoris noſtri conſummatiua, quaque expletis iniuncti muneris ſacramentis, glorioſus illatus eſt ſyderibus, Penthecoſten autem magnis laudum præconijs agnoſcimus obſeruandam, necnon lætabundo cordis iubilo celebrandam, his non eſt adimendum feſtum corporis Chriſti, omni ſuauitate repletum, & concil. Tridenr. nec has duntaxat feſtiuitates ſacris ſolennijs didicimus antiquitus celebratas; verum etiam eas, quæ recenſentur de ferijs, & in decreto Iuonis, vbi dulciſſimum & omni ſuauitate repletum pueruli Ieſu Natiuitatis feſtū ſummis laudibus præcipitur colendum, cui ſubnectitur (vt etiam ſanctorum memoriam habeamus) ſanctiſſimi illius athletç Stephani prothomartyris læta feſtiuitas. Huic ſuccedit Apoſtoli Ioannis à domino prædilecti grata ſolennitas, quos æquis paſſibus quodammodo ſequitur expediriſſima ſanctorum Innocentum caterua, tum legalis circuncifionis paruuli Ieſu obſeruatio occurrit celebranda; A qua non procul ſe dirimit ſtupenda & omni admiratione digna Theophania, tum reſurrectio & reliquæ quas enumerauimus. Quarum debitam obſeruationem licet Apoſtolico miniſterio non habeamus literis exaratam, aut ſacris ſcripturis expreſſam, tamen noſtri temporis hæretici quaſi pedibus eunt in noſtram ſententiam, nec aliqua ratione (quibus ſaltem aliquid ingenitæ lucis adfulget) eccleſiaſticam inſtitutionem, hac in parte volunt labefactatam: Manichæi tamen eò veſaniæ proruperunt, vt ſacratiſſimam paſcharis celebritatem haberent oſtentui, non ferentes Chriſtum glorioſum, ſed Manichæum impijſſimum adorantes, teſte D. Auguſt. ſicut Donatiſtæ refugiebant gaudioſiſſimam Epiphaniarum ſollennitatē, quod odio haberent vnitatem, eodem teſte: Fuerūt olim, ſunt etiamnum hodie, qui volunt quieſcere omnes feſtos Dei à terra, quales fuerunt Wiclephiſtæ, parum ante nos, & iam Brentiani, Svvenckfeldiani, Anabaptiſtæ, homines quaſi communi ſenſu deſtituti, tamen ſimulata ſanctitate præclari, qui omnes dies concupiſcunt æquales, noſq́ue dies, menſes, annos & tempora obſeruare obganniunt. Nec ab iſtorum pharetra proſilijt primitus iſta ſagitta, ſed ab alijs fuit ante mille ducentos annos emiſſa, teſte Epiphanio. Et Hieron in dictum Pauli locum. Satis eſt, vt iam tum patres præfati eorum iacula retorſuri, in arenam cum ipſis deſcenderint: Neque enim exiſtimādum eſt ignoraſſe Matrem eccleſiam, vel nūc etiam ignorare, quod omnes dies æquales ſint, quodq́ue non die paraſceues crucifigatur, neque die dominico reſurrexit Dominus Chriſtus, quodq́ue nullus dies, atque adeo nulla ſit hora, qua non rectè paſſionis

Ios. 5.7. & 10
In C'emen[...]e venerat. ſanctorū & reliquiarum, cap. Si Dominum.
Seß. 13. ca 5.
Cap. Conqueſtus, & de cōſec. diſt. 3. cap. pronunciandū.
Part. 4. cap. 4.
Qui hæretici quæ contemnūt feſta.
Contra epiſt. quam vocant Fundamē. c. 8.
Ser. 4. de Epiphania.
Pſalm. 73.
Obſeruare dies & annos.
Ad Galat 4.
Tom. 1 lib. 3 hæreſ. 75.

illius & resurrectionis ac aliorum quorumcunque beneficiorum fiat recordatio. Quamobrem receptus ecclesię mos, quo singulis Christi beneficijs recolendis certos dies instituit, nihil habet cum Iudæorum superstitione commune: Nam illis nephas est quouis tempore ieiunare, agnum immolare, Penthecosten agere, Tabernacula figere; Nobis verò quotidie ieiunare, quotidie agnum immaculatū Deo offerre, oblatumque manducare, omniaque Christi beneficia repræsentare, proficuum est. Quoniam verò sæculi curis, nimio plus plerique omnes immersi sumus, neque aut orationibus, aut gratiarum actionibus, Deique beneficijs recolendis, perinde vt oporteret, vacamus; quid faceret amans nostræ salutis Mater ecclesia? permitteretne tantorum Christi beneficiorum interire memoriam? quæ quamuis in ecclesia è suggestu prædicentur, tamen verbi Dei semen à spinis non raro suffocatur. Cùm itaque cerneret adduci non posse filios suos, vt quotidie ieiunarent, quotidie orarent, quotidieque Christi corporis & sanguinis communionem perciperent, ac in iugi beneficiorum eius meditatione versarentur; fecit illa Dei & omnium sanctorum consensu adprobante, fecit, inquam, sancti spiritus docta magisterio, vt certos institueret dies, quæ præ cæteris tantorum commemoratione beneficiorum essent insignes, quibus ad officium fideles reuocarentur, ac munere suo, curis alijs vacui, diligentiùs fungerentur, non aliud spectans hac dierum præscriptione, quàm vt admonerentur eorum, quæ Deus pro sua ineffabili bonitate, tam plena manu conferre dignatus est. Quò autem manifestius fiat omnibus, quod ecclesia nullum nouerit dierum discrimen, vel ex tremendo sacrificio Missæ colligere licebit, in qua natiuitatis, passionis, mortis, resurrectionis, in cælum ascensionis, & Spiritus sancti missionis beneficia, nullo non die simul omnia, per totum terrarum orbem celebrantur, idque in ijs tantum, quibus ad sacrificium hoc mentes præparantur; Cuius generis sunt Introitus, Collectæ, Epistola, Euangelium, Offertorium, Communio, significationes tamen manent eædem: Quæ verò Liturgiæ pars est potissima, vbique tota consistit, Canon idem perpetuò legitur, in quo ad eundem semper modum præcipuorum Christi beneficiorum simul fit commemoratio, teste beato Cypriano. Ex quibus cuiuis facile esse perspicuum potest, quod quotidie Christi Natalem, singulis diebus parasceuen, quotidie Pascha celebret ecclesia; Sed quoniam non ita hæc ab omnibus præsertim rudioribus attenduntur, ad eorum captum, Mater nostra ecclesia se demittere dignata est, certis saltem diebus instituendis, quibus eorum attentionem excitaret, ne ignorantiam prætendere possent. Nec præmissa duntaxat

Ratio festorum institutorum.

Lib. 2. epist. 3 quæ est ad Cæcilium fratrem.

duntaxat festa Christi fideles colunt Domini Sabaoth, appellata, quin etiam sanctorum memoriam annuis festiuitatibus frequentant, vt in præfatis canonibus cautū est. Præter enim festa in Natalitijs diebus occurrentia, gloriosæ virginis omnia festa suaui modulo celebranda retinet. Præclaras quoque Apostolorum festiuitates, & Ioānis præcursoris Domini, necnon cælestis illius paranimphi Michaelis Archangeli celebritatem gaudiosam tenere debemus, cum beati Leuitæ Laurentij solennitate, qui inter crepitantes ignium globos perstitit feriente & vrente robustior, cui oppidò quàm lubētes annectimus totius pœnitentiæ præfulgidi speculi Mariæ Magdalenæ solennitatem, atque dedicationis ecclesiæ iucundam lætitiam sancti, Nicolai, ac Martini Episcoporū festiua gaudia, cum virginis Catharinæ festiuitate, omniumque sanctorum numerosissima caterua. Atque hęc quidē talia non ignorātur festa, vt fermè vbique locorum in orbe Christiano sint celebria. Atqui alia interdum occurrunt, quæ non ita generaralia sunt, sed particularia, nimirum festa patriæ nuncupata, vt habetur de consecrat. quæ ob singularia beneficia eorum intercessione à Deo impensa, vel reliquiarum adseruationem in aliquibus diocœsibus vel ciuitatibus ab Episcopis instituta solennizantur. Sic sancti Dionysij Areopagitæ festiuitatē celebrat diocæsis Luteriana, quam ignorat Leodien. hæc iterum conseruat festum sancti Lamberti, quod negligit Londinensis ecclesia, & Eboracensis diocœsis. Pari modo ecclesia Antuerpiensis solenniter festum sanctæ Barbaræ, quam tali ritu non coluntillis vicini Mechlinien. Et hi suum sanctum Rumoldum tanquam ecclesiæ patronum suscipiunt, quē simili celebritate venerari refugiunt Bruxellēses; sed sanctam Gudulam virginem dignis honoribus, vt Louanienses sanctam Gertrudem peculiari religionis affectu prosequuntur.

Duplicia sanctorum festa.

Festa Patriæ.
Dist. 3. cap. Prouinciarum.

De causa festorum in Ecclesia institutorum.

CAPVT VIII.

NON friuola ratione commoti, sed Spiritus sancti gratia edocti Apostoli & Apostolici viri, ob pregnantissimas causas, quarū vna præcedente capite pręcessit, has instituere solennitates, alia est, vt introductæ erraticę religiones eliminarentur, teste Clement. Vnde Theodoretus, Dominus Deus noster, inquit, in templa pro dijs vestrisinduxit mortuos suos, vestros autem cassos gloria, vanosque reddidit, & suis martyribus honorem illum dedit, pro Iouis Liberique solennitatibus, Petro, Paulo, Thomæ, alijsque sanctis martyribus solennitates peraguntur, proque illa veteri pompa,

Prima ratio.
Secunda.
Lib. 4. Recognit. ad Iacobū fratrem Dom.
Lib. 8. de Gracarū affectionū curatione in calce libri.

pompa, pto turpi obſcœnitate ac impudentia fiunt modeſtæ, caſtæ, ac temperantiæ plenæ feſtiuitates. Non illæ quidem mero delibutæ, non commeſſationibus lenes, ſed diuinis cantibus perſonantes, ſacriſque ſermonibus audiendis intentæ,
3. Feſtorũ ratio hæc ibi. Obſeruamus deinde ſanctorum memorias anniuerſaria commemoratione, vt laudemus Deum in ſanctis ſuis, & dominum in omnibus operibus ſuis, ad quē obtutus mentis præſertim referimus, cùm ſanctos honoramus. Non enim Petro aut Paulo ſacrificium offerimus, ſecundum beatiſſi-
Lib. 8. de ciuit. Dei c. 27. et li. 22. c. 10. itē lib. 20. contra Fauſtum Manich. c. 21
mum Auguſtinum, ſed Deo memoria ſanctorum victimam placabilem immolamus, quod vel præcurſoris Ioannis feſtiuitas reddit dilucidum: Summæ namque dementiæ fuiſſet, & intolerabilis ſuperſtitionis (ne amplius dicam) annua deuotione celebrare feſtum paruuli in peccatis concepti, & ingenita conſuetudine infantiliter vbera matris lambentis. Verùm enimuero, quibus gratia huic paruulo conceſſa, quibus
Quid in ſanctis eorũq; feſtis honoremus.
priuilegiata ſanctificatio huic puſioni prærogata innoteſcit, haud indignum iudicabit, tam ſingularem venerari gratiæ communionem. Pari ratione quando lupus ille rapax, Paulum dico, qui mane rapiēs prædam, ad veſperam diuiſit eſcas, hoc eſt, erat prius ſpirans minarum & cædis, poſtea diuino oraculo proſtratus factus eſt præco euangelicæ veritatis, & quia huius conuerſio fuit miraculoſa, vtpote ſupra communem iuſtificationis modum, qui eſt de imperfecto ad perfectum, vti tractatum reliquimus articulo de iuſtificatione ex
Cap. vlt. et D. Tho. 2. 2. q. 113. art. 10. Epiſt. 26. ad Gratianum. Lib. 3. de fide, cap. 7.
Auguſt. de natura & gratia. Aequum eſt vt colamus in terris, quem tantis gratiarum chariſmatibus præuentum non ignoramus in cælis. Huic adprimè congruit diui Ambroſij ſententia, Domino defertur cùm ſeruus honoratur, interdum domini gloria ſerui honorantur. Potiſſimum tamen colitur, quod incolatus ſanctorum gloria ſit cōmutatus. Vnde feſta
4. Ratio. Feſta dicuntur natalitia. Lib. 20. cōtra Fauſtum Manich. cap. 21. Cap. 2.
eorum dicuntur Natalitia, quòd mundo mortui Chriſtoque nati, regno eius tanquam nouo mundo inferantur. Dicuntur inquam, exitus ſanctorum ex hoc mundo natalitia, teſte Auguſt. & de diſciplina Chriſtiana, quod huius erumnoſæ vitæ diſcrimina atq; huius procelloſi pelagi vndas emerſi, nauem corporis fœlici in ſtatione beatitudinis compoſuerunt. Præterea feſtiuis gaudijs ſanctorũ feſtiuitates celebramus, quatenus meritorum ipſorum efficiamur participes. Cui licet
5. Feſtorum cauſa. Lib. 3. Inſtit. Chriſt. cap. 11 ſectione 23. 6. Ratio.
reclamet Caluinus, alijq; hæretici à nobis diſſentiant, tamen indubitata fide hoc nobis credendum relinquitur, ex cap. 52. primi præcepti: An ſancti nos iuuare queant. Vltimò feſtorum dierum ſumus obſeruantes, propter exemplum: quaſi enim ſpeculum præfulgidum obtutibus mentis noſtræ proponuntur, quatenus viam, qua iter ſalutis carpendum eſt, agno-

agnoſcamus, teſte Chryſoſt. Ambroſ. & Auguſt. Honorare namque & non imitari, eſt mendaciter blandiri & adulari. Imitari ergo non pigeat, quod celebrare delectat. Nec ab heri & nudiuſtertius, hic religionis cultus eſt in Eccleſiam inuectus, ſed tempeſtate priſcorum patrum religioſiſſimè obſeruatus, quod vel eorum concionibus didacticis & orationibus pareneticis cuique poteſt eſſe conteſtatiſſimum. Inter quos ſic vnus loquutus eſt nomine Cyprianus, ad presbyteros & diaconos. Dies quibus martyres excedunt annotate, vt commemorationes eorum inter memorias martyrum celebrare poſſimus. Et Auguſt. cohortatur ſuos Hyponenſes, vt diebus Dominicis & Natalitijs ſanctorum diuino debeant ſtudere cultui. Cuius minus obſeruãtes, ſuos redarguit Mediolanenſes, quos tarditatis inſimulabat Ambroſ. Nec hic figere gradum decreuimus, quaſi primitus ab iſtis præfatis inſtituta ſint feſta patribus, cùm apud Auguſt. ab Apoſtolis & Apoſtolicis viris pleraque inſtituta legamus. Cuius ſententia an veritatem habeat, haud difficulter pateſcet, ſi diligentem veterum ſcrutatorem habuerit: Nam tempeſtate D. Athanaſij aſſumptionis glorioſæ virginis Mariæ feſtiuitas magnis ſolennijs eſt celebrata, quã & concione inſigni honorauit idem ſanctus Epiſcopus, ſicut poſtea D. Hiero. & Aug. D. Hieron. etiam epiſtola ad Euſtochium, meminit diei natalis D. Petri Apoſtoli dedicati. Feſtum etiam ſancti Policarpi, eccleſiam antiquitus celebraſſe commemorat Euſebius Cæſarienſis. Et D. Ioannes Chryſoſt. Babilæ ſolennitatem feſtiuis gaudijs inſinuat obſeruatam: Quin & Iuuentij & Maximi martyrum feſta annalia obſeruauit Antiochena Eccleſia, ſecundum hiſt. Tripart. Quorũ ſolennitatẽ ſermone declamatorio ad populum honorauit Ioannes Chryſoſt. qui habetur quinto tomo operum ſuorum. Et Concil. Laodicenũ: Non oportet in quadrageſima martyrum natalitia celebrari, imò eorum commemorationes omittuntur, maximè à Dominica paſſionis, vt toti acerbæ pãſſioni vacemus. Ex quibus luce meridiana clarius pateſcit ſanctorum ſolẽnitates magno populorum applauſu ſimul & confluxu, antiquitus eſſe celebratas. Quarum aliquæ vendicabant ſibi etiam octauas celebri cultu dignas, ſecundum beatum Auguſtinum lib. de diuinatione dæmonum.

Sacris feſtiuitatibus quid agendum?

CAPVT IX.

VENERABILIBVS canonibus cautũ eſt, de conſecrat. Et Iuone parte 4. vt diuini verbi declamatores denuntient ſimplici populo ſermone peracto, quæ ſolennes

Marginal notes:
- Homil. 11. ſuper Geneſ.
- Serm. 77.
- Serm. 13. de ſanctis. Serm. 251. de temp.
- Et lib. 20. cõtra Fauſtum Manich. c. 21.
- Lib. 3. epiſt. 6
- Serm. 251. de temp & tract. 84. in Ioan.
- Serm. 4. & 5. & ſer. de Epiphania Dom.
- Antiquitas feſtorum.
- Serm. 251. de tempore.
- Lib. 4. eccleſ. hiſt. cap. 16.
- Lib. 6. ca. 34.
- Cap. 51.
- Feſta quo anni tẽpore poſthabenda & trãſferenda.
- Octaua feſtorum.
- Ca. 1. et epiſt. 119. ad Ianuariũ ca. 18.
- Diſt. 3. cap. Pronuntiandũ.
- Cap. 14. et 15

lennes in hebdommada occurrant festiuitates, ne ignorantia
Exod 10. contra præceptum impingant, quo dicitur, Memento, hoc
est, serua alta mente repostum, vt diem Sabbati sanctifices.
Sanctificare Qua ratione sanctificabimus festum aut Sabbatum? Trifa-
tripliciter ac- riam sanctificare vsurpatur: Primò sanctificatur Deus & san-
cipitur. ctum nomen eius, quando eum laudamus, & dignis laudibus
extollimus. Secundò sanctificatio sumitur pro iustificatione,
1. Corinth. 6. qua liberati à peccatis vocamur; Non in immunditiam, sed
in sanctificationem, abluti estis, sanctificati estis. Tertiò aliquid sanctificamus, quando Dei seruitio eiusque cultui applicamus; Hoc modo vestes & vasa ecclesiastica sanctificantur, Hoc est, consecratione dedicantur, & vsui diuino mancipantur, sic sanctificamus dies festos, quando pietatis operibus, sanctisque exercitijs illos transigimus. Simili phrasi in contrario sensu maledixit dies & tempora sanctus Iob, in-
Iob 3. quiens: Pereat dies in qua natus sum. Et Hierem. maledicta
Hierem 20. dies in qua natus sum. Sancti prophetæ non maledicebant,
Maledicere nec damnabant dies, quos à Deo valdè bonos creatos cogno-
dies, quid? uerunt; sed mala quæ occasione corruptæ natiuitatis contra-
Genes. 1. xerunt, condemnabant; quod, inquam, processu dierũ & temporum malitia sumeret incrementa, altioresque ageret radi-
Lib. de bono ces, teste beato Ambros. & August. Duplici autẽ cultu Deum
mortis cap. 2. nobis promereri studemus, aut interiori, aut exteriori: Inte-
Epist. 80. ad riori, scilicet, vt sedula mentis cogitatione ad memoriam re-
Hesichium. uocemus malorum commissiones, bonorumque omissiones,
Quæ diebus de quibus intimis cordis medullis, veniam festiuis diebus
feriatis cogi- implorare debemus, vt quod tota septimana neglectum est,
tanda. feruenti emendationis desiderio resarciamus, melioraque
Lib. de spiritu proponamus. Reuocanda est nihilominus, & obtutibus men-
& lit. cap. 11. tis proponenda illa singularis creationis & redemptionis præ-
& 27. Et lib. rogatiua, qua Deus vnigenitusque eius filius macte virtute à
de ciuit Dei c. tyrannide diaboli nos liberauit, secundum August. Potissi-
6. 2. 2. q. mum tamen videtur respicere istud præceptum, cultum ex-
122. art. 4. teriorem, teste D. Tho. quo obligamur omnibus diebus Do-
Audiendũ sa- minicis & festiuis cùm primis, integrum audire sacrũ. quem-
crum. admodum docet D. Aug. & Concil. Agatens. vbi sic legitur:
Serm. 25. de Missas die Dominica secularibus totas audire speciali ordine
tempore. præcipimus, ita vt ante benedictionem sacerdotis egredi po-
Cap. 47. quod pulus nõ præsumat, quod si fecerit, publicè ab episcopo con-
citatur, de cõs. fundatur. Quod hic insinuatur de integra missa, non est sen-
dist 1. ca. Om sus, quod ille qui post introitum lectum, præter opinionem
nes fideles, & fortè accesserit, præceptum præuaricetur, sed qui notabilem
cap. Missas. rei diuinæ partem audire non curauerit, vel tarditate consue-
Cap. 28. & 3 tudinem malam induxerit. Istud confirmatur concil. Aure-
cap. 28. lianen. 1. vbi prohibetur ne quis ante finem sacrificij exire

præsumat:

præſumat: Cùm ad celebrandas Miſſas conuenitur, inquit, in Dei nomine, populus nõ ante diſcedat quàm Miſſæ ſolennitas compleatur, & vbi epiſcopus non fuerit, prius accipiat benedictionem ſacerdotis. Eheu probè deſides hodie gloriãtur ſuo ſe functos munere, ſi diebus feſtiuis, rei diuinę ſemel interfuerint, quaſi reſiduo diei tempore inſoleſcere, nugari, & epotandis calicibus vacare queant, cùm non dicatur, Memento vt horam aut duas horas ſabbati aut feſti ſanctifices, ſed vt diem ſabbati ſanctifices, nec vult nos in ſabbato otio torpere, aut ab opere ſolùm quieſcere ſeruili, dicendo; Memento vt die ſabbati quieſcas à conſuetis laboribus, ſed memento vt diem ſabbati ſanctifices. Quibus propenſiori animo inſpectis, non videtur ſufficere debere Chriſtiano fideli, vt audito mane ſacro, tota die inanibus aut vanis rebus diſſoluatur, quin potius eodem præcepto adſtrictus, obligatur

audire voluntatem Dei in concione prædicatoris, cui ſe con- *Concio au-*
formare debet, teſte Theodoreto. Quemadmodum Iudæos *dienda.*
factitaſſe legimus Act. 13. & id genus alijs locis; quod etiam *Li 8. de Græ-*
docetur de conſ. vbi adſtricti audiendo in eccleſia Dei euan- *carum affectio-*
gelio leguntur. Item D. Ambroſ. arguit magnæ tarditatis, qua *nũ curatione.*
conſuetudinem feciſſe ſero veniendi, diebus feſtiuis ad ſer- *Diſt 1. cap.*
monem videbantur; Huic ſuffragatur Concil. Trident. vbi *Omnes fideles.*
monet epiſcopus populum diligenter teneri diebus Domini- *Serm 77.*
cis & feſtiuis vnumquemque parœchiæ ſuæ intereſſe, vbi id *Seß. 24. ca 4.*
commodè fieri poteſt, ad audiendũ verbum Dei. Deinde qui *de reformatione.*
dignè feſta celebrare intẽdit, de peccatis læthiferis quibus obnoxius eſt, cõtritionem aut ſaltem attritionem habeat, opor-
tet, ſecundùm ſententiam ipſius Moyſis, Sabbatum requie- *Leuit. 14.*
tionis eſt, adfligetis animas veſtras, vti docet Bonauent. Vlti- *Lib. 1. diſt.*
mò debent ſeſe feruentibus orationum precibus Dominum *vlt. ſuper ſen-*
ſibi de præteritis commiſſis reddere propitium, quemadmo- *tentias.*
dum habet Concil. Aurelianẽ. 3. quod ab omnibus ſeruilibus *Cap. 27.*
(quibus domini habent ſeruos mancipatos) ſimilibuſque ne-
gotijs ſtatuit abſtinendum: nemo enim militans Deo, impli- *2. ad Tim. 2.*
cat ſe negotijs ſecularibus, nemo poteſt duobus dominis ſer-
uire. Et proinde diuinis eſt incumbendum, vt docet Aug. qui *Serm. 55. de*
non ſolùm ad miſſam preces fundere adhortatur, verùm etiã *tempore.*
veſpertinis precibus, primæ, tertiæ, ſextæ, nonæ, potiſſimùm *Omnibus ho-*
in Quadrageſima omnes intereſſe deſiderat, quin & matuti- *ris oportet ad-*
nale officium docet frequentandum, con. Conſtantin. 6. Cùm *eſſe diuinis.*
his pietatis operibus, quæ alteram compoſiti partem, videli- *Cap. 8.*
cet animam, concernunt, licitè permittũtur quædam externa, quorum quædam ſunt religioſa, ſicut circumferebant ar- *Ioſue 6.*
cam Domini in Sabbato & ſacerdotes mactabant oues & bo- *Quæ opera*
ues quibus Sabbatum videbantur violare, tamẽ ſine crimine *Sabbatis licita*
erant,

2. 2. q. 122. erant, vt docet D. Thom. necnon Thomas Caietanus super
Tual. 9. cap. 7 eundem locum, & Antoninus parte 2. Nullum quoque spiri-
§. 5. tualis actus exercitium est contra Sabbati obseruantiam. Lector enim aut doctor, siue hypodidascalus potest diebus festiuis docere, etiam non sacra & prophana, non tamen faber aut sutor, secūdum D. Antoninum, vbi supra. Tertio licitum est opus Sabbato, quādo necessariò requiritur ad proprij cor-
Lib. 4 contra poris tuitionem, secundùm sanctum Irenęum, sic Helias fu-
haeres. ca 20. gitans minarum Iesabelis, Sabbatum non est præuaricatus,
3. Reg. 19. quemadmodum nec bellantes in die festo, nec Sabbato spi-
1. Machab. 2. cas vellentes. Quartò licitum est opus corporale ad conser-
Matth. 12. uationem corporis proximi. Hinc docet Christus: Mihi in-
Ioan. 7. dignamini, quia totum hominem sanum feci in Sabbato? Chirurgi ergo & Medici, licitè operantur, vt ægris ferant opem. Quintò operari licet in Sabbato, ad euitandum dam-
Lib. 4. contra num imminens propriū aut proximi, teste D. Irenæo. Nam
haereses ca. 19. Matth. 12. dicitur: Quis ex vobis habet ouem, si cadat in foueam in Sabbato, nōnne continuò tenebit & leuabit eam? Sic imminente pluuia, messis tempore, ad vitandum impendens damnum, condere frumenta in horreis non erit illicitum; Ingruente quoque magna necessitate, licet in festis etiam manualia exercere opera, quemadmodum habetur de
Cap. Licet. ferijs. Censetur autem necessitas quando labor operis absq; rei periculo præueniri vel differri non valet; Hoc modo laniones non videntur peccato obnoxij, nec pistores, si præparent communi vsui cibaria necessaria, vt sequenti die ea diuendant, quæ prius commodè nequibant præparare, aut pręparata seruare. Simili modo à mortali videntur excusati, qui tempore vindemiarum, operam suam elocare in festis compelluntur, quia necessitas quæ legem ignorat, istos excusar, vt
Cap. Vtinam. habetur dist. 76 Propter operis laborisq; modicitatem etiam non incurritur peccatum lethale, puta si labor tam sit exiguus, vt mentis tranquillitatem non perturbet. Quoniam si mentis quietudinem euacuet, spiritusq; libertatem adimat, proculdubio præceptum violat. Licet quoque præsertim minoribus festis, manus adiutrices porrigere, & propter Deum ac mutuum pietatis affectum arare, agrum paupetis seminare, religiosis ligna aduehere, vel alijs miserabilibus perso-
Ca. Cōquestus nis obsequium manuale præstare, vt habetur de ferijs: Laborare quoque pro publica vtilitate in festo interdum licet, vt pro ponte, via, vel ecclesia reparāda, ita tamen quod debeant fieri, non ad vltimam fatigationem, sed diuinis peractis, ad quādam corporalem quasi recreationem, non affectione carnali, aut spe remunerationis, sed propter Deum præcipuè, & amore religionis aut necessitatis pauperum assumendam.

Quando

Quando etiam aliquis iuridica lege detentus, est suspectus ne fugam capiat, feriato die potest iuridicè adstringi ad dandum fideiussorem de stando iuri, teste Barthol. Sextò licitè vacamus diebus festiuis cibis coquendis, etiã aliquando paulò lautius solita cõsuetudine, nec magnũ est piaculum, modò recognoscamus nos moderatis dapibus nobis Deũ nõ promereri, potissimũ si faciamus quod habetur 2. Esdr. 8. & quod D. Leo hortatur, vt alios pauperes faciamus nostræ mẽsæ participes. Septimò licet piscari diebus solẽnibus, vt habetur ca. Licet, & con. Constãt. 6. Si necessitas fuerit nauigandi, siue iter faciendi, licẽtia datur, ita duntaxat, vt huius occasione Missa & orationes, si fieri possit non prętermittantur. Verùm quare tantam festorum numerositatem sustinemus, abundè sufficeret celebriora festiuis colerę gaudijs, obijciet aliquis qui cupiet toto septimanæ decursu prolium vtilitati & familiæ necessitati intendere. Profectò qui sexto die non est par prolibus sustentandis, nec septimo erit, quia dicitur: Sex annis seres agrum tuum, & sex annis putabis vineam tuam colligesque fructus eius, Sabbatum autẽ erit dies requietionis Domini. Septimo anno agrum non seres, & vineam nõ putabis, quæ sponte gignet, non metes, &c. Quibus ergo necessaria victus comparabimus? Respondet ilico sacra scriptura quod non Sabbata duntaxat, sed plura habuerit quoque festa populus Iudaicus, quibus integrum non erat laborare. Quod si dixeris, inquit, quid comedemus anno septimo, si non seuerimus, neque maturam frugem collegerimus? Dabo benedictionem meam vobis, anno sexto, & faciet fructus trium annorum, seretisque anno octauo & comedetis veteres fruges vsq; ad annum nonum, donec noua nascantur edetis vetera. Et isti temerarij homines suo illicito labore, nõ proficiũt, nec prophanato seruili opere festo, opulentiores euadunt, quin potius pecunias in sacculo pertuso, reponentes summa inedia deficiunt, & extrema miseria contabescunt.

Barthol. su- per leg. Dies festos, C. de ferijs.

Serm. 3. de Quadrages. Cap. 8.

Leuit. 25.

Aggæi 1.

Quibus diebus solennibus abstinendum?

CAPVT X.

IVDAEI quidem suũ inutile Sabbatum strictissima obseruatione, mero otio terunt, sed plerique Christianorum (quod magis deflendum est quàm enarrãdum) sacros obseruandosque dies diuinoque cultui dedicatos, peccatis & diabolo dedicasse videntur, non enim otio solùm in illis torpent, verùm magis Dominum exasperant, itamque vindicẽ sibi conciliant: Quando namque cæteris hebdomadę diebus honesto artificio victus necessaria sectantes abstinuerunt

à crapula & ebrietate, à cubilibus & impudicitijs, à contentionibus & homicidijs, in his & similibus peragendis, sacris abutuntur diebus, vt meritò in nobis quadret prophetica lamentatio: Viderunt eam hostes & deriserunt sabbata eius. Et Esa.1. Solennitates vestras (non meas) odiuit anima mea. Siquidem similes esse conuincuntur illi, qui Sabbato ligna colligens, Domino præcipiente, lapidibus est obrutus: Hi namque dies sacros prophanantes, quid aliud moliuntur, quam proprijs, quibus cremandi sunt incendijs, fomenta cõparant? Nihilominus D. Hierony. super 1. ca. Naum, in dictum Numerorum passum vidisse, (vt etiam citatur 23. quæst. 5. cap. Quid ergo, & de pœnitentia dist. 3. cap. Quæratur.) non fuerit indignũ. Nec peccata hoc præcepto sunt nobis solùm interdicta, tanquam honori Dei, quem potissimùm diebus festiuis ei debemus, derogantia, sed etiam corporalia exercitia, operaque seruilia. Omne opus seruile non facietis in eo: Seruile autem opus est externa occupatio, ob quam domini seruos habent deputatos, vel se huiusmodi seruituti mãciparos, vt sunt arare, terram fodere, fabrilem artem exercere, crepidas conficere, cæteraque eius farinæ alia. Secundò infringunt istud sanctificationis Sabbati præceptum, qui placita secularia frequentant, aut quæstiones strepitus iudicialis sectantur, teste beato August. Ante omnia, inquit, causas in festiuitatibus nolite dicere, neque audire, sed alio tempore, & cum iustitia, ne munera accipiendo, subuertatis iusta iudicia, quia quo iudicio iudicaueritis, iudicabitur de vobis. Et de ferijs, & apud Iuonem sic habetur: Omnes dies Dominicos à vespera in vesperam cum omni veneratione decernimus obseruari, & ab omni illicito opere abstinere, vt mercatus minimè in eis fiat, neque placitum, neque aliquis ad mortem vel ad pœnam iudicetur, nec sacramenta, id est, iurisiurandi fœdera, nisi pro pace & alia necessitate præstentur. Quo canone liquet etiam mercaturam diebus Dominicis & festis esse vetitam, quemadmodum docetur 2. Esdræ 13. In diebus illis vidi in Iuda calcantes torcularia in Sabbato, portantes aceruos, & onerantes super asinos vinum & vuas, & ficus, & omne onus, & inferentes in Hierusalem die sabbati, & contestatus sum eis, vt in die qua vendere liceret, venderent, & Tirij inferentes pisces & omnia venalia, & vendebant in Sabbatis, & obiurgaui optimates Iuda, & dixi eis, quæ est hæc res mala quam vos facitis, & prophanatis Sabbatum? nunquid nõ hæc fecerũt patres nostri, & adduxit Deus noster super nos omne malum hoc, & super ciuitatem? &c. Si quis tamen tẽpore sacro, non illicita consuetudine, sed incidente necessitudinis ratione, mercetur, rebus diuinis celebratis, à mortali est excusandus

Thren.1.
Numer.15.
Malũ est prophanare festa.
Quæ illicita diebus festis?
Exod.20.
Leuit.23. & Deuter.5.
Seruile opus quid?
2. violant festum.
Serm.215. de tempore.
Cap. Omnes dies.
Part.4. c.16.
3. Infringitur sanctificatio sabbati.

sandos,qui autem deprauata consuetudine, lucrandiq̃ue cupiditate se diuinis subtrahit,vt sacra auri fames fomitē mercationibus aut venditionibus obtineat, nequaquam peccatum læthiferum euadit; huiusmodi sunt institores, qui in circuituum diebus,ac dedicationibus, summo mane suas venales merces exponunt,diuina officia posthabentes, his congruit quod reperitur lib.2.ordinationum Imperalium ac statutorum regalium, nimirum vt ille qui tabernas frequentat, lusibus incumbit, vel choreis operam nauat, aut templum tempore summi sacri ac concionis obambulando prophanat, trium Carolorum aureorum condemnetur, quorum tertia pars pauperum necessitati succurreret, 2.officiatori siue prætori, vltima accusatori esset pendenda. Quarto hoc præuaricantur præceptum, qui vectura mercium, aliarumq̃ue rerum, diebus festiuis præpediuntur, nisi excuset, (quæ legem non habet) necessitas,vt testatur D.Propheta Hierem.Custodite animas vestras, & nolite portare pondera in die Sabbati, nec inferatis per portas Hierusalem,& nolite eijcere onera de domibus vestris in die Sabbati, & omne opus non facietis. Sanctificate diem Sabbati, sicut præcepi patribus vestris, ne grauioribus criminibus conspurcati, diem festum polluatis, aut sceleribus varijs obnoxij, Sabbatum prophanetis, teste beato August. Naucleri tamen videntur excusationis prætextum habere,quando merces,alimenta,homines;ad loca dissita nauigio deportāt velis datis;Sic cursores,veredarij, ad longinquas regiones viam carpentes: Optimè tamen sibi consulerent, faciliusq̃ue viæ compendium inuenirent, si diebus saltem festiuis auditione sacri regnum Dei primùm quærerent. Rustici verò aut domini illis occasionem præstantes, non credant à peccato se immunes, si diebus festis & Dominicis vecturam exerceant, postposito sermonis ac missæ officio, secluso necessitatis præmissæ articulo, secundum August. Deinde hoc transgrediuntur præceptum,qui diebus festis calces equorum ferro obducunt,currus conficiunt,ac venas secant, potissimum si ex lucrandi cupiditate, non ex necessitate eorum qui petunt, neglectis diuinis faciant. Sextò infringunt Sabbati statutum, qui serta diebus festis conficiunt, quia sunt incitamenta vanitatis, & lasciuiæ argumenta, posset tamen labor esse tam exiguus, vt quasi nihil reputaretur, vel componentis intentio non vergit ad aliquam lasciuiam,sed absolutis diuinis moderatam & honestam virginum recreationem. Septimò violant præceptum, qui in vigilijs festiuitatum, ac Sabbatorum in multam noctem laborant. Quarè non ignorandum est Romanam ecclesiam incipere festiuitatum celebrationem, à primis vesperis, vt vsus

Rubrica 7. fol. 217.

Non ambulādum in tēplo.

4. Derogant festo.

Hierem. 17.

Tract. 3. in Ioannem.

Serm. 251. de tempore.

5. Transiliunt limites præcepti.

6. Præuaricātur Sabbatum.

7. Transgrediuntur præceptum.

obtinet: In caußis autem iudicialibus, feſtiuitas orditur mane, & finem ante noctis tenebras in fine diei ſortitur, quemadmodum docetur de officio & poteſtate iudicis delegati, cap. Conſuluit, contractus faciendi medium noctis inchoare malunt & terminare, vt habetur ibidem. Quantum ad obſeruationem Treugæ, id eſt, ſecuritatis, perſonis, & rebus tempore belli conceſſæ, in ortu ſolis principium faciunt, & in occaſu definunt, de Treuga, cap. 1. Eſus carnium poſt cœnam inhibetur, de conſec. Conſuetudo tamen quæ vim legis obtinet, vbiq; locorum ſeruanda eſt; Quo cōcludere licet, in Belgicis his regionibus carnis commeſtionem, ante mediū noctis non eſſe interdictam, quēadmodum nec labor artis mœchanicæ, teſte Bonauent. & Thom. Nam plebs Hebræa, veſpertina religione ſuum auſpicatur feſtiuitatis cultum, Orientalis autem & Grecanica Eccleſia, matutinum crepuſculum ſuis honorat ſolennitatibus. Occidentalis & Rom. Eccleſiæ feſtiuitates, mediæ noctis tenebras quaſi ſuo fulgore irradiare incipiunt. Hic obiter ſubnectendum occurrit, quod triplici punitioni ſubijciantur, qui operibus vetitis ſacra tempora prophanant. Primò in temporalibus, quia illo labore nunquam euadunt locupletiores, & quod videntur temporalibus comparare, amittunt in ſpiritualibus; Lucrum ſiquidem in arca damnum eſt in conſcientia. Et ſæpenumerò contingit, malè parta malè perire, nempe incendio, furto, alióve aliquo infortunio. Secundò puniuntur in corpore, quia tales ſubinde incidūt magnas infirmitates, vel membrorum mutilationem incurrunt, ne laborare valeant, & feriari vbi laborare deberēt cōpellantur, quia per quæ quis peccauit, per hæc punietur, vt inſinuatur Ezech. 20. Quia pręcepta mea violauerunt, effundam furorem meū ſuper eos, vt impleam iram meā in eis in deſerto. Tertiò puniuntur in anima legis præuaricatores & Sabbati tranſgreſſores, quia quoties feſtum ſoluunt, læthale crimen incurrunt, Qui polluit Sabbatum, morte moriatur.

Diſt. 3. cap. de Eſu.

Diſt. 4. Cap. Denique, & 76. ca. Vtinā.

Quā noctis parte à carnibus abſtinēdū?

Lib. 2. Seni. diſt. 13.

3. part. quæſt. 80. art. 8.

Feſtiuitates quando artem mœchanicam excludāt, quādoq; exordium ſumant.

Pœna feſta nō ſeruantium.

Exod. 31.

De conuiuijs. CAPVT XI.

PLERIQVE feſtiuos ſolenneſque dies non aliter celebratos iri reputant (quēadmodum habetur diſt. 44.) niſi cōmeſſationibus dedicatos tranſigant. Vt autē nonnulla ſuper cōuiuijs ſimpoſijſq; in mediū proferamus, haud diſſimulandum eſt, Conuiuia bifariam frequentari. Quædam namq; ſunt voluptatis & ſenſualitatis incētiua, alia amicitiæ & charitatis argumenta, ſecundum B. Ioannem Chryſoſt. Priora amant menſarum affluentiam, cœnaſque prandijs copulant, quorum fautores ventris diſtentione rumpuntur, atq; oppreſſione ciborum degrauantur; horum corpora vini inun-

Ca. Cùm autē.

Conuiuia duplicia.

Homil. 29. tomi 2. vbi demōſtrat nemini m nisi à ſe ipſo lædi.

inundatione, veluti naufragij cuiusdã fluctibus obruta, animam necant, nec oculus, neque lingua, neque pedes proprijs funguntur officijs, sed meri temulentia, ceu quibusdam vinculis ligata iacent membra, vt titubante gressu, statuq; mentis euerso, omnibus ostentui fiant. Concupiscentiæ quoque motibus, lasciuis colloquijs, alijsque innumeris malis, proximi ruinis existũt, vti liquet ex Matth. 14. vbi simposium homicidium habet coniunctum, & Danielis 5. vtensilia sacra legũtur prophanata: Propter penuriam etiam Acolasti, Epulonem (vt reliqua sacrę paginæ exempla missa faciamus) Lucæ 16. sempiterna manebit pœna. Taceo hic rapinas milleq; meandros, quibus vafri incautos circumueniũt, vt opiparam mensam instruant, sudoremque miserorum pauperum abligurianr, teste Chrysost. Quod si omnis iniustitiæ nota defuerit, nec sic quidem opiparæ cœnæ delictis carent, secundum Prophetam, væ talibus imprecantem; Væ qui bibitis vinum colatum, Vlulate qui bibitis vinum in dulcedine sua, siquidem quod abdomen insatiabile dilapidat, Christus efflagitat, Iniustum profectò est nos libare pocula Bacchi, Christum verò in pauperibus famis inedia conflictari. Propter hæc Ioãnes Chrysost. solus prandebat, adeò vt nec alios inuitaret, nec ab alijs inuitatus quoquam iret: Primo ob stomachi languorem, qui tantus adeoq; continuus erat, vt diuersorum cibariorum nidorem non sustineret. Secundo, quia frequenter refectionis oblitus ad vesperam vsq; ieiunabat, cum quòd spiritualibus theorijs totus esset intentus, tum quia ecclesiasticis curis implicitus. Tertiò, vt euitaret risus, cachinnos, vaniloquia & detractiones, sine quibus cõuiuia vix peraguntur. Intemperãtiæ quoq; & deliciarum aduersarius, earum occasiones veluti pestes quasdam fugiebat. Quartò ne œconomis furti occasionem relinqueret cum xenijs dandis & recipiendis, quæ erant in vsus pauperum deputata, vel abligurirent, vel in proprium emolumentum conuerterẽt. Postremò, quia ciuium ingenium cogitans, sciebat se Christi debere esse vicarium dispensatorem, dignitates igitur omnes aut ex æquo honorare volebat aut se subijcere nemini. Itaque maledicta floccipendens solus edebat. Sic ferè ex Palladio Antoninus Florentinus Archiepiscopus partis 2. hist. tit. 10. cap. 9. §. 5. Alia conuiuia sunt charitatis & amicitiæ fœdera ac fomenta, secundum beatum August. & Gregor. quæ non gaudent varietate ferculorum, sed pergrata amicorum pręsentia, iucundantur; hæc summopere fugitant pręfata mala, obscœna verba, adulteria, eorumq; procreatricem temulentiam, fiunt siquidem ad conciliandam & fouẽdam amicitiam. Hoc modo adsumendus legitur vicinus ad esum agni Paschalis, cui consenta-

Sumptuosa cõuiuia non raro iniusta.

Homil. 49. super Matth & 57. ad Antioch.

Esa. 5. & Ioel 1.

Exod. 12.

Roman.12. sentaneus est Apostolus: Si inimicus tuus esurierit, &c. Heli-
4.Reg.6. sæus latronibus Siriæ panem & aquam, hoc est, magnum apponi iussit prandium. Sic Christus pro sua elementia, nullius refutasse legitur mensam, nec solum eum discipulis accumbebat, verumetiã cum publicanis & peccatoribus, vti ei Scri-
Luc 15.
Matth.9. bæ & Pharisæi improperabant. Deinde ista prandia operibus misericordiæ debent esse referta, quemadmodum Tobias fa-
2.Esd.8.& 3. ctitauit: Panem, inquit, tuum cum egenis comede. Ad quod
cap.9. postliminio Christus nos omnes inuitauit: Cũ facis, inquit,
Cap.4. prandium, &c. hanc misericordiam Dominus exercuit cum
Luc.14. hydropico, inter prandendum cum Magdalena, necnon Za-
Luc.7. chæo. Quod quia epuloni non fuit curæ; merito misericordia
Cap.19.
Cap.16. ei recusatur, quia misericordiã flocci pependit. Tertia mensæ debent salutaribus cõdiri monitis, vt Christus semper fecisse deprehenditur, primo ne affluentioribus dapibus, esculentio-
Esa.56. ribusq; cibis nimiũ nos refarciamus. Canes (inquit Prophe-ta) impudentissimi nescierunt saturitatem, &c. & Apostolus:
Roma.13. Non in comessationibus & ebrietatibus. Secundo pia collatio conuiuãtibus adsit oportet, vt cum timore Dei vescantur
Thob 2. pane doloris, sicuti Tobias manducauit panem cum luctu.
Iob 3. Antequã comedam, inquit Iob, suspiro. Et Iudas: Hi sunt in
Cap.vnico. epulis suis maculæ conuiuantes, sine timore semetipsos pascentes. Tertio, vt sint alacriores ad mittendas egentibus par-
Nehem.8. tes; Mittite partes ijs qui non præparauerunt, inquit Nehe-
Luc.3. mias. Sic apud Lucam: Qui habet escas similiter faciat. Vltimò conuiuia debent esse frugalia, vti discere promptum est ex continua Christi actione, qui à cœna Apostolos suos sa-
Ioan.vlt. cerdotes consecrauit, Petrum suum instituit vicarium, ac
Marc.16. mandatum verbi prædicandi dedit, necnon sublimia cælo-
Actor.1. rum transcendit. Nihilominus in noui status assumptione liberaliori & largiori vti licet mensa, sicut factum constat per
3.Reg.19. Helisæum, Matthæum, & Zachæum. Quod idem Christus
Luc.9.& 19. iamiam transiturus ex hoc mundo ad patrem obseruauit.
Actor.1. Potest etiam adijci & alia conditio conuiuantibus pernecessaria, vt nullius vitam absentis mordeant, quod D. Augu-
August. mensa quid cõtineat? Serm.26. ad frat.in eremo. stinus cauit studiosissimè, quando suæ inscriptum mensæ, hoc distichon esse voluit.

Quisquis amat dictis absentum rodere vitam.
Hanc mensam vetitam nouerit esse sibi.

Nullum etiam præsentem irrisionibus contristent, nullum scommatibus proscindant, aut probris lacessant, sed pacificis verbis, mutuisque honestę recreationis colloquijs, amicitiam
Lib.1.Ethic. quam inappellatio, teste Aristotele, soluit, foueant, charitatem conseruent, teste beato Clemente, epistola 1. ad Iacobum fratrem Domini. Honestus siquidem apparatus hic non cen-

setur,

fetur, ficut nec in nuptijs, primitijs & promotionibus pro cõ-
fuetudine regionum, & perfonarum qualitate illicitus; ita ta-
men, vt omnis in eis fuperfluitatis exceffus, prorfus fit alie-
nus. Quibus quidem præfigitur, palea, non quafi illos cano- Dist. 44. cap.
nes palearum inanitate vacuos, non granorum foliditate vti- Quãdo, & ca.
les reijcere debeamus, quia palea nomen habet à Pocopalea Nullus.
Gratiani difcipulo, cuius fentẽtias aliquando in medium ad-
ducere, vt D. Auguft. cæterorumque patrum confueuit; vel
dicitur à παλαιὰ, palæa, hoc eft, antiquum, quafi à prifcis pa- Palea apud ca-
tribus obferuatum. Sic igitur eo loci habetur: Nullus pref- nonistas, quid?
byterorum quando ad anniuerfarium diem, Trigefimum,
Septimum, vel Tertium alicuius defuncti, vel quacunq; vo-
catione alia ad conuiuia peruenerint, aliqua ratione fe in-
ebriare præfumant, nec aliquas infolentias laruarum, vel ri-
fuum inconditorum diffolutiones oftendant, fed menfalem
benedictionem præmittendo, verba ædificationis proponant,
aut aliqua de facra fcriptura legant, vix enim aut nunquam Rato conuiuia
omnem excludunt cõuiuia culpam, tefte B. Greg. cuius opti- sine culpa.
mè confcius fanctus Iob, victimis Deum, filijs epulantibus, Lib. 1. Moral.
reddidit propitium. Vnde D. Ambrof. Intẽperantia quæ ferè cap. 5.
fe cõuiuantibus, ludis ac iocis cõmifcet, eneruat grauitatem Iob 1.
virilẽ. Caueamus itaq; ne dum relaxare animũ volumus, fol- Lib. 1. Offic.
uamus omnem harmoniam, quafi concentũ quendam bono- cap. 20.
rum operum; vfus enim citò inflectit naturam. Vnde quàm
prudẽter factis cõuenire ecclefiafticis, & maximè miniftrorũ
officijs & (addo) monachorum moribus difciplinatis, arbitror
declinare conuiuia extraneorũ, vel vt ipfi hofpitales fitis pe-
regrinantibus, vel vt ea cautione, nullus fit opprobrio locus.
Surrepũt frequẽter fabulæ de feculo, ac voluptatibus claudere
aures non potes, prohibere putatur fuperbiæ. Surrepũt etiam
præter voluntatẽ pocula, melius eft tuæ domui femel excu-
fes, quàm alienæ frequẽter, & vt ipfe fobrius furgas, tamẽ ex
aliena infolentia, condẽnari non debet pœnitẽtia tua. Vidua-
rum ac virginũ domos, nifi vifitãdi gratia, iuniores adire non
eft opus, & hoc cũ fenioribus. Quid neceffe eft, vt demus fe-
cularibus locum obtrectandi? Quid opus eft vt illæ quoque
vifitationes crebræ accipiant authoritatem? Quid fi aliqua
illarum fortè labatur; Cur alieni lapfus fubeas inuidiam?
Quàm multos etiam fortes illecebra decepit? Quanti non Orãtes Deum
dederunt errori locum fufpicioni? Cur non illa tempora, qui- alloquimur.
bus ab Ecclefia vacas, Chriftum alloqueris, & Chriftum au- Epist. ad Eu-
dis? Illum alloquimur (vt cum B. Ambrof. fentit D. Hieron. stochium.
& D. Auguft.) cùm oramus; illum audimus, cùm diuina legi- Serm. 112. de
mus oracula. Quid nobis cum alienis domibus? Illi potius ad têp. & ser. 22.
nos veniant, qui nos requirunt. Quid nobis cum fabulis? ad fra. in erem.

illius & resurrectionis ac aliorum quorumcunque beneficiorum fiat recordatio. Quamobrem receptus ecclesię mos, quo singulis Christi beneficijs recolendis certos dies instituit, nihil habet cum Iudæorum superstitione commune: Nam illis nephas est quouis tempore ieiunare, agnum immolare, Penthecosten agere, Tabernacula figere; Nobis verò quotidie ieiunare, quotidie agnum immaculatū Deo offerre, oblatumque manducare, omniaque Christi beneficia repræsentare, proficuum est. Quoniam verò sæculi curis, nimio plus plerique omnes immersi sumus, neque aut orationibus, aut gratiarum actionibus, Deique beneficijs recolendis, perinde vt oporteret, vacamus; quid faceret amans nostræ salutis Mater ecclesia? permitteréine tantorum Christi beneficiornm interire memoriam? quæ quamuis in ecclesia è suggestu prædicentur, tamen verbi Dei semen à spinis non rarò suffocatur. Cùm itaque cerneret adduci non posse filios suos, vt quotidie ieiunarent, quotidie orarent, quotidieque Christi corporis & sanguinis communionem perciperent, ac in iugi beneficiorum eius meditatione versarentur; fecit illa Dei & omnium sanctorum consensu adprobante, fecit, inquam, sancti spiritus docta magisterio, vt certos institueret dies, quæ præ cæteris tantorum commemoratione beneficiorum essent insignes, quibus ad officium fideles reuocarentur, ac munere suo, curis alijs vacui, diligentiùs fungerentur, non aliud spectans hac dierum præscriptione, quàm vt admonerentur eorum, quæ Deus pro sua ineffabili bonitate, tam plena manu conferre dignatus est. Quò autem manifestius fiat omnibus, quod ecclesia nullum nouerit dierum discrimen, vel ex tremendo sacrificio Missæ colligere licebit, in qua natiuitatis, passionis, mortis, resurrectionis, in cælum ascensionis, & Spiritus sancti missionis beneficia, nullo non die simul omnia, per totum terrarum orbem celebrantur, idque in ijs tantum, quibus ad sacrificium hoc mentes præparantur; Cuius generis sunt Introitus, Collectæ, Epistola, Euangelium, Offertorium, Communio, significationes tamen manent eædem: Quæ verò Liturgiæ pars est potissima, vbique tota consistit, Canon idem perpetuò legitur, in quo ad eundem semper modum præcipuorum Christi beneficiorum simul fit commemoratio, teste beato Cypriano. Ex quibus cuiuis facile esse perspicuum potest, quod quotidie Christi Natalem, singulis diebus parasceuen, quotidie Pascha celebret ecclesia; Sed quoniam non ita hæc ab omnibus præsertim rudioribus attenduntur, ad eorum captum, Mater nostra ecclesia se demittere dignata est, certis saltem diebus instituendis, quibus eorum attentionem excitaret, ne ignorantiam prætendere possent. Nec præmissa duntaxat

Ratio festorum institutorum.

Lib. 1. epist. 3 quæ est ad Cæcilium fratrem.

duntaxat festa Christi fideles colunt Domini Sabaoth, appellata, quin etiam sanctorum memoriam annuis festiuitatibus frequentant, vt in præfatis canonibus cautū est. Præter enim festa in Natalitijs diebus occurrentia, gloriosæ virginis omnia festa suaui modulo celebranda retinet. Præclaras quoque Apostolorum festiuitates, & Ioānis præcursoris Domini, necnon cælestis illius paranimphi Michaelis Archangeli celebritatem gaudiosam tenere debemus, cum beati Leuitæ Laurentij solennitate, qui inter crepitantes ignium globos perstitit feriente & vrente robustior, cui oppidò quàm lubētes annectimus totius pœnitentiæ præfulgidi speculi Mariæ Magdalenæ solennitatem, atque dedicationis ecclesiæ iucundam lætitiam sancti, Nicolai, ac Martini Episcoporū festiua gaudia, cum virginis Catharinæ festiuitate, omniumque sanctorum numerosissima caterua. Atque hęc quidē talia non ignorātur festa, vt fermè vbique locorum in orbe Christiano sint celebria. Atqui alia interdum occurrunt, quæ non ita generalia sunt, sed particularia, nimirum festa patriæ nuncupata, vt habetur de consecrat. quæ ob singularia beneficia eorum intercessione à Deo impensa, vel reliquiarum adseruationem in aliquibus diocœsibus vel ciuitatibus ab Episcopis instituta solennizantur. Sic sancti Dionysij Areopagitæ festiuitatē celebrat diocæsis Lutetiana, quam ignorat Leodien. hæc iterum conseruat festum sancti Lamberti, quod negligit Londinensis ecclesia, & Eboracensis diocœsis. Pari modo ecclesia Antuerpiensis solenniter festum sanctæ Barbaræ, quam tali ritu non coluntillis vicini Mechlinien. Et hi suum sanctum Rumoldum tanquam ecclesiæ patronum suscipiunt, quē simili celebritate venerari refugiunt Bruxellēses; sed sanctam Gudulam virginem dignis honoribus, vt Louanienses sanctam Gertrudem peculiari religionis affectu prosequuntur.

Duplicia sanctorum festa.

Festa Patria. *Dist. 3. cap. Prouinciarum.*

De causa festorum in Ecclesia institutorum.

CAPVT VIII.

NON friuola ratione commoti, sed Spiritus sancti gratia edocti Apostoli & Apostolici viri, ob pregnantissimas causas, quarū vna præcedente capite præcessit, has instituere solennitates, alia est, vt introductæ erraticę religiones eliminarentur, teste Clement. Vnde Theodoretus, Dominus Deus noster, inquit, in templa pro dijs vestris induxit mortuos suos, vestros autem cassos gloria, vanosque reddidit, & suis martyribus honorem illum dedit, pro Iouis Liberique solennitatibus, Petro, Paulo, Thomæ, alijsque sanctis martyribus solennitates peraguntur, proque illa veteri pompa,

Prima ratio. *Secunda.* *Lib. 4. Recognit. ad Iacobū fratrem Dom.* *Lib. 8. de Gracarū affectionū curatione in calce libri.*

pompa,pro turpi obſcœnitate ac impudentia fiunt modeſtæ, caſtæ, ac temperantiæ plenæ feſtiuitates. Non illæ quidem mero delibutæ,non commeſſationibus leues,ſed diuinis cantibus perſonantes, ſacriſque ſermonibus audiendis intentæ,
3. Feſtorũ ratio hæc ibi. Obſeruamus deinde ſanctorum memorias anniuerſaria commemoratione, vt laudemus Deum in ſanctis ſuis, & dominum in omnibus operibus ſuis,ad quẽ obtutus mentis præſertim referimus,cùm ſanctos honoramus. Non enim Petro aut Paulo ſacrificium offerimus, ſecundum beatiſſi-
Lib. 8. de ciuit. Dei c. 27. et li. 22. c. 10. Itẽ lib. 20. contra Fauſtum Manich. c. 21 mum Auguſtinum, ſed Deo memoria ſanctorum victimam placabilem immolamus, quod vel præcurſoris Ioannis feſtiuitas reddit dilucidum: Summæ namque dementiæ fuiſſet, & intolerabilis ſuperſtitionis (ne amplius dicam) annua deuotione celebrare feſtum paruuli in peccatis concepti, & ingenita conſuetudine infantiliter vbera matris lambentis. Ve-
Quid in ſanctis eorũq; feſtis honoremus rùm enimuero, quibus gratia huic paruulo conceſſa, quibus priuilegiata ſanctificatio huic puſioni prærogata innoteſcit, haud indignum iudicabit, tam ſingularem venerari gratiæ communionem. Pari ratione quando lupus ille rapax, Paulum dico,qui mane rapiẽs prædam,ad veſperam diuiſit eſcas, hoc eſt, erat prius ſpirans minarum & cædis, poſtea diuino oraculo proſtratus factus, eſt præco euangelicæ veritatis, & quia huius conuerſio fuit miraculoſa, vtpote ſupra communem iuſtificationis modum, qui eſt de imperfecto ad perfectum, vti tractatum reliquimus articulo de iuſtificatione ex
Cap. vlt. et D. Tho. 2. 2. q. 113. art. 10. Epiſt. 26. ad Gratianum. Lib. 3. de fide, cap. 7. Auguſt. de natura & gratia. Aequum eſt vt colamus in terris, quem tantis gratiarum chariſmatibus præuentum non ignoramus in cælis. Huic adprimè congruit diui Ambroſij ſententia, Domino defertur cùm ſeruus honoratur, interdum domini gloria ſerui honorantur. Potiſſimum tamen colitur, quod incolatus ſanctorum gloria ſit cõmutatus. Vnde feſta
4. Ratio. Feſta dicuntur natalitia. eorum dicuntur Natalitia,quòd mundo mortui Chriſtoque nati,regno eius tanquam nouo mundo inſerantur. Dicuntur inquam,exitus ſanctorum ex hoc mundo natalitia,recte Au-
Lib. 20. cõtra Fauſtum Manich. cap. 21. Cap. 2. guſt. & de diſciplina Chriſtiana, quod huius erumnoſæ vitæ diſcrimina atq; huius procelloſi pelagi vndas emerſi, nauem corporis fœlici in ſtatione beatitudinis compoſuerunt. Præterea feſtiuis gaudijs ſanctorũ feſtiuitates celebramus, quatenus meritorum ipſorum efficiamur participes. Cui licet
5. Feſtorum cauſa. Lib. 3. Inſtit. Chriſt. cap. 11 ſectione 23. reclamet Caluinus,alijq; hæretici à nobis diſſentiant,tamen indubitata fide hoc nobis credendum relinquitur,ex cap. 52. primi præcepti: An ſancti nos iuuare queant. Vltimò feſtorum dierum ſumus obſeruantes, propter exemplum: quaſi
6. Ratio. enim ſpeculum præfulgidum obtutibus mentis noſtræ proponuntur, quatenus viam, qua iter ſalutis carpendum eſt,

agno-

agnoscamus, teste Chrysost. Ambros. & August. Honorare namque & non imitari, est mendaciter blandiri & adulari. Imitari ergo non pigeat, quod celebrare delectat. Nec ab heri & nudiustertius, hic religionis cultus est in Ecclesiam inuectus, sed tempestate priscorum patrum religiosissimè obseruatus, quod vel eorum concionibus didacticis & orationibus pareneticis cuique potest esse contestatissimum. Inter quos sic vnus loquutus est nomine Cyprianus, ad presbyteros & diaconos. Dies quibus martyres excedunt annotate, vt commemorationes eorum inter memorias martyrum celebrare possimus. Et August. cohortatur suos Hyponenses, vt diebus Dominicis & Natalitijs sanctorum diuino debeant studere cultui. Cuius minus obseruātes, suos redarguit Mediolanenses, quos tarditatis insimulabat Ambros. Nec hic figere gradum decreuimus, quasi primitus ab istis præfatis instituta sint festa patribus, cùm apud August. ab Apostolis & Apostolicis viris pleraque instituta legamus. Cuius sententia an veritatem habeat, haud difficulter patescet, si diligentem veterum scrutatorem habuerit: Nam tempestate D. Athanasij assumptionis gloriosæ virginis Mariæ festiuitas magnis solennijs est celebrata, quā & concione insigni honorauit idem sanctus Episcopus, sicut postea D. Hiero. & Aug. D. Hieron. etiam epistola ad Eustochium, meminit diei natalis D. Petri Apostoli dedicati. Festum etiam sancti Policarpi, ecclesiam antiquitus celebrasse commemorat Eusebius Cæsariensis. Et D. Ioannes Chrysost. Babilæ solennitatem festiuis gaudijs insinuat obseruatam: Quin & Inuentij & Maximi martyrum festa annalia obseruauit Antiochena Ecclesia, secundum hist. Tripart. Quorū solennitatē sermone declamatorio ad populum honorauit Ioannes Chrysost. qui habetur quinto tomo operum suorum. Et Concil. Laodicenū: Non oportet in quadragesima martyrum natalitia celebrari, imò eorum commemorationes omittuntur, maximè à Dominica passionis, vt toti acerbæ passioni vacemus. Ex quibus luce meridiana clarius patescit sanctorum solēnitates magno populorum applausu simul & confluxu, antiquitus esse celebratas. Quarum aliquæ vendicabant sibi etiam octauas celebri cultu dignas, secundum beatum Augustinum lib. de diuinatione dæmonum.

Homil. 11. super Genes. *Serm. 77.* *Serm. 13. de sanctis. Serm. 251. de temp.* *Et lib. 20. cōtra Faustum Manich. c. 21.* *Lib. 3. epist. 6* *Serm. 251. de temp & tract. 84. in Ioan.* *Serm. 4. & 5. & ser. de Epiphania Dom.* *Antiquitas festorum.* *Serm. 251. de tempore.* *Lib. 4. eccles. hist. cap. 16.* *Lib. 6 ca. 34.* *Cap. 51.* *Festa quo anni tēpore postha benda & trāsferenda.* *Octaua festorum.* *Ca. 1. et epist. 119. ad Ianuariū ca. 18.*

Sacris festiuitatibus quid agendum?

CAPVT IX.

VENERABILIBVS canonibus cautū est, de consecrat. Et Iuone parte 4. vt diuini verbi declamatores denuntient simplici populo sermone peracto, quæ solennes

Dist. 3. cap. Pronunciandū. *Cap. 14. et 15*

lennes in hebdommada occurrant festiuitates, ne ignorantia
Exod 20. contra præceptum impingant, quo dicitur, Memento, hoc
est, serua alta mente repostum, vt diem Sabbati sanctifices.
Sanctificare triplicitur accipitur. Qua ratione sanctificabimus festum aut Sabbatum? Trifariam sanctificare vsurpatur: Primò sanctificatur Deus & sanctum nomen eius, quando eum laudamus, & dignis laudibus
extollimus. Secundò sanctificatio sumitur pro iustificatione,
1. Corinth. 6. qua liberati à peccatis vocamur; Non in immunditiam, sed
in sanctificarionem, abluti estis, sanctificati estis. Tertiò aliquid sanctificamus, quando Dei seruitio eiusque cultui applicamus; Hoc modo vestes & vasa ecclesiastica sanctificantur, Hoc est, consecratione dedicantur, & vsui diuino mancipantur, sic sanctificamus dies festos, quando pietatis operibus, sanctisque exercitijs illos transigimus. Simili phrasi in
contrario sensu maledixit dies & tempora sanctus Iob, inquiens: Pereat dies in qua natus sum. Et Hierem. maledicta
Iob 3. Hierem 20. dies in qua natus sum. Sancti prophetæ non maledicebant,
Maledicere diei, quid? nec damnabant dies, quos à Deo valdè bonos creatos cognouerunt; sed mala quæ occasione corruptæ natiuitatis contra-
Genes. 1. xerunt, condemnabant; quod, inquam, processu dierũ & temporum malitia sumeret incrementa, altioresque ageret radi-
Lib. de bono mortis cap. 2. Epist. 80. ad Hesichium. ces, teste beato Ambros. & August. Duplici autẽ cultu Deum
nobis promereri studemus, aut interiori, aut exteriori: Interiori, scilicet, vt sedula mentis cogitatione ad memoriam reuocemus malorum commissiones, bonorumque omissiones,
Quæ diebus feriatis cogitanda. de quibus intimis cordis medullis, veniam festiuis diebus
implorare debemus, vt quod tota septimana neglectum est,
feruenti emendationis desiderio resarciamus, melioraque
Lib. de spiritu & lit. cap. 11. & 27. Et lib. de ciuit Dei c. 6. 2. 2. q. 122. art. 4. proponamus. Reuocanda est nihilominus, & obtutibus mentis proponenda illa singularis creationis & redemptionis prærogatiua, qua Deus vnigenitusque eius filius macte virtute à
tyrannide diaboli nos liberauit, secundum August. Potissimum tamen videtur respicere istud præceptum, cultum exteriorem, teste D. Tho. quo obligamur omnibus diebus Do-
Audiendũ sacrum. minicis & festiuis cùm primis, integrum audire sacrũ. quemadmodum docet D. Aug. & Concil. Agatens. vbi sic legitur:
Serm. 25. de tempore. Missas die Dominica secularibus totas audire speciali ordine
præcipimus, ita vt ante benedictionem sacerdotis egredi po-
Cap. 47. quod citatur, de cõs. dist 1. ca. Omnes fideles, & cap. Missas. pulus nõ præsumat, quod si fecerit, publicè ab episcopo confundatur. Quod hic insinuatur de integra missa, non est sensus, quod ille qui post introitum lectum, præter opinionem
fortè accesserit, præceptum præuaricetur, sed qui notabilem
rei diuinæ partem audire non curauerit, vel tarditate consue-
Cap. 28. & 3 cap. 28. tudinem malam induxerit. Istud confirmatur concil. Aurelianen. 1. vbi prohibetur ne quis ante finem sacrificij exire
præsumat:

præſumat: Cùm ad celebrandas Miſſas conuenitur, inquit,
in Dei nomine, populus nõ ante diſcedat quàm Miſſæ ſolen-
nitas compleatur, & vbi epiſcopus non fuerit, prius accipiat
benedictionem ſacerdoris. Eheu probè de fides hodie gloriã-
tur ſuo ſe functos munere, ſi diebus feſtiuis, rei diuinę ſemel
interfuerint, quaſi reſiduo diei tempore inſoleſcere, nugari,
& epotandis calicibus vacare queant, cùm non dicatur, Me-
mento vt horam aut duas horas ſabbati aut feſti ſanctifices,
ſed vt diem ſabbati ſanctifices, nec vult nos in ſabbato otio
torpere, aut ab opere ſolùm quieſcere ſeruili, dicendo; Me-
mento vt die ſabbati quieſcas à conſuetis laboribus, ſed me-
mento vt diem ſabbati ſanctifices. Quibus propenſiori ani-
mo inſpectis, non videtur ſufficere debere Chriſtiano fideli,
vt audito mane ſacro, tota die inanibus aut vanis rebus diſ-
ſoluatur, quin potius eodem præcepto adſtrictus, obligatur
audire voluntatem Dei in concione prædicatoris, cui ſe con- *Concio au-*
formare debet, teſte Theodoreto. Quemadmodum Iudæos *dienda.*
factitaſſe legimus Act. 13. & id genus alijs locis; quod etiam *Li 8. de Græ-*
docetur de conſ. vbi adſtricti audiendo in eccleſia Dei euan- *carum affectio-*
gelio leguntur. Item D. Ambroſ. arguit magnæ tarditatis, qua *nũ curatione.*
conſuetudinem feciſſe ſero veniendi, diebus feſtiuis ad ſer- *Diſt 1. cap.*
monem videbantur; Huic ſuffragatur Concil. Trident. vbi *Omnes fideles.*
monet epiſcopus populum diligenter teneri diebus Domini- *Serm 77.*
cis & feſtiuis vnumquemque parœchiæ ſuæ intereſſe, vbi id *Seſſ. 24. ca 4.*
commodè fieri poteſt, ad audiendũ verbum Dei. Deinde qui *de reformati-*
dignè feſta celebrare intẽdit, de peccatis lætiferis quibus ob- *one.*
noxius eſt, cõtritionem aut ſaltem attritionem habeat, opor-
tet, ſecundùm ſententiam ipſius Moyſis, Sabbatum requie- *Leuit. 14.*
tionis eſt, adfligetis animas veſtras, vti docet Bonauent. Vlti- *Lib. 1. diſt.*
mò debent ſeſe feruentibus orationum precibus Dominum *vlt. ſuper ſen-*
ſibi de præteritis commiſſis reddere propitium, quemadmo- *tentias.*
dum habet Concil. Aurelianẽ. 3. quod ab omnibus ſeruilibus *Cap. 27.*
(quibus domini habent ſeruos mancipatos) ſimilibusque ne-
gotijs ſtatuit abſtinendum: nemo enim militans Deo, impli- *2. ad Tim. 2.*
cat ſe negotijs ſecularibus, nemo poteſt duobus dominis ſer-
uire. Et proinde diuinis eſt incumbendum, vt docet Aug. qui *Serm. 55. de*
non ſolùm ad miſſam preces fundere adhortatur, verùmetiã *tempore.*
veſpertinis precibus, primæ, tertiæ, ſextæ, nonæ, potiſſimùm *Omnibus ho-*
in Quadrageſima omnes intereſſe deſiderat, quin & matuti- *ris oportet ad-*
nale officium docet frequentandum, con. Conſtantin. 6. Cùm *eſſe diuinis.*
his pietatis operibus, quæ alteram compoſiti partem, videli- *Cap. 8.*
cet animam, concernunt, licitè permittũtur quædam exter-
na, quorum quædam ſunt religioſa, ſicut circumferebant ar- *Ioſue 6.*
cam Domini in Sabbato & ſacerdotes mactabant oues & bo- *Quæ opera*
ues quibus Sabbatum videbantur violare, tamẽ ſine crimine *Sabbatis licita*
erant,

2. 2. q. 122. Tunl. 9. cap. 7 §. 5. erant, vt docet D. Thom. necnon Thomas Caietanus super eundem locum, & Antoninus parte 2. Nullum quoque spiritualis actus exercitium est contra Sabbati obseruantiam. Lector enim aut doctor, siue hypodidascalus potest diebus festiuis docere, etiam non sacra & prophana, non tamen faber aut sutor, secũdum D. Antoninum, vbi supra. Tertio licitum est opus Sabbato, quãdo necessariò requiritur ad proprij corporis tuitionem, secundùm sanctum Irenęum, sic Helias fugitans minarum Iesabelis, Sabbatum non est præuaricatus, quemadmodum nec bellantes in die festo, nec Sabbato spicas vellentes. Quartò licitum est opus corporale ad conseruationem corporis proximi. Hinc docet Christus: Mihi indignamini, quia totum hominem sanum feci in Sabbato? Chirurgi ergo & Medici, licitè operantur, vt ægris ferant opem. Quintò operari licet in Sabbato, ad euitandum damnum imminens propriũ aut proximi, teste D. Irenæo. Nam Matth. 12. dicitur: Quis ex vobis habet ouem, si cadat in foueam in Sabbato, nonne continuò tenebit & leuabit eam? Sic imminente pluuia, messis tempore, ad vitandum impendens damnum, condere frumenta in horreis non erit illicitum; Ingruente quoque magna necessitate, licet in festis etiam manualia exercere opera, quemadmodum habetur de ferijs. Censetur autem necessitas quando labor operis absq; rei periculo præueniri vel differri non valet; Hoc modo laniones non videntur peccato obnoxij, nec pistores, si præparent communi vsui cibaria necessaria, vt sequenti die ea diuendant, quæ prius commodè nequibant præparare, aut pręparata seruare. Simili modo à mortali videntur excusati, qui tempore vindemiarum, operam suam elocare in festis compelluntur, quia necessitas quæ legem ignorat, istos excusat, vt habetur dist. 76 Propter operis laborisq; modicitatem etiam non incurritur peccatum lethale, puta si labor tam sit exiguus, vt mentis tranquillitatem non perturbet. Quoniam si mentis quietudinem euacuet, spiritusq; libertatem adimat, proculdubio præceptum violat. Licet quoque præsertim minoribus festis, manus adiutrices porrigere, & propter Deum ac mutuum pietatis affectum arare, agrum pauperis seminare, religiosis ligna aduehere, vel alijs miserabilibus personis obsequium manuale præstare, vt habetur de ferijs: Laborare quoque pro publica vtilitate in festo interdum licet, vt pro ponte, via, vel ecclesia reparãda, ita tamen quod debeant fieri, non ad vltimam fatigationem; sed diuinis peractis, ad quãdam corporalem quasi recreationem, non affectione carnali, aut spe remunerationis, sed propter Deum præcipuè, & amore religionis aut necessitatis pauperum assumendam.

Quando

Marginal notes: Lib. 4 contra hæres. ca 20. — 3. Reg. 19. — 1. Machab. 2. — Matth. 12. — Ioan. 7. — Lib. 4. contra hæreses ca. 19. — Cap. Licet. — Cap. Vtinam. — Ca. Cõquestus

Quando etiam aliquis iuridica lege detentus, est suspectus ne fugam capiat, feriato die potest iuridicè adstringi ad dandum fideiussorem de stando iuri, teste Bartholo. Sextò licitè vacamus diebus festiuis cibis coquendis, etiā aliquando paulò laurius solita cōsuetudine, nec magnū est piaculum, modò recognoscamus nos moderatis dapibus nobis Deū nō promereri, potissimū si faciamus quod habetur 2. Esdr. 8. & quod D. Leo hortatur, vt alios pauperes faciamus nostrę mēsę participes. Septimò licet piscari diebus solēnibus, vt habetur ca. Licet, & con. Constāt. 6. Si necessitas fuerit nauigandi, siue iter faciendi, licētia datur, ita duntaxat, vt huius occasione Missa, & orationes, si fieri possit non pretermittantur. Verùm quare tantam festorum numerositatem sustinemus, abundè sufficeret celebriora festiuis colere gaudijs, obijciet aliquis qui cupiet toto septimanæ decursu prolium vtilitati & familiæ necessitati intendere. Profectò qui sexto die non est par prolibus sustentandis, nec septimo erit, quia dicitur: Sex annis seres agrum tuum, & sex annis putabis vineam tuam colligesque fructus eius, Sabbatum autē erit dies requietionis Domini. Septimo anno agrum non seres, & vineam nō putabis, quæ sponte gignet, non metes., &c. Quibus ergo necessaria victus comparabimus? Respondet ilico sacra scriptura quod non Sabbata duntaxat, sed plura habuerit quoque festa populus Iudaicus, quibus integrum non erat laborare. Quod si dixeris, inquit, quid comedemus anno septimo, si non seuerimus, neque maturam frugem collegerimus? Dabo benedictionem meam vobis anno sexto, & faciet fructus trium annorum, seretisque anno octauo & comedetis veteres fruges vsq; ad annum nonum, donec noua nascantur edetis vetera. Et isti temerarij homines suo illicito labore, nō proficiūt, nec prophanato seruili opere festo, opulentiores euadunt, quin potius pecunias in sacculo pertuso, reponentes summa inedia deficiunt, & extrema miseria contabescunt.

Bartholus super leg. Dies festos, C. de ferijs.

Serm. 3. de Quadrages. Cap. 8.

Leuit. 25.

Aggæi 1.

Quibus diebus solennibus abstinendum?

CAPVT X.

IVDAEI quidem suū inutile Sabbatum strictissima obseruatione, mero otio terunt, sed plerique Chrstianorum (quod magis deflendum est quàm enarrādum) sacros obseruandosque dies diuinoque cultui dedicatos, peccatis & diabolo dedicasse videntur, non enim otio solùm in illis torpent, verùm magis Dominum exasperant, iramque vindicē sibi conciliant: Quando namque cæteris hebdomadę diebus honesto artificio victus necessaria sectantes abstinuerunt

à crapula & ebrietate, à cubilibus & impudicitijs, à contentionibus & homicidijs, in his & similibus peragendis, sacris abutuntur diebus, vt meritò in nobis quadret prophetica lamentatio: Viderunt eam hostes & deriserunt sabbata eius. Et Esa.1. Solennitates vestras (non meas) odiuit anima mea. Siquidem similes esse conuincuntur illi, qui Sabbato ligna colligens, Domino præcipiente, lapidibus est obrutus: Hi namque dies sacros prophanantes, quid aliud moliuntur, quam proprijs, quibus eremandi sunt incendijs, fomenta cōparant? Nihilominus D. Hierony. super 1. ca. Naum, in dictum Numerorum passum vidisse, (vt etiam citatur 23. quæst. 5. cap. Quid ergo, & de pœnitentia dist. 3. cap. Quæratur.) non fuerit indignū. Nec peccata hoc præcepto sunt nobis solùm interdicta, tanquam honori Dei, quem potissimùm diebus festiuis ei debemus, derogantia, sed etiam corporalia exercitia, operaque seruilia. Omne opus seruile non facietis in eo: Seruile autem opus est externa occupatio, ob quam domini seruos habent deputatos, vel se huiusmodi seruituri mācipatos, vt sunt arare, terram fodere, fabrilem artem exercere, crepidas conficere, cæteraque eius farinæ alia. Secundò infringunt istud sanctificationis Sabbati præceptum, qui placita secularia frequentant, aut quæstiones strepitus iudicialis sectantur, teste beato August. Ante omnia, inquit, causas in festiuitatibus nolite dicere, neque audire, sed alio tempore, & cum iustitia, ne munera accipiendo, subuertatis iusta iudicia, quia quo iudicio iudicaueritis, iudicabitur de vobis. Et de ferijs, & apud Iuonem sic habetur: Omnes dies Dominicos à vespera in vesperam cum omni veneratione decernimus obseruari, & ab omni illicito opere abstinere, vt mercatus minimè in eis fiat, neque placitum, neque aliquis ad mortem vel ad pœnam iudicetur, nec sacramenta, id est, iurisiurandi fœdera, nisi pro pace & alia necessitate præstentur. Quo canone liquet etiam mercaturam diebus Dominicis & festis esse vetitam, quemadmodum docetur 2. Esdrę 13. In diebus illis vidi in Iuda calcantes torcularia in Sabbato, portantes aceruos, & onerantes super asinos vinum & vuas, & ficus, & omne onus, & inferentes in Hierusalem die sabbati, & contestatus sum eis, vt in die qua vendere liceret, venderent, & Tirij inferentes pisces & omnia venalia, & vendebant in Sabbatis, & obiurgaui optimates Iuda, & dixi eis, quæ est hæc res mala quam vos facitis, & prophanatis Sabbatum? nunquid nō hæc fecerūt patres nostri, & adduxit Deus noster super nos omne malum hoc, & super ciuitatem? &c. Si quis tamen tēpore sacro, non illicita consuetudine, sed incidente necessitudinis ratione, mercetur, rebus diuinis celebratis, à mortali est excusandus

Thren.1.
Numer.15.
Malū est prophanare festa.
Quæ illicita diebus festis?
Exod.20.
Leuit.23. & Deutet.5.
Seruile opus quod?
2. violant festum.
Serm.215. de tempore.
Cap. Omnes dies.
Part.4. c.16.
3. Infringitur sanctificatio sabbati.

ſandus,qui autem deprauata conſuetudine, lucrandiq̃ue cupiditate ſe diuinis ſubtrahit,vt ſacra auri fames fomitē mercationibus aut venditionibus obtineat, nequaquam peccatum læthiferum euadit; huiuſmodi ſunt inſtitores, qui in circuituum diebus,ac dedicationibus, ſummo mane ſuas venales merces exponunt,diuina officia poſthabentes, his congruit quod reperitur lib.2.ordinationum Impetallum ac ſtatutorum regalium, nimirum vt ille qui tabernas frequentat, lusibus incumbit, vel choreis operam nauat, aut templum tempore ſummi ſacri ac concionis obambulando prophanat, trium Carolorum aureorum condemnetur, quotum tertia pars pauperum neceſſitati ſuccurreret, 2.officiatori ſiue prætori, vltima accuſatori eſſet pendenda. Quarto hoc præuaricantur præceptum, qui vectura mercium, aliarumq̃ue rerum, diebus feſtiuis præpediuntur, niſi excuſet, (quæ legem non habet) neceſſitas,vt teſtatur D. Propheta Hierem. Cuſtodire animas veſtras, & nolite portare pondera in die Sabbati, nec inferatis per portas Hieruſalem,& nolite eijcere onera de domibus veſtris in die Sabbati, & omne opus non facietis. Sanctificate diem Sabbati, ſicut præcepi patribus veſtris, ne grauioribus criminibus conſpurcati, diem feſtum polluatis, aut ſceleribus varijs obnoxij, Sabbatum prophanetis, teſte beato Auguſt. Naucleri tamen videntur excuſationis prætextum habere, quando merces alimenta,homines;ad loca diſſita nauigio deportāt velis datis;Sic curſores,veredarij, ad longinquas regiones viam carpentes: Optimè tamen ſibi conſulerent, faciliusq̃ue viæ compendium inuenirent, ſi diebus ſaltem feſtiuis auditione ſacri regnum Dei primùm quærerent. Ruſtici verò aut domini illis occaſionem præſtantes, non credant à peccato ſe immunes, ſi diebus feſtis & Dominicis vecturam exerceant, poſtpoſito ſermonis ac miſſæ officio, ſecluſo neceſſitatis præmiſſæ articulo, ſecundum Auguſt. Deinde hoc tranſgrediuntur præceptum,qui diebus feſtis calces equorum ferro obducunt,currus conficiunt,ac venas ſecant, potiſſimum ſi ex lucrandi cupiditate, non ex neceſſitate eorum qui petunt, neglectis diuinis faciant. Sextò infringunt Sabbati ſtatutum, qui ſerta diebus feſtis conficiunt, quia ſunt incitamenta vanitatis, & laſciuiæ argumenta, poſſet tamen labor eſſe tam exiguus, vt quaſi nihil reputaretur, vel componentis intentio non vergit ad aliquam laſciuiam,ſed abſolutis diuinis moderatam & honeſtam virginum recreationem. Septimò violant præceptum, qui in vigilijs feſtiuitatum, ac Sabbatorum in multam noctem laborant. Quarè non ignorandum eſt Romanam eccleſiam incipere feſtiuitatum celebrationem, à primis veſperis, vt vſus

Rubrica 7. fol. 217.

Non ambulādum in tēplo.

4. Derogant feſto.

Hierem. 17.

Tract. 3. in Ioannem.

Serm. 251. de tempore.

5. Tranſiliunt limites præcepti.

6. Præuaricātur Sabbatum.

7. Tranſgrediuntur præceptum.

obtinet: In causis autem iudicialibus, festiuitas orditur mane, & finem ante noctis tenebras in fine diei sortitur, quemadmodum docetur de officio & potestate iudicis delegati, cap. Consuluit, contractus faciendi medium noctis inchoare malunt & terminare, vt habetur ibidem. Quantum ad obseruationem Treugæ, id est, securitatis, personis, & rebus tempore belli concessæ, in ortu solis principium faciunt, & in occasu definunt, de Treuga, cap. 1. Esus carnium post cœnam inhibetur, de consec. Consuetudo tamen quæ vim legis obtinet, vbiq; locorum seruanda est; Quo cõcludere licet, in Belgicis his regionibus carnis commestionem, ante mediũ noctis non esse interdictam, quẽadmodum nec labor artis mœchanicæ, teste Bonauent. & Thom. Nam plebs Hebræa, vespertina religione suum auspicatur festiuitatis cultum, Orientalis autem & Græcanica Ecclesia, matutinum crepusculum suis honorat solennitatibus. Occidentalis & Rom. Ecclesiæ festiuitates, mediæ noctis tenebras quasi suo fulgore irradiare incipiunt. Hic obiter subnectendum occurrit, quod triplici punitioni subijciantur, qui operibus vetitis sacra tempora prophanant. Primò in temporalibus, quia illo labore nunquam euadunt locupletiores, & quod videntur temporalibus comparare, amittunt in spiritualibus; Lucrum siquidem in arca damnum est in conscientia. Et sæpenumerò contingit, malè parta malè perire, nempe incendio, furto, alióve aliquo infortunio. Secundò puniuntur in corpore, quia tales subinde incidũt magnas infirmitates, vel membrorum mutilationem incurrunt, ne laborare valeant, & feriari vbi laborare deberẽt cõpellantur, quia per quæ quis peccauit, per hæc punietur, vt insinuatur Ezech. 20. Quia præcepta mea violauerunt, effundam furorem meũ super eos, vt impleam iram meã in eis in deserto. Tertiò puniuntur in anima legis præuaricatores & Sabbati transgressores, quia quoties festum soluunt, læthale crimen incurrunt, Qui polluit Sabbatum, morte moriatur.

Dist. 3. cap. de Esu.
Dist. 4. Cap. Denique, & 76. ca. Vtinã.
Quã noctis parte à carnibus abstinẽdũ?
Lib. 2. Sent. dist. 13.
3. part. quæst. 80. art. 8.
Festiuitates quando artem mœchanicam exclũdãt, quãdoq; exordium sumant.
Pœna festa nõ seruantium.
Exod. 31.

De conuiuijs. CAPVT XI.

PLERIQVE festiuos solennesque dies non aliter celebratos iri reputant (quẽadmodum habetur dist. 44.) nisi cõmessationibus dedicatos transigant. Vt autẽ nonnulla super cõuiuijs simposijsq; in mediũ proferamus, haud dissimulandum est, Conuiuia bifariam frequentari. Quædam namq; sunt voluptatis & sensualitatis incẽtiua, alia amicitiæ & charitatis argumenta, secundum B. Ioannem Chrysost. Priora amant mensarum affluentiam, cœnasque prandijs copulant, quorum fautores ventris distentione rumpuntur, atq; oppressione ciborum degrauantur; horum corpora vini inun-

Ca. Cùm autẽ.
Conuiuia duplicia.
Homil. 29. tomi 2. vbi demõstrat neminem nisi à se ipso lædi.

inundatione, veluti naufragij cuiusdã fluctibus obruta, animam necant, nec oculus, neque lingua, neque pedes proprijs funguntur officijs, sed meri temulentia, ceu quibusdam vinculis ligata iacent membra, vt titubante gressu, statuq; mentis euerso, omnibus ostentui fiant. Concupiscentiæ quoque motibus, lasciuis colloquijs, alijsque innumeris malis, proximi ruinis existũt, vti liquet ex Matth. 14. vbi simposium homicidium habet coniunctum, & Danielis 5. vtensilia sacra legũtur prophanata: Propter penuriam etiam Acolasti, Epulonem (vt reliqua sacræ paginæ exempla missa faciamus) Lucæ 16. sempiterna manebit pœna. Taceo hic rapinas milleq; meandros, quibus vafri incautos circumueniũt, vt opiparam mensam instruant, sudoremque miserorum pauperum abliguriant, teste Chrysost. Quod si omnis iniustitiæ nota defuerit, nec sic quidem opiparæ cœnæ delictis carent, secundum Prophetam, væ talibus imprecantem; Væ qui bibitis vinum colatum, Vlulate qui bibitis vinum in dulcedine sua, siquidem quod abdomen insatiabile dilapidat, Christus efflagitat, Iniustum profectò est nos libare pocula Bacchi, Christum verò in pauperibus famis inedia conflictari. Propter hæc Ioãnes Chrysost. solus prandebat, adeò vt nec alios inuitaret, nec ab alijs inuitatus quoquam iret: Primo ob stomachi languorem, qui tantus adeoq; continuus erat, vt diuersorum cibariorum nidorem non sustineret. Secundo, quia frequenter refectionis oblitus ad vesperam vsq; ieiunabat, cum quòd spiritualibus theorijs totus esset intentus, tum quia ecclesiasticis curis implicitus. Tertiò, vt euitaret risus, cachinnos, vaniloquia & detractiones, sine quibus cõuiuia vix peraguntur. Intemperãtiæ quoq; & deliciarum aduersarius, earum occasiones veluti pestes quasdam fugiebat. Quartò ne œconomis furti occasionem relinqueret cum xenijs dandis & recipiendis, quæ erant in vsus pauperum deputata, vel abligurirent, vel in proprium emolumentum conuerterẽt. Postremò, quia ciuium ingenium cogitans, sciebat se Christi debere esse vicarium dispensatorem, dignitates igitur omnes aut ex æquo honorare volebat aut se subijcere nemini. Itaque maledicta floccipendens solus edebat. Sic ferè ex Palladio Antoninus Florentinus Archiepiscopus partis 2. hist. tit. 10. cap. 9. §. 5. Alia conuiuia sunt charitatis & amicitiæ fœdera ac fomenta, secundum beatum August. & Gregor. quæ non gaudent varietate ferculorum, sed pergrata amicorum præsentia, iucundantur; hæc summopere fugitant præfata mala, obscœna verba, adulteria, eorumq; procreatricem temulentiam, fiunt siquidem ad conciliandam & fouẽdam amicitiam. Hoc modo adsumendus legitur vicinus ad esum agni Paschalis, cui consenta-

Sumptuosa cõmunia non raro iniusta.

Homil. 49. super Matth & 57. ad Antioch.

Esa. 5. & Ioel 1.

Exod. 12.

Roman.12. sentaneus est Apostolus: Si inimicus tuus esurierit, &c. Heli-
4.Reg.6. sæus latronibus Siriæ panem & aquam, hoc est, magnum apponi iussit prandium. Sic Christus pro sua clementia, nullius refutasse legitur mensam, nec solum cum discipulis accum-
Luc 15. bebat, verumetiã cum publicanis & peccatoribus, vti ei Scri-
Matth.9. bæ & Pharisæi improperabant. Deinde ista prandia operibus misericordiæ debent esse referta, quemadmodum Tobias fa-
2.Esd.8. & 3. ctitauit: Panem, inquit, tuum cum egenis comede. Ad quod
cap.9. postliminio Christus nos omnes inuitauit: Cũ facis, inquit,
Cap.4. prandium, &c. hanc misericordiam Dominus exercuit cum
Luc.14. hydropico, inter prandendum cum Magdalena, necnon Za-
Luc.7. chæo. Quod quia epuloni non fuit curæ; merito misericordia
Cap.19. ei recusatur, quia misericordiã flocci pependit. Tertia mensæ
Cap.16. debent salutaribus cõdiri monitis, vt Christus semper fecisse deprehenditur, primo ne affluentioribus dapibus, esculentiori-
Esa.56. busq́; cibis nimiũ nos refarciamus. Canes (inquit Propheta) impudentissimi nescierunt saturitatem, &c. & Apostolus:
Roma.13. Non in comessationibus & ebrietatibus. Secundo pia collatio conuiuãtibus adsit oportet, vt cum timore Dei vescantur
Thob 2. pane doloris, sicuti Tobias manducauit panem cum luctu.
Iob 3. Antequã comedam, inquit Iob, suspiro. Et Iudas: Hi sunt in
Cap.vnico. epulis suis maculæ conuiuantes, sine timore semetipsos pascentes. Tertio, vt sint alacriores ad mittendas egentibus par-
Nehem.8. tes; Mittite partes ijs qui non præparauerunt, inquit Nehe-
Luc.3. mias. Sic apud Lucam: Qui habet escas similiter faciat. Vltimò conuiuia debent esse frugalia, vti discere promptum est ex continua Christi actione, qui à cœna Apostolos suos sa-
Ioan.vlt. cerdotes consecrauit, Petrum suum instituit vicarium, ac
Marc.16. mandatum verbi prædicandi dedit, necnon sublimia cælo-
Actor.1. rum transcendit. Nihilominus in noui status assumptione liberaliori & largiori vti licet mensa, sicut factum constat per
3.Reg.19. Helisæum, Matthæum, & Zachæum. Quod idem Christus
Luc.9.& 19. iamiam transiturus ex hoc mundo ad patrem obseruauit.
Actor.1. Potest etiam adijci & alia conditio conuiuantibus pernecessaria, vt nullius vitam absentis mordeant, quod D. Augu-
August. mensa quid cõtineat? Serm.26. ad frat.in eremo. stinus cauit studiosissimè, quando suæ inscriptum mensæ, hoc distichon esse voluit.

Quisquis amat dictis absentum rodere vitam,
Hanc mensam vetitam nouerit esse sibi.

Nullum etiam præsentem irrisionibus contristent, nullum scommatibus proscindant, aut probris lacessant, sed pacificis verbis, mutuisq́ue honestę recreationis colloquijs, amicitiam
Lib.1.Ethic. quam inappellatio, teste Aristotele, soluit, foueant, charitatem conseruent, teste beato Clemente, epistola 1. ad Iacobum fratrem Domini. Honestus siquidem apparatus hic non cen-

setur,

ſetur,ſicut nec in nuptijs,primitijs & promotionibus pro cõſuetudine regionum,& perſonarum qualitate illicitus;ita tamen, vt omnis in eis ſuperfluitatis exceſſus, prorſus ſit alienus. Quibus quidem præfigitur, palea, non quaſi illos canones palearum inanitate vacuos, non granorum ſoliditate vtiles reijcere debeamus, quia palea nomen habet à Pocopalea Gratiani diſcipulo,cuius ſentẽtias aliquando in medium adducere, vt D. Auguſt. cæterorumque patrum conſueuit; vel dicitur à παλαιά, palæa, hoc eſt, antiquum, quaſi à priſcis patribus obſeruatum. Sic igitur eo loci habetur: Nullus preſbyterorum quando ad anniuerſarium diem, Trigeſimum, Septimum, vel Tertium alicuius defuncti, vel quacunq; vocatione alia ad conuiuia peruenerint, aliqua ratione ſe inebriare præſumant, nec aliquas inſolentias laruarum, vel riſuum inconditorum diſſolutiones oſtendant, ſed menſalem benedictionem præmittendo,verba ædificationis proponant, aut aliqua de ſacra ſcriptura legant, vix enim aut nunquam omnem excludunt cõuiuia culpam,teſte B.Greg.cuius optimè conſcius ſanctus Iob,victimis Deum, filijs epulantibus, reddidit propitium. Vnde D. Ambroſ. Intẽperantia quæ ferè ſe cõuiuantibus,ludis ac iocis cõmiſcet, eneruat grauitatem virilẽ. Caueamus itaq; ne dum relaxare animũ volumus,ſoluamus omnem harmoniam,quaſi concentũ quendam bonorum operum; vſus enim citò inflectit naturam. Vnde quàm prudẽter factis cõuenire eccleſiaſticis,& maximè miniſtrorũ officijs & (addo) monachorum moribus diſciplinatis,arbitror declinare conuiuia extraneorũ,vel vt ipſi hoſpitales ſitis peregrinantibus, vel vt ea cautione, nullus ſit opprobrio locus. Surrepũt frequẽter fabulę de ſeculo,ac voluptatibus claudere aures non potes,prohibere putatur ſuperbiæ. Surrepũt etiam præter voluntatẽ pocula, melius eſt tuæ domui ſemel excuſes,quàm alienæ frequẽter,& vt ipſe ſobrius ſurgas, tamẽ ex aliena inſolentia,condẽnari non debet pœnitẽtia tua. Viduarum ac virginũ domos,niſi viſitãdi gratia,iuniores adire non eſt opus,& hoc cũ ſenioribus. Quid neceſſe eſt,vt demus ſecularibus locum obtrectandi? Quid opus eſt vt illæ quoque viſitationes crebræ accipiant authoritatem? Quid ſi aliqua illarum fortè labatur; Cur alieni lapſus ſubeas inuidiam? Quàm multos etiam fortes illecebra decepit? Quanti non dederunt errori locum ſuſpicioni? Cur non illa tempora,quibus ab Eccleſia vacas, Chriſtum alloqueris, & Chriſtum audis? Illum alloquimur (vt cum B.Ambroſ. ſentit D.Hieron. & D.Auguſt.) cùm oramus;illum audimus,cùm diuina legimus oracula. Quid nobis cum alienis domibus? Illi potius ad nos veniant, qui nos requirunt. Quid nobis cum fabulis?

Diſt.44. cap. Quãdo, & ca. Nullus.

Palea apud canoniſtas,quid?

Rato conuiuia ſine culpa.

Lib.1. Moral. cap.5. Iob 1.

Lib.1.Offic. cap.20.

Orãtes Deum alloquimur.

Epiſt.ad Euſtochium.

Serm.112. de tẽp. & ſer.22. ad fra.in erem.

Ministerium altaribus Christi, non obsequium hominibus deferendum recepimus, humiles nos esse decet, graues, patientes, vt nullum vitium in moribus, vel tacitus vultus, vel sermo annunciet. Profectò D. Gregor. corpore absens, spiritu præsens inurit, quibusdam suis subditis peregrè redeuntibus notam intemperantiæ, quod in oppido apud quãdam fœminam talia bellaria gustassent, phalernaq; vina potassent; Contra quos ita loquitur D. Hieronymus: Facilè contemnitur clericus, qui sæpè vocatus ad prandium, ire non recusat, nunquam petentes, rarò accipiamus rogati: nam secularium simposia illis sunt interdicta, maximè eorum, qui honoribus tument. Turpe est enim ante fores sacerdotis Christi crucifixi & pauperis, lictores consulum & milites principum excubare. Quin potius patrimonium Christi pauperum visceribus, vltra necessitatem concreditum, refundant, iuxta doctrinam Apostolicam, & Aug. tabernasque prorsus euitent, nisi peregrinationis necessitudine compulsi fuerint, teste concil. Cartag. 3. Laodicen. ac Cartag. 4. Non oportet ministros altaris symbola celebrare, quia illicitum est conuiuia in tabernis instaurare, sed pauperum visceribus infundere opus est quàm commendatissimum, quod omnibus meis in ordine sacerdotali fratribus cõcedere dignetur largus ille benefactor Christus Iesus, qui semper est super omnia benedictus, Amen.

Lib. 2. Dialog. cap. 12. — *Epist. ad Nepotianum.* — 1. ad Tim. 3. *Ser. 2. de temp.* *Sacerdotes tabernas non ingrediantur.* Cap. 27. Cap. 24. Cap. 62.

De spectaculis. CAPVT XII.

LICET nusquàm disertis scripturæ verbis spectacula legantur interdicta, damnata tamen non solùm diebus festis, sed & operosis duplici de causa offenduntur, teste Concil. Aphricano, ca. 28. D. Hieronymo epist. ad Demetriadem, & Cod. Prior est quod idolatriæ specimen antiquitus prætenderint, quemadmodum luculenter ostendit beatus Cyprianus, imitatus haud dubiè Tertullianum de eisdem: Posterior est, quia obscœnitatis magisterium exhibẽt simulachris libidinis, de quibus plura, D. Aug. super Psal. 29. & beatus Ioannes Chrysost. in mille sexcẽtis fortassè locis. Tamen diabolus non ferens animabus tam benè consultum, ter apparuit Tito Latino Romano, præcipiens, vt restaurarentur, alioquin pœnas daturo, Ludouicus Viues eo loci. Sic hodie proch dolor, spectacula non desunt, quæ etsi idolo non sine cõsecrata, in hoc tamen cõueniunt, quod impudicæ lasciuiæ, & venerearũ illecebrarũ sint exẽplaria. Necnon simplicium animos scãdalizãt (missas hic facio comœdias, quibus aliquid ex sacra scriptura, vel simile quid ad ædificationẽ adspectantium exhibetur, modò sint à pastore loci examinatæ & approbatæ, ne aliquid inseratur, quod pietatem vel religionem offendat)

Duplici de causa spectacula inhabita. *De ferijs, leg. Dies festos.* *Lib. de spectaculis.* *Lib. 2. de ciui. Dei, Lib. 50. homil hom. 21* *Lib. 6. Confess. cap. 8.* *Lib. 4. de ciui. Dei, cap. 26.*

offendat) & diuersorum statuum, ac ordinum scandalosa argumenta, cum publicæ famæ infirmorum detrahatur, mutatis tantùm personarum nominibus, qui occultè deliquerunt, Hæc omnia, quocunque nomine vel titulo appellentur, sunt simpliciter interdicta, vti manifestum euadit ex li. 2. ordinationum Caroli Imperatoris æterna memoria dignissimi, & magni regis Hispaniarum Philippi statutorum. Nomina autem potissimùm mutari arbitramur, non mutuæ dilectionis amore, sed rigidæ legis timore: Alcibiades enim Imperator cùm nominatim traductus esset, in comœdijs ab Eupolide poeta exhibitis, præcipitari eum iussit in pelagi profundum, teste Aug. & proinde cautū est con. Laodiceno, ca. 54. ne maximè ministri altaris, vel quilibet clerici spectacula quæ in nuptijs aut in cœnis exhibetur intersint, & de pœnitētia sub finem: Cohibeat se præterea à ludis & spectaculis sæculi, qui perfectam consequi vult gratiā remissionis, estque canon desumptus ex 14. cap. D. Aug. de vera & falsa pœnitentia. Nec minus inhibitus debet nobis esse ad magos & præstigiatores accessus, qui in domo ciuica aliisve ædibus portentosa exhibent monstra, teste beato Clement. ad Iacobum fratrem Domini. Aug. li. 2. de Gen ad literam. Funambulū quoq; intueri adeò curiositatis censetur peccatū, vt si cōtingat funābulum errando præcipitem ruere, timorati viri nō debent sese existimare ab homicidij peccato immunes: Propter spectatorum namq; lucrum temporale, damnabili discrimini se cōmittit.

Rubrica 1. fol. 359.

Lib. 2. de ciui. Dei cap. 8.

Sacerdotes spectaculis quibus interesse nō debent.

Dist. 5. cap. Consideret.

Præstigiatores accedere ad domum ciuicam.

Lib. 1. Recogn. Cap. 17. lib. 10. de ciuit. Dei, cap 18. de decē cordis, ca. 3. et lib. 10 Confess. ca. 35

De ludis. CAPVT XIII.

QVEMADMODVM pœnitentes à laudis vanitatibusque debent esse alieni, teste Aug. li. de vera & falsa pœnit. cap. 14. & repetitur de pœnit. Ita ludus dies celebres prophanans est illicitus, quia vita nostra non debet esse ludus, secundū Chrysost. Scripturis tamē consonū est alternas rerum vices, processu tēporum esse delectabiles, iuxta illud:

Intermitte tuis interdum gaudia curis.

Et illud:

Non ego Democriti risus collaudo perennes,
Heraclitum à lachrymis quando reprehendo suis.
Inter perpetuos fletus risusq; perennes,
Virtutis medius dicitur esse iocus.
Vir grauis interdum solet remittere frontem,
Et dulces hilari voce referre sales.
Vultum terrificus non seruat Iuppiter vnum,
Mollitet interdum ridet Apollo bonus.
Non vnam faciem semper gerit astrifer orbis,
Et niue non semper terra sepulta iacet.

Dist. 5. cap. Consideret.

Vita nostra nō est ludus.

Hom. 47. ad Antioch.

Nec vultum semper retinebit vir bonus vnum,
Temporibus vitam commodat ipse suam.

Arcus namq; semper intensi, teste Gregorio Nazian. rigor dissoluitur, sicut docuit magnus ille Cato, & Seneca lib. de animi tranquillitate, qui cõmemorat Socratem puerorũ non erubuisse ludẽdo consortiũ, & diuinus Plato animũ publicis præpeditũ negotijs, relaxauit, vt maiore alacritate rebus expediendis operã nauaret. Similitudinẽ fertilis agri proferẽs, quem vt celeriter euiscerat nunquã intermissa fœcũditas, ita animorũ impetus assiduusq; labor debilitat vires, ingenijq; acrimoniã obnubilat, sed ludo restaurantur, vt corpus fatiscẽs somno, esuriens cibo, teste Cicerone. Hinc recreationis ergò licet torquere globum, pila ludere palmaria, chartaq; lusoria, & eius generis alijs, modò non inducant diuinorũ negligentiam, teste B. Aug. In die festo, inquit, nullus se à sacra Missarũ celebratione separet, neq; otiosus quis domi remaneat, cæteris ad Ecclesiam pergentibus, neq; in venatione se occupet, & diabolico mancipetur officio, circumuagando campos & siluas, vel etiã non subrepat auri sacra fames, turpisq; lucri cupiditas. Sic egregius Propheta Dauid præcepit, secũdũ Cyprianũ, vt filij Israël discerẽt arcũ, hoc est, sagittis & arcubus se exercerẽt, laudatq; Ionatham, quòd nunquam eius sagitta redijsset retrorsum; & Apostolus meminit eorũ qui in stadio currunt, vbi omnes currũt, & vnus accipit brauium. Nec horum dũtaxat exemplo priscis patribus recreatio fuit recepta, cùm & ipsius Christi nobis supperat repausatio, qui Marc. 6. secũdum Thom. recreationẽ indulsisse videtur. Conuenientibus enim Apostolis qui iam redierant, post exantlatos labores, ait; Venite seorsum in desertum locum, & requiescite pusillum. Exercitiorum autem quædam sunt honesta & licita, quædã inhonesta: Prioris generis sunt ludi instrumentorum, citharæ, liræ, organorũ, tubarum, fistularum, quorum inuentor legitur fuisse Tubal, vt etiam habet Polydorus Virgilius de inuentione rerum. Fiunt autem huiusmodi concentuum harmoniæ, vel ad animi recreationem, vt docetur Eccles. 40. Vinum & musica, &c. lætificant cor, vel ad malorum depulsionem phantasmatũ, sic regius Psaltes percussit cytharã coram Saul, à quo recessit spiritus nequã, vel etiam ad Dei honorem, vti Dauid prophetico prædocuit oraculo, Laudate Dominum in cythara, in psalterio, &c. & laudabili hoc ipsum ostendit exemplo, quando ante arcam lusit cythara. Vltimò sunt instrumentorum ludi ad lasciuiam excitandam, sicque non ludus vel instrumenta mala sunt, sed deprauata voluntas in finem malum, peccatũ parit; Cuius enim finis bonus est, ipsum quoq; bonum est. De his legitur: Tenent tympanum & cy-

Lib. 2. Offic. *Recreatio non semper interdicta.* *Serm. 251. de tempore.* *Lib. de spect.* 2. Reg. 1. 1. Corinth. 9. *Christus recreationẽ permisit.* *3. parte q. 40. art. 1. & Bonauẽt. super 4. distinct. 16.* *Duplicia sunt ludendi exercitia.* Genes. 4. *Varijs de causis fiunt concentuum harmoniæ.* 1. Reg. 16. Psal. 150. 2. Reg. 6. *Ludi musici, quando mali?* Iob 22.

& cytharam, & gaudent ad sonitum organi, & in puncto ad inferna descendunt. Istud peccatū aggrauat dies festus, quanquam passim amplius his diebus, quàm alijs aures audiendi illecebras demulcemus, quod arguit Propheta Domini: Cythara, & lyra, & tympanum in conuiuijs vestris, & opus Domini non respicitis, nec opera manuum Domini consideratis. Ludi verò inhonesti censentur, qui non recreationis, sed cupiditatis turpisq́; spe lucri exercētur, sicuti est ludus taxillorum, alearū, tesserarū, de quibus D. Ambr. quia in his subinde proximus grauissimè circūscribitur, ei usq́; pecunia, astu, fraude, falsitate, iuramētis, imprecationibus extorquetur. Et quanquā leges ciuiles dissimulare videātur ludos pro poculis & esca, sicuti habetur Cod. vel etiā pro pecunia, dūmodo seclusa cōtingat fraude, ff. de aleatoribus. Tamen vix aut nunquā absq; peccati macula fiūt. Ob id consultissimū fuerit istis pœnitus abstinere, quod & clericis præceptū est, de vita & honestate clericorū, vbi sic legitur; Clerici ad aleas & taxillos nō ludāt, nec huiusmodi ludis intersint. Fuerunt & lusus gladiatorij, quorū mentionem facit B. Cyprianus, quorumq; plura erant genera: nam erant Rheciarij, Secutores, Mirmillones, Hoplomachi, Traces, quorū magistri Lanistæ antiquitus appellabantur, qui è mācipijs familiam alentes, aliquot subinde paria in spectaculū producebāt, vt innocentes publicæ voluptatis hostię fierēt, teste Tertul. qui lege vnica sunt interdicti.

Esa. 5.

Ludi inhonesti.

Lib. de Tobia, cap. 11.

De vsu alea, leg. Alearum.

Leg. Solutum.

Cap. Clerici.

Lib. 1. epistola 2. quæ est ad Donatum.

Lib. de spectacul.

Cod. de gladiatoribus.

De choreis. CAPVT IIII.

CHOREA non est ex se mala, sed ex circunstantijs reperitur periculosa: laudabiliter enim choreas legimus, ductas, quando cum instrumentis, Maria prophetissa, sumpsit tympanum, vt cum egressis mulieribus choreas ducentes, de Aegyptiaca liberatione Deum laudarent. Sic cecinerunt chorisando: Saul percussit mille, & Dauid decem milia, & Dauid saltauit ante arcam, de qua saltatione nō fuit reprehensus, sicut de superbia, & adulterio, quia in spiritu vidit magna salutis nostræ mysteria, teste Amb. propterea Michol rem futuram taliter præfiguratam despiciens, sterilitate fuit percussa; Item de filio habetur Acolasto, quod pater lætabundus choreas duxerit, quod gaudiū coram filio seniore obmurmurāte peregreq́; redeūte excusatur. Sicuti honesta chorea, & modestū gaudiū, hodie non est illicitū; semel enim in anno risit Apollo, & Marcus Crassus, quando audiuit similes habere labra lactucas. Cōmemorat præterea scriptura Exo. 3. & damnatas choreas, Surrexerūt ludere, comedere, & saltare, Præcipuiq; huius factionis authores fuerunt, secundū doctores, de tribu Dan. Vnde adhuc appellatur chorea vernaculo nostro

Exod. 15.

1. Reg. 18.

2. Reg. 6.

Chorea Dauidis quid prætenderit?

2. Re. 12. & 24.

Ser. 20 & 80.

Luc. 15.

Chorea vnde sumpserit originem. nostro ideomate, *Dans*, & chorisare, *Dansen*, & frequenter ibi multa mala, quasi in circulo conueniunt: Nam caput Ioannis saltatrici traditur, Etsi non adsit modò Herodiadis filia, *Matth. 14. & Marc. 6.* adest tamen eius Didascalus, quia chorea est circulus, cuius centrum est diabolus, secundum Guilielmum Lugdunensem: *Definitio choree.* hic tunc quidem in illa tripudiauit, sed nunc in ista, & hac, tripudiat & discumbentium atque spectantium animas captiuas abducit. *Nō licet intueri chorizantes.* Quod si quis fortè potest vidēdo non commoueri, non concupiscēdo aduri, nō superbire vestitu, aliorū tamē peccatis adesse, nihil aliud est quàm peccati se participē facere, teste B. Ioanne Chrysost. *Homil 49. super Matth.* Quapropter desinet videre secularia, qui incipit audire diuina, teste Ambros. *Lib. 2. de Abraham ca. 9.* Nam legitur de sorore sancti Damiani, quod ob delectationē nimiam, quam habuit in cantilena, ex cubiculo in choreis audita 18. diebus punita sit pœnis purgatorijs, vt ipsa postea cuidā sancto reuelauit. *Mirabile exemplum.* Si tamē chorea fieret honestę recreationis causa, seclusa omnis impudicitię lasciuia, excusationem etiā tempore sacro admitteret virginibus, quia tempus constituit Sapiens, plangendi & tempus saltandi. *Eccles. 3.* Offenduntur siquidem interdū hospites inuitati, qui ne superfluitate excedant, chorisando tempus fallunt, alij simplici intentione ne amicis tetrici neu rugosi videantur, choreis lætificant. In his omnibus finis coronat, vel deformat opus. *Chorea quibus simpliciter inhibita.* Sicut tamē religiosis & sacerdotibus chorea est inhibita, ita diebus festis, ne diuina prętermittamus, est interdicta, vti docetur, Cod. vbi sic habetur; *Dist. 21. cap. Cleros ex Isidoro lib. 2. c. 1 offic. ecclesiast.* Dies festos maiestati altissimæ dedicatos, nullis volumus voluptatibus occupari; & paulò post: nihil eodē die sibi vindicet scena theatralis, Circense certamē, aut fœminarū lachrymosa spectacula. *De ferijs, lege Dies festos.* Diuina quoq; vltio chorisantibus interdū non deest: *Memorabile exemplum.* Accidit namq; semel anno Domini 1010. vt 18. numero inter quos tres erant puellæ, choreas nocte natiuitatis Domini, prope tēplum ducerent, ac nocturnas preces solēnitatis natalis perturbarent, pastor indignabundus exiuit tēplum, & prioribus monitis non acquiescētibus diuinā vltionē imprecatus est, dicens: Faciat Deus vt toto anno saltetis, postquam Deum cōtemnitis; exinde sequente vltione, absq; cessatione girabantur absq; coporalis pabuli nutrimēto die noctuq;, ita vt alta terræ impresserint vestigia; Cùm autē quidā sororem coronæ chorisantiū abstrahere niteretur, brachiū quidē eius abstulit, sed quo minus chorizaret, impedire nequiuit, nisi euoluto anno, tum siquidē quieuerūt, ita vt maior pars expiraret, altera pœnitētiam ageret, queādmodum habet historia Saxonica, & Christianus Massæus lib. 16. Chronic. *Lib 4. ca. 13. Tract 3. in Ioannē cōcione 1 in Psalm. 32. Lib de 10. cordis cap. 10. & concil. Tolet. 3 cap. 23.* Optimè proinde dixit S. Aug. melius esse minusq; malū diebus festis lanam facere, agriculturam exercere, quàm tota die saltare.

QVAR-

QVARTVM PRÆCEPTVM.

Honora patrem tuum & matrẽ tuam vt ſis longæuus ſuper terram.

Qui & quot parentes honorandi?

CAPVT I.

ABSOLVTIS ijs quæ primę tabulę pręcepta reſpiciunt, Deique cultum concernunt, ad ea quæ proximis ſunt impẽdenda, ſecũda tabula inuitat, teſte beato August. Honora, inquit, Deus per Moyſen, patrem & matrem. Hic honos parentibus exhibendus, geminam poſtulat diuiſionem ſecundum Alexandrum de Hales, ſpiritualem & corporalem. Spiritualis tribus cõſtat partibus, affectu, effectu, & ſigno; Affectu timemus offenſam honorandi incurrere, Effectu prompta obedientia obſequimur, Signo adſurgimus ac caput denudamus. Corporalis autem honor requirit ſuſtentationem, quæ tribus quaſi concluditur limitibus, amicabili verborum ſolatio, obſequioſo operum ſeruitio, & largo neceſſariorum adminiculo: Summa namque præcepti huius eſt, vt quos nobis præfecit Dominus, ſuſpiciamus, eoſque honore, obedientia, ac benigno fauore proſequamur. Vnde ſequitur interdictum, ne quid eorum dignitati ex contemptu, contumacia vel arrogantia derogemus; Adeò ſiquidem latè vocabulum patet honoris, in ſacra ſcriptura, vti liquidò conſtat ex Apoſt. pronuntiante, presbyteros qui benè præeſſent, duplici honore dignos. Nec vana ſpe lactatur obedientia, ſed obſequium impenſum meretur remunerationem, ſecundum Hieron. Subditur, patrem, quæ vocula bifariam intelligi poteſt, de mortali aut immortali; De quo intelligitur caput, quando dicitur, Pater noſter qui es in cælis. Aſcẽdo ad patrem meum & patrem veſtrum. Et: Filij Dei nominamur & ſumus, adoptiui nimirũ per gratiam, vt Chriſtus per naturam, teſte B. Auguſt. lib. 3. cõtra Fauſt. Manich. item tract. 21. in Ioannẽ. Ab iſto patre luminum, Iacob. 1. non niſi omnia nobis bona promanant, cuique quales ac quãti ſumus, nos totos debemus. Deinde eſt pater mortalis, qui bipartito modo, aut eſt naturalis aut ſpiritualis. Naturalis & carnalis vnus nobis eſt pater, Abeli fuit Adam, Iſaaco Abraham. Spiritualis reperitur in ſacris literis quadrifariam, vti docetur li. apud D. Cyprianũ de duodecim abuſionibus ſeculi intitulato cap. 3. Primò ætate, quod docet Apoſtolus, vbi ſeniores, cenſen-

Epiſt. 119. ad Ianuariũ c. 11 & ſerm. 148. de tempore.
Exod 20. & Deut. 5.
Duplex honor parentum.
3. parte ſummæ q. 33.
Subſid uiſio honoris paterni ſpiritualis.
Subdiuiſio corporalis honoris
Nomenclatura patris bifariam intelligitur.
In 15. cap. Matth.
Matth. 6.
Pater cæleſtis.
1. ad Tim 4.
Ioan. 14.
1. Ioan 3.
21. art. 48. in Ioannem.
Cap. 3.
Pater mortalis.
Pater ſpiritualis quadruplex.

1. ad Corin. 3. censentur patres appellandi. Secundò admonitione, sicuti:
1. Corin. 4. Per euangelium ego vos genui. idem Paulus. Nō vt confundā vos hæc scripsi, sed vt filios meos monui. Et: Interroga
Deut. 32. patrem tuū, & annuntiabit tibi, maiores tuos, & dicēt tibi Tertiò genere dicūtur patres, quādo Dominus de rubo ad Moy-
Exod. 3. sen loquitur, Ego sum, inquiens, Deus patrum tuorum, Deus Abraham, Deus Isaac, & Deus Iacob, qui vtique non erant propriè naturales Moysis patres. Quartò potestate: Iudices namque patris nomenclatura honorantur, quia sicut pater filium tuetur ab insidiantium laqueis, ita principes & iudices sibi subiectos ab incursibus hostilibus defensant: hoc modo,
4. Regum 5. Naaman princeps militiæ regis Siriæ vocatur pater. Et viri patricij apud Romanos, teste Cicerone dicebātur patres conscripti. Nec alienum à ratione existimari potest, quod mater coniungatur patri, quando dicitur patrem & matrem: Fieri enim potest, vt eo proruat temeraria humanę infirmitatis audacia, vt patrem quis colat, & matrem velut abiectum māncipium vilipēdat, aut versa vice matrem suspiciat, patrem verò despectui habeat. Subnectitur postea commendationis argumentum, vt sis lōgæuus super terram: Olim namque omnes ante salutiferum Christi aduentum descēdebant occluso cælo ad inferos, propterea magnū fuit & ingens beneficium huius peregrinationis longam protrahere moram, hicque diu vitales carpere auras. Simul tamen atque Christus aditum nobis regni cælestis reserauit, omnes concupiscimus dissolui, & in atrijs illis iucundari cum Christo. Præterea si honorâris
Matth. 7. patrem, filij te honorabunt tui; qua enim mensura alijs fueris emensus, eadem tibi remetietur, quod vsu venit in filijs Io-
Genes. 45. seph, benedictis, quod Ioseph patrem Iacobum senio confectum, intimis cordis visceribus sustentasset. Vltimò qui honorat patrem, prospera sibi euenient vniuersa, hinc quia Sa-
Eccles. 3. lomon matrem Betsabeā magno affecit honore, illique thro-
2 Reg. 18. num disposuit, prosperatus est; E regione Absolon, quia regnum patris iniusto titulo inuasit, tribus lanceis confossus interijt.

Obsequia quæ parentibus exhibenda?

CAPVVT II.

CONTRA hunc legis articulum offendunt, qui parētes cognoscere erubescūt, quòd ad inopiam & egestatem redacti sint, quique eis seruire contemnunt, quòd eos debiles, claudos, cæcos adspiciunt, quibus omnigenæ ser-
Eccles. 7. uituris famulatum pręstare deberent. Honora patrem tuum, & gemituum matris tuæ ne obliuiscaris. Memento quoniam nisi

nisi per illos natus non fuisses, & retribue illis, quomodo & illi tibi. Triplicia autem parentibus referimus accepta essentiam, nutrimentum, & doctrinam, quorum nullum possumus eis sufficienter recompensare, teste Aristotele, Dijs, parentibus & magistris, non possumus reddere æquiualens, inquit. Deo igitur qui nos creauit, parentibus qui nos genuerunt, præceptoribus qui nos informarunt, non valemus condignam rependere retributionem. Si namque obtutus mentis dirigimus in educationem infantilis nostræ ætatis, quanto labore, solicitudine, & dolore, parentum adoleuerimus; haud difficulter nos confitebimur par referre non posse: Vnde sanctus Tobias, Honora matrem tuam omnibus diebus vitæ tuæ, memento quanta perpessa sit in vtero suo propter te. Sic quilibet pater liberos suos viscerosis admonitionibus adhortari deberet, vt matrem honorent, quemadmodum Tobias filium suum. Simili modo, quælibet materfamilias suis prolibus, cum lacte, reuerentiam patris instillare deberet. Hoc decalogi quoque precepto prohibemur odio habere parentes, illis optare malum, vel imprecari mortem; Si enim odio habens fratrem, homicida fit, maneatque in morte; quid sentiendum de eo, qui parentes odio habet? Offenduntur & alij, qui asperis verbis parentes excipiunt, dutisque sermonibus exasperant, vel etiam diras maledictiones ijs imprecantur, magnam sibi ex hoc cumulantes damnationem, & æternam maledictionem, teste sancto Moyse. Qui maledixerit patri vel matri, morte moriatur. Et Matth. 5. si reus gehennæ ignis habeatur, qui dixerit fratri suo fatue, deridendo, molestando, confundendo, quàm reus erit, qui genitorem suum & genitricem vetulam edentulam, aut fatuam appellauerit aliaque verba contumeliosa improperat? Quàm malæ famæ est, qui relinquit patrem, & est maledictus à Deo qui exasperat matrem. Proinde potiùs varijs officiorum obseqnijs parentibus liberi obligantur. Primò amore illos prosequi oportet, secundum scripturam: Fili suscipe senectam patris tui, & non contristes eum in vita illius, etsi defecerit sensu, veniam da, & ne spernes eum in virtute tua. Secundò, humili corde, promptoque animo illis obsequendum est, teste Paulo Apostolo: Filij, inquit, obedite parentibus vestris; & ad Colossen. 3. Filij obedite parentibus per omnia, in ijs nempe, quæ non aduersantur legi diuinæ, nec militant contra honestatem. Quare si quid absurdi humeris filiorum pernicaces imponerent parẽtes, occurrere ipsorum mẽti debet illa beati Petri Apost. regula posita: Oportet obedire Deo magis quàm hominibus. &: Qui amat patrẽ & matrem plusquã me, non est me dignus. Si igitur timorata soboles

Triplicia à parentibus accipimus bona.

Lib. 9. Ethicorũ ca. 1. & 2.

4. cap.

1. Ioan 3.

Parentes non debemus incessere verbis.

1. Ioan 3.

Exodi 20.

Eccles. 3.

Filij multa debent parẽtibus.

Eccles. 3.

Ephes. 6.

Filij non tenẽtur in deligẽdo vitæ genere parentibus obaudire.

Actor. 5.

Matth 10.

soboles deligat vitam sibi monasticam, patri imperanti vt matrimonium contrahat, nequaquam erit obtemperandum: Absurdum namque est illis leges præscribere, quibus non habent mandandi imperium, secundum Ciceronem. Quem potissimum vitæ cursum quisque sequi velit, ad suam cuiusque naturam, consilium omne est reuocandum. Decet quidem filios in deligendo vitæ genere, maturum parentum audire consilium, obedire tamen liberi non obligantur, si ipsorum persuasio parentum, adspirationi Dei non adstipuletur, secundum D. Hieron. Licet, inquit, sparso crine, & scissis vestibus, vbera quibus te nutrierat mater ostendat, licet in limine pater iaceat, per calcatum perge patrem, siccis oculis ad vexillum crucis euola, solum pietatis genus est, in hac re esse crudelem. Si verò perfidus pater naturalis miserationis oblitus, toxico hæreticæ prauitatis perimere prolem, quàm genuerat, conetur, filius sibilis serpentinis exprobare non cesset, & dignis increpationibus perfidiam paterni erroris propellat, quemadmodum insignis Armigildus fecit, qui sacrilegæ Arrianorum communioni acquiescere abnuit, teste beato Gregor. Debēt etiam liberi pro parentibus, tam superstitibus, quàm vita functis preces fundere: Cui rei nobis esse testimonio potest D. August. qui in sacris aris tremenda mysteria pro refrigerio animæ charissimæ matris suæ Monicæ celebrauit. Deinde præceptum, vult parentes non procaciter, sed reuerenter, non duriusculè, sed blandissimè alloquendos, omniq́ue honore prosequendos, iuxta scripturam. Sicut qui thesaurizat, ita & qui honorificat matrem suam, qui honorat patrem suum, iucūdabitur in filijs suis, & in die orationis exaudietur; Qui honotat patrē suū vita viuet longiore, & quasi Dominis seruiet his, qui se genuerūt; In opere & sermone & omni patientia honora patrem tuum, vt superueniat ubi benedictio à Deo, & benedictio illius in nouissimo maner. Vltimum officium parentibus exhibendum est, quod liberi, si necessitas postulauerit, parentibus vitæ necessaria procurare debēt, docēte hoc natura, & altero quod ab ipsis recepimus dono, nēpe nutrimento. Quoniā filij parentibus etiā hac in parte nequeunt reddere æquiualens: Nam parentes filios propria nutrierunt substantia; Filij autem eos aliena, ideoque recusantes, mortale crimen incurrunt, sicut & illi quos Christus auaritiæ insimulat: Nam vt bona quæ erant parentibus administranda, suo vsui cederent, comminiscebantur gratius fore, si in templo liberali largitione sibi oblata essent, tum quod pater præcipuus & spiritualis esset Deus, tum quia licet parentes corporales, per talem oblationem Deo factam, sustinerent aliquid incommodi & detrimenti, conse-

Lib. 1. Offic. cap. De Temperantia.

Epist. ad Heliodorum.

Laudabile Armigildi factū.

Li. 3. Dialog. ca. 31. & allegatur 24. q. 1. cap. Cœpit. Filij debēt parentibus.

Lib. 9. Confess. cap. 13.

Ecclesiast. 3.

Matth. 15.

consequerentur tamen bonum spirituale, inquantum illud quod eorum necessitati erat applicandum, Deo fuisset consecratum; sicque præceptum de honore parentum hac in parte euacuabant, vti insinuat Christus inquiens; vos autem dicitis, perperam scilicet exponendo præceptum Dei: Quicunque dixerit patri vel matri, munus quodcunque est ex me (supple Deo consecratum) tibi proderit, magis supple, quàm si expéderem in vsus tuos necessarios, teste Irenæo. Huius occasione literæ inquirẽdum est, Anne religiosus necessitate parentum adstrictus exire debeat ad succurrendum eorum necessitati? Ad cuius euidentiam, notandum est, secundum Caietanum super 2. 2. quod bifariam contingit patrem egere seruitio filij religiosi. Primo citra extremam necessitatem. Secundo in extremo necessitatis articulo. Et si quidem pater ita egeat filio, quod absque ipsius subsidio, extrema necessitate manifestè angustiaretur, tenetur filius petita, licet non obtenta, superioris licentia, patris necessitati succurrere, teste Augu. Quid ago? quid eligo? inquit, si exiero frango votum, si permanséro, patrem mori permitto. Respondeo, si pater aliquis sine filio monacho viuere nullatenus potest, procurare debet filius, quomodo patri de bonis cœnobij subueniatur, & si monasterium impotens fuerit, toto affectu videat, quomodo patri non deficiat, nec votum frangere credat, si ad pristinam vitam redire non pigeat, sanctè iusteque viuendo, sicut incœperat. Huc facit sententia Ambrosiana super 7. cap. Luc. Illi debes quod habes, cui debes quod es. Ratio dicti est, quia præceptum iuris naturæ & diuini in extrema necessitate præeminet omni voto & vinculo, nec solũ pro patre, sed pro quocunque homine quilibet obligatur necessitatis tempore. Vnde sicut licet furari propter extremam alterius necessitatem, ita licet actualem obedientiam prælato subtrahere & furari bona ecclesiæ, si alia succurrendi non suppetat ratio. Quemadmodum diuendidit D. Ambros. vasa ecclesiastica, vt egenis & incarceratis suppetias ferret. Simili quoq; necessitate August. compulsus calices distraxit, quod seclusa extrema necessitate, nemo debet præsumere, vti docetur Cod. de sacrosanctis ecclesijs, Si verò pater in necessitate sit, non tamen extrema, tunc religiosus tenetur adiuuare patrem, saluo suo statu, hoc est, obedientia & regulari obseruantia, sicut filius vxoratus nõ obligatur patri, nisi saluo statu suo coniugali. Sic Christus propter dulcissimam matrem, non reliquit obedientiam à patre sibi impositam, quin potius diris tormẽtis exhaustus, matri vt potuit subuenit, quando Ioanni Euangelistæ eam sollicitè commisit. Huius obsequij præclarum habemus paradigma apud Valerium Maximum. Quando commemorat

li. 4 cõtra hæres. cap. 25. & 26.

quæst. 101. art 4.

Monachi quomodo parentibus succurrere possunt?

Ser. 6. ad fratres in eremo.

Libr. 2. Offic. cap. 28.

Calices diuẽdere quando licet?

Ser. 32. ad fratres in eremo.

leg. Sãcimus.

lib. 5. cap. 4.

prætorem capitali sententia damnasse mulierem haud ignobilem, quæ non protinus strangulata, aditum filiæ diligenter excussæ, ne quid conferret, ab eo qui custodiæ carceris præerat, impetrauit, existimans futurum, vt inedia consumeretur; Cùm autem iam dies plures intercederent, secum quærens quidnam hoc esset, quo tamdiu sustentaretur, curiosiùs obseruata filia, animaduertit illam exerto vbere famem matris copia lactis temperasse; Cuius admirabilis spectaculi nouitate commotus, præter remissionem pœnę, gratiam mulieri impetrauit. Huic & scriptura suffragatur. Retribue illis, quomodo & illi tibi. Qui timet dominum, honorat parētes, & quasi dominis seruiet his qui se genuerunt. Istud non lege, sed natura constricta conseruat ciconia, teste D. Ambros. nam depositi artus, per longæuum senectutis plumarum tegmine alarumq; remigio nudatos circunstans, soboles pennis proprijs fouet, Et quid dicam collatitio cibo pascit, quando etiam ipse reparat naturæ dispendia vt hinc atque inde subleuantes senem, fulcro alarum suarum ad volandū exerceant, & in pristiuos vsus desueta iam reuocent pij membra parentis?

Pulchrum exē plum sustentātis matrem. *Ecclesiast. 7. Et cap. 3.* *lib. 5. hexam. cap. 16.* *Exemplum ciconiæ.*

A quibus debeant parentes filios praseruare?

CAP. III.

TRIPLICEM filiorum acceptionem docet nos beatus Augustinus & Irenæus cōtra hæreses, necnō Symmachus Papa apud Gratianū. Aliqui baptismatis susceptione filij efficiuntur, quorum rationem susceptores habere tenentur, ne hæreticæ prauitatis contagione contaminentur. Symbolum etiam illos docere. Orationemque Dominicam, teste August. cui consonat concil. Constantinopol. 6. ac Arelatense. At August. serm. 215. de temp. Filios quos in baptismo excipitis, scitote vos fideiussores pro ipsis apud Deum extitisse, & ideo tam illos qui de vobis nati sunt, quàm illos quos de fonte excipitis, semper castigate & corrigite, vt castitatē custodiant, iustitiā diligant, charitatem teneāt, &c. Alij absolutionis administratione filij efficiuntur, de quibus habetur q. 1. ca. 30. hos spirituales appellamus filios; Carnales enim sunt, de quibus tertio loco est dicendum, quos lege naturæ fouere debēt parentes. Cum enim nemo carnem suam odio habeat, clarum est eos easve legem infringere naturalē, quæ filijs etiam ab ipsis conceptionis exordijs, minus benè consulunt. Fieri namque potest, vt aliquæ etiam exhorrescēte naturæ lege, malint fœtus vteri sui interire (teste beato August. lib. 1. de nuptijs & concupiscentia cap. 15.) quàm viuere.

lib. 1. retract. cap. 22. *lib. 4. ca. 79. & 80* *30. quæst. 1. ca. Ad limina, et ca. Omnes.* *Triplices filij.* *Serm. 163. de temp. & resumitur de consecrat. dist. 4. ca. Vos ante,* *cap. 7.* *cap. 19.* *Susceptores quid debeāt filijs spiritualibus ecclesiasticis?* *Ad limina, & cap. Omnes.*

uere. Idem alibi sic habet, Nulla mulier potiones ad abortum accipiat, nec filios iam conceptos aut natos occidat, quia quæcunque hoc fecerit, ante tribunal Christi sciat se illic eorum causam quos occiderit esse daturam. Sed nec alias diabolicas potiones mulieres debent accipere: qualicunque enim modo conceptum impedierint, tali tantorumq; homicidiorum se reas esse cognoscant. Caueant etiam ne dormientes iam natum opprimant, 3. Reg. 3. Et Iuo Carnotensis. Et quemadmodum mulier nihil machinari potest, in fœtus interitum, secundum D. Thom. ita nec maritus grauidam & impregnatam crebris carnalis operis commistionibus lacessere vel flagris impetere, aut importabilia onera imponere, quo fœtum conceptum extinguere, vel aliqua ratione perturbare possit, debet; teste beato Augu. Cùm elephas similiter & ceruus tantæ sint continentiæ, vt ad impregnatam non accedât, secundum Plinium, vnde Procopius Gaseus super 16. cap. Genes. ait. Quod antiquo gentis instituto abstinebant à grauidis, nec accedendas iudicabant coniugari, lactantes aut infantes nutrientes, quos ipsemet matres lactare debent, teste beato Greg. ad interrogationes Augus. sed eo tantum tempore quo conceptum natura non negabat; rem cum vxoribus habebant. His consentanea est, concil. Elibert. & Hilarden. sententia, vbi sic legitur: Qui conceptos fœtus necare studuerit potionibus vel alijs, septem annis pœniteat, quibus peractis communionem percipiat, & perpetuis fletibus insistat. Imò concil. Anciranum insinuat quod vsque ad finem vitæ, rigori pœnitentiæ subiacuerint; & humanius agens obligat tales, ad decennalem pœnitentiam. Nec in prædictis impregnatæ duntaxat debent esse solicitæ, sed & in alijs: Nã & oscitatio (si Plinio credimus) in enixu lethifera est, sicut sternutasse post commixtionem carnalem, aborsum inducere constat, imò aborsus causa subinde fit, secundum eundem, odor vel fœtor candelarum extinctione relictus. Quin & seculare brachiũ aduimaduertit acerrimè in istas, sicuti habetur, Cod. de his qui parentes, vel filios occidunt, leg. Si qui, vbi sic habetur: Si qui parentes, filij aut filiæ mortem procurauerint, pœna parricidij puniantur, neque gladio, neque ignibus, neque vlli alij solenni pœnæ subiugetur, sed insutus culeo cum cane & gallo gallinaceo & vipera & simia, & inter eas ferales angustias comprehensus, serpentis contubernijs misceatur, vt regionis qualitas tulerit, vel in vicinum mare vel in amnem proijciatur, vt omnium elementorum vsu viuus carere incipiat, & ei cælum superstiti, terra mortuo auferatur. Baldus tamen dicit eo loci, hanc pœnam exoleuisse. Nec parentes instar coruorum & strutionum

116 & 244. de temp.

Aborsus nullo modo est procurandus.

li. 10. ca. 27. 2. 2. qua. 64. artic. 1.

Exodi 21.

De bono coniugali, cap. 6.

Continẽtia elephãtis et cerui. lib. 8 naturalis histor. cap. 5. & 32.

Epistola 7.

Matres ipsemet infantulũ lactare debẽt.

Cap. 63.

Cap. 2.

Cap. 21.

Lib 7. naturalis hist. cap. 6. & 7.

Varie aborsus occasiones.

Antiqua aborsum procurantiũ pœna.

Strutionis natura.

(pullos & oua relinquentium) intolerabili crudelitate prolis editæ debent obliuisci, Esaiæ 49. quin potiùs lac & præmansum cibum ingerere, Gregor. ad interrogationes August. Basil. Non enim debent filij parentibus thesaurizare, 2. ad Corinth. 12. sed parentes filijs, æquo modo & honesto. Nulla etenim alia ex causa peruersi, vt fiant liberi, cōtingit, nisi quod eorum patres circa vitæ præsentis commoda æquo amplius incumbant, & ferè dixerim, insaniant, inquit Chrysost. lib. ad vituperatores vitæ monasticæ. Cùm enim illa solum requirant, nihilque illis præferendum censeant, & suam pariter & liberorum animas negligere cogntur. Hos ego patres parricidis ipsis immaniores, sceleratioresque dixerim; Illi enim corpus ab anima dissepatant; Isti & animam & corpus æternis ignibus tradunt, parentes corporum, potius quam animarum, imò peremptores. Adsequuti siquidem diuitiarum magnarum thesauros, quibus & filios & se trucidant, benè secum actum existimant. Non sic Abraham filijs suis, cum detrimēto animæ superflua comparauit. Non sic Tobias. Sed potius si timuerimus Deū inquit multa bona habebimus; Quibus consonat D. Paulus Patres educate filios vestros in disciplina & correctione Domini, & Prouerb. 13. Qui parcit virgæ, odit filium. Propterea in fine vitæ, admonuit Theodosius filios suos, in timorata vita manere, secundùm Theodoretum. Atque ingens huius rei desiderium inseruit naturæ, vt veluti necessitudinem quandam ineuitabilem curæ habendæ, filios parentibus constituisse videatur, legem item tulit de cura liberis impendenda: Nam cùm dies festos agi statueret filijs suis eiuscemodi celebrationis rationes aperiant, imperauit. Denique cùm de Paschate loqueretur, adiecit; & annunciabis filio tuo in die illa, dicēs: Idcirco fecit mihi Dominus hæc, cùm exirem de terra Aegypti, &c. Nec filiorum disciplina est aliquatenus paruipendenda, cùm & animal rationis expers, fœtum informem in sui speciem efformare non negligat, secundum D. Ambros. Vrsa, inquit, fertur informes edere partus, sed natos, lingua fingere, atque in speciem sui, similitudinemque formare: Non miraris in fera, tam pij oris officia, cuius naturam pietas exprimit? Vrsa igitur partus suos ad sui similitudinem effingit, & tu filios tuos instituere similes tui non potes? Et ne fortè excuses teneram ætatem, non ita legibus adstringendam, ad memoriam reducere incumbit, exemplum apud D. Greg. positum, de puero quinquennali nomen Domini blasphemante, qui morti propinquus, diabolico ministerio ad regna plutonica crudelissimè est protractus, eo quòd pater non vigilasset in eius correctione. Nec cogitandū est, incremento annorum sobolem maiusculis calcaribus ad melio-

1. Corin 3. Et ad Hebræos 5. Epistola 7. homil. 9. hexameron. tom. 4.

Taxantur parentes nimis terrenis fecibus immersi.

Genes. 17. Cap. 12. ad Ephes. 6.

Admonitio Theodosij ad filios. Lib. 2. eccles. hist. cap. 26.

Deut. 6 & 11. Exodi 12.

Lib. 6. hexameron, cap. 4. Vrsa natura.

Lib. 4. dialog. cap. 28. Exemplum immorigeri pueri ex Gre.

meliorem vitæ frugem excitandam, quia anni ſemper quotidianis defectibus decreſcunt, teſte Auguſt. Eſtq; teneræ ætatis infantia tanquam tabula nuda, ſecundum Philoſophum, in qua nihil depictum eſt, cui ſi compoſiti mores compoſitaque vita inſculpta fuerit: Quo fuerit ſemel imbuta teſta recens, ſeruabit odorem, iuxta illud. Adoleſcens iuxta viam ſuam, etiam cùm ſenuerit, non recedet ab ea: vt enim aqua digitum ſequitur præcedentem, ita ætas mollis & tenera in vtramque partem flexilis eſt, & quocunque duxeris ſequitur, ſecundum D. Hieron. Siquidem laxitas patris quod aliquando ſit damnabilis, liquet exemplo apud Augnſt. poſito: Nam quidam Cyrillus vir locuples, vnicum habuit filium, quem corrigere neglexit; vnde inebriatus ſororem violare voluit, reliquas duas læthali vulnere ſauciauit, matrem pregnantem oppreſſit, ac patrem exerto ferro attrociter interfecit. Et apud Ioannem Gerſonem, qui dicit fuiſſe quendam Iuuenem Romanum qui iuuenilem ætatem miſerè tranſegerat, cumque apprehenſus ad patibulum dignas pœnas luiturus duceretur, pater eius magnis lachrymarum imbribus perfuſus, eminus ſequebatur, cui cùm triſte vale dicere, atque oſculum patri præbere deſideraſſet, accedentis patris naſum, diris morſibus eraſit, & hominibus rei nouitate admirantibus inmurmurans dixir. O pater tu me ſuſpendis, tu, occaſio huius contumelioſæ mortis; ſi namque me vt debueras, correxiſſes; iſtam ignominioſam mortem non conſpexiſſes, nec offenſam Dei, vt Heli incurriſſes, qui quid perpeſſus ſit, omnibus eſt in cõfeſſo. Imò multi, inquit beatus Ioannes Chryſoſt. ſæpenumero ob id acerbiora perpeſſi ſunt; Nam vnde acerbæ & intempeſtiuæ mortes, vnde morbi perpetui; atque grauiſſimi, plerúnque nobis liberisque noſtris inferuntur; vnde damnis & incommodis adficimur; vnde caſus varios & mala innumera ſuſtinemus? Nonne quòd filios noſtros minus frugi videmus, & eos emendare contemnimus?

Ser. 1. de verbis Domini.

Prouerb. 22.

Epiſtola ad Gaudentium.

Ad fratres in eremo, ſer. 23.

Secunda parte ſerm. de omnibus ſanctis, Aliud ex Ioãne Gerſone.

1. Reg. 3.

Tom. 3. lib. 3. aduerſus vituperatores vitæ monaſticæ.

Parentes quibus debent filios informare?
CAPVT IIII.

NE carnis curam duntaxat gerere in deſiderijs videantur parentes, inducere tenetur gratam prolem, vt Deo offerre ſtudeat innocentiam corporis cum puritate mentis. Quod fieri contingit, quando pueri à teneris vnguiculis Deo militare incipiunt, vti docet Hierem. Bonum eſt viro cùm portauerit iugum Domini ab adoleſcẽtia ſua: Anima ſiquidem pueri adoleſcentis, eſt veluti tabula nuda (quẽadmodum prælibauimus) in qua nihil eſt depictum, teſte

Thren 3.

Quomodo erga Deum pueri ſe habere debeãt?

Aristotele, apta tamen quæ depingatur, ideoq; quicquid primitus in se recipit, ad hoc protinus inclinata flectitur, siue
Prouerb. 22. bonum siue malũ fuerit. Comparatur etiam ceræ molli apud D. Aurelium lib. 3. de similitudinibus, quæ cùm receperit sigilli imaginem, dimittere inueteratam nescit. Item agro
Hom. 49. super Matth. inculto apud D. Ioannem Chrysost. qui si negligatur, vepribus & spinis replebitur, si diligenti excolatur opera, maturam messem producet: Quod enim noua testa capit, inueterata sapit, seruatque odorem. Hinc D. Augustinus simbolum & orationem Dominicam omnibus præscribit addiscẽdam. Et D. Ambros. Symbolum debemus tanquam nostri signaculum cordis, antelucanis horis quotidie recensere, quo etiam cùm exhorrescimus aliquid, animo recurrendum est, non enim inuenitur miles sine militiæ sacramento, in tentorio, nec bellator in prælio. Sed eheu non raro contingit parentes adeò vix vitæ ignaros, vt nec præcepta, nec symbolum calleant (cùm tamen manus & pedes, si diligentem habeant inspectorem, decalogi pręcepta, quasi quibusdam calculis enumerent) Horum agrestibus moribus adolescentia deprauata egrè castigatur, quando peccamina per longas inualuere moras, iuxta illud Iuuenalis 14. Satyra:

Pueri quibus imbuendi quomodo erga Deum?

Serm. 215. & 216. de temp.

Li. 3. de virginibus ad sororem.

Præcepta decalogi docent manus & pedes.

Quum septimus annus
Transierit, puero nondum omni dente renato,
Barbatos licet admoneas mille inde magistros.

Et pauló post:

Hinc totidem fugienda patrum vestigia ducunt,
Et monstrata diu veteris trahit orbita culpæ.

Idipsum & post pauca, duplici exemplo (Ciconię scilicet & Vulturis) ostendit dicens:

Plurimum enim intererit quibus artibus & quibus hunc tu
Moribus instituas: serpente Ciconia pullos
Nutrit, & inuenta per deuia rura lacerta,
Illi eadem sumptis quærunt animalia pennis,
Vultur iumentis cruribus canibusq; relictis.
Ad fœtus properat, partemq; cadaueris adfert,
Hinc est ergo cibus magni quoque vulturis, & se
Pascentis propria cùm iam facit arbore nidos.

Hinc Threnorum 3. & Eccle. 7. Filij tibi sunt, erudi eos, & curua eos à pueritia eorum. Curua, inquit, ad similitudinem virgulti, quod cùm adhuc tenerum est, in quamuis partẽ flexile reperitur; cùm autem in robur excreuerit, fregeris id citius quàm inflexeris. Deinde informandi sunt liberi, quate-
2. Imbuendi sunt. nus timor Dei processu ætatis maiora sumat incremẽta, quòd initium sapientiæ timor sit Domini Psal. 110. Vbi enim timor Dei est, ibi auri sacra fames nõ est, ibi furor nõ est. Sicut enim

enim latro aut fur accedere non præſumit, vbi fortis armatus
atrium cuſtodit, ita timor peccati lattocinium expellit, virtu-
tumque merita inſerit, teſte beato Ioanne Chryſoſt. & Au- *Homil. 15. ad*
guſt. Deus, inquit, timendus eſt in publico, timendus eſt & *Antioch.*
in ſecreto, cùm procedis, videris; & cum ingrederis cubilis ſe- *47. de verbis*
creta, oculos maieſtatis omnia contemplantis non effugis. *Domini.*
Præterea doceant eos gratitudinis holocauſta Deo, de cun- *3. Inſtruant*
ctis præſtitis beneficijs offerre, potiſſimum de creationis di- *ſobolem.*
gnitate, qua non lapidem, aut lignum eos formauit, teſte Au- *De ſpiritu &*
guſt. ſed ad imaginem ſuam Geneſ. 1. Imo omnibus præfe- *litera cap. 17.*
cit hominẽ creaturis: Dominamini, ait, piſcibus maris. Adeo
vt angeli ſint adminiſtratorij ſpiritus, Hebr. 1. nec dedignã-
tur illud Pſal. 90. in nobis explere; Angelis ſuis Deus manda-
uit de te, vt cuſtodiant te in omnibus, &c. Sol radios ſuos tibi
interdiu diffundit, Luna antelucanis horis lumen ſibi impar- *Gratiarum*
titum nequaquam abſcondit, oues & boues præter ſeipſos *actio de qui-*
bitumque tegumen, copiam lactis tuis vſibus exhibent. Et *bus.*
quod vel maximè gratitudinem poſtulat, eſt amara Chriſti
paſſio, quam noſtri cauſa ſubire dignatus eſt, humanum ge-
nus apoſtaticis ſpiritibus multipliciter præferendo: Primo in
honore, non enim eorum naturam, ſed hominis aſſumpſit,
nuſquam angelos apprehendit. Secundo in amore, quia ho- *Hebræor. 2.*
minem proprio ſanguine, inſtar pelicani reparauit, quod an-
gelis lapſis non fecit. Tertiò in viſione, nam ex contempla-
tione humanitatis, homo maiori quàm angelus perfruetur
gaudio, quia contemplabitur ſuam naturam diuinæ vnitam.
In carne mea videbo Deum ſaluatorem meum. Vltimò ad- *Iob, 19.*
monere filios tenentur, vt eccleſias frequentent, quod Chri- *4. Docere pa-*
ſtus verbo docuit, & exemplo monſtrauit. Vnde antiquitus *rentes debent*
ſolebant iuniores monaſticis tradi diſciplinis, ibique honeſtis *filios.*
imbui moribus exemplo Samuelis & Salomonis induſtria *Luc. 2. Tobiæ*
Nathan Prophetæ inſtructi; ac virginis glorioſæ, quæ ad nu- *1. & Act. 3.*
biles vſque annos, in templo diuinis fuit mancipata, teſte *1. Reg. 7.*
beato Hieron. epiſtola ad Cromatium & Heliodorum. Et ſi- *2. Reg. 12.*
cut inciuilis reputaretur filius, qui communem cum paren- *Tom. 4.*
tibus plateam occupans, non ſemel in die illos verbis ſaluta-
ret pacificis, ita multo magis humanitatis dicitur oblitus, qui
non ſaltem ſemel in die limina templorum terit, vt cæleſtem
ſalutet patrem, breui verborum compendio, apud quem con-
idit ſe perpetuò regnaturum. Altera ſalutis methodo im- *Quomodo er-*
buere debent ſobolem, quomodo erga proximos ſe habere *ga proximũ.*
conueniat, quibus dilectionem fidelitatemque exhibere te-
neantur, etſi ad inopiam redacti fuerint, opem ferre, vt
cum beato Iob dicere queant illud. Ab infantia creuit me-
cum miſeratio, vt miſericordiam conſequantur, iuxta illud

Matth. 5. Beati misericordes, quoniam misericordiam consequentur. Damnũ etiam inferre proximis prohibeãr, tam famæ quàm rerum, ac inferentibus prompto animo indulgere fatagant.

Prælati & Patres spirituales an admittendi?

CAPVT V.

QVANQVAM Iohannes Vviclephus articulo suo nono concil. Constantien. sess. 8 proscripto; noluerit ecclesiæ prælatos esse admittendos, in cuius damnatam hæresim Ioãnes Brentius nostræ tẽpestatis hæresiarcha, qua si pedibus ire, ex quibusdam scripturæ locis perperã intellectis,
Matth. 23. præsumpsit, quia Dominus ait: Nolite vocari Rabbi, vnus est
Hierem. 31. enim magister vester. Nõ docebit vir vltra proximũ suum; sic prioris Corin. 3. & posterioris 4. Omnes, inquit Brẽtius, sunt serui, siue Gregorius Papa, siue Maximilianus, siue Philippus magnus Rex Hispaniarum; vos autem Christi. Attamen præfectos in ecclesia esse necessarios, cùm Ecclesiasticos tum
li. 26. Moral. Ciuiles, docet beatus Gregorius dicens: Summus locus benè
cap. 19. regitur, cùm is qui præest, virijs quàm fratribus potiùs do-
Origo prælationis inter homines peccatũ. minatur. Cunctos quippe natura æquales genuit; vt autem alij ad regendum alijs committantur, non eos natura, sed culpa postposuit. Non ignorandum tamẽ hic quod ecclesia militans & triumphans in multis similes sunt: Nam habent vnũ prælatum Deum, sub quo 9. chori Angelorum: Sic Synagoga habuit Pontificem, Iudith 11. & Mar. 13. Duxerunt Iesum ad summum sacerdotem, cuius potestas omnes antecellebat.
Deuter. 17. Qui superbierit nolens obedire sacerdotis imperio, qui eo tempore ministrat Domino Deo tuo, morietur homo ille, &
lib. 1. epist. 3. Cypria. inde hæreses nascuntur, quod nolint obedire prælatis, cùm nulla sit domus absque hero, nulla familia absque domino, nulla ciuitas absque capite. Sic in ista magna familia absit
Iud. 17. quod dicitur: In illis diebus non erat rex, sed quilibet agebat prout sibi bonum videbatur. Vt multi rami ad vnam radicẽ, multa membra ad vnum caput, & armenta ad vnum pastorem; ita corpus ecclesiæ multis membris dilatatum eget gubernatore, quo vniue sæ difficultates sopiendæ, quo concilia
Ephes. 4. cogenda, & contumaces corrigendi. Posuit quosdam Apostolos, &c. alioqui ecclesiæ sponsæ non benè prouidisset. Istud
1. Reg. 7. euidenti liquet Saulis exemplo, & antea multis temporum
Genes. 10. & 1. Paral. 1. tractibus Nemrothi venatoris superbia, A cuius posteritate exordium sumpsit Roma: Nam Hesperus extitit frater Itali, à quo Italia, quæ Hebræis Cethim dicitur, Hiere. 2. Huic
Roma vrbs quãdo cõdita. Italo fuit filia nomine Roma, quæ regionis gubernacula 46. annis tenuit, & anno tricesimosexto sui regni, paruæ iecit funda-

fundamenta Romæ,teſtibus Methaſtene & Beroſo,quã Remus & Romulus ſub temporibus Ezechiæ regis ampliârunt; Huic laudis auiditas, pecuniæque liberalitas,gloriam ingentem processu temporum cumulauit ; propter hanc viuere voluerunt,pro hac mori non dubitauerunt,ſecũdum D. Auguſt. quoniam ſeruire videbatur inglorium : dominari verò atque imperare, glorioſum. Regalis tamen dominationis capiſtrum non ferẽtes, imperialiſque dignitatis ſeruitutem excutientes,annua imperia,binoſque Imperatores ſibi fecerũt, qui conſules à conſilijs , non reges aut domini à regnis, ſunt nuncupati . Expulſo itaque Roma Tarquinio, & conſulibus inſtitutis,ſequutum eſt quod optârunt: nam breui temporis ſpatio , incredibili modo auguſti creuerunt , teſte Eutropio. Concordia ſiquidem res paruæ creſcunt , quæ diſcordia dilabuntur . Cùm autem iam non ſolùm libertate acquiſita gauderent,ſed longè lateq́ue dominari inciperẽt,& proindè conſulibus , ſenatoribus, viris patricijs dilatata fulgeret, vanitati luxuiq́ue deditis,plebei (vt multi etiamnum hodie) obmurmurando illis inſultabant , teſte Tito Liuio . Nos in ſudore vultus veſcimur pane,aiebãt, & circa frequẽtia laborum miniſteria ſatagimus pro iſtis in otio & delitijs tẽpus tranſigẽtibus; Exeamus quantotius,& erigamus nobis aliã,ne amplius noſtri dominentur,ciuitatem : Tum his generoſitas Romana deſtinauit Memenium Agrippam legatum , qui inſigni paradigmate eorum rebellionẽ repreſſit : Accidit,inquit,manum operatam, vt corpori victus neceſſaria procuraret,pedes curſitaſſe,vt ventri pigro quæſtum haurirent, poſtmodum os dixit, non intromittam amplius in ventrem cibum præmanſum, manus exilientes clamitârunt, nolo deinceps ventri pigro arte mechanica temporalis vitæ ſtipendia comparare, reliquaq; membra ſuum ventri ſubtraxêre obſequium . Quid plura ? exemplum dedit intellectum, conſpexerunt namque manus,pedes,oculi,reliquaq́ue corporis membra præmortua, ventrem adhuc in ſuis præcordijs humidum radicale, ac vitæ ſpiritum fouere, atque toto exanimi corpore in ſolo pectore vitalem calorem anhelare ? Quod vbi conſiderârunt reliqua membra,faſſa ſunt ſeſe arbitrata, ventrem depẽdere à membris,ſed oppoſitum luce meridiana clarius manifeſtum euaſit. Venter primates ac proceres reges ac principes ſignificat, qui licet artem non exerceant mechanicam, quanquam ſubinde calleant , tamen maturo ſuo conſilio cuncta gubernant, atque tranquillitate ac pace rempublicam pulchrè ornatam conſeruant: Remota namque principum regumq́ue lege & iuſtitia,quid eſſent regna, niſi magna latrocinia ? teſte beato Auguſt. Quod & grues, natura magiſtra, cognoſcere potue-

Lib. 5. de ciui. Dei cap. 12.

Lib. 1. hiſtoria Romana.

Lib. 2. prima Decadis.

Regna abſque iuſtitia ſunt latrocinia.

Lib. 4. de ciuit. Dei. ca. 4.

Gruis & apis natura ducem habentium.

Lib. 5. Hexamer cap. 15. Lib. priori cap. 21.

runt, sibi mutuo ducem alternatim constituentes, secundum D. Ambro. & apes, de quarum rege cōsulere licet Virgilium, longè lateq; differentem, & D. Ambros. Cæteris, quòd haud difficulter ex scripturis erui possint, supersedemus. Vt autē argumentis fiat satis, aduertendum est vnum magistrum esse in cælis, omnesq; esse docibiles Dei. Quos enim hic non docet, indoctos remanere oportet: Nequaquā enim vox magistri tantæ creditur efficaciæ, vt peccatorem per se faciat resipiscere, vti docet B. August. Ecclesiastes namq; agrum cordis vomere prædicationis ac admonitionis sulcare potest, triticū tamen facere nō potest, vt habet August. Ideoq; sine doctore censentur tanquam cæcus sine ductore ab eodem. Prælibata autem argumenta soluit Aug. dicēdo, quod omnes homines regni illius erunt docibiles Dei, nec ab hominibus audiēt, & si ab hominibus audiant, tamen quod intelligūt, intus datur, intus reuelatur: Quid faciunt homines forinsecus annūtiantes? quid facio modò ego cùm loquor? strepitum verborū auribus vestris ingero. Nisi ergo reuelet ille qui intus est, quid proficiunt? nam neq; qui plantat est aliquid, neq; qui rigat, sed qui incrementum dat Deus, secundum Apostolū, hoc est, Erunt omnes docibiles Dei, vnus magister, &c. vt perpulchrè tradit beatissimus August. Vel etiam possunt prædictæ authoritates, eodem teste lib. de spiritu & litera accipi, de perfectione æternæ beatitudinis, vbi maior, minorem simili gratia & honore refulgentem erudire cessabit.

Solutio argumentorū præmissorum. Lib. de natura & grat. c. 40. De grat. Christi contra Pelag. lib. 1. c. 2. Et Gregor. lib. 11. Mora. c. 5. & li. 13. c. 3. Homil. 3. super epist. Ioan. Serm. 112. de tempore. Tract. 3. & 16. in Ioan. 1. Corinth. 3. In Prolog. lib. de doct. Christ. Lib. 1. de peccat. merit. & remiss. cap. 5. Et serm. 2. de sanctis.

Quales debeant esse prælati spirituales?

CAPVT VI.

Cap. 24.

SACRIS operantes leguntur diuinorum mysteriorum in sacra pagina dispēsatores, Dei hominumq; mediatores, & proinde, quo ad se, oportet sint irreprehensibiles. Quantum attinet ad dispensationem eis cōcreditam, nullus est mortalium, qui hac prærogatiua ex se fulgere potuit, non enim indice instar magni illius prophetæ Ioannis, produnt saluatorē, non eius duntaxat alloquio, vt Moyses, perfruuntur, sed Deum consecrant, & (si loqui liceat salua tantę maiestatis dignitate) increabilem creant. Nec offerunt arietes vt Aaron, sed vnigenitum Dei filium, quod nec angelis cherubicis, nec spiritibus seraphicis legitur concessum; Cælumque ex mūdo reformant, vbi enim Imperator, ibi & curiæ deesse nequit regalis frequētia, teste Chrysost. & Gregor. Hinc Malachiæ 1. angelus appellatur. Non ergo mirum videri debet, si sacerdotes parētibus, honoris priuilegio anteferamus, cùm & Reges diadema sacerdotibus deponāt, & angelis istis terrenis

1. ad Tim. 3.

Prærogatiua sacerdotalis.

Lib. 3. de sacerdot.

Lib. 4. Dialog. cap. 58.

renis reuerentiam exhibere debeāt. Quemadmodum enim plumbum superatur ab auro, ita secularis ab ecclesiastico, secundum beatum Chrysost. vbi suprà, & vt sol lunam magnitudine vincit, vtpote quadragies octies maior, secūdum opinionem Ptolomæi in Almagesto, ita sacerdotes reliquā plebem dignitate. Imo tantum discriminis opinatur inter sacerdotem & secularem constituendum, Chrysost. quantum differūt ouis animal brutum & opilio, hoc est pastor. Vt autem istis mysterijs (apud D. Chrys. & Greg. libris pastoralis curæ positis) dignè ministrare valeant, oportet nō sint mercatores, teste beato Aug. & Conc. Cabilon. 2. nec prophanā habitu seculari vitā præferant, secundū Conc. Agaren. & Trident. Illecebras quoque carnalis concupiscētiæ impolluto corpore superare debent, vt infra probabitur alio præcepto. Nec solùm incontaminato corpore, sed & mūdo debent esse corde: Mundamini qui fertis vasa Domini, Esa. 52. vt cælestium mysteriorū ministrando, fiant participes. Qua enim præsumptione alteri mederi properat, qui in facie vulnus portat? Munda debet esse manus, quæ aliorum abluat sordes, ne tacta quæque deterius inquinet, teste Gregor. Nec istud solum, sed tabernaculum ingrediens tintinabulis ambiatur, oportet, vt partes prædicatoris vocatus adsumat, ne ex silentio, tanquam canis mutus, Deum offendat. Quid per tintinabula vestimentis inserta aliud, quàm recta debemus accipere opera? commonente Propheta; Sacerdotes tui induantur iustitia. Vestimentis itaque tintinabula inhærent, si vitæ viam cum linguæ sonitu, ipsa quoque opera sacerdotis clamant. Ex quo loco discimus sacerdotes, non solùm sui rationem habere debere, sed etiam populi, cuius peccata manducant. Sunt namque medici spirituales, vt infirmos consolident, deuios reducant; confractos resarciant, ignaros instruant, secundum Ezech. Nec solùm docere forinsecus, & aures blandis demulcere debent sermonibus, vel operibus bonis, quibus eluceant, insudare, sed & oblationibus, Deo populum debent reddere propitium; Hoc facite in meam commemorationem. Hic tamen non est dissimulandum, propter sententiam Apostoli Petri, Duplices esse sacerdotes, Morales & Ministeriales: De prioribus intelligendus est Petrus, inquiens; Vos estis genus electum, regale sacerdotium, gens sancta, offerentes nimirū spirituales hostias. Quo modo vniuersi fideles offerūt Deo patri passionem Christi, offerunt & cor contritū, detestationē peccati, propositum melioris vitæ, orationis feruorem, ac carnis mortificationem, vti legimus, Roman. 12. Exhibeatis corpora vestra, hostiam viuentem, sanctam Deo placētem, &c. Nemo tamen hic rectè intulerit istos, & illos, eiusdem ordinis eiusdem-

Sol quāto maior terra. *Propositione 18.* *Seculares multis parasangis antecellunt sacerdotes ac presbyteri.* *Lib. 2. de sacerd.* *ser. 19. de verbis Domini.* *Ca. 12. et 44* *Cap. 20.* *sess. 14. c. 16.* *Sacerdotes quales forinsecus esse debeant et intrinsecus?* *2. parte Pastoralis curæ.* *Dist. 43. cap. Pudicus.* *Exemplis præluceant sacerdotes.* *Osee 4.* *Officia sacerdotum.* *Docere debent populum.* *44. cap.* *Lucæ 22.* *1. epistolæ, c. 2* *Duplex sacerdotium.*

eiusdemque dignitatis, cùm eodem argumento concludi posset omnes esse reges, quod nemo sanæ mentis concesserit. Possumus & aliter hunc locum expedire, vt verba Apostoli toti collectioni, nõ cuilibet personæ dicta sint, sicuti legimus, Exodi 19. vbi non erant omnes sacerdotes. Huic adstipulatur, D. August. Et beatus Ambros. lib. de S. Ioseph, vbi pulchrè disserit ciphum solùm in sacco Beniamin esse repertũ, quod consecratio calicis sit solùm penes sacerdotes, qui in ministerium à Deo sunt electi. Insuper orare debent pro populo, teste Moyse: Si fecerit populus contra præceptum, orabit pro eo sacerdos, & propitius erit ei, Ioelis 2. Inter vestibulum & altare plorabũt sacerdotes ministri Domini, & dicent; parce Domine, parce populo tuo, & ne des hæreditatem tuam in opprobrium. Sic Moyses Exodi 32. aut dimitte eis hanc noxam, &c. Parceret vtique nunc Dominus populo suo, si fideles haberet precatores, talesque intercessores. Hinc Ezechiel. 22. conqueritur; Quæsiui virum de eis qui interponeret sepem, & staret oppositus contra me, & non inueni. Sanè quantum efficaciæ habeat oratio sacerdotis, liquet, Numer. 16. & apud beatum Ioannem Chrysost. vbi legitur, quod propter statuæ laudatissimæ Placillæ subuersionem Theodosius Imperator Antiochenam ciuitatem euertere, omnium facultates deripere, habitacula cum habitatoribus Vulcano consecrare, ac aratro fundum proscindere decreuisset, vertices montium monachi malum impendens dissoluerunt; Siquidem simul atque resciuissent tantam ruinam ciuitati esse interminatam, Tuguriola cellularum relinquentes, veluti Angeli de cælo missi miserorum causæ patrocinantes, furibundum Augusti animum placauerunt, adeò vt Antiocheni monachos patronos, imò saluatores appellitare non erubescerent. Sicut & Romani, secundum Greg. multis laudum preconijs religiosos extulerunt, si enim illi non succurrissent, precibusque communem calamitatem Domino non commendassent, nullus per tot annos subsistere inter Longobardorum gladios potuisset.

Lib. 20. de ciuit. Dei c. 10. Cap. 11. Ciphus in sacco quid? Genes. 44. Deuter. 17. Leuit. 4. Orare debent pro peccato. Homil. 17. ad Antioch. Timorati monachi quàm vtiliter in ciuitatibus commorentur. Lib. 6. epistola 23.

Quales debeant esse Prelati ciuiles?

CAPVT VII.

SECVLARIVM Principum & Iudicum integritas in tribus cõsistit: Primo vt sine personarum acceptione iustitiã administrent, Secundo vt temperatis moribus seruent modestiam, Tertio vt Dei timentes reuereantur ecclesiam. Quoad primum, princeps aut iudex in cõtrouersijs decidendis, neminem respicere, nec patrem, nec amicum, nec fratrem

Acceptio personarum nõ fit penes iudicẽ.

fratrem aut vicinum, denique nec inimicum (vt magis iustitiam quàm proprias prosequatur affectiones) debet, teste August. & D. Greg. vnde sanctus Moyses iudicibus à se constitutis, dixit, In iudicio non acquiesces plurimorum sententiæ vt à vero deuies, pauperis quoque non misereberis in iudicio. Et: Videte, inquit rex Iosaphat, quid faciatis; non enim hominis exercetis iudicium, sed Domini, & quodcunque iudicaueritis, in vos redundabit, quia secũdum insignem serm. (qui est 35. ad fratres in eremo) reputati estis ab hominibus duces populi, iudices terræ, partes orphanorum, viduarũ mariti, iustitiæ zelatores, ac reipublicæ amatores. Tyrannis igitur omnino, summopere vitari debet: Nam Valerius Maximus exemplum adducit, ne ad latum quidem vnguem, à iustitiæ rigore iudicantes deflectamus, quia rex Cambises, corrupti cuiusdam iudicis ex corpore pellem detractam, sellæ iudiciariç intendi, in eaq; filium eius iudicaturum considere iussit; Cæterùm, inquit, & rex, & barbarus, atroci ac noua pœna iudicis, ne quis postea corrumpi iudex possit, prouidit. Rursus de Zeleuco, sic refert: Zeleucus vrbe Lottensium, à se saluberrimis atque vtilissimis legibus munita, cùm filius eius adulterij crimine damnatus, secundum ius ab ipso constitutum, vtroque oculo priuari deberet, ac tota ciuitas in honorem patris necessitatem pœnæ adolescentulo remitteret, aliquandiu repugnauit; Ad vltimum precibus populi euictus, suo prius, deinde filij oculo eruto, vsum videndi vtrique reliquit: Ita debitum supplicij modum legi reddidit, æquitatis admirabili temperamento se inter misericordem patrem & iustum legislatorem partitus. Simile quid reperire est apud eundem de seueritate Bruti, & de Charunda Tyrio, qui se interfecit, quòd gladio accinctus ad consilium, contra legem intrasset. Secundo in principe ac iudice requiritur, vt luxu seposito, colat modestiam, vt inquam, sumptus secũdum opum quantitatem metiatur, ne prodigus ipse nullum modum seruans, prędo sit, qui princeps esse debuerat, & grassetur in subditos ipse, quos defendere debebat. Siquidem Sapiens ait: Vrsus esuriens, & leo rugiens, est princeps impius super populum pauperem; prodigus enim & luxui deditus princeps, solet in subditos debacchari. Caueant ergo ne pretio corrumpantur, vel precibus flectantur, nec limites iustitiæ munerum intuitu transiliant. Sed dicent fortè iudices aut primates, nil recepimus nisi vltrò oblata; Hic malo D. Aug. quàm meis respondere verbis, vbi suprà: Ego dico, & & si non amplius recepistis, latrones esse potestis; Latro siquidem timet malum, & vbi non potest, non facit, & tamen latro est: Deus enim non manum, sed cor interrogat: lupus frequenter

venie

Serm. 14. ad frat. in eremo. *Lib. 19 Moral. cap. 14.* *Exod 23.* *2. Paral. 19.* *Epitheta Iudicum.* *Lib. 6. cap. 3.* *Lib. 6. cap. 5.* *Exemplũ magni rigoris ac iustitiæ.* *Lib. 5. cap. 6.* *Lib. 6. cap. 5.* *2. in Iudice requiritur.* *Prouerb. 28.* *Obiectio vel elusio iudicũ.*

venit ad ouile,& quærit deglubere oues & deuorare, vigilant tamen pastores, latrãt canes, sicque lupus timendo fugam capit, nunquid tamen non lupum esse dicimus? absit. Sic & vos facitis quantum potestis, si plura possetis, faceretis. Eleganter Alexandro magno quidam comprehensus pirata respondit, teste Cicerone, & D. August. Cùm enim rex interrogasset quid ei videretur, vt mare iugiter haberet infestum? Ille libera proteruia; Quid tibi, inquit, vt orbem terrarum? Sed quia id ego exiguo nauigio facio, latro vocor, quia tu magna classe, Imperator. Et sermone 31. ad fratres in eremo. Cùm quæsitum fuisset, à Socrate, cur sic risu inordinaro solueretur, Respondit, video magnos latrones ad suspendium duci facere paruos, & alta stentoreaque voce clamauit; O quam digniores estis suspendi, qui in cathedris & domibus habitatis, latrocinia maiora committentes, quàm qui in siluis, cum tremore quotidie demorari videntur; Qui si æquitatis essent obseruantes, vtique abundè illis suppeteret, quod etiam possent egenis impartiri. Si autem auaritiæ facibus accensi imperent, potius tyrannos, quàm æquos iudices se esse demonstrant, quos nulla ratione Reipublicæ præficiendos D. Thomas epistola ad Ducissam Brabantiæ edocet. Nec hoc mirum cuiquam videri debet, cùm & gentiles hoc dissuaserint: Legitur namque de Scipione Aemiliano apud Valerium Maximum, qui requisitus quem iudicaret ad Hispaniam regendam idoneum, diuitem auarum, an pauperem. Respondit; priori nihil satis est, quippe qui ardeat auaritia; Secundus nihil habet, ideo cogetur rapere vt sustentetur. Quare Tiberius Cæsar nunquam vel rarò mutabat procuratores, quia, inquit, scientes se breui tempore habituros administrationem in iurisdictione ciuili, breuique rude donandos, crebra munera emungendo, tandem elicient & sanguinem. Quocirca posuit cuiusdam vulnerati exemplum militis, qui inhibuit ne muscæ sanguine satiatæ, à vulneribus repellerentur, ne superuenientes famelicæ grauius eum torquerent. Marcus Curius, teste Valerio, exactissimam frugalitatis normam, ac perspectissimum fortitudinis specimen omnibus iudicibus exhibuit: nam Samnitum legatis, agresti se in scamno, assidentem foco, ac ligneo catino cœnantem spectandum præbuit: Ille enim Samnitum diuitias contempsit, Samnites eius paupertatem mirati sunt; nam cùm ad eum magnum auri pondus publicè missum attulissent, benignis verbis inuitatus, vt eo vti vellet, vultum risu soluit. Superuacuæ, inquit, & ineptæ legationis ministri, narrate Samnitibus Marcum Curium non aurum habere velle, sed aurum habentibus velle imperare, atque istud prætiosum hominum excogitatum munus

Lib. 3. de republica.
Lib. 4. de ciuitat. cap. 4.
Rapinis non incumbant principes.

Quibus officia reipub. cõmittenda?

Exemplum militis.

Lib. 6. cap. 4.

Lib 4. cap. 3.
Insignis Marci Curij constantia.

munus refertote, & mementote me, nec acie vinci, nec pecunia posse corrumpi. Memorabile quoque paulo ante continentiæ Scipionis exemplum producit: Quattum enim & vigesimum annum agens Scipio Emilianus, cum in Hispania, Carthagine oppressa, maioris Carthaginis capiendę sumpsisset auspicia, multosque obsides, quos in ea vrbe Pœni clausos habuerant, in suam potestatem redegisset, eximię inter eos formæ virginem æraris adultæ, & iuuenis, & celebs & victor, postquam competit illustri loco inter Celtiberos natã, nobilissimoque gentis eius indibili desponsatã, accersitis parentibus & sponso inuiolatam tradidit, aurũ quoque quod pro redemptione puellæ allatum erat, summæ dotis adiecit: Qua continentia ac munificentia Indibilis obligatus, Celtiberorum animos Romanis applicando, meritis eius gratiam retulit. Quis huiusmodi animi moderationem, temperantiam, rerumq; transitoriarum contemptum, nũc inter Christianos inueniat? Illi legem non habentes, ea quæ legis sunt, fecerunt: Surgent itaque in iudicio, & condemnabunt istam generationem. Tertiò desideratur in principibus, vt Dei timorem habeant, ac ecclesiam tueantur, pro cuius defensione publicæ fidei præstant iuramentum, quatenus de terris suæ iurisdictioni subiectis, vniuersos hæreticos atque malignos, pro viribus exterminare studeant. Iuo: Quod si facere domini temporales, aut eorum baliui neglexerint, excommunicationis vinculo innodantur, vti habet concil. Lateranens. sub Innocen. 3. celebratum. Nec aliquatenus falcem in alienam messem mittant, ne ad modum Osiæ regis, inconcessa in templo vindicantis, & ob hoc lepra percussi, ipsi spirituali lepra, hoc est, sacrilegio contaminati, detestabiles efficiantur. Dauid rex quia Dei erat cultor, cunctis hostibus erat formidabilis, & quocunque pergebat, gloriosum reuexit triumphum. Quin & Salomon filius eius, Deo magnificam extruxit domum, quo factum est, vt vniuersos reges gloria & honore multis parasangis anteuerterit. Porrò altis suspirijs ingemiscendum est, quod iam quidam existimant sibi fore dedecori, si diuinæ legis concioni cum plebeis nonnunquam adesse contigerit, vel in templis genua Deum adoraturi curuauerint; Quos interim ebrietas eneruat, alea decoquit, secundum Ambros. & Alexandrum de Hales ac venatio euiscerat, teste beato August. & libido corrumpit: Hæc siquidem sunt quorundam fortia facta, quibus sibi ignominiam sempiternam, non gloriam conciliant: Nam quid agerent, qui probitate deserta, otiosi & inertes, vitiorum suorum mancipia, improbis cupiditatibus dediti, neque diuina, neque humana quicquam pensi habentes, prauis tantum facinori-

Continentia Iudicum principumq; speculum præfulgidum.

Roma. 2.
Matth. 12.
Principes habeant timorem Dei, similiter & iudices.
Par. 10. c. 99
Iudices quale præstent iuramentum?
Ca. 3. §. Dãnati, & duobus sequentibus.
2. Paral. 26.

Fortia facta modernorum nobilium quorundam.
Li. 2. de Abraham, cap. 9.
Parte 4. q. 89
serm. 251. de temp.

facinoribus illustres, longè lateque conspicuos sese reddunt? Per hos Ecclesia Christi non ædificatur, sed scandalizatur, non defenditur, sed contemnitur, non colitur, sed spoliatur; Præfixam tamen semper oculis istorum oporteret esse sen-
Matth.22. tentiam, qua Dominus pronuntiauit reddenda esse Cæsari, non quæcunq; sed quę sunt Cęsaris: Nam si aduersus æquitatem aliquid exigant seculares principes, contra fidem, contra religionem, aut contra sana Ecclesiæ Catholicæ dogmata (quod vtinam attendissent istis lachrymabilibus diebus nostrates) parendum eis nequaquam est, sed magis ad mortem
Aurea Hosii Cordubensis sententia. vsque pro iustitia certandum. Quod perpulchrè docet Hosius episcopus Cordubensis apud D. Athanasium. lib. ad solitariam vitam agentes, insigni memorabilique constantia Constantium Imperatorem Arrianum confundēs: Non te, inquit, misceas ecclesiasticis, neque nobis in hoc genere præcipe, sed potius ea à nobis disce, Tibi Deus imperium commisit; nobis quæ sunt ecclesiæ concredidit. Et queādmodum qui suum imperium malignis oculis carpit, contradicit ordinationi diuinæ, ita & tu caue, ne quæ sunt ecclesiæ ad te trahens, magno crimini fias obnoxius. Date (scriptum est) quæ sunt Cæsaris Cæsari, & quæ Dei Deo. Non ergo fas est nobis in terris imperium tenere, neque tu thimiamatum & sacrorum potestatem habes ô Imperator. Et D. Ambros. Con-
Epist. 33. quæ est ad Marcellam sororem, et allegatur cap. Conuenior 23 quæst. 8. uenior, inquit, ipse à comitibus, vt per me fieret basilicæ matura traditio, dicentibus Imperatorem iure suo iussisse tradi debere, vtpote in cuius potestate essent omnia; Respondi: Si à me peteret, quod meum est, id est, fundum meum, argentum meum, & huiusmodi meum, me non refragaturū, quanquam omnia quæ mea sunt, sint pauperum; Verùm ea quæ
D. Ambrosii animositas. diuina sunt, Imperatoriæ potestati non sunt subiecta: Si patrimonium petit, inuadite; si corpus, occurram. Vultis in vincula rapere? vultis in mortem? volūtas est mihi, Non ego vallabor circumfusione populorum, nec altaria tenebo, vitam obsecrans, sed pro altaribus gratis immolabor. Et paulò post mandatur: Trade basilicam, hoc est, dic aliquod verbum contra Deum & morere, nec solùm dic aduersus Deū, sed etiam fac aduersus Deum: Mandatur, trade altaria Dei, vrgemur pręceptis regalibus, sed confirmamur scripturæ sermonibus, quæ respondet: Tanquam vna ex insipientibus loquuta es. Quid ergo turbamini? volens nunquam deseram, coactus
Arma sacerdotum, lachrymæ & gemitus. repugnare non noui, dolere potero, flere potero, aduersus milites Gothos, lachrymę meæ arma sunt, eodem teste oratione ad Auxentium. Et lib. 3. Talia enim sunt munimenta sacer-
Offic. cap. 4. & 9. dotis, aliter nec debeo, nec possum resistere. Ad Imperatores palatium pertinet, ad sacerdotes Ecclesiæ: Publicorum tibi

meniu m

menium commissum est negotium, nō sacrorum, & reliqua quæ pulchrè eadem epistola subsequuntur. Quibus allegandis breuitatis ergò supersedebimus.

Quali honore prælati sunt prosequendi?

CAPVT VIII.

TVRCICA crudelitas ac pagana barbaries suis Mystis (qui prolibus generandis operam dant, atque terrenis mundanorum negotiorū occupationibus inhiant) reuerentię signa exhibent; magnopereque suspiciunt, quemadmodum luce meridiana euadit manifestum doctrina Sapientis, & exemplo Pharaonis, qui suos sacrificos, non solùm honore prosequendos censuit, verumetiam tempore annonæ ex horreis publicis illis prę cęteris prouisum esse voluit. Sperabant siquidem grandi fiducia, imò sibi pollicebantur omnia fore prospera, si sacrificis dignum deferrent honorem, vti Michas idololatra, sibi persuadebat. Scio, inquit, quod Dominus benefaciet mihi, quia habeo sacerdotē Leuitici generis. Quam putamus ergo ansam præbere infidelibus exprobrandi & subsannandi, ceu commentitiam legem nostram, blasphemandique nomen Dei nostri? quin verò hanc hæresum truculentam pestem, inde cōpertissimū est fuisse subortam, indeque nutritam, quod spirituales prælatos habuerimus contemptui, eorumque monita detisui, secundum beatum Cyprianum, ad Cornelium Papam, quos tamen Dominus verbis & exemplis honorādos mōstrauit, quando leprosos ad sacerdotes direxit, vti luculentius illo dicendi genere manifestāt sermones discipuli humili scemate appellati, Dominica 14. post Penthecosten. Præter Christi factum, habemus & Petri Apostoli exemplum, qui Zachæum Episcopum Cæsariensem consecrauit, eumque vt Christum honorādum præcepit, teste D. Clement. & Ambr. item prioris ad Timoth. 5. Duplici honore censentur, qui bene præsunt, digni. Sed aliquis inmurmurando obganniet, vtinam sint nobis numerosi, qui bene præsint, vtinam sint multi nobis Zachæi, qui veri Episcopi prouinciam assumentes, Paulinas constitutiones, obseruarent. Vtinam, iam inquam, sint, qui dimidium bonorum suorum erogent pauperibus, & non potius vanis sumptibus & damnabilibus seculi pompis inhiarent; vtinam patres pauperum se exhiberent, & non carnis delitias voluptatisque illecebras quærere se ostenderent. Profectò dolendum & ingemiscendum est magis quàm temeraria præsumptione iudicandum. Sed ipse Christus exemit nobis hunc scrupulum, quando Scribas & Pharisæos vtiq; varijs peccatorum oneri-

Ecclesi 7. *Genes 41.* *Iudicum 17.* *Hæreses vnde exortæ.* *Lib. 1. epist. 3.* *Luc. 17.* *Sermones discipuli hic vti'es.* *Lib 3 Recog. ad Iacobum fratrem Dom.* *Lib. 2. Offic. cap 24.* *Zachæus episcopus Cæsariensis.* *Obiectio vulgi triam contra sacerdotes.* *1. ad Tim. 5.* *Solutio.*

oneribus cōſpurcatos, honorati voluit,& illis obaudire mandauit. Super cathedram Moyſi ſederunt (inquit) quod dicunt facite, ſecundum opera verò eorum, nolite facere: Serui, ſubditi eſtote in omni timore dominis, non tantum bonis & modeſtis, ſed etiam diſcolis. Nec ipſe Chriſtus grauatus eſt poplites flectere, imò in terram procidere, ante ſuum proditorem; Si dominus ſeruo ſuo defert honorem, imò non ſeruo, ſed inimico & homicidæ, imo deicidæ (quantū res fieri ſinit) multo magis honoribus proſequi debemus prǽlatos, etiā corruptos moribus ac deprauatos, ſicut oſtendit D. Paulus. Nam vbi contumelioſo nomine compellaſſet principem ſacerdotum parietem dealbatum, recogitans legem diuinam, præcipitis linguæ culpam, excuſatione ignorantię emendauit: Neſciebam inquit, fratres quoniam princeps eſt ſacerdorū; Scriptum eſt enim, principem populi tui non maledices. Huius maledictionis condignam nequiuit euadere pœnam filius Noe, Cham, qui patris nuditatem dormientis, paſſionemque Chriſti prænuntiantis, teſte Auguſt. oſtentui habendo ſpreuit. Maledictus (inquit pater expergefactus) filius Chanaan. Quam maledictionem & parentum execrationem, ſummo ſtudio timere debent liberi, ſecundum eundem Aug. vbi 10. fratres ſeptem mares, & tres ſorores legunrur fuiſſe de Cæſarea Cappadociæ, ſuorum ciuium non ignobiles, qui maledicto matris (recēti patris eorū obitu deſtitutę fuerūt) moleſti quæ iniuriā ſibi ab eis factam acerbiſſimè tulit, tali pœna ſunt diuinitus coerciti, vt horribiliter quaterentur omnes tremore membrorum, in qua fœdiſſima ſpecie oculos ciuium ſuorum declinantes, per mare, per terras, per mille diſcrimina rerum vagati ſunt. Quorum duo Paulus frater & ſoror Paladia venerūt Hypponem quindecim diebus ante Paſchatis ſolennitatem, & quotidie eccleſiam ſancti protomartyris Stephani frequentantes, poſtquam omnium adſpectum in ſe conuerterant, ob horribilem membrorum tremorem, ipſo Paſchatis die curari meruerunt. Haud diſſimilis maledictio videtur manſiſſe imò damnabilior, ipſum Abſolonem, qui tribus lanceis perfoſſus in perſequutione genitoris ſui interijt. Nec immeritò, quia hoc mandauerat Dominus; Si genuerit homo filium contumacem & proteruum, qui non audiat patris ac matris imperium & coercitus obedire contempſerit, apprehendent eum & ducent ad ſeniores ciuitatis illius, & ad portam iudicij, dicentque ad eos, filius noſter iſte proteruus & contumax eſt, monita noſtra audire contemnit, commeſſationibus vacat, & luxuriæ atque conuiuijs, lapidibus obruet eum populus ciuitatis & morietur. Quod etiamnum hodie obſeruari videmus, quando incorrigibiles

Matth. 23. 1. Petr. 2. Actor. 23. Exodi 22. Genes. 9. *Nuditas Noë, quid præſignauerit?* Lib. 12. cap. 23. cōtra Fauſtum Manich. *Maledictio parentum valde timenda.* Lib. 22. cap. 8. de ciui. Dei. *Miraculum S. Stephani.* 2. Reg. 18. Deuter. 21.

gibiles filios secreta legittimi iudicis authoritate è medio
tolli agnoscimus. Præterea hanc maledictionem diuina vl-
tione percussi paruuli illi euadere nequiuerunt, qui Helizæo *Pueri Helisæi,*
illuserunt, ac probrosis eum verbis lacessere non trepidaue- *quid adum-*
runt, quanquam insigni typo præfigurarint passionem Chri- *brarint?*
sti, teste beato August. Nec personam potissimum intuemur *4 Reg. 2.*
Petri aut Pauli, aut alicuius alterius, cui honorem impendi- *Lib. 12. cõtra*
mus, sed hominem, propter venerandam caniciem, qua alijs *Faustũ c. 35.*
præstat honoramus, iuxta illud Leuit. 19. coram cano capite *Et serm. 204.*
consurge, vel etiam propter potestatem cælitus datam, qua in *de tempore.*
republica præpollet, homo veneratione dignus censetur, se- *Prima ratio*
cundum testimonium Matth. 22. Date quæ sunt Cæsaris *honoris sacer-*
Cæsari. & Rom. 13. cui honorẽ, honorem. Deinde etiam ho- *dotalis.*
minem venerandum ducimus, quod dignitate officioque *Quid in præla-*
Christi vicem personamque gerat in terris. Hinc dicitur Lu- *tis honoremus?*
cæ 10. Qui vos spernit, me spernit, & qui me spernit, spernit *2. Ratio ho-*
eum qui misit me. Istud exemplo clarescet, si Iosephi testi- *noris.*
monium proferamus, vbi commemoratur, quod princeps sa- *3. Honoris*
cerdotum Iudæorum literis requisitus, recusauit exercitui *causa.*
Alexandri suppetias ferre, victuique necessaria exhibere ve- *Memorabile*
nalia, quam ob causam furore percitus Alex. copioso milite *exemplum ex*
ciuitatem Hierosolymitanam obsedit. Quod princeps sacer- *Iosepho.*
dotum Iaddus nomine audiens, præcepit populo supplica- *Lib. 11. Anti-*
tionem & immolationem Deo offerre, quibus oblatis, obdor- *quitat. Iudai-*
mienti Deus præcepit confidenter agere, sertisque ciuitatem *carum cap. 8.*
ornare, protinusque portas ciuitatis aperire, & alios quidem
veste alba, ipsum autem & reliquos sacerdotes cum leuitis,
stolis iussit occurrere; hostes autem existimabant, quod quic-
quid potuisset furor imperialis in principem sacerdotum &
ciuitatem committeret, sed e diuerso contigit: Nam Ale-
xander conspiciens multitudinem vestibus albis indutam,
Antistitem verò bissinis stolis, & principem sacerdotum hia-
cinthina & aurea stolá, super caput habentem cidarim, & su-
per pectus laminam auream, in qua scriptum erat nomen
Tetragrammaton, adijt eum solus, & numen adorauit, nec
non principem sacerdotum veneratus est: Tum existimantes
corruptam regis mentem, Parmeno illi magis familiaris in-
terrogauit eum, cur omnibus eum adorantibus, ipse adorasset
principem sacerdotum, Cui ille, non hunc inquit, adoraui, sed
Deum cuius principatum ac personã gerit. Haud secus Con-
stantinus Imperator recipiens literas accusationũ, quibus ali-
qui querulosis libellis criminabantur, quosdam Episcopos in *Præclarũ Con-*
conc. Niceno cõstitutos; haud grauatè tulit, quin potius trã- *stãtini factum*
quillo mẽtis adfectu, ad certum diem, postea de eis se delibe- *pro honore sa-*
raturum dixit, atque in præsens ad id quod de fide agendum *cerdotum.*

erat procedere iussit: quibus omnibus ille colligatis sigillum annuli sui impressit, atque peractis concil. negotijs, in conspectu omniũ eas vulcano tradidit, adiurãs se nihil prorsus eorũ quæ in eis scripta essent legisse, seque potius à sacerdotibus iudicandum, quàm iudicare aut condemnare posse. Addidit & illud; Si contingeret, quod absit, Episcopum alienum inuadere ac violare thorum, se purpura sua piaculum id obtecturum, ne tam fœdum facinus spectatoribus occasionem scandali crearet, secundum Ambros. Theodoretum, Tripart. hist. & Niceph.. Hunc prçterea honorem impendimus, quòd Angelis eam potestatem non esse concessam sciamus, qua sacerdotes præfulgent, teste Ioanne Chrysost. & præferre eos debemus naturalibus parentibus eodem teste: Nam de spiritualibus parentibus ita habet D. Ambros. Quàm beata ciuitas, quæ plurimos iustos habet, quàm celebrabilis ore omnium, quomodo benedicitur tota de parte, & beatus atq; perpetuus eius status existimatur: Quàm gaudeo, inquit, cùm aliquos mites ac sapientes diu viuere video, cùm virgines castas, viduas graues adspicio longæuas, & si decidant viri consultores vel etiam grauiores fœminç, tunc ingruentium malorum aperitur porta. Sicut ergo vrbs tota solidatur atque augetur cœtu sapientium, vel obitu labefactatur, ita sermo grauis, & quidem senilis plenus prudentiæ stabilite vniuscuiusq; animam & confirmare mentem solet. Iam si accedat multarum lectionum vsus, plurium præceptorum & consiliorum quidam senatus, velut perpetuum vrbis eius quæ in singulorum est prçcordijs, statum efficit. Itaque vt turpiter impij sunt, qui spiritualibus parentibus non obsequuntur, nec reuerentur: sic peccant supra modum contra hoc prçceptum, qui exasperant parentes carnales.

Epist. 32. ad Valentinianũ. *Lib. 1. Eccles. hist. cap. 11.* *Lib. 2. cap. 2.* *Lib. 8. ca. 16.* *Lib. 3. de sacerd.* *Li. 2. de Cain & Abel, c. 3.*

Prælati quomodo timendi? CAPVT IX.

Quàm debeant ciuiles Iudices omnibus esse terrori, haud obscurè insinuare nobis curauit D. Apost. adseuerans ipsos gladiũ habere à Deo, cuius ministri sunt, quatenus eo malignorum proteruiam cohibeant, vti manifestum euadit ex decursu concil. Lateranen. Constantien. & Triden. Ecclesiastici autem primates alio modo terrorẽ subditis incutiunt, non materiali gladio, non igni aut patibulo, sed anathematis vinculo, quo concilia subinde vtuntur, quod per tale vocabulum vehementius dura diuinorum alienatio comprehendatur, teste Iustino & Greg. Quando enim dicitur: Anathema sit; perinde est atque dicatur, qui taliter cõtra rei veritatẽ credit, extraneus ab ipso fidei authore Christo discredendo efficiatur, & ab omni fidelium consortio procul pellatur.

Roman. 13.

Quæst. 121. *Lib. 21. Moral. cap. 4.* *Anathema quid?*

pellatur. Secundo excõmunicationis mucrone bipartito modo feriunt, non ferro mortem inferendo, aut mẽbra mutilando, quemadmodum antiquitus in veteri lege fiebat, teste beato Aug. & Cyprian. Sed excommunicatione minori aut maiori: Minor cõtrahitur participatione cum excommunicato, quæ remouet obnoxium à sacramentorum perceptione. Nihilominus simplex sacerdos hoc aut simili modo dicẽti (Cõfiteor me excommunicatum, quòd commercium habuerim cum excommunicato, bibendo, edendo, loquendo, &c.) potest his absoluere verbis: Authoritate Dei omnipotentis mihi cõmissa & tibi cõcessa, absoluo te à vinculo excõmunicationis huius, quam confessus es, & à qualibet alia simili, si qua teneris, & restituo te cælestibus sacramentis, in nomine patris, & filij, &c. Excommunicatio maior est censura à Iure vel Iudice prolata, qua aliquis priuatur omni licita fidelium communione, tam in spiritualibus quàm ciuilibus. Dicitur à Iure vel Iudice, quia sola lex nonnunquam excommunicationi facit obnoxiũ, præsertim quando vsurpatur hæc aut similis forma: Excommunicamus his scriptis, &c. tum de facto sunt verè excommunicati, vt patet Extra de Simonia, semperque intelligitur maior excommunicatio, de sentẽtia excõmunicat. cap. Si quem. Nihilominus sæpenumero est duntaxat iuris comminatio, potissimum quando ponitur, hæc similísve forma; excommunicetur, interdicatur, &c. ex conc. Antioch. ca. 11. Interdum non est iuris, sed iudicis, quia per iudicem fertur sententia; Sic legimus, Auxilium episcopum excommunicasse Classicianum, teste Aug. & Ambrosium à sacris deturbasse Theodosium, secundum Theodoretum: Estq; iuris diuini, vt manifestum euadit ex Matth. 18. & 1. Corint. 5. ac 2. Ioan. 1. significans eiectionem Adæ de paradiso secundũ B. August. Quo elucet Caluini subdola & falsa opinio, dicentis Iudæos hanc commentos fuisse, cùm potestas enecãdi, Rom. Imperio ipsis adempta esset, iuxta illud: Nobis non licet interficere quenquam; Cùm tamen longè antè quædam excommunicatio Iudæis vsui fuerit, quando castra Mariæ ingredi veritum fuit, quãquam & mortem Synagoga permultis intulerit, quemadmodum liquidò constat ex ipso pentateucho, vbi viuus lapidibus obruitur, Iud. 20. actibus legitimis priuantur. Quod longè terribiliori modo euenire contingit in excommunicatione, qua eijciuntur ab ecclesia, vt Ambrosius eiecit Theodosium Imperatorẽ, teste Theodor. Ambros. & Niceph. Deinde à perceptione sacramentorum. Tertio à suffragijs ecclesiæ excluduntur, vt tanquam rami præcisi marcescant, teste Bernardo in fine tractatus de gradibus humilitatis, & 11. canone Apostolorum. Quarto à consor-

Lib. de fide & operibus, ca. 2. quæst. 39 super Deuter.
Lib. 1. epist. 11. ad Põpon.
Ex õmunicatio duplex.
Absolutio à minori excõmunicatione.
Excõmunicatio maior.
Cap. Cùm detestabile.
23. quæst. 78. can. Si quis.
Epist. 75. ad Auxilium.
Lib 5. Eccles. hist. cap. 17. & 18.
Lib. 11. de Genes. ad literam cap. 40.
Splendidum Caluini mendacium.
Ioan 18.
Num. 12.
Num. 15.
Effectus excõmunicationis maioris.
Lib. 5. ca. 17. & 18.
Epist. 28.
Lib. 12. c. 41.
3. quæst. 4. ca. Engeltrudam.

Cap. Quod in te. consortio Christianorum, vt nec diuinis officijs cum fidelibus adesse queant, Extra de pœnitētijs & remissionibus, sed prorsus sint reputandi tanquam ethnici & publicani, nec Aue est *Matth. 18.* eis dicendum. Nec hic legitur sathanę tradendus excommu- *2. ioan 1* nicatus, quò in primitiua Ecclesia etiam corporaliter à dia- *Epist. 23. quæ est ad Tholosanos.* bolo diuexabatur, teste Apollinari. Hinc non immeritò dixit Augusti. lib. contra aduersarium legis, Excommunicationem omnia corporalia excedere supplicia; modò tamē non ita fit: *Cap. 17.* Per exteriorem namque illum effectum didicimus, quid in *Grauis est excōmunicationis sententia.* interiori simili sententia fiat. Nequaquam igitur est ambabus vlnis amplectenda, sed plurimum formidāda excommunicatio contra Lutheranos & articulos Ioannis Wiclef dam- *11. 12. 13. & 30.* natos, etiam si esset iniustè lata, vt liquet ex Augusti. & D. *Sess. 8. Concil. Constantien.* Greg. vtrum iustè vel iniustè obliget pastor, pastoris sententia gregi est timenda, ne is qui subest, & cùm iniustè forsitan *Epist. 75. ad Auxilium.* ligatur, ipsam obligationis suæ sententiam ex alia culpa mereatur. Pastor ergo vel absoluere indiscretè timeat, vel ligare. *Lib. 40. homil. 26.* Is autem qui sub manu pastoris est, ligari timeat, vel iniustè, nec pastoris sui iudicium temerè reprehendat, ne etsi iniustè *Lib. 14. eccle. hist. cap. 3.* ligatus est, ex ipsa tumidæ reprehēsionis superbia, culpa quæ non erat, fiat. Hoc modo timuit excommunicationem, cui *Spoliat sepultura ecclesiastica.* innodatus erat Theodosius Imperator, nec cibū gustare voluit, nisi absolutus esset, teste Niceph. Sexto excommunicatus ecclesiastica careat sepultura, sicut docetur, Extra de Se- *Cap. Sacris.* pulturis, sic Gregor. de monacho proprietario, & D. Hieron. *Lib. 4. Dialog. cap. 55.* epist. ad Eustochiū, profert exemplum quod Nitriæ gestum est. Imò sepulti de sacro loco sunt extrahendi. Sic exhumata *De priuilegijs & excessibus prælatorum, cap. Ad hæc.* corpora Ioannis Wiclef, Constantię, & Dauidis Georgij Basileæ vulcano tradita. Si tamen pœniterent super contumacia, non debent eis subtrahi ecclesiastica solatia, teste D. Aug. Vltimò excludit à regno cælorum, quia quando excommu- *Epist. 107. ad Vitalem.* nicat ecclesia in terra, in cælo ligatur excommunicatus, cùm recōciliatur ab ecclesia, in cælo soluitur innoxius, secundum *Tract. 50. in Ioannem.* Augusti. Cùm ergo tam terribiles habeat effectus, nequaquā pro leui causa iste gladius est vibrandus, sed pro mortali cri- *Quando excōmunicationis gladius vibrādus?* mine, non quocunque, sed cui cōtumacia est coniuncta. Quæ quatuor consueuit fieri modis, secundum Ricardum. Primò quādo homo legitimè citatus, cōparere contemnit, aut rationabilem remanendi causam non prætendit. Aut comparens, *11. quæst. 3. cap. Absit.* respondere grauatur, vel antequā debeat discessum amplectitur. Tertio qui fraudulenta procuratione solicitat, ne ad ip- *4. Modis fit aliquis excōmunicatione dignus.* sum citatio perueniat, est enim contumax reputandus, proq; citato haberi debet: Vltimò qui veniēs, se Iudicis conspectui subtrahit, reputādus est quasi non venisset. Cùm autem mali sint in Ecclesia secundum Aug. vt mali humores in humano

corpore,

corpore, capilli, vngues, membra arefacta, quæ licet à spiritu vitam non recipiant, in corpore tamen existunt. Cæterùm si nimius exūdet sanguis, flebotomia tollitur, ne totùm corpus discrimini committatur, si nimis luxuriet cesaries, aut barba siluescat, raditur, si vngues nimis indecorè promineant, resecātur. Sic si mali peruicacia nimis insolescat, castigatione est cohibenda, vel mulcta pecuniaria ecclesiæ contribuenda, vel etiā beneficij priuatione reprimenda. Si istis contumax resipiscere recusat, tum demū præcedente saltē bina monitione, Iudex ecclesiasticus mucrone anathematis talem feriat, teste Concil. Tridēt. Quod etiā ex temporalibus occasionē sumit, sicuti videre est apud D. Aug. Quoniā si quis pecuniā debitā non restituat, iniustitiæ crimē incurrit, quod est mortale, cui si adnectatur cōtumacia, qua reddere recusat cùm posset, procedendum est modo præfato cōtra talem, nec tum gladio excōmunicationis percutitur propter pecuniā, sed propter contumaciam. Quo perspicuum euadit, pauperes & infimæ fortunę homines nequaquam esse excōmunicandos. Hic tamen obseruatum oportet, ne contumax liuore vel odio, sed emendādi animo excōmunicetur, quatenus nimirū spiritus saluus fiat. Cui consentaneus est D. August. lib. 3. contra epist. Parmeniani, vt, inquā, magno malo cognoscat bonū, quod paruo malo discere neglexit. Nullum autē excommunicatorum in administratione sacramentorū euitare obligamur, teste concil. Constantien. vel extra, nisi contra illum fuerit huiusmodi sententia specialiter expressa & publicè denūtiata, vnico duntaxat casu excepto, videlicet adeò notoriæ iniectionis manuum in clericū, vt nulla possit tergiuersatione celari, nullo iuris suffragio excusari. Vnde Cōcil. Lateranē sub Alexan 3. celebrat. Sicut pro violenta manuum iniectione in clericos sunt euitandi, sic faciētes & mandantes similes cogūtur dare pœnas. Clerici autem si impuberes seinuicē percusserint, vel puberes ex iocosa leuitate vel magistri disciplinas correctionis ergò, non incidunt in canonē latæ sententiæ, Qui clericū vim inferentem lædit repellendo, vel cum matre, sorore, vel filia inuētum, non incidit in prælibatum canonem, debentq; omnes se Apostolico præsentare cōspectui, nisi sint religiosi, qui possunt à suo abbate vel episcopo absolui, vel mulieres & delicatuli, qui magnū laborē sustinere nequeunt. His suffragatur Aug. hom. vlt. 50. hom. Greg. epist. Cōcil. Basiliē. Lateranen. 3. Braccaren. Agaten. Carthaginen. 4. Pontifex maximus, Antistes diocœsani alijq́ue prælati, habentes iurisdictionem ordinariam vel delegatam, vt abbates, officiales, vicarij episcoporum, etiam non sacerdotes valent excommunicationis gladium vibrare. Non enim est ordinis, sed

Processus ad excōmunicationis sen‑tētiā.
Quomodo aliquis temporalibus est excōmunicandus?
Seß. 25. ca. 3.
Et in 6. de sententia excōmunicationis, ca. Constitutionē.
Epist. 54. ad Macedonium.
1. Corinth. 5.
Cap. 1. & 2.
Intentio excōmunicantis.
Excōmunicati qui vitandi sunt duplices.
Tit. de illis qui incidunt, &c. cap. 4.
Ibidem cap. 5.
Feriens clericū quando excōmunicatione tenetur?
Cap. 7.
Cap. 10.
Cap. 3.
Cap. 8.
Cap. 12. et 13 eiusdem tituli.
Lib. 148. & 181.
Seß. 20.
Cano. 47. 49
Cap. 33.
Cap. 3.
Cap. 73.

24. q. 3. cap. Corripiantur.
Lib. 5. Eccles. hist. cap. 37.
Lib. 11. c. 27.
Lib. 14. ca. 3.
Cap. Debent, & cap. Cum aliquis.
Forma absolutionis à maiori excommunicatione.
Cap. Non dubium, & cap. Quamuis.
Tit. de pactionibus cap. 79.
Cap. Eis qui.

iurisdictionis. Non tamen pastor, qui licet potestatem habet ligandi atque soluendi in foro conscientiæ, vbi causa ventilatur inter Deum & hominem, habet potestatem in foro exterioris iudicij, vbi causa agitatur inter homines. Nullus etiam ligante inferior soluere præualet, quemadmodum exemplo monstratur Theodosij Imperatoris apud Theodoretum, histor. Tripart. & Niceph. Ritus autem absoluendi ab excommunicatione, habetur in apendice Concil. Arausic. & citatur 11. quæst. 3. Vel, vt breuiori methodo expediamus, Absolutionem reperire licebit, capite 30. secundi præcepti, quod est de Apostasia. In extremæ tamẽ necessitatis articulo, omnes sacerdotes omnia absoluere possunt. (Intellige quoad Deum, non quoad ecclesiam) Sicque nequit sacro in loco sepeliri, quanquam absolutus de excõmunicatione. Nisi amici defuncti satisfecerint, teste Concil. Lateranen. 3. celebr. Si autem conualescat de infirmitate, nec est satisfactum parti oppositæ de sententia excommunicationis, vinculum remanet insolutum.

Prælati spirituales non subsunt secularibus, sed econuersò. CAPVT X.

Lib. 7. confess. Christ. sect. 15
Theodori Bezæ impudentia.
Roma. 13.
Serm. 23. in epist. ad Ro. 5.

MIRAM & incredibilem oportet esse Theodori Bezę impudẽtiam, qui vniuersos Ecclesiæ primates, principum & regum secularium pedibus subijciat, authoritate Paulinæ sentẽtiæ perperam intellectæ, Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit, & elucidatione B. Ioannis Chrysost. qui ita exponit hunc locum: Omnibus, inquit, ista præcipi sacerdotibus & monachis, non autem solis secularibus Apostolus declarat; Nec solùm clericos secularium subdere intendit iurisdictioni, sed etiam spirituales causas sibi vendicent, adulando concrepat. Verùm ipsum densissimis in tenebris palpitate, nullis non est manifestum, qui æquo libramine, verba Paulina expẽdere non refugiunt. Oportebat namque prius eum probare, quod respectu clericorum, & virorum spiritualium illi sint potestates, tuncque eorum subiectionem, concludere; Alioqui si omnis anima debeat cuilibet subdi potestati. Cur rex Angliæ Henricus octauus, nõ imperauit Francis & Germanis? & Pilatus quare non imperauit ijs qui erant de potestate Herodis? nisi quia non est potestas vniuersitatis locorum aut personarum. Quarè sententia Apostolica intelligẽda venit, vt quæuis anima illi obediat, quem agnoscit, vel debet agnoscere habere super se legitimam potestatem. Et notanter dicitur in litera: Omnis anima potestatibus, non principibus secularibus sit subdita, quod non ignorauit Chrysost. Imò potiùs principes,

Luc. 23.

comites

comites & reliquus populus obedientes debent esse Episcopo, quemadmodum habet Concil. Atelaten. 2. sub Carolo Magno celebratum. Nam Saul à Samuele non dubitatur priuatus officio, rudéque (ablato sceptro) donatus; & Constantinus Imperator, teste Niceph. & Tripar. hist. noluit episcoporum ad Concil. Nicenum missorum, causas decidere, quòd se indignum iudicaret, qui spiritualium vitam rimaretur. Cui consonat sententia Ambrosiana ad Valentinianum Imperatorem: In causa fidei, inquit, vel ecclesiastici alicuius ordinis, is iudicare debet, qui nec sit impar nec iure dissimilis; nam sacerdotes de sacerdotibus debent iudicare. Quando audisti, clementissimè Imperator, in causa fidei laicos de Episcopo iudicasse? si docendus est Episcopus à laico, quid sequitur? laicus ergo disputet & Episcopus audiat: Episcopus discat à laico. At certè si vel scripturarum seriem diuinarum, vel vetera tempora retractemus, quis est qui abnuat in causa fidei, in causa, inquam, fidei Episcopos solere de Imperatoribus Christianis, non Imperatores de Episcopis iudicare? Et epistola 29. ad Theodosium Imperatorem, In causa Dei quem audies, si sacerdotem non audias? cuius maiore peccatur periculo? quis tibi verum audebit dicere, si sacerdos non audeat? Et magnus ille Episcopus Cordubensis Hosius, teste B. Athanasio ad Constantium Imperatorem. Nec te misceas, inquit, ecclesiasticis, neque nobis in hoc genere præcipe, sed potius ea à nobis disce. Tibi Deus imperium commisit, nobis quæ sunt ecclesiæ concredidit, & quemadmodum, qui tuum imperium malignis oculis carpit, contradicit ordinationi diuinæ, ita & tu caue, ne quæ sint Ecclesiæ, ad te trahens magno crimini fias obnoxius. Date, scriptum est, quæ sunt Cæsaris Cæsari, & quę Dei Deo. Non igitur fas est nobis in terris imperium tenere, neque tu thimiamathum & sacrorum potestatem habes ô Imperator. Quod fœlicissimè protestatus est Valentinianus Imperator, teste Theodoret, inquiens, Accersitis Episcopis, eum collocate in pontificali solio, cui nos quoque Imperij moderatores nostra subdamus sincerè capita, cuiusque reprehensiones (cùm homines simus & offendere necesse est) tanquam medicinæ curam libenter admittamus, & cap. 6. Idem sic eloquitur de sancto Ambrosio: Gratiam tibi Domine omnipotens & Saluator noster cùm huic viro, qui haberet à me commissa corpora (erat enim prophanus gentis illius prætor, imò adhuc paganismi tenebris obscuratus) tu animas illi tradidisti, & adprobasti suffragium meum. Ex quibus liquidò constat, Imperatores & Reges non esse pontificibus prælatos, sed quod sua illis diademata submittere debeant, nec penes ipsos est institutio, sed suffragij

Omnes subsunt episcopis.
Cap. 13.
Lib. 8. ca. 16.
Lib. 2. cap. 2.
Epistola 32.
Lib. ad solitariam vitam agentes.
Lib. 4. Eccles. hist. cap. 5.

duntaxat surrogatio. Illum certè non tam acri reprehensione adgressus esset, nisi diuinitus potestatem concessam non humanitus acquisitam habuisset, nec tãta animi libertate Theodosium Imperatorem excommunicasset, & templo eiecisset Ambrosius, nisi maiori potestatis authoritate præditus fuisset. Sic Gregor. 3. authoritate Apostolica qua pollebat, Leonem imperatorem Iconoclastarum authorem imperio & fidelium consortio spoliauit, vt habet Platina in vita eiusdem Pontificis. Et Ambros. oratione ad Auxentium Arrianũ, quæ sequitur epistolam D. Ambrosij trigesimam secundã; Quanto peiores sunt Arriani quàm Iudæi? Illi quærebant vtrum solnendum putaret Cæsari ius tributi; Isti Imperatori volunt dare ius ecclesiæ, & infra tributum Cæsaris est, ecclesia Dei: Imperator enim bonus, intra ecclesiã, nõ supra est, Et idem: Sublimitas episcopalis nullis poterit comparationibus adæquari, si regum fulgori compares, & principum diademati, lõgè erit inferius, quàm si plumbi metallum ad auri fulgorem compares, quippe cùm videas regum colla & principum submitti genibus sacerdotum, & exosculatis eorum dexteris, orationibus eorum credunt se communiri. Quid iam de plebeia dixerim multitudine, cui non solùm præferri à domino meruit, sed vt eam quoque iure tueatur præceptis est imperatum euangelicis Et Leo, necnon concil. Lateranen. sub Innocentio 3. celebratum, quod ecclesiasticis confert Prælatis potestatem excommunicandi eos, qui non animaduertunt in hæreticos. Nec solum Episcopi magnatibus præferendi censentur secularibus, sed etiam clerici, in rebus ambiguis, secularibus eximũtur iudicijs, teste cõc. Calcedonẽ. & Arelatẽ. 4. Statuimus, inquit, vt nullus ecclesiasticã personã in criminali quæstione, vel ciuili, trahere ad iudicium seculare præsumat, quod si fecerit, actor à iure suo cadat, & iudex officio iudicãdi sit priuatus. Cui consentanea est D. Leonis sententia, ad Episcopos & presbyteros per Traciam constitutos, quando censet vt quicunque prætermisso sacerdote ecclesiæ suæ, ad disceptationem secularium venerit, sacris liminibus expellatur, &c. adeò vt regum causæ, non nisi à summo Põtifice decisionem obtineant, sicuti clarè edocetur de iudicijs. Quin & controuersias matrimoniales ad iudices ecclesiasticos concil. Trident. decernit deferendas. Nequaquam tamen spiritualibus relinquitur causa sanguinis, quia ministri sunt nouæ legis, quæ mansuetudine inducit, non seueritate cogit, & etiam quia sunt sacramentorum ministri, quorum est magis proprium effundere sanguinem, quàm fundere alienum. Vnde D. Ambrosius oratione ad Auxentium Arrianum, quæ inseritur epistolæ 32. & 33. Arma nostra sunt orationes & lachrymæ.

Oratione super morte & obitu Theodosij, & epist. 28. ad ipsum.
Varijs exẽplis probat spiritua les secularibus esse prælatos.
Lib. de dignitate sacerd. c. 2.
1. Corin. 15.
Galat. 4.
Ephes. 4.
2 ad Tim. 2.
Ioan. 4.
Epist. 54. ad Martianum.
Cap. 3. §. 3.
Act 15. ca. 9.
Ca. 22 & C. de Episcopis et clericis, lege Clericus.
Clerici forensibus exempti sunt iudicijs.
Epist 96.
Ca. Nouet ille.
Ses. 24. c. 12.
Sacerdotes non habẽt causam sanguinis.
Lib. 2. Offic. cap. 4. & 9.

chrymæ. Nihilominus quosdam pietate insignes, teste Theo. *Lib. 5. eccles.*
Et tripart. hist. non ignoramus industria humana ciuitates *hist. cap. 37.*
obsessas defendisse, hostiumque cuneos propulsasse. *Lib. 10. c. 27*

Prælati Spirituales vtrumq; habent gladium, id est, iurisdictionem vtramque. CAPVT XI.

SEMPER solent Zoili perfricta fronte, id malè gestum calumniari, quod suo subdolo ingenio deprehendunt aduersari. Hinc insultant ecclesiæ, eiusque prælatos suggillant, quòd vtramque potestatem in eandem conspiciant concurrere personam; cùm tamen scripturarum authoritatibus, priscorumque patrum monumentis, hoc doctrinæ caput luculenter confirmetur: Siquidem quod summus pontifex habeat iurisdictionis plenitudinem, tãquam Domini nostri Iesu Christi, in terris vicarius, comprobatur euangelico elogio, Data est mihi omnis potestas in cælo & in terra. Spiritualis *Matth. vlt.*
diiudicat omnia. Scribitur quod in eius vestimẽto scriptum *1. Corin. 2.*
fuerit, Rex regũ & Dominus dominãtiũ. Hæc quia de Chri- *Apocal. 19.*
sto verissima enuntiatione proferuntur, de eius in terris vicario neganda non videntur, potissimùm cùm summus pontifex nouæ legis non sit inferior veteris legis pontifice, cui fuit authoritas in spiritualibus & tẽporalibus: Melchisedech nã- *Genes. 14.*
que Rex Salem, & sacerdos Dei altissimi, vtrumque habuit gladium. Similiter Heli sacerdos, vtroque pollebat, Spirituali tanquam sacerdos, Temporali tanquam Iudex. Nam 40. an- *1. Reg. 2.*
nis decidendis Iudæorum controuersijs præfuit, Sic Moyses *Plures veteris*
Iudex populi extitit in temporalibus, & sacerdos, teste Dauí- *testamẽ. patres*
de, Moyses & Aaron in sacerdotibus eius, & Samuel inter eos *vtramque ha-*
qui inuocant nomẽ eius. Principatus eius certiores efficimur: *buere potestatẽ*
vbi eum socer de regimine populi informauit. Hunc Moysen *Psal. 98.*
quem negauerunt dicentes; Quis te constituit iudicẽ & prin- *Exodi 18. &*
cipem super nos? Hunc Deus principem & redemptorẽ mi- *Actor. 7.*
sit, in manu Angeli, Hi omnes adumbrarũt nouæ legis sacerdotium, teste Apostolo, vmbram habet enim lex futurorum *1. ad Cor. 4.*
bonorum. & ad Hebr. 4. omnia in figuris contingebant illis. Ergo & istud typico sacerdotio est figuratum, potissimùm cum Christi verbis confirmetur. Cum enim dixisset Aposto- *Luc. 22.*
lis, Qui non habet gladium, vendat tunicam, & emat gla- *Petrus Apost.*
dium. Petrus Apostolus respondit, Domine ecce duo gladij *duplicẽ habuit*
hic, cui Dominus, Satis est. Quibus concludi posse videtur, *iurisdictionẽ.*
quod B. Petrus duplicẽ habuerit iurisdictionẽ, spiritualem & *Ioan. 21.*
temporalem, secundum sententiam ipsius beati Bernardi, tra- *Lib. 4. de cõ-*
ctantis illud: Simon Ioannis diligis me plus his? pasce oues *sideratione ad*
meas. Aggredere, inquit, oues, sed verbo non ferro: Quid tu *Eugeniũ Papã*
denuò

denuò gladium vsurpare tentes,quem semel iussus es ponere in vaginam? Quem tamẽ,qui tuum negat,non satis mihi videtur attendere verbum Domini dicentis sic: Conuerte gladium tuum in vaginam,tuus ergo & ipse, tuo forsitan nutu, & si non tua manu euaginandus. Alioquin si nullo modo ad te pertineat & is, dicentibus Apostolis: Ecce duo gladij hic, non respondisset Dominus, satis est, sed nimis est. Vterque ergo Ecclesiæ est,spiritualis scilicet gladius & materialis. Sed is quidem pro Ecclesia, ille verò & ab ecclesia exerendus est; Ille sacerdotis, is militis manu, sed sanè ad nutum sacerdotis & iussum Imperatoris. Hæc ibi. Eodẽ recidunt quę ex Greg. Nazianzeno allegat Gratianus de Imperatoribus Constantinopolitanis: Dedit,inquit,Deus nobis potestatem,dedit & principatum multò perfectiorem principatibus vestris, aut nunquid iustum vobis videtur,si cedat spiritus carni, si à terrenis cælestia superentur, & si diuinis præferantur humana? Ecce quomodo constitutiones principum ecclesiasticis sunt postponendæ. Item ex Concil. Trident. de monialibus & 17. de reformatione, necnon ex Greg. Magno, & citatur dist 96. vbi sic legitur, Quis dubitet sacerdotes Christi regũ & principum omniumq; fideliũ patres & magistros censeri? nónne miserabilis insaniæ esse,cognoscitur,si filius patrem,discipulus magistrum sibi conetur subiugare,& iniquis obligationibus illum suæ potestati subijcere, à quo credit non solùm in terra,sed etiam in cælis se ligari posse? Et cap. Duo sunt, Edocet duobus mundum gubernari,sacra põtificum authoritate, & regalis potestatis maiestate, sed vna alteri multis numeris præfertur: Nam B. Innocentius Papa, Archadium Imperatorem (quia consensit vt B. Ioannes Chrysost. sede sua pelleretur) excommunicauit. Præterea, vt rem magis attingamus, summus põtifex rationabili causa seculares potest deponere principes,bonaq; temporalia auferendo,alijs conferre. Praeterea Zacharias Papa regem Frãcorum diademate spoliauit, & Pipinum Caroli Imperatoris patrem in eius locum suffecit. Nam ex peccato, Ecclesiæ forum contrahitur,& vicarius qui est summus pontifex,omnibus præficitur, sicut Christus vniuersorum Dominus creditur. Innocentius 3. Ottoni 4. à se primitus coronato, & de se, deque Romanis, ac vniuersali Ecclesia pessimè merito imperium abstulit. Honorius itm 3. Fredericum 2. ecclesiastica diuinaq; instituta peruertentem, anathemate notatum Imperiali dignitate priuauit. Innocentius deinde 4. Fredericum 3. ob eius insidias, & pontificum persequutionem, Siciliæ Apuliæ regno ac imperio exauctorauit. Bonifacius 8. Petro & Iacobo Columnens. cardinalatum, & Philippo Gallorum regnum ademit. Ioannes demum

Ioan. 18.

Luc. 22.

Dist. 10. c. 1.

Sess. 25. c. 22.

Cap. Quis dubitet.

Duobus regitur mundus.

Potestas summi pontificis.

15. quaest. 6. cap. Alius, Ex verbis Gelasii Papæ scribẽtis Anastasio Imperatori.

15. q. 6. cap. Alius, & de iudicijs, cap. Nouit ille.

mum 21. Ludouicum ducem Bauariæ Ecclesiæ rebellem ac scismaticum declarauit. Quo perspicuum cuique esse potest, quod si papa reges de solio deturbare legitimis queat rationibus, habet aliquam in eos iurisdictionem, etsi priuare eos possit temporali gladio, bonisque temporalibus; omnibus debet esse in confesso, quod subsint ei in temporalibus. Instituit etiam pro suo maturo consilio, quos iudicat necessitatibus Ecclesiæ fore proficuos, ac reipublicæ defensores semper Augustos, quemadmodum docetur, De electione, & electi potestate, cap. Venerabilem. Quoniam electio Imperatoris pertinet ad principes Germaniæ, 3. spirituales & 4. seculares, quorum maiori parte facta tenet. Tres sunt Archiepiscopi, Moguntinus, Coloniensis, & Treuerensis, quibus additi sunt, Princeps Bohemiæ, Comes Palatinus Rheni, Dux Saxoniç, & Marchio Brandenburgẽ. Nihilominus summi pontificis est electũ examinare, approbare, inungere, consecrare, & coronare, si expedire videbitur, vel reijcere, si indignus, vtpote, sacrilegus excõmunicatus, tyrannus, fatuus, hæreticus, paganus, periurus, vel Ecclesiæ persequutor offendatur, legitur eo loci in glosa ex chronicis desumpta, quod cũ ecclesia Romana opprimeretur, Astulphi regis Longobardorum crudelitate; petijt suppetias à Constãtino, & Leone eius filio Imperatoribus Constantinopolitanis, & cùm recusatent Romanæ patrocinari Ecclesiæ, Stephanus Papa 2. natione Romanus transtulit imperium ad Carolum Magnum, qui fuit filius Pipini, quem Zacharias prędecessor eius substituerat Ludouico regi Francorum, quem sceptro spoliauerat, vt legitur 15. quæst. 6. cap. Alius. Hæc translatio facta reperitur circa annum Domini 776. qua imperium deuolutum est ad Teutonicos & Germanos, quòd habeant regnum Romanæ Ecclesiæ, de cõsec. vbi expressis declaratur verbis, quod Deus Petro æternæ vitę clauigero, terreni simul & cælestis imperij iura commisit. Quod rationis dictamen etiam conformat, quia filius naturaliter patri adsimilatur, iuxta illud:

Sæpe solet similis filius esse patris.

Sic lex quasi quadam natiuitatis productione, diuinitus à legis conditore concessa, ipsi legislatori non debet esse aliquatenus dissentanea, sed Deus est vnus vniuersorum Dominus, tam spiritualium quàm temporalium, ergo in terris vnicus principalis omnibus debet esse monarcha. Deinde sicut plura mundi principia fabricare, est hæreticum, vt ex sacra pagina demonstrat D. Greg. & August. ita plures cõstituere vicarios est superuacaneum. Verùm his obijci potest illud Apostoli: Nemo militans Deo, implicat se negotijs secularibus, & illud Hosij Episcopi Cordubensis apud D. Athanasium, vt priori arti-

Electio imperatoris ad quos pertinet.

Electio imperij quare & quãdo ad Germanos deuoluta.

Dist. 5. cap. In die & dist. 22 cap. Omnes.

Rationibus probatur omnia ab vno pendere.

Lib 9. Moral. cap. 27.

Lib. hæres. 21. & 46. ad Quoduultdeũ.

2 ad Tim 2.

articulo illuxit. Sed respondendum est, quòd licet vtraq; potestas apud summum resideat pontificem, non tamē vniformiter. Quia spiritualis est apud ipsum, secundum primariam authoritatem, & exequutionis exigentiam; Temporalis est penes ipsum quidem secundum primam authoritatem, sed non secundùm exequutionis ministerium, ne militans Deo, secularibus se implicet negotijs, & ne tēporalia impedimēto sint spiritualibus, à quibus quāto spiritualis est magis libera, tanto rebus diuinis potest esse magis intenta; iuxta illud:

Pluribus intentus, minor est ad singula sensus.

Alia obiectio. Objiciunt & illud: Summus pontifex non intromittit se negotijs brachij secularis, nec eorū officia instituit, vel bona distribuit. Imò si optemus aliquod temporale ab eo priuilegium, non conceditur nobis à sanctissimo patre nostro, nisi assensus regis accesserit, etsi vellet iam aliquem ducatu priuare, diceretur falcem in alienam messem mittere, Ergo, &c.

Diluit obiectionem. Respondendū quod beatissimi pōtifices ordinatissima dispositione reliquerint immediatam secularibus exequutionem. Quo liquidò constare potest, ipsum benefacere, multumque ædificare, quod in priuilegijs adipiscendis expectet consensum regis.

Aliud cauillum. Iterum instant reliqui. Talis est ipsius episcopi habitudo in sua diœcesi, qualis est pontificis maximi in vniuersali, sed episcopus non habet potestatem super bona temporalia suæ diœcesis, imò in multis leguntur eis obsecundare.

23. q. cap. 4. Si in montem ergo, &c.

Dissoluit nodum. Solutio est in promptu, quia episcopus aliqua causa legitima potest subditum suum (vt quotidiana comprobat praxis) aliquibus priuare bonis, potest seruos auferre, excōmunicare, degradare, ex quo manifestū euadit quod aliquod dominiū habeat, cùm in anima, tum corpore, & facultatibus; Hic tamen nō est dissimulandū, quosdā episcopos Leuitica portione esse contētos, dicētes: Dominus pars hęreditatis meæ, &c.

Episcopi duplices. His nihil est cum principibus secularibus commune, quippe qui temporalibus prorsus abrenuntiāt, adeoq; sunt omnibus expediti, vt dicere valeant: venit princeps mundi huius, & in me non habet quicquā. Porrò alij non contenti decimis, vicos, castella & ciuitates possident, quibus eximere debent tributa (nisi ab Imperiali aut Regali maiestate immunitatem promeruerint,) Reddite quæ sunt Cæsaris Cæsari, & quæ Dei Deo. Et: Reddite omnibus debita, cui tributum, tributum.

Matth. 22. Marc. 12. Lucæ 20. Roma. 13.

Aliqui & hoc modo calumniantur. Opponi potest & illud; Possessio aduersatur perfectioni Apostolicæ, reliquerunt enim omnia, Matth. 19. nec ex hoc, quod traditæ sint sibi claues regni cælorum, minus fuit perfectus, nec legitur ad vomitum reuersus, seu ad temporalia corradenda mancipatus, Ergo, &c.

Solutio. Respondendum, quod quanquam Petro, neque aurum, neque argentum fuerit, non officit

officit huic instituto, non enim pauper fuit ex eo, quod Christi vicarius extitit, sed quod perfectionis discipulus & zelator omnibus terrenis renūtiauerit: Deinde licet monachus profiteatur paupertatem, tamen abbas effectus, præsidet monasterio, & rebus eius temporalibus. Prælibatis obuiare videtur & illud quod Matt. 20. ponitur: Reges gentium dominantur eorum; & qui maiores sunt, potestatem exercent super eos, non ita erit inter vos, Ergo non est pontificis sceptrum manu tenere. Istud haud difficulter diluitur, si diligētem habeat inspectorem; Christus enim voluit discipulos humilitati assuefacere, ne exequutionem & admistrationem rerum terrenarum immediatam facilè susciperent, sic namque dominari congruit, magnatibus, regibus temporalibus, minus perfectis. Et licet Christus perrarò se immiscuerit iudicijs secularibus, reperitur tamen in causa sanguinis tulisse sententiā, quando dixit Petro; Conuerte gladium in vaginam, &c. Iudicauit etiam in causa criminali, cùm absoluit mulierem in adulterio deprehensam, Iudicauit insuper in causa ciuili & ecclesiastica, quando inter Pharisæos & Herodianos diffiniuit causam, dicendo, Reddite quæ sunt Cæsaris Cæsari, &c. Et licet esset Rex regum, & Dominus dominantium, tamen noluit potestatem exercere regalem, quia regnum eius non erat de hoc mundo, bene quippe terrena declinabat qui propter cęlestia descenderat. Vltimo opponitur illud: Christus soluit tributum pro se & Petro, quod est subiectionis, Ergo non præest. Respond. quod de iure non tenebatur vtpote regis Dauidis filius, tamē ex humilitate, Et ne eos, vti textus habet scandalizaret, pendere complacuit.

Aliud argumentum.

Responsio.

Christus quas decidit causas.

Ioannis 20.

Matth. 17.

Opponunt & istud.

Prælati spiritualibus rerum temporalium possessio non est inhibita. CAPVVT XII.

CRIMINANTVR complures hæretici summum pontificem abundare diuitijs, & alios præsules rerum temporalium affluentia locupletari, volentes eos probitate morum, vitæque integritate fulgere magis, quàm thesauris intumescere; huiusmodi sunt Ioannes Wiclef & Ioannes Hus, secundum concil. Constantien. Alij nimirum Anabaptistæ (qui sua simulata sanctitudine Germaniam deceperunt) volunt ipsos omnium rerum transeuntium contemptu florere, nihilque in huius vitæ curriculo possidere, In quorum sententiam iurasse videtur Caluinus lib. 4. vbi donationem Constantini ecclesię factam, ceu fabulosam (ingenita sibi temeritate) reijcit. Atqui ex præteritorum præsentiumque rerum exemplis, euidētia futurorum colligitur.

Sess. 14 et 15 Hæretici.

Institut. c. 11. sect. 11. et 12

Et nemo

Et nemo non videt, miserabilem fore ecclesiæ statum, si neruum belli, viresque detraxeris, ac sedem Apostolicam imperio diuinitus sibi debito spoliaueris, frena quibus furibundus violentorum principum, indomitæque plebis animus coercetur, eripueris, robur quo conatus sceleratorum hæreticorum exitialis cōpescitur, abstuleris Quid aliud sperabimus quàm quod deplangit Helias Propheta, Prophetas tuos occiderunt vel saltem bona expilauerunt? Si autem authoritas temporalis tota, ad principes prophanos, & seculares deuoluta esset, quid futurum præstolaremur aliud, quàm quod citius occupatores rerum ecclesiasticarum esse vellent, quàm defensores, dissipatores citius quàm dispensatores? Potissimum cum hodie, nisi per vim, debitæ pecuniæ persoluantur. Quid tandem fieret, si nullus timor cogeret, si miles Romanus alteri quàm potestati summi pontificis pareret? Quæ mox esset iactura sacrorum? quis religionis contemptus? Si enim ille cui cura est de omnibus posita, seipsum non tueatur, an alius cui non est sanior mens, sed qui sua quærit, non quæ Iesu Christi, ipsum tuebitur? Si autem tueri seipsum sit cōsultissimum, necessario concluditur, ipsum cui religionis gubernacula sunt commissa: potestatem habeat armis & opibus suam ditionem defensare, tum vt religionem opibus adiuuet, illustret ac sustentet, tum etiam vt hostiles nequitias propellat. Huc faciūt quæ habet B. Ioannes Chrysost. super Matth. Et Theodoret. & Eusebius Cæsariensis, qui docent Constantinum quotidianis quasi edictis, plurima ecclesijs contulisse priuilegia, teste Niceph. Et Tripart. vbi quasi specificando enarrat oblatorum bonorum redditionem, exactionum immunitatem, ac maiorem publicorum vectigalium partem ecclesijs contribuit. Si autē effrenato animo musceres, hic nullibi fieri mentionem imperij, quod latrocinio quasi Papā inuasisse calumniaberis; Audi ergo (præter articulum prælibatum) quid habeatur apud Gratianum. Cui licet nomenclatura paleæ præferatur, non ideo tamen canon minoris est authoritatis, quē admodū aliàs exponendo nomē paleæ dilucidauimus. Si hęc tumultuosum nequeant sedare amimū, obtutus dirigat ad c. fundamēta. Ne autem ipsa mater ecclesia in pastura fideliū, temporalibus destitueretur auxilijs, quin potius ipsis adiuta, spiritualibus semper proficeret incrementis, non absque miraculo factum esse conspicitur, vt occasionaliter Constantini monarchæ à Deo prouisa & curata baptismatis fomētis infirmitas, quandam quasi adduceret ipsi ecclesiæ firmitatem, qui quarto sui baptismatis die, vna cum omnibus satrapis & vniuersis optimatibus, cunctoq; populo, beato Syluestro Romanam concedēdo vrbē; & successoribus eius per pragmaticum, consti-

[Marginal notes: 3. Reg. 19. — Homil. 86. — Lib. 3. eccles. hist. cap. 6. — Lib. 9. ca 10. Constantini factum. — Lib. 7. ca. 41. 42. & 46. — Hist. lib. 1. c. 7 Et lib. 7. c. 3. — Dist. 96. cap. Constantinus. — Primis præcepti cap. 11. — In 6. de electione et electi potestate.]

constitutum disponendum esse;non iustum arbitratus,vt vbi sacerdotij principatum & Christianæ religionis caput imperator cælestis instituit; illic imperator terrenus habeat potestatem, quin ipsa Petri sedes in Romano iam proprio solo collocata;libertate plena in suis agendis per omnia potiretur, nec vlli subesset homini, quæ ore diuino cunctis dinoscitur esse prælata, quemadmodum apertissimis rationibus, atque argumentis temporumq; scriptoribus insigni volumine demonstrat Augustinus Steuchus,probās irrefragabilibus scriptorum monumentis,Romano pontifici Constantinum imperatorem cessisse loco, ac terrenum suum imperium transtulisse Bisantium, quam proprio nomine iam ampliatam Constantinopolim appellauit,teste beato Augustino.Et Niceph.lib.7.Sed obgänniunt,hæc constitutio militat aduersus sacram scripturam,diuique Apostoli Petri praxim,qui dixit: Aurum & argentum non est mihi,quod autem habeo,hoc tibi do.&:Nolite possidere aurum,neque argentum,neque pecuniam in zonis vestris,neque peram in viam,&c. Respondendum est quidem Bonifacium Papam sciscitatum, an fas esset ligneis celebrare calicibus,respondisse,teste concil. Triburien.quondam,quod sacerdotes aurei ligneis vtebantur calicibus,iam vice versa lignei sacerdotes aureis vtuntur calicibus. Præterea oraculum multorum malorum præsagium,cælitus eo temporis lapsum commemorat Ioannes Gerson,qui sic habet parte prima.Iuxta id quod dicunt hist.& legi in postilla super Biblia,quod dum dotata esset ecclesia bonis temporalibus per Constantinum, audita est vox in aëre, hodie venenum effusum est in ecclesiam Dei. Quod intelligēdum venit, propter intollerabilem spiritualium luxum, quo patrimonium Christi abliguriunt, hæreditatem spiritualem dilapidant, & bona ecclesiastica splendidis epulis consumunt. Alioquin præfata Christi verba respiciebant solùm præsentia tum tempora, vt persuasum haberent Deum sui habere curam. Matth. 10. Simili modo dicitur; In viam gentium ne abieritis, quos tamen post resurrectionem in vniuersum orbem destinauit. Quod autem omnia diuendiderint,& pedibus Apostolorum obtulerint; faciebāt quia ecclesiam in omnes gentes propagandam conspiciebant, eoque se à Iudæa expellendos cognoscebant. Veruntamen Apostolos pecuniā possedisse, licet eam non apposuerint,vel ex Ioannis 4.manifestum euadit, vbi discipuli abierunt in ciuitatem vt cibos cōpararent. Et Ioannis 13.existimant Iudam exisse,ad emēdum ea, quibus opus habebant ad diem festum. Insuper Apostolus Paulus voluit episcopos esse hospitales, quod fieri profectò nequiuit nisi bonorum temporalium vsum habuerint

Constantinus relicta vrbe petij: Bisantium.
Ser. 29. de verbis Domini.
Eccles. hist. cap. 48.
Act. 3.
Instant hæretici.
Matth. 10.
Responsio.
Canone 18.
Sacerdotes lignei aureis vtūtur calicibus
2. lectione super Marcum, circa finem.
Oraculū diuinitus missum.
Matt. vltimo,
Act. 13.
Act. 2. 3. et 4.
Apostoli loculos & pecuniā habuerunt.
1. ad Tim. 3.

rint conceſſum. His conſentaneus eſt quadrageſimus canon Apoſtolorum dicens, quod eccleſiæ bona præſulis arbitratu debeant diſpẽſari. Et concil. Calced. per Oeconomum bona eccleſiæ diſpenſent epiſcopi. Sic practicatum legimus tempeſtate Sixti Papæ & Laurentij martyris; Sic tempore Ioannis Chryſoſt. Ambroſ. epiſtola 33. ad ſororem Marcellinam. Et epiſt. ad Valentinianum. Item beati Greg. tria milia ſanctimonialium redditibus D. Petri educabantur. Iſtæ autem eleemoſynæ fiebant ex theſauro quem conferre conſueuerãt ad pedes Apoſtolorum.

Cap. 26. Homil. 33. 34. & 39. ad Antiochenos. 31. ac 32. Lib. 6. epiſtola. 187.

Quibus electio ſpiritualium perſonarum conceſſa?

CAPVT XIII.

NVMA Pompilius alijque Imperatores paganiſmum promouentes, ſuos flamines quidem eligentes ſacris ſuis præfecerunt, ſed nõ hierarchiam ſpiritualem habuerunt, ſicut nec ſacerdotes Pharaonis, qui regia authoritate inſtituti, diuinis operandi poteſtatem minimè ſunt conſequuti, & Hieroboam idolatra fecit ſibi ſacerdotes de extremis populi, qui non erant de filijs Leui, quos Dominus ſolos ſelegerat, in miniſterium tabernaculi & altaris, Numeri 16. Hoc modo Caluinus. Electionem miniſtrorum Dei vult eſſe penes Reges, Magiſtratus, & ſeniores, qui profectò nihil aliud efficere poſſunt, quàm prophano modo hunc inſtituere miniſtrum & prædicatorem, vt pro inſtituentium votis omnia peragant, coaceruantium ſibi magiſtros prurientes auribus, vt omni vento doctrinæ ferantur, ad conſuendum ſub omni cubito puluillos, teſte beato Ioanne Chryſoſt. ſuper pręmiſſa ſententia Pauli. Vnde Cyprianus ſanctiſſimus Martyr lib. de vnitate eccleſię; Hi ſunt, inquit, qui ſe vltra caput temerarios, ſine diuina diſpoſitione præficiunt, qui ſe præpoſitos ſine vlla legis ordinatione conſtituunt, qui nemine epiſcopatum dante Epiſcopi ſibi nomen adſumunt: quos deſignat ſpiritus ſanctus in Pſal. 1. ſedentes in peſtilentiæ cathedra, peſtes & lues fidei, ſerpentis ore fallentes, & corrumpendæ veritatis artifices, venena læthalia linguis læthiferis euomẽtes, quorũ ſermo vt cancer ſerpit, quorum tactus pectoribus & cordibus ſingulorum mortale virus infundit. Contra huiuſmodi clamat Dominus, & ab his reuocat errantem plebem, inquiens; Nolite audire ſermones pſeudoprophetarum, qui viſiones cordis eorum effutiunt, loquuntur, ſed non ab ore Domini, &c. Graphicè hæc quadrant in miniſtros & myſtas à magiſtratu vel populo ſine legitima authoritate eccleſiæ diuinitus tradita intruſos. Et quod loquatur de hæreticis, indubita-

Geneſ. 47. 3. Reg. 22. Lib. 4. inſtitutionis cap. 5. ſect. 2. Hæretici nõ cognoſcũt hierarchicũ ſacerdotiũ ſed prophanũ miniſteriũ humano pacto inuectum. 2. epiſtola ad Timoth. ca. 4. Hierem. 23.

dubitatum priora efficiunt, quando se ab ecclesia alienant, qui sacerdotium eiusque institutionem abrogant, vt gentile & ethnicum introducant. Quibus Deus interdum prædicationem & regimen mittit, non pro se, nec pro populo, sed vt cæcus cæco ducatum præstando, ambo in foueam cadant. De quibus per Oseam dicitur: Dabo eis regem in furore meo. In furore pastor datur, quando malis peior præesse decernitur. Interdum datur pastor pro se, non pro populo, teste beato Gregorio in nonum caput primi Regum super illa verba: Saluabit populum meum, &c. lib. quoque 25. Moral. quando nimirum malis bonus præponitur, quemadmodum ad Ezechielem Dominus dicit, Mitto ego te ad filios Israel, ad gentem apostatricem, quæ recessit à me: Licet enim electus prædicator, auditores suos ad Deum conuertere nequeat, ipse tamen laboris sui lucra non perdit, teste D. Gregorio & Augustino. libr. 1. contra Cresconium Grammat. Sicut, inquit, malignus suasor peccati, etiam si non persuaserit, meritò pœnam deceptoris incurrit, ita fidelis iustitiæ prædicator, etiam si ab hominibus respuatur; absit, vt apud Deum sui officij fraudetur mercede. Nec causa victus, à bonis prædicatoribus prædicatio impenditur, sed causa prædicationis victus accipitur, apud D. Gregor. Nonnunquam concionator datur pro populo, non pro se, quando bonis subditis pastor præficitur, qui dotes quidem habet vt alijs proficiat, sibi autem detrimentum accumulat, tales sunt de quibus Dominus dicit, Quæ dicunt facite, quæ faciunt, facere nolite, suntque tanquam faces seipsos consumentes, alijs autem semitam rectam demonstrantes, aut tintinabula alios ad pietatem inducentes, ipsi autem, nec ad latum culmum quidem appropinquantes, de quibus tintinabulis in verbi Dei precone necessarijs legere licet distinctionem 43. ex epistola D. Hieron. ad Oceanum. Quarto modo proponitur electus pastor pro se, & populo, vt electos subditos pabulo diuini verbi saturatos, bonus pastor ducat ad brauium, supernæ vocationis, teste Gregor. Ista autem varietatis diuersitas nasci videtur ex discrimine institutionis, teste D. Hieron. super primum caput epistolæ ad Galatas: Aliqui namque sunt à Deo, nō ab hominibus missi, quales fuêre Esaias, Hieremias & reliquus prophetarum laudabilis numerus; Alij opposito modo non à Deo, sed ab hominibus instituti deprehenduntur, qui asciscunt sibi, adfectibusque suis indulgentes prædicatores, quos miris laudum præconijs efferunt, quod patronorum foueant cupiditatibus, ipsorumque ad gratiam & voluptatem cuncta differunt, exequunturque, de quibus legitur: Loquimini nobis placentia. Et: Væ qui

[Margin notes: *Prædicatores mittit Deus quadrupliciter.* — Matth. 15. — Cap. 13. — Lib. 4. ca. 4. — Cap. 14. — Cap. 2. — *Prædicator nūquam merita caret.* — Li. 29. Mora. cap 13. — Serm. 42. de sanctis. — Cap. 5. — *Victus necessaria causa cōcionis accipitur.* — Li. 19. Moral. Cap. 10. — Matt. 23. — Cap. Pudicus. — Li. 23. Moral. cap. 8. — *Pastores et cōcionatores missi quadrupliciter.* — Esa. 30. — Ezech. 13.]

consuunt puluillos sub omni cubito & faciunt ceruicalia sub capite vniuersæ ætatis, ad capiẽdas animas. Super quo Chrysost. & D. Gregor. Quisquis male agentibus adulatur, puluillum sub cubito, & ceruical sub capite iacentis ponit, vt qui corripi ex culpa debuerat, in ea fultus laudibus molliter acquiescat. Tertij sunt qui à Deo, sed intermedijs hominibus sunt instituti: Hoc modo Egbertus habet, quod beatus Petrus Apostolorum coriphæus misit ad istam gentem Teutonicam, tres ex suis discipulis, sanctum Eucherum scilicet, Valerium & Maternum, qui Treuerim in Christi verba iurare fecerunt, sanctum etiam Martialem ad alias Germaniæ partes direxit, quemadmodum 52. de extrema vnctione. Paulus quoque Apostolus misit discipulum suum Crescentem in Galatiam quæ est regio Asiæ minoris; Titum verò in Dalmariam, quæ est finitima Macedoniæ, 2. ad Timoth Sanctus Ioannes Euangelista sanctum Patien[illegible] prædicandi verbi gratia, teste eodem Egberto misit ad Metenses. Tali modo Apostolorum discipuli, suos per orbem dispersêre discipulos, vti manifestum est, Clementem Lutætiam destinasse Dionysium Areopagitam, adeo vt nullus partes doctoris aut concionatoris adsumere potuerit, qui non à Iacobo Hierosolymitano Episcopo prius licentiam obtinuisset, teste Clement. Pari modo sanctus Augustinus sagena Euangelij gentem Anglicanam piscari nõ præsumpsit, nisi authoritate D. Greg. pontificis maximi directus fuisset, A quibus descenderunt, sancti Willebrordus, Leuinus & Lambertus, qui Brabãtiam, Hollandiam atque Zelãdiam circa annum Domini 600. per instantissimum prædicationis studium Christo lucrifecerũt. Flandria autem per sanctos Odomarum, Eligium atque Amandnm Christi sacramentis fœliciter est initiata, licet in nonnullis Belgicæ locis vestigia idolatriæ fœlicissima Caroli magni tempora attigerint, tamen ipse summo pietatis affectu, ac singulari religionis Christianæ flagrans desiderio, circa annũ Domini octingẽtesimum, omnia restaurauit, idolatras procul abesse iussit, atque feces vniuersæ impietatis eliminans, omnes perfectos Christianos cõsecrauit. Quartò ac postremò prædicatores sunt, qui nec à Deo nec ab hominibus missi sunt, sed seipsos impudẽter intruserunt, quales falsi prophetæ extiterunt, tempestate Heliæ, & tempore Christi Theudas. Et sunt etiamnum hodie permulti, magna temeritate partes concionatorum sibi vendicantes, vel saltem eo insipientiæ prorumpentes, & asserentes quòd penes plebeios & seculares principes, non ecclesiasticos prælatos, sit tales eligendi potestas, legimus quidem in nascentis ecclesiæ exordio, omnes fideles sine discrimine elegisse Matthiam Apostolum

[Margin notes: *Homil. 38. ad Antioch.* — *Li. 18. Mora. ca. 31 & alleg atur di. 46 c. Sũt nõnulli.* — *Serm. 3. cõtra Catharos, id est, Nouatianos.* — *ca. Monemus.* — *Treueiẽses quã do conuersi?* — *Metenses conuersi.* — *Lib. 4. Recognit. ad Iacobum fratrem Domini.* — *Li. 12. epistolarũ ca. 15. & lib. 27. Mora. cap. 6.* — *Brabãtia, Hollandia, Zelandia, Flandria, quãdo cõuersa?* — *3. Reg. 22.* — *Actor. 5.* — *Et Ioseph libr. 20. ca. 4. Antiquitatum Iudaicarum.* — *Obiectio cõtra electionem spiritualium.*]

ſtolum Act.1.quod iterata vice factum non ignoramus, Act. 6. vbi credentium multitudo elegit Stephanum plenum gratia & ſpiritu ſancto, varios quoque canones plebi & Imperatoribus permittentes, ſicut diſt.63. vbi populo conceditur libera futuri Epiſcopi electio, vbi ſummus Pontifex rogat Auguſtum, quatenus colonum diaconum, ſua licentia valeat conſecrare Epiſcopum, quod manifeſtat Carolum copioſo milite cauſam eccleſiæ protexiſſe optiméque de ea meruiſſe. Quare Adrianus Papa concil. Laterano Romæ 153. patrum coacto, dedit præfato Imperatori ius & poteſtatem eligendi Pontificem ordinandíque Apoſtolicam ſedem. Per omnia ſimile reperimus, cap. In ſynodo. Nam Leo Papa idem ius dedit Otthoni primo illius nominis Imperatori Teutonicorũ. Ex iſtis prima facie inſpectis colligi poſſe videtur, plenariam reſidere apud plebem, & maximè apud Reges & principes miniſtrorum eccleſiaſticorum electionem; Veruntamen ſi præmiſſos canones aliaq; venerabilia pœnitius inſpiciamus decreta: offendemus non reges, hac in parte ius habere nec indomitam plebem huic negotio poſſe imperare, ſed legitimam electionem ſacerdotibus competiemus eſſe relictam. Non enim Tiberius Claudiúſve Apoſtolos elegit, aut miniſtros eccleſiæ præfecit, ſed Chriſtus: Non vos me elegiſtis, ſed ego elegi vos, & poſui, &c. Et ad Epheſ.4. nõ rex, nõ turba, ſed Chriſtus dedit quoſdam Apoſtolos, quoſdam paſtores & doctores: Cùm autem illatus iam ſit ſyderibus, habemus eius vicarios, qui epiſcopos & miniſtros eccleſię eligant, inſtituãt. conſecrent, prout reipublicæ Chriſtianæ viderint expedire. Sic D. Petrus non requiſito regis conſenſu, aut regũm permiſſu ordinauit D. Clementem ſibi eccleſiæ Romanæ ſucceſſorem, teſte Clemẽt. Et Zachæum conſecrauit epiſcopum Cæſarienſem, eodem teſte. D. Paulus ordinauit ſanctum Timotheum & Titum epiſcopos. Et Act.14. à Paulo & Barnaba non à plebe inquieta conſtituti ſunt, per omnes eccleſias presbyteri, & Polycarpus pontificali infula Apoſtolorum ſuffragijs eſt honoratus, non vulgi calculis ſuffectus, teſte Euſebio Cæſarienſi. Et concil. Laodicenum, expreſſis docet verbis, populo non eſſe concedendam eorum electionem, qui altaris miniſterio ſunt applicandi; Cui adſtipulatur D. Ambroſ. ad eccleſiam Vercellenſem, cupiens Pontificem ſeligendum, poſthabitis ciuium votis. Illis tamẽ quibus eſt ius patronatus, hoc eſt, illis qui beneficium aliquod fundauerunt, poſteros quidem habent ſeculares, quibus non eſt poteſtas conferendi beneficium, poſſunt tamen idoneum præſentare, qui non debet repelli. Iſtud ius poſterorum, cui nullus facilè debet refragari, dicitur ius patronatus, teſte concil. La-

Ca. Plebs Dioeceſis. Etc. Reatina. Et capitulum Adrianus.

Soluit obiecta.

Ioannis 15.

Epiſtola 1. ad Iacobum fratrẽ Domini.

Lib. 3. Recognit.

Lib. 4. eccleſ. hiſt. cap. 14.

Cap 13.

Epiſtola 82.

Ius patronatus

Cap. 2. 8. 22 titul. de iure patronatus.

Cap. 2. 8. 22. Titul. de Iure patronat.

teranen. sub Alexand. 3. celebrato, & in Decretalibus, ac Clement. eodem titul. Præmissa autem argumenta nihil efficiũt, quia quanquam contra receptã videatur pugnare veritatem, tamẽ intelligendum est, penes episcopum & sacerdotes semper fuisse electionem, cui populi consensus erat adhibendus, ne inuitis & nolentibus aliquis obtruderetur, quem contemptui aut odio haberent. Itáque omnes præfati canones sunt interpretandi: Nam solennis electio principi debet præsentari, de Electione & electi potestate. Si tempus Apostolorum & Caroli Magni opponatur. Exhibeant nobis tales electores spiritu & animo Dei gloriam zelantes, non proprium commodum in electione ambientes, & nullus tergiuersabitur etiam per tales promotos. Diuina benignitas omnes fideles ecclesiæ ministros dignetur diu suæ sponsæ seruare incolumes, alijsque omnibus principibus similem dignetur inspirare mentem, quò congruis sanctimoniæ ac scientiæ ornamentis populo sibi concredito præluceant, Amen.

Electio debet principi præsentari.

Cap. Quod sicut. & di. 63. ca. Lectis. cap. Adrianus. & ca. Valentinianus, nec nõ ca. Nõ est permittendum.

QVINTVM PRAECEPTVM.

Non occides.

De multiplici homicidio. CAPVT I.

NOCVMENTORVM omnium quæ proximis possint infligi, primum est maximumque homicidium, quo vita diuinitus cõcessa, humano furore tribus præripitur modis, aut volũtate, aut casu, aut necessitate. Voluntas autem se tripartito modo dirimit, vt primo, facto fiat, præcepto aut consilio, teste Augustino, & de clericis in duello pugnantibus. Factum verò bimembri diuisione partiendum occurrit, aut enim homicidium committit aliquis in se, aut in alium. Dixit ergo Deus, Non occides. Quo inhibetur cum primis manus violenta in se, quia charitas incipit à seipso; Et qui sibi non est bonus, cui erit? nemo enim carnem suam odio habuit: Quod enim Circumcelliones hæretici (à circuitu cellarum victus sui gratia dicti) sibi mortem consciuerint. Hoc alicuius maioris commodi causa (quod vel post mortem sibi persuadebant, vel fingebant) fecerunt teste beato August. vel etiam quia ferre non potuerunt duram sui corporis seruitutem & stultam vulgi opinionem. Nec Rasias quidem (quem isti exemplo sui sceleris destituti de Machab. libr. 2. cap. 14. se inuenisse gloriantur) vel parum

Triplici modo fit homicidiũ. Super Psal. 56 Ca. Henricus. Subdiuisio. Exod. 20. Et Matth. 5. Furor hæreticorũ circumcellionum.

Libr. 3. de lib. arb. cap. 8. Li. 1. de ciuit. Dei, cap. 22.

parum ipsorũ suffragatur furori, teste D. Aug. cõtra secundã epist. Gaudent. & epist. 61. ad Dulcitium: Si enim diligentius cõsideremus, liberam nõ habuit fugiendi facultatẽ, cùm hostiles nequitiæ in eum facerent insultum, ideo se gladio percussit, & cùm perimere se nequiuisset, ne oculi eius maiorem in Deum contumeliam conspicerent, de muro se præcipitauit, quemadmodum Sampson columnas euertit, quo moriturus plures occideret, quàm superstes præualuisset, Iudic. 16. super quo D. Aug. Istam mortem non sponte sibi adsciuit, sed spiritui Dei intus loquentis intrepidè obediuit, lib. contra 2. epistolam Gauden. propter typum ecclesiæ ex gentibus congregandæ, quem gessit, teste Ambr. item Aug. Nec Donatistæ exemplo Iudæ, Matt. 27. rectè sibi vitam adimũt, quia secundum Aug. & Iuonem ille Iudam proditorem id facere compulit, qui & illum puerum quẽ sanauit Dominus, in aquam & ignem sæpè deiecit, & gregem porcorum in mare præcipitauit, necnon ipsi Domino præcipitium de pinna templi temeraria præsumptione suggessit, de quibus loquitur August. expressè super illa verba Ioan. 12. Qui odit animam suam, &c. Quidam, inquit, maligni atque peruersi homines & in seipsis crudeliores, flãmis se donant, aquis se præfocant, præcipitio se collidunt, quod Christus non docuit, imò diabolo præcipitium suggerenti, respondit; Redi post me sathana: Inexpiabile siquidem facinus cõmittit, qui aduersante & exhorrente naturæ dictamine ferrum in seipsum stringit, secundum D. Aug. Vnde concil. Braccaren. 1. in detestationem huius criminis, ita loquitur, vt & repetitur apud Iuonẽ. Placuit vt hi qui per ferrũ aut per venenũ, aut præcipitiũ, aut suspendiũ, aut quolibet modo violentiæ, sibiipsis inferũt mortẽ, nulla pro illis in oblatione cõmemoratio fiat, neq; cũ psalmis ad sepulturã eorũ cadauera deducantur, multi enim sibi hoc per ignorantiam vsurpãt. Similiter & de his placuit fieri, qui pro suis sceleribus extremo plectuntur supplicio. Deinde mors in aliũ infligitur, duplici ratione, aut in creaturã rationis expertẽ, aut in hominẽ rationis capacem; Priori modo intelligebãt etiã Manichæi præceptũ diuinũ, nam bestijs, imò fruticibus nihil nocumenti infligendum iudicabant, teste D. Aug. Verùm hic error haud difficulter euanescit, si vel leuiter scripturarũ testimonia attẽdamus, quæ sunt passim omnibus obuia. Posteriori modo mors infligitur humanæ carni, & hoc etiã bipartito modo, aut à iudice, aut à latrone, secundũ Aug. Latronis crudelitas insontisq; oppressio exterminatur, quando diuina lege præcipitur, insontẽ & iustũ non esse occidendũ; neque homicidiũ committendũ. Nec huic obstat exemplum Abrahæ. Genes. 22. filiũ immolantis, quia Deus est qui

Li. 2. cap. 23.
Sãpsonis mors quid adumbrarit?
Cap. 23.
Lib. de Helia, cap. 11.
Et prolog. lib. 2. de spiritu sancto.
Li. 12. ca. 32. contra Faustum. & serm. 107. de temp.
Vbi suprà cap. 28.
Parte 10. ca. 4
Tract. 51.
Quàm malum sibi mortem inferre?
Epist. 38. ad Lethum.
Cap. 24.
Parte 10. cap. 5. & 6.
Manicheorum error.
Li. 1. de ciuit. Dei cap. 20.
Epist 54 ad Macedonium.
Exod. 20. 23.
Deut. 5. Mat. 5. & 19.
Immolatio Isaac quid?

mortificat & viuificat,legem statuit & infringit,ideo Deo iu-
bente; qui nullis legibus adstringitur, fuit obedientia, Deo
Cōtra 2.episto non iubente fuisset insania,teste August. Taceo interea ty-
lam Gauden- picam immolationem,quam immolatus à patre Isaac præfi-
tij cap.23. gurauit; eodem teste lib.12. contra Faustum ser.46.de tem-
cap.25. pore, & Ambros. Nequaquam tamen præceptum Dei post-
Li.1.de Abra habere cognoscitur Iudex,si extremo plecti præcipiat furem,
ham cap.8. latronem aliúmve maleficum supplicio,quia Exodi vicesimo
tertiò dicitur; Maleficos nō patieris viuere;& Rom.13.Om-
tract.105.in nis anima (hoc est,omnis homo,secundum August. potesta-
Ioannem. tibus sublimioribus subdita sit. Si malum feceris, time, non
enim sine causa gladium portat,sed ad resecandum mala,quę
pullulant grassanturque per orbem, secundum D. Thomam
2.2.quæst. Aquinatem. Sicut namq; membrum putridum,vt saluti to-
64.art.2. tius cōsulatur corporis,præsciniditur,ita homo communitati
Similitudine aliquibus flagitijs noxius laudabiliter è medio sustollitur, ne
probat malos è modicum fermentum totam massam corrumpat. Quo per-
medio tollēdos. spicuum fit, hominem interdum à iudice occidi, non quia
1.ad Cor.5. homo est,nec etiam quia membrum communitatis,sed quia
maleficus est,odio malitiæ,zeloque iustitiæ,capite plectitur;
Hæc tamen exequutio non priuata temeritate, sed publica
Epist.154. adimplenda est authoritate, secundum August. ad Publico-
Cap.4. lam,& libr.1.de lib.arbit. ac Iuonem satis pulchrè & fusè. &:
Parte 10.cap. Miles hostem,inquit,& iudex vel minister eius nocentem, &
41.& 49. cui fortè inuito atque imprudenti telum manu fugit, non
Cap.18. videntur mihi peccare,cùm occidunt: & lib. quæstionum in
Quæst.39.ca. Exodum,& allegatur 23.quæst.5.cap. Cùm minister, vbi sic
11. habetur: Cùm iudex iussit occidi,profectò si minister id spō-
te facit,homicida est, etiamsi eum occidat,quem scit à Iudi-
Li.1.de ciuit. ce debuisse occidi,teste August. & apud Iuonem Carrotnen-
Dei,cap.26. sem licet isti ministri nullo peccati vulnere sancientur, exe-
& citatur 23 quutione iustitiæ, irregularitatis tamen pœnam non euadūt,
quæst.4.cap. qua fit impedimentum seu repulsio exequutionis diuini of-
Miles. ficij seu sacramenti, ex canonica constitutione proueniens,
Li.10 ca.98. vti habetur, extra de tempore ordinandorum. Nam omnis
Irregularitatē homicida est irregularis voluntariè occidens,siue ex iustitiæ,
incurrit iudex. siue legis aut canonis permissione,siue ex vindicta, siue pec-
cap.vltimo. cato,aut absque eo contingat.Intelligendum est istud nihilo-
minus de homicida vsum rationis habente: Siquidem infan-
Eodem titulo tes, furiosi & dormientes occidendo, istam pœnam non in-
cap.vnico. currunt,quemadmodum patet in Clement.Hæc autem irre-
gularitas introducta est à iure positiuo, vt ostēditur 2.quæst.
7.apud Gratianum,licet in veteri testamento fuerit præordi-
Ca.1.de Con- nata in persona Dauidis,sicut luculenter docetur;dist.1. Hic
secratione, iam occurrit scrupulus minimè dissimilandus; quid iudici
facien-

faciendum sit in casu, quo aliquem euidentibus rationibus certisque argumentis cognouit insontem, quem tamen criminis damnant falsi testes, si interficiat, præcepti reus efficitur diuini, si non perimat, Imperatoris animum exasperat, quemadmodum clarescit in Achab. Hic potest dici secūdum Ambros. ad Horontianum, quod perimere innocenrem, nūquam non est illicitum, nisi per accidens iudex excusetur, in casu quo oportet ipsum secundum allegata & probata damnare ad mortem innocentem. Huic adstipulantur canones 11. quæst 3. Quia aliud facit, vt homo, aliud vt iudex. Hæc quidem sententia magnos habet patronos, opposita tamen est veritati cōformior, sic enim habet scriptura: Oportet Deo magis obedire, quàm hominibus. Non suscipies vocem mendacij. & infra: Neque in iudicio plurimorum acquiesces sententiæ, vt à veritate deuies. & paulò post: Innocentem & iustum non occides; Item extra de regulis iuris. Vtilius scandalum nasci permittitur, quàm veritas deseratur: & 3. quæst 7. non ante dicitur iudicandum, quàm ad conscientiam nostrā reuertamur, & quid placeat, quidve Deo displiceat consideremus. Item in 6. de sententia & re iudicata. In ferendis sententijs, præ oculis habeat solum Deum, illius imitans exemplum, qui querelas populi tabernaculum ingressus ad Dominum referebat, vt secundum eius imperium iudicaret. Ecce non dicit secundum allegata & approbata, sed secundum cōscientiam & secundum Deum. Quare certum videtur, quod si quis insontem ad mortem, vel membrorum mutilationem condemnet aliudve damnum infligat, vel condemnandum exponat, etiam iussu imperiali adstrictus, peccat læthaliter. Debet ergo iudex imperatorem melius informare; vel officio cedere, vel certè mortem, ne innocentem condemnet, oppetere: Non enim solum rei sunt mortis, qui hæc faciunt, sed etiam qui consentiunt facientibus. Sic Cayphas. Sic Dauid, Sic Iezabel homicidij rei deprehenduntur, quanquam proprias manus sanguine proximi non cruentauerint. Vnde decretū Imperiale, de his qui latrones vel alijs criminibus reos occultauerint, vbi sic legitur: Eos qui secum alieni criminis reos occultādo eum eamve sociauerint, pat ipsos & reos pœna expectet, & latrones quisquis sciens receperit, vel eos offerre Iudicibus supersederit, supplicio corporali aut dispendio facultatum pro qualitate personæ, & Iudicis æstimatione plectetur; Nec multum interest, quo fiat, siue gladio, siue ligno, siue ferro aut veneno; Quia plus est, hoc est, atrocius est, hominem veneno intoxicare, quàm gladio vitam auferre, vti habetur, C. de Maleficis, & Matematicis. Nec Dominus hos impunè euadere voluit, sed condignas pœnas instituit,

Quid iudici faciendū quando aliquē falsis dāmnant testibus!
3. Reg 21.
Epistola 24.
Cap. summopere. 6. quæst. 2. cap. Si tantum & cap. Placuit.
Act. 5.
Exod. 23.
Cap. Qui scādalizauerit. ca. Postulatus.
Cap. Cum æterni.
Roma. 1.
Ioan. 11.
2. Reg. 11.
3. Reg. 21.
Leg. Eos qui. & le. Si qui latrones.
Qui latrones occultando abscondunt.
Leg. Plus est.
Exod. 21.

Qui percusserit hominem volens extinguere, morte moriatur, &: Qui occiderit, reus erit iudicio. Et: Omnis qui acceperit gladium, gladio peribit, quæ sententia intelligenda est de illo, secundum Cyrillum, qui nulla superiori ac legitima potestate vel iubente, vel concedente in sanguinem alicuius armatur. Cui licet antiquitus fuerint adsignatæ ciuitates refugij, iam tamen conceduntur rarissimè, aut nunquam, nisi illi qui casu alióve infortunio hominem occiderit, qui à septis ecclesiæ non est deturbandus, & extrahendus, secũdum concil. Aurelianen. 4. & concil. Toletanum 12. cui adsentitur canon de Immunitate ecclesiarum. Demit tamen duplex genus hominum, Et hoc verum est, inquit, nisi publicus latro fuerit, vel nocturnus populator agrorum. Idem inculcatur, 17. quæst. 4. sicut antiquitùs huic suffragatur lex Fideli, C. de his qui confugiunt, in Autentico; Tamen Ius ciuile, plures personas excipit ab ecclesijs abstrahendas; collatione 3. de mandatis principum, vbi sic habetur: Neque autem homicidis, neque adulteris, neque virginum raptoribus derelinquentibus terminorum custodes, parces, sed etiam inde extrahes, & supplicium eis inferes. Quibus liquidò constat istos adulteros, homicidas, secundum antiqua iura non gaudere immunitate. Quod si remissionem à principe & consanguineis hominis interfecti obtinuerint patrati criminis, non protinus sibi de Dei indulgentia remisso animo blandiantur, secundum concil. Aurelianen. 4. cùm rigor nascentis ecclesiæ instituerit perpetuam ad finem vsque vitæ pœnitentiam, cuius extremo articulo, Deo reconciliati, communione digni habebantur, teste concil. Ancirano, circa annum Domini 308. celebrato. Et Iuo parte 10. Mitiùs tamen res se habere processu temporum cœpit, nam concil. Triburiense, anno 895. celebratũ, sic definiuit. Si quis sponte homicidium fecerit, 40. diebus ab ecclesiæ ingressu arceatur, & nihil manducet illis diebus 40. præter solum panem, salem, & bibat puram aquam, nudis pedibus incedat, lineis nõ vtatur vestibus, nullo vehiculo vtatur, nulli fœminæ nec vxori quidẽ misceatur, nullam communionẽ cum alijs Christianis habere permittatur, post illos 40. dies, vnum annũ integrum ab introitu ecclesię suspendatur, & abstineat à carne, caseo, vino, exceptis Dominicis & festis diebus; Secũdo & tertio anno simili modo pœniteat, dempto quod tertiam & quintam feriam, ac sabbatum redimere poterit denario, ne ieiunio obligetur. Quarto anno, quinto, sexto, & septimo, hoc modo ieiunet, vt singulis annis, tres habeat quadragesimas, vnam ante Pascha, alteram circa festum Ioannis Baptistæ, tertiam ante Natiuitatem Saluatoris. His septem annis ritè completis, recõciliatus, sacris

Matth. 5. Matth. 26. Lib. 11. super Ioan. cap. 35. Ciuitates refugij. Numer 35. & Deut. 4. & 19. Cap. 27. Cap 10. Ca. inter alia. Qui malefici nullibi tuti. Leg. Ex libris §. Neq; autẽ. Cap. 27. Rigor nascentis ecclesiæ in pœnitentia homicidarum. Cap. 22. Ca 25. et 28 necnon 130. Ca. 55. et 56.

sacris altaribus ac sanctæ communioni restitutus, perfectam absoluerit pœnitentiam. Hic rigor nō parum confundit nostri seculi teporem; simul enim atque mortalibus pacem fecimus, ac fœdus reconciliationis pepigimus, de reliquo anxij nequaquam sumus. Deinde homicidium committitur casu aliquo, & hoc bifariam: aut enim interficiens dabat operam rei licitæ, aut illicitæ; Si dederit operam rei licitæ, & adhibuerit diligentiam quam potuit & debuit, nullo modo reus efficitur, quemadmodum habetur de homicidio voluntario, vel casuali varijs exemplorum paradigmatibus demonstratum. Si verò non adhibuit quam debuit diligentiam, imputatur in peccatum propter negligentiam. Sic Lamech homicidium commisit, Genes. 4. quando Cain occidit, existimans bestiam in virgultis delitescere, quia debitam non fecit indaginem, teste Thom. Et sicut illi qui voluntate & facto homicidium committunt, non solùm non debent promoueri, sed in perpetuum deponi, de Homicid. volun. vel casuali, & dist. 50. Ita hi non promouentur ad ordines superiores, nec in ordine suscepto ministrare permittūtur, vbi supra, necnon concil. Tridentin. quod sic habet, Cùm etiam qui per industriā occiderit proximum suū, & per insidias, ab altari auelli debeat, qui sua voluntate perpetrauerit, nullo tempore ad sacros ordines promoueri possit, nec illi aliqua beneficia ecclesiastica sunt conferenda. Si verò casu acciderit, aut vim vi repellendo, dispensationem impetrare poterit, qua ad ordines promoueri queat. Si verò dabat operam rei illicitæ, siue adhibuit diligentiā, siue nō, homicidij crimē nō euadit, & Iuo parte 10. Vltimò homicidiū fit necessitate, sub quo cōprehenditur proprij corporis defensio; Et tum illa necessitas est euitabilis, aut ineuitabilis: Si euitabilis, crimen adducit, si perimat, nec ad ordines promoueri potest, licet in susceptis misericorditer toleretur. Si fuerit ineuitabilis, nequaquam erit obnoxius. Si igitur aliquis non spontanea voluntate corruptus, sed proprij corporis defensione coactus, cum moderamine inculpatæ tutelæ inuadētem interfecerit, homicidij reus nequaquam erit, præsertim si propriam mortem aliter declinare nequiuerit. Reus tamen esset, qui se defendendo, alium occidat, quando se defendit vt occidat, vel non est defensione contentus, nisi occidat. Nec aliquis tenetur fugam capere, propter improperium dedecoris, quia si pro iactura rerum licet defendendo officere, multo fortius pro honore & famæ conseruatione, secundum Iuonem Carnotensem episcopum, lib. 10. Is qui aggressorem vel quemcūque alium in dubio vitæ discrimine constitutus, occiderit, nullam ob id factum, calumniam meruere debet. Qui verò ebrietatis furore vel ipso circuitus

die tri-

Homicidium casuale, dupliciter contingit.

Ca. Ex literis, Cap. Significasti, & cap. Dilectus, item dist. 50. cap. Si duo fratres, estque desumptū ex cap. 36. concil. Triburien.

2. 2. quæst. 64. art. 8.

Cap. Sicut.

Cap. Si quis viduam.

Cap. Continebatur, & cap. Ad audientiā.

Sess. 14. cap. 7.

Cap. Continebatur, & cap. Dilectus.

Cap. 49.

Homicidiū necessitate patratum.

Dist. 50. cap. De his clericis

Vim vi repellere quatenus licet?

Ca. 53. et leg. Frater tuus, itē leg. Is qui, ad leg Corneliam de Sicarijs.

Die circuitus aliquē homicidiū cōmittere. Fol. 783.

die tribusque sequentibus diebus alicuius ciuitatis ceu loci, homicidium parrauerit, indulgentiæ remissionem à dominis temporalibus nōn obtineat, quam si ostendat, literę reputentur surreptitiæ, sicuti habetur, lib. 3. Rubric. Ordinationum Imperalium ac placetorum regalium.

De bello. CAPVT II.

Occurrit tacitæ obiectioni. Exod 20. Deuter. 5. Matth. 5. Rom. 13. Regna quando latrocinia. Ca. 4. 31. & ser. ad fratres in eremo. Parte 10. cap. 94 & 98. Lib. 4. hexamer. cap. 4. Tela aranearū quid signet? Cap. 187. & 23. quæst. 1. 2. 3. &c. varijs capitibus. Clementia vel maximè ornat iudicem. Li. 2 de Abel et Cain, ca. 10 Serm. 14. & 35. ad fratres in eremo.

VERVM hic scrupulus nascitur, si lege Dei occidere Christiani omnes vetantur; quomodo magistratibus & pijs & impijs licet? At si intelligamus magistratum in exercendis supplicijs, non à se agere quicquam, sed ipsissima Dei iudicia exequi, nihil hoc scrupulo impediemur: Nam occidere lex Domini prohibet, & ne quid impunè fiat, ipse legislator gladium suis dat in manu ministris, quem in homicidas omnes exerant, non enim frustra gladium portant, inquit Paulus. Nā Dei ministri sunt ad iram vltores malè agentibus, quid enim essent regna, remotà iustitia, teste August. lib. 4. de ciuitat. Dei, nisi magna latrocinia? Iuo, Viderint proinde Iudices, ne negligentia torpidi, aut muneribus corrupti, ius dicere ac facere paruiducant, ne de illis verificetur tritus ille versus:

Dat veniam coruis vexat censura columbas.

Et quod Ambros. non inepta similitudine comprobat de tela aranearum; quam maiuscula, nō exigua animalcula prorumpendo frangunt; nam rationem reddituri sunt de illis quos tueri insontes neglexerint, Iuone teste, parte 10. Neque is tamen sum, qui aut importunè seuitię faueam, aut æquum judicium pronunciari posse censeam, nisi adsidente optima illa regum consiliaria & certissima, vt Salomon Prouerb 22. ait, Regij throni conseruatrice clementia, secundum Ambr. & August. Quam primam esse principum dotem, etiam verè à quodam olim definitum est, vtrumque tamen magistratui videndum est, ne aut animi seueritate vulneret, magis quàm medeatur, aut superstitiosa clementiæ affectatione, in crudelissimam incidat humanitatem; si molli dissolutaque indulgentia, cum multorum pernicie defluat. Est enim istud non abs re sub Neruæ imperio iactatum, apud Dionem; Malum quidem esse, sub principe viuere, sub quo nihil liceat, sed multo peius, sub quo liceant omnia. Quando verò regibus populisque ad exercendam huiusmodi publicam vindictam, arma capere interdum necesse sit; ex hac ratione simul existimare licet esse legitima, quæ sic suscipiuntur bella. Nam si tradita est illis potestas, qua ditioni suæ quietem tueantur, qua inquietorum hominum motus seditiosos comprimant, qua vi oppressis opem ferant, qua in maleficia animaduertāt,

Bellare vnde licitum?

potiore

potiore longè ratione proferre eam possunt in pertubatores communis tranquillitatis: omniū namque non minus, quàm singulorum furor est acriter cohibendus. Si legum custodes esse ipsos & adsertores conuenit, omnium pariter conatus euertant, oportet, quorum scelere legum disciplina corrumpitur; Imò si iure eos latrones plectunt, quorum iniuriæ in paucos tantum progressæ fuerant, an totam latrocinijs regionem impunè adfligi vastarique sinent? Siquidem nihil interest, rex ne sit, an infimus de plebe, qui in alienam regionem in quam iuris nihil habet, irruit, eamque hostili ter vexat, omnes æquè pro latronibus habendi sunt & puniendi. Hoc ergo & naturalis æquitas, & officij ratio dictat, armatos esse principes, non tantùm ad priuata officia iudiciarijs pœnis coercenda, sed additiones quoque fidei suæ commissas bello defendendas, si quando hostiliter impetantur. Et quanquam Manichæi bella illicita statuerint, teste August. scire tamen debent, Moysen diuino iussu bella gessisse contra Barbaras gentes, secundum eundem cap. 78. eiusdem lib. & alijs quàm plurimis scripturarum testimonijs idem demonstratur, adeò vt si bellum tollere velint, aut diuinum imperium reijciant, aut Moysi alijsque Dei ministris calumnias inferant. Quod si obijciatur ab Oecolampadio, in neutro testamento vllum extare testimonium vel exemplum, quod doceat bellum rem esse Christianis licitam, Primùm respondeo rationem gerendi belli, quæ olim fuit, hodie quoque permanere, neque esse ex aduerso causam, quæ magistratus à suorum subditorum defensione arceat. Deinde non esse quærendam in apostolicis literis expressam istarum rerum enarrationem, vbi nō politiā firmare, sed spirituale Christi regnum instituere propositum erat. Postremo illic quoque obiter indicari Christum suo aduētu nihil hac in parte mutasse: Nam si Christiana disciplina, secundum August. omnia bella damnaret, hoc potius militibus consilium salutis petentibus diceretur, vt arma abijcerent, seque militia penitus subducerent; Dictum est autē eis, Neminem concutiatis, nemini iniuriam faciatis, sufficiat vobis stipēdium vestrum. Quibus proprium stipendium sufficere debere præcepit, militare vtique non prohibuit. Nec prælibati legūtur solùm illi reges valido conflictu bellasse, sed etiam memoriæ proditum est secundum Ludouicum Viuem in 4 lib. de ciuit. Dei, D. August. cap. 6. Aphros & Aegyptios inter se dimicasse sudibus. Plinius autem primos belli authores, Phœnices asserit. Iustinus verò Veporem Aegypti & Tanaim Scythiæ Reges nominat, qui bella cum longinquis populis gloriæ causa gesserunt. Ninus etiam primus, finitimis suis, cupidinæ augendæ ditionis, bellum

Manich. mētiuntur bella illicita.

Lib. 22. cōtra Faust. ca. 74.

Oecolampadius.

Triplici modo retunditur haereticorū cauillum.

Epist. 5. ad Marcellum.

Lib. 22. cōtra Faust. Manic. ca. 74. & ser. 19. de verbis Domini.

Luc. 3.

Genes. 14.

Bella quā antiqua?

Lib. 5. naturalis hist. c. 12

Lib.4.de ciui. Dei,cap.6. bellum fecit,teste August. Profuerit autem scire quando bellum sit iustum,quando iniustum censeatur. Iustum esse constat, quando tria secum complectitur; Primò authoritatem principis,secundum August.lib.22. cõtra Faustum Manich. Nomine principis intellige Papam, Imperatorem, Reges, dominum liberum, non habens superiorem, vt habetur 23. quæst.1. Quarè si 20.latrones pagum inuadunt,bellum non est dicendum,quia non est regni principe indictum, nec publica denuntiatione promulgatum, Nec princeps arundineo fundamento, aut pecuniæ neruo, hoc est, humanis viribus confisus,debet ad bellum procedere,sed militem magis timoratum debet sibi asciscere,exemplo Constantij, qui duntaxat milites baptizatos suæ militiæ voluit adsociari, secundum Theodoretum. Et si terga hostibus verterit Israël, propter iniquitatem vnius Acham,multò minus contra Turcam,aut alios hostes proficiẽt,quando non tam armatorum copia virtuosa,quàm damnabilis sceleratorum hominum vita in bellis redundat. Propterea Ambros. præliandum optat,non tam gladio quàm oratione & vitæ merito: Sic Moyses oratione leuando puras manus strauit Amalechitas,quanquam extensio manuum eius præfigurârit Christum in cruce regnaturum & victoria potiturum,teste August. Et 2.Machab 15.& 2.Paralip.20.precibus muniti tãquam clipeo validum fecêre cum hostibus conflictum, Ambros. serm.86. Marcus etiam Marcellus, prius lachrymas quàm sanguinem fudit Siracusanum, secundum Augustinum, & Theodosius Imperator, teste Theodoreto,pugnaturus in oratione pernoctat,& potitur victoria.Secundò,vt iustum sit bellum iusta causa impellat, oportet, quare magistratuum omniũ fuerit summopere hic cauere, ne cupiditatibus suis vel tantillum obsequantur, nec præcipiti iracundia ferãtur,non capiantur odio,non implacabili austeritate ardeãt, non ex facili occasionem captare debent, imò nec oblatam acceptare, nisi summa necessitate adacti. Nam si multò plus nobis præstandum sit quam exegerit ethnicus ille Cicero in Offic. qui bellum videri voluit pacem quæsitam; omnia prius certè tentanda sunt,quam armis in arenam descendendum. Iusta quoque causa censetur, quando aduersus violentiam resistentium siue Deo, siue legitimo aliquo imperio iubente,gerenda ipsa bella à bonis suscipiuntur vel iubere tale aliquid,vel in talibus obedire iustè ordo ipse constringit, secundum August. vel iustum bellum est,quod vlciscitur iniurias, si quæ gens vel ciuitas quæ bello petenda est, vel vindicare neglexerit, quod à suis improbè factum est, vel reddere quod per iniurias ablatum est, teste August. Atque hac in parte licet vti insidijs, non indicando falsum,

Bellum iustum & iniustum. Prima iusti belli conditio. Cap.74 et citatur 23.q.1. cap.Quid culpatur Cap.Quidã. Quãdo bellum nuncupãdum? Qualis miles colligendus? Lib.3. Eccles. hist.cap.3. Iosue 7. Serm.86. Exodi 17. Expãsis manibus quid Moyses prætẽderit? Serm.93 de tempore. Quomodo ad prælium procedendum? Lib.1.de ciui. Dei,cap.6. Lib.5.Eccles. hist.cap.24. 2. Conditio iusti belli. Lib.22.contra Faust.cap.74. Quæst.10.super Iosue,et allegatur 23.q.2. cap.Dominus noster.

falſum, vel non ſeruando promiſſum aut occultando hoſtibus conſilium. Sic Gothi quando biennio obſeſſam Romam expugnare non potuerunt, ad fraudes & inſidias callida barbaries conuertebatur, profectionem in patriam ſimulans, trecentoſque iuuenes animoſitate & decore præſtantes, omni obſequio Romanis promoueri præcepit, qui ad certum diem Romanis otiō torpentibus, ac iocis diſſolutis, communi confluxu ad portam aſinariam properārunt, interfectiſque improuiſo inſultu cuſtodibus, portam præſto futuris Gothis aperiunt, qui maiori ignominia, quam damno rotam vrbē affecerūt. Huic ſimile videre apud Virgiliū licet. His ſuffragatur Aug. prælibata q. ſuper Ioſue, & Tho. Deus præcepit, inquit Ioſue 8. vt conſtituat ſibi inſidiantes bellatores; Hinc admonemur, inquit, non iniuſtè fieri, ab his qui iuſtum bellum gerunt, an aperto Marte, an inſidijs vincant, nihil ad iuſtitiam intereſt. Tertiò requiritur recta intentio, ita vt nullo priuato affectu patiantur ſe corripi, ſed publico duntaxat ſenſu ducantur, alioquin poteſtate ſua peſſimè abutuntur, quæ non in ſuum illis commodum, ſed aliorum bonum ac miniſterium data eſt: Non enim pax quæritur (teſte Auguſt. & Iuone parte 10.) vt bellum exerceatur, ſed bellum geritur vt pax acquiratur. Ex eodē præterea belligerandi iure pendet, & præſidiorum & fœderum aliarumq; munitionum ratio. Præſidia autem voco, quæ ad tuēdos regionis fines per ciuitates diſponūtur, Fœdera quæ à principibus finitimis, in hanc legem feriūtur, vt ſi quid turbarū in agris ſuis inciderit, mutuā ſibi opē ferant, & vires in cōmune conferāt, ad opprimēdos humani generis hoſtes cōmunes. Ciuiles munitiones ſunt, quarum in arte militari vſus eſt. In militibus quoq; requiritur diſciplina: Non enim rapinis, furtis, ac virginum deflorationibus inſiſtere debent, ſed ijs ad quæ ſunt ſacramētis militaribus adſcripti; Nam militare non eſt peccatum, teſte Auguſt. ſed propter prędam militare eſt peccatum, propterea militibus ſtipendia ſunt conſtituta, ne, dum ſumptus quæritur, præda graſſetur. Et paulò poſt; Quicunque ſibi ſtipendia publicè decreta conſequitur, ſi amplius quærit, tanquam calumniator & concuſſor, Ioannis ſententia condemnatur. Si certum non eſt quod ſit iuſtum bellum, iubentè Domino, ſubditi bellando non delinquunt: Obedientia enim eos excuſat, ſecundum Auguſt. neque obligātur diligenti ſcrutinio diſcutere, an iuſtum ſit vel iniuſtum, dummodo non appareat clarè eſſe iniuſtum. Nec enim tunc deberēt obſecundare. Si extraneus miles acceſſerit, quātocius cauſam iniuſtā reſciuerit, erit retrocedendum, ſecundum Auguſt. cap. eodem. Et ſi alicui iniuriam præſtiterint, aut iniuſtè aliquid in iniuſto

Inſidijs uti. *Lib. 1. de ciui. Dei, cap. 30.* *Lib. 2. Eneid.* *2. 2. quæſt. 40. art. 3.* *3. Iuſti belli conditio.* *Lib. 15. ciuit. Dei, cap 4.* *Cap. 105, & repetitur 23. q. 1. cap. Apud veros, &c.* *Finis belli.* *Præſidia.* *Fœdera.* *Ciuiles munitiones.* *Diſciplina militibus neceſſaria.* *Serm. 19. de verbis Dom.* *Matth. 3.* *Luc. 3.* *Lib. 23. cōtra Fauſtum Manich. cap. 75.* *Quid faciendū in iniuſto bello?*

21.quæst.66 ar.8.decernit.

iniusto bello rapuerint, omnia restituenda, Diuus Thomas, si iustum fuerit bellum, milites possunt sese, absque restitutionis discrimine, spolijs saturare.

De torneamentis & duellis, funambulis, & hastiludijs. CAPVT III.

EX præmissis alicui oriri posset scrupulus, an torneamẽta quæ fiunt, vt homines virium suarũ pericula faciant vel se, causa addiscendi, armorum vsum exercent, licita sint. Profectò si non essent ab ecclesia inhibita, nec subesset discrimen vitæ, animæ & corporis, licita esse possent, quemadmodum iura ciuilia in Pandectis de Alex. vsu & aleatoribus ea quæ ad exercitium & virium ostentationem contingunt, admittunt.

Leg. Solent.

Sed quia prohibẽtur iure canonico propter frequentes hominum mortes, & crebra animarum pericula quæ proueniunt; illicita censentur, imò anathematis gladio percelluntur, non solum actores, sed qualicunque modo fautores peccatumque læthiferum incurrunt, adeo vt si quis tali modo occubuerit, vti habetur de Torneamentis, & extra de Torneamentis, licet superuenienti & poscenti, pœnitentia non negetur, ab ecclesiastica tamen arceri debet sepultura.

Cap. Fælicis, & ca. Ad audientiam.

Cap. in Futurorum.

Torneamentis occumbẽtes ecclesiastica priuantur sepultura.

Monomachia siue duellum est duorum bellum indicens & acceptans, siue pro veritatis manifestatione, siue ad virium ostentationem, siue spectaculi gratia, siue ad propulsandam ignominiam, siue ad terminandam litem ciuilem vel criminalem, est semper peccatũ mortiferum, quia eligitur percussio proximi, & expositio propriæ & alienæ vitæ, mortis periculo, absque sufficienti causa, quod prohibetur de clericis in duello pugnantibus, cap. Porro, & 2. quæst. 5. cap. Monomachiam, ex Matth. 7. Non tentabis Dominum Deum tuum. Nec obstat exemplum Sampsonis & Dauidis, quia priuilegium paucorum non facit legem communem, præsertim cum spiritu sancto edocti gesserint quod fecerunt, secũdum Aug. necnõ Ambros. Detestabilis est ergo ipsius vsus ac astu diabolico inuectus, qui ne cruenta corporũ morte animarum etiam perniciem lucretur, occurrit conc. Lateranẽ. sub Innocen. 3. celebrat. & conc. Trid. in quo tanquam homicidæ puniendi definiuntur, qui duello pugnãtes aliquem occiderint, & si in ipso conflictu decesserint, perpetuo careant ecclesiastica sepultura. Quin & eorum fautores quacunque ratione, excommunicationis sententiam incurrunt, ac perpetuo maledictionis vinculo innodantur. Hastiludium (secundum D. illustriss. Cardinalem Thomam Caietanum in summula de peccatis) est, quo pro exercitatione bellica, aut pro solẽnitate festiuæ alicuius iucũditatis regiæ, armati duo equites vel pedites

Duellum semper mortale peccatum.

Lib. contra 2. epist. Gaudẽt. cap. 23. Serm. 97. de temp. Serm. 88. Cap. 18. Seß. 23 c. 19. de reformat.

Careant ecclesiastica sepultura duello decedentes.

dites contra ſe inuicē currunt cum lanceis, quod ex ſe nō adducit læthale crimen, quia in eo non interuenit vt plurimum ipſa mors aut mutilatio, vel notabile quodcunq; perſonæ nocumentum: huiuſmodi enim ludi ex hac duntaxat cauſa cenſentur pernicioſi, quod pericula mortis prę ſe ferāt. Quocirca ſi huiuſmodi non timeatur diſcrimē, haſtiludium & quicunque alius ludus militaris nequaquam eſt damnandus, ſiquidem actus humani, ex eo quod vt in pluribus contingit, iudicantur. Vnde liquidò cuiq; conſtare promptum eſt, Torneamentū quo multi cōdicto temere cōtra ſe mutuo cōfligunt, eſſe damnandū ac exterminādum, quod pericula mortis non excludat: Funambulum verò & hiſtriones ipſo concurſu, intuituq; fouere, lactareq;, adeò curioſitatis peccatum eſt, teſte Auguſtino, vt ſi contingat funambulum erraudo præcipitem ruere, timorati viri non debeant ſe exiſtimare ab homicidij peccato immunes: propter ſpectatores enim, ſecundum Chryſoſt. & Ambroſ. lib. 2. de Abraham, & lucrum temporale, damnabili ſe diſcrimini committit.

Haſtiludiū non eſt illicitum.
Funambulum intueri.
Lib. 11. Confeſſ. cap. 35. & lib. de 10. cordis cap. 3.
Homil. 6. in Geneſim.
Cap 9.

De inuidia. CAPVT IIII.

INVIDIA (cuius ſoboles recenſentur cum filiabus aliorum peccatorum mortaliū apud D. Greg.) eſt triſtitia ex alienis bonis proueniens, ſecundum Damaſc. vel ſecundum D. Tho. eſt triſtitia inordinata de bono proximi. Iſtud autem bonum bifariam poteſt conſiderari; Primò, vt malum propriū, ſicq; de bono alieno valemus contriſtari & mœrore affici, ſed duplici nihilominus modo: Priori ſi quis triſtetur de bono alicuius, inquantū imminet ſibi ex hoc alicuius nocumenti periculū, ſicut quando homo contriſtatur ſuper exaltatione ſui aduerſarij & alicuius tyranni, timēs ne eum lædat, hęc triſtitia non habet rationē peccati, quia Iſraël lętatus eſt ſubuerſione Pharaonis, ſecundū Greg. nec attingit rationē inuidiæ, ſed timoris magis induit affectū. Secundò triſtamur, quia ille ſcientiam aliaſq; dotes habet naturales, non tamen quia ille habet contabeſcimus, ſed quia nobis deſunt, indolemus, nec hic peccatum eſt conſtituendum, ſed alio modo vſurpatur, vt malum proprium; quaſi gloriæ & excellētiæ diminutiuum, teſte Thoma, vbi ſupra. Quæ quidem æmulatio vnde originem ſumat neminē fugere exiſtimamus: Amando namq; propriam excellentiam, vel paribus inuidemus, quod nobis coæquentur, vel inferioribus ne coæquentur, vel etiam ſuperioribus quod eis non coæquamur: Perſpicuum eſt igitur inuidiæ matrem, eſſe ſuperbiam, quæ neſcit eſſe ſterilis, ſimul enim atque fuerit, continuò fœta parit hanc maledictam filiam; extermina matrem, nec poteris ſentire ſobolem,

Peccata mortalia cum filiabus ſuis.
Lib. 31. Moral. cap. 17.
Lib. 2. orthod. fidei cap. 14.
2. 2. q. 36. art. 1.
Ratio inuidiæ prior.
Exod. 15.
Lib. 5. Moralium cap. 35.
2. Ratio nō eſt etiam peccati.
Origo inuidiæ ſuperbia.

Galat. 5. quemadmodum suadet D. Paulus: Non efficiamini inanis gloriæ cupidi, inuicem prouocantes, inuicem inuidentes. Et:
Prouerb. 23. Ne comedas cum homine inuido, & ne desideres cibos eius,
Prouerb. 5. Occidit paruulum inuidia. Vnde manifestum euadit inuidiam esse peccatum mortale; nihil enim spiritualiter occidit,
Homil. 68. quàm peccatum mortale, v. D. Ioannes Chrysost. similitu-
Similitudo B. Ioan. Chrysost. dine probat ad populum Antiochenum, quando dicit: Inuidum amarulento animo proximo illato, seipsum occidere,
Ser. 18. ad fratres in eremo. sicut emoritur apis emisso ac amisso aculeo. Et August. Ille est inuidus qui alienum bonum suum facit, & si facere non
D. Aug. adducit Phœnicis exemplum pro eodē argumēto etiam & D. Ambros. Hexamer. cap. 23. lib. 5. potest, clamat per vicos & plateas, & velut canis latrat & ardet, sed seipsum primo phœnicis more perimit. Quid enim agit Phœnix? nisi quia dum senescit, ad partes calidissimas volat, ligna siccissima congregat, quibus collectis alarum remigio, ligna percutiendo ignem excutit, (secūdum Ambros.) quo se comburi permittit, & in cineres redigi, ex quibus vermiculus exortus, paulatim in pristinam speciem reparatur; Haud secus inuidus cunctis vitæ suæ diebus, seipsum vulnerando comburit. Et ser. 83. de tempore: Inuidia lædit parum eos in quos intenditur, grauius tamē & perniciosius eos prius
Simile. à quibus procedit, affligit. Sicut enim erugo ferrum, ita inuidia ipsam animam, in qua est, interimit ac consumit; & sicut
Viperæ natura ferunt viperas dirupto materno vtero in quo conceptæ sunt, nasci, ita inuidiæ natura ipsam animam in qua concepta est
Homil. 41. super Matth. interimit & perdit. His consentanea est Chrysost. sententia: Multi, inquit, ante seipsos, quam quibus inuident perturbāt,
Inuidi comparantur dæmonibus. & quemadmodum sues lutosa immunditia, & dæmones nostris lætantur damnis, sic inuidi calamitati proximorum gratulantur, cumque aliquid triste acciderit, tunc aliquantulum respirant, & quiescunt, alienas iacturas, suos quæstus existimantes, aliorumque fœlicitatem, miseriam suam arbitran-
Horatius. tes, iuxta illud Horatij:

Inuidus alterius rebus marcescit opimis.

Et talibus inuidia contabescentibus,

Fertilior seges est alienis semper in agris,
Vicinumq; pecus grandius vber habet.

Homil. 44. ad populum Antioch. & hom. 36. in Matth. Serm. 83. de tempore. Inuidi diabolo iniquiores. Quos dignis increpationibus suggillat D. Ioannes Chrysost. item D. August. Inuidi sunt feris sæuiores. Illæ enim fame impulsæ nos impetunt; Hi beneficos nonnunquam inimicorum loco habent, feris, inquam, sunt sæuiores, dæmonibus pares, & fortassis iniquiores: Ipsi namque nullo amicitiæ fœdere nos hostiliter persequuntur, sed suo generi minimè insidiantur. Et licet scortator ac ganeo voluptatis stimulos, concupiscentiæ motus prætendat, fur paupertatem in excusationem adducat, homicida furorem, friuolas quidem nec

admit-

admittendas,tamen qualescunque excusationes;Inuidus nihil prætendere potest,nisi animi prauitatem atque malitiam. Nam si inimicos amare iubemur, quam pœnam ex amici odio nos daturos arbitramur? & si inimicos diligendo nihil gentilem superamus,si nihil de nobis mali meritos persequimur, quam merebimur veniam? & si peccata Deus illis non remittat secundum Chrysost. qui non condonant à quibus læsi sunt,quam quæso veniam, dabit ijs qui eos à quibus læsi non sunt,iniuria afficere non pertimescunt? secundum eundem. Certè lapidibus impetendi sunt: Nam quemadmodum scarabæi alieno stercore deliciantur, secundum Chrysost. ita inuidi aduersa aliorum fortuna consolantur, vt idem etiam insinuat,super Ioannem. Propterea inuidentia fornicatione ac adulterio grauior est. Altera enim pars peccati vtriusque, in ipso authore consummatur & perficitur; Inuidiæ autem vis, vniuersos populos perdidit, vniuersum orbem terrarum coinquinauit,ipsa cædis mater, ipsius suasu Cain fratrem interemit,ipsum Esau in Iacob, fratres in Ioseph, diabolum in humanum genus armare non cessauit. At dicis te neminem interficere; verùm enimuerò multò grauiora facere probaris,cùm fratris ignominiã concupiscis, cùm vndique laqueos tẽdis,cùm persequeris ne virtutibus inuigilet, cùm ægrè fers orbem terrarum debitum Deo exhibere seruitium; Non igitur per illum cum Deo bellum geris? Vidén quo pergat inuidia? Atqui inmurmurans dicis,non quòd Deus,sed quod frater clarificatur,malè me habet. Cui occurrit D. Ioãnes Chrysost. pronuntians hanc gloriam in Deum redundare,& à consequenti eius impugnationem, nec tergiuersari vales, quasi optes Deum per te glorificari, quia si gaudeas te gloriosum, exhibente fratre, & per te Deus clarificabitur, omnesque dicent, benedictus Deus qui tales habet seruos, ab omni liuore liberos,mutuis gaudẽtes bonis; Et quid dico fratrem? Nã licet hostis esset & inimicus,si tamen Deus per hunc glorificaretur,amicũ fieri propter hoc oporteret. Si enim quis corpus tuũ aduersa laborans valetudine,licet sit inimicus,curauerit, ipsum iam primum amicorum esse censendum iudicabis. Christi corpus, hoc est, ecclesiam ornantes vides, & amicum ducis inimicum? non reminisceris, quod Dominus quidem tuam quæsiuit gloriam, non autem suam? tu verò non Dominicam, sed tuam exquiris: Alioquin autem tunc & tuam assequutus fuisses, nunc autem tuam ante Domini gloriam quærens,nec hac vnquam potieris,etiam si signorum claritate chorus caueris, siue virginitatem, siue ieiunium, siue humi stratum excolueris, siue ipsos spiritus angelicos virtute antecellueris omnium eris hunc habens defectum scelestissimus,

Inuidus nullo prætextu se excusare præualet.

Hom. 7. super epist. ad Rom.

Scarabæis inuidi comparantur.

Homil. 41. super Matth.

Homil. 36.

Calumnia inuidorum.

Homil. 53. ad populũ Antio.

& adultero; latrone, ac fure iniquior. Non enim corporalia ædificia demoliris, sed spiritualia diruere conatis. Quando autē inuidentes voti sui non fiunt cōpotes, inuidia corpore & anima colliquescunt, teste beato Basilio, talem ferme afflictionem perpetientes qualem cereæ statuæ in nocte à cerifigulis formatæ, dū sole exorto à solari radio colliquescunt perpeti possent. Ille enim quamdiu quidem nox & tenebrę ipsas occupent concretam in vmbra præ nocturna aura formam, velut effictæ sunt in vigore, qualis in figmentis apparet & firmam ostendunt, vbi vero illuxit sol & cursum suum perficit reliqua quidem vniuersa à solari facultate nutriuntur ac luce fruuntur. Illæ vero colliquatæ & forma, & habitu, ac figura vna cum apparente, in vnaquaque vigore confusis dissipantur. Sic inuidi quamdiu in tenebris diaboli velut in nocte de inuidiæ operibus consultant, firmas cogitationes & habitus vna cum formis velut ab inuidia formati sunt, inter se ostendere sibi videntur: Vbi verò instar solis bonus vir ad virtutis opera, mane ortus fuerit reliqui omnes qui honestæ & Deum amantis, vitæ mores admirantur, Diuini amoris cognitione ab ipso splendide exaciati virtutis semina nutriunt, inuidi autem ipsum inuictum propter amorem, erga Deum velut solem & adhuc amplius virtutis operibus illustrata videntes, tanquam cerei, vti dixi, tum corporum formis tum animis inuidia plenis colliquescunt.

De Ira. CAPVT V.

Oratione 2. ante missam dicenda.

IRA (quæ inuidiam sequitur, teste Ambros.) est ebullitio sanguinis circa cor: Quemadmodum enim cùm sanguis est corruptus, pituita aut bilis, corporis nascuntur morbi ac ægrotationes, sic prauarum affectionum conturbatio, & ipsarum inter se dissensio sanitate spoliat animumq́ue morbis perturbat. Vnde Cicero, hoc modo eam optimè descripsit: Ira est libido puniendi eius qui iniuria videtur læsisse; vbi iram accepisse est manifestum, pro animi passione, qua aliquis irascitur plus vel minus, præter dictamen rectę rationis: Bifariam enim contingit irasci, & quadam vlciscendi vindicandiq́ue libidine affici, teste August. Vindicta siquidem potest bene & male appeti & infligi, secundum D. Thomam. Bona autem ira cēsetur, quando ratione temperatur, vt si parens procaci soboli moderate irascatur, propter culpā vel defectum, aut eius oppositum excessum, vel prælatus contra subditum; pari modo appetere vindictam propter correctionem vitiorum, & bonum reipublicæ conseruandum, laudi ducendum est, quia à Deo constitutus diuinam perficit voluntatem, Roma. 13. & allegatur distinct. 9. sic distinct. 45. ex Enchridij

Lib. 4. Tuscu-lanarū quæst. Ciceroni quid ira? Duplex irascendi modus. Lib. 14. de ciuit. Dei, c. 15. 2. 2. q. 158. art. 2. Ira quando est peccatum? Cap. Si quis. Cap. Et qui.

Enchridij Aug. desumpto, vbi sic habetur: Qui emendat verbere vel coercet aliqua disciplina, in quem potestas datur, in hoc quod corripit misericordiam præstat. Hac ratione Christus fuit iratus, cùm facto quasi flagello ex funiculis deturbauit ementes & vendentes in templo. Ad hunc irascendi modum commonefacit nos regius Psalres: Irascimini, inquiens, & nolite peccare. Contingit nihilominus talem affectũ propter actus imperfectionẽ esse veniale peccatum, nimirũ cùm motus iræ iudiciũ rationis preuenit, vel si attingat, nequaquã tamen est completus. Deinde cum aliquis in modico se appetit vindicare, non alium corrigere quod quasi nihil sit reputandum, adeo vt si actu infetretur, nõ esset mortiferum, quia citra ipsum, præceptor petulantem puerum trahit per capillos & aliquali corripiendo austeritate transilit rectæ rationis limites. Est autem peccatum mortale secundum Tho. quando contrariatur iustitiç & charitati, quod fit quãdo appetitur notabile damnum vel malum proximi in persona vel rebus, quod prohibetur, cũ dicitur: Nõ occides. &, Qui irascitur &c. Licet Iudæi essent in illa hæresi, qua existimabãt pręcepto decalogi opera duntaxat externa prohiberi, non motum animi, in qua etiã opinione constat fuisse Iosephum, reprehendentem Polibium Megapolitam Persarum scriptorem, quod Antiochum Epiphanem expirasse adseruerit, quia animo conceperat templum Dianæ ciuitatis Elimaidæ in Perside spoliare, cum secundum Iosephi sententiam nullus maligna cogitatione reatu culpæ adstringatur. Verùm si Deum legislatorem recordemur dixisse, non concupisces rem proximi tui, simul cogitemus velle ipsum per hanc regulam animæ nostræ mederi: Ridiculum namque foret, vt is qui cor & intima eius ingreditur penetralia, ijsque præsertim immoratur, ad veram iustitiam, nihil quam corporis membra compesceret ac erudiret. Homicidiũ igitur cordis hac lege interdicitur, & præcipitur interior affectus conseruandæ fratris vitæ, manus quidem gladium exerit, ad interficiendum, sed animi consensus anteuerrit, dum ira superatur ac liuore consumitur. Istud luce meridiana clarius demonstratur, quando Christi sententia, eiusque expositione lex adimpletur. Dictum est, inquit, antiquis; Non occides, quem passum, sic interpretabantur antiqui Cabalistæ sua authoritate (qui si dextrum adseuerassent sinistrum præterru Cabalæ, ac album vice nigroris, infatuatæ plebi obtrusissent oppido quàm lubentes superiorum ac antiquorum placitis acquieuissent) nõ effundes sanguinem innoxium. Atqui hunc excludit Saluator errorem subnectens, Ego autem dico vobis, quia omnis qui irascitur fratri, reus erit iudicio, &c. In qua sententia tripli-

Cap. 72. & serm. 94. de tempore.
Matth. 21.
Psalm. 4.
Art. 3.
Ira quãdo peccatũ mortale?
Matth. 4.
Lib. 12. antiquit. Iud. c. 13
Iosephi. scriptoris, Iudæi error.
Matth 5.

Triplex iræ gradus. triplicem constituit iræ gradum: Primus est in corde, quo dicitur, qui irascitur, &c. Secundus in ore per verbum cõtumeliosum, indistinctum tamen & confusum, cum dicitur; Qui autem dixerit Racha, quod est verbum Siriacum non Hebraicum vt vel ex eo liquet, quod nomina Hebræa fere habent Iod, vbi Siri habent Aleph, vnde omnes ferme peregrinæ dictiones, quas passim reperimus in nouo instrumẽto positas, sunt Siriacæ, sic Rabboni Magdalena Siriacæ dixit, non Ribboni, sic Maria non mitia, vt sit dissillabum, sic Racha Siriacæ non Richa, nec Græcè nec Latinè potest transferri, signat autem & prodit leuem indignationis ac commoti animi affectum, secundum Hieronymum super præfato passu, *Tract. 51. in Ioannem. Homil. 76. super Matth. Lib. 21. Moral. cap. 5. Tract. 89. in Ioannem.* August. Chrysostomus, & Gregor. Tertius gradus est quando prorumpit in murmurans sermo, ad contumeliam distinctam & articulatam, quod notatur cum dicitur: Qui autem dixerit fatue, primus gradus est minoris culpæ quàm secundus, teste August. & secundus quàm tertius: Minus enim est quod iudices debeant congregari ad alicuius pœnæ determinationem, quàm iam alicui punitioni esse adiudicatum, vti secundo dicitur membro. Nequaquam tamen sensus est, vt quoties aliquem fatuum appellitamus, toties mortale crimen incurramus, Quoniam Dominus loquitur de motu iræ in quo quis appetit proximi occisionem aut qualemcũque grauem læsionem, cui appetitui si consensus rationis superueniat, dubio procul talis peccatum lætiferum nunquam euadet. Quare optimè nobis D. Ambros. consultum voluit, quando dixit, *Lib. 1. Offic. cap. 21.* caueatur iracundia, si præcaueri non potest, cohibeatur, si nequeas mitigare mentem, vel linguam refrenes, noli respondere irato ad iracũdiam eius, si lapides teras, nónne ignis erumpit? *Furore iræ similitudinibus probatur.* Silentium igitur irati animi conditionem sedet, quia nihil ita mentis aciem hebetat, vt ira, & sicut pugnans noctu non internoscit amicum ab hoste, ita ira nullum seruat ordinem, teste Chrys. *Lib. 3. de sacerdotio.* & sicut acetum corrumpit vas si diutius conseruetur, ita ira non citius repulsa cor inficit, teste August. *Epist. 87. ad Felicitatem & Rusticum.* Humanum est siquidem turbari & irasci, sed in ira & odio perseuerare diabolicum est, secundum Augustinum. *Humanum est irasci, sed in ea manere diabolicum.* Sol non occidat, super iracundiam vestram, hoc est, sol abies, non relinquat vos inuicẽ inimicos. & Ambros. Tria sunt genera hominum iniuriam accipientium: Vnum est eorũ quibus peccator insultat, & conuiciatur ijs quia deest iustitia, *Ser. 9. ad fratres in eremo.* pudor crescit, augetur dolor. Horum similes plurimi sunt, inquit, de meo ordine, nam mihi infirmo si quis iniuriam facit, *Ephes. 4.* forsitan, licet infirmus donem iniuriam meam, si crimen *Lib. 1. Offic. cap. 48.* objiciat non sum tantus vt sim contentus conscientia mea, inquit Ambros. etiamsi eius obiecti me alienum nouerim,

sed cu-

ſed cupio abluere ingenui pudoris notam, tãquam infirmus, & oculum aliquando pro oculo exigo. Si verò is ſum, qui proficiam, & ſi nondum perfectus, nõ retorqueo contumeliam, & ſi influat conuitijs, taceo & nihil reſpondeo, non enim igni extinguitur ignis, ſed aqua, ſecundum Theophylactum ſuper prælibatum locum Matth. Si vero perfectus ſum, maledicentibus benedico, ſicut benedicebat Paulus, maledicimur & benedicimus. Maledicimur enim & iniuſta pœna quatuor modis afficimur, ſecundum Thom. vbi ſupra. Primo ſi quis appetat puniri innoxium, ſic Cain ira cõmotus & furore quodam percitus, fratris inſontis ſanguine tellurem cruentauit. Secundo ſi vltra delicti exigentiam ac æquitatis limites vindicta appellatur, quod natum eſt peccati culpam inducere. Propterea Architas Tarẽtinus philoſophus dixit ad villicum negligentem, teſte Hieron. epiſtola ad Salaminam quę eſt de viduitate ſeruanda, & in primum cap. Ioëlis. & Ambro. Iam te verberibus enecaſſem, niſi iratus eſſem. Tertiò ira delinquitur ſecundum Thom. vbi ſupra, art. primo ad reſponſionem 3. argumenti, quando propter indebitum finem fit, nẽpe propter vindictam, non iuſtitiam aut correctionem, Finis ſiquidem debitus eſt conſeruatio iuſtitiæ, ac culpæ correctio, quia iraſcebatur Helias, & Phinees. Quarto maledictione irę exorbitamus, quando legitimus punitionis ordo non ſeruatur, nimirùm quando propter leuiculam rem ira efferueſcimus & immoderatè excandeſcimus.

Non igni extinguitur ignis, ſed aqua. 1.Corinth.4. *4 modis iniuſta infligitur pœna.* Geneſ.4. *Lib.1. Offic. cap.21.* 3.Reg.18. Numer.25.

De odio. CAPVT VI.

SI non iraſci nec odiſſe licet, quando odium nihil aliud eſt, quàm ira inueterata, ſecundum Aug. & Ciceronem: Iratus namque appetit malum alterius ſub ratione vindictæ. Inuidus alicuius malum propter appetitum propriæ gloriæ. Quare liquidò conſtare poteſt ira grauiorem eſſe inuidiam; Odium verò concupiſcit abſolutè malum alicuius, ſicque vtroque grauius eſt, diſpoſitiuè procedens ex ira, naſcens formaliter ex inuidia, quemadmodum perpulchrè demonſtrat D Auguſt. Ira eſt feſtuca in oculo, trabs in oculo odium eſt; Feſtuca initium trabis eſt, nam trabs quãdo naſcitur, prius feſtuca eſt, rigando feſtucam, perducis ad trabem, Multum autem intereſt inter peccatum iraſcẽtis, & crudelitatem odio habentis; Nam & filijs noſtris quandoque iraſcimur, odiſſe verò filios quis inuenitur? Pone caſum, inquit, puerum velle in aqua fluminis ludere, cuius impetu pereat, tu ſi vides, & patiẽter permittas, odiſti, tua patiẽtia, illi mors eſt, quãto melius eſt, ſi iraſcaris & corrigas, quàm ſi nõ iraſcẽdo interire permittas? Odium ergo ante omnia eſt vitandum

Epiſt.149. ad Profuturum Epiſcopum. *Lib.4. Tuſculanarũ quæſt.* *Differunt ira, inuidia, & odium.* *Serm.16. de verbis Dom.* *Apta probat ſimilitudine diſcrimen.*

trabs de oculo eijcienda est. Grandi discrimine secernuntur, turbatus oculus & extinctus; festuca turbat, trabs extinguit. Istud odium bipartita diuisione secari potest, in odium Dei & proximi. Odium Dei gemino respectu potest considerari, aut secundùm suam propriā diuinam essentiā, qua ipsa bonitas est, quā nemo potest odio habere, quia de natura boni est, vt ametur. Altero modo secundū quosdam consideratur effectus, qui repugnant inordinatæ hominum voluntati; Sic inflictio pœnæ, & cohibitio peccatorum repugnat volūtati per peccatum deprauatæ, hocque intuitu Deus potest odio haberi, secundum testimonium quod perhibet Ioannes, Nunc autem & viderunt & oderūt me & patrem meum. Istud efficaciter cōprobat D. Aug. & D. Thom. Posteriori modo odium proximi censetur, quod tendit in personam proximi, vel peccatum eius, aut etiam in defectum boni illius, quod pertinet & concernit fratris amorem, si verò personam odio persequimur, nunquam non est peccatum, secundum Ioannem euangelistam. Qui odit fratrem suum in tenebris est: Omnis qui odit fratrem suum homicida est. Cui adstipulatur Aug. super illud, Facientes præuaricationes odiui. &, Perfecto odio oderam illos, & inimici facti sunt mihi. Rectè enim in malis odimus malitiam, & diligimus creaturam, vt nec propter vitiū creatura damnetur, nec propter naturam vitium diligatur, secundum Aug. vt sanato vitio, totum quod amare. nihil autem quod odisse debeat, remanebit. Alioquin ingressus ad sacra tremendaque mysteria, secundum August. interdicendus erit. Odium, inquit, velut venenum mortiferū de vestro corde repellite, & tanta sit in vobis charitas, quæ non solum vsq; ad amicos, sed etiā ad ipsos perueniat inimicos, vt securè possitis dicere, dimitte nobis debita nostra, &c. Nam qui se cognoscit vel vnum hominem odio habere, nescio si ad altare Domini securè possit accedere, cùm Ioannes dicat: Qui fratrem suum odit homicida est, vestrum est iudicare, vtrum homicida antequam pœnitentiam agat, præsumere debet eucharistiam accipere. Sed dicit aliquis nō possum diligere inimicum meum, quem quotidie velut hostem patior crudelissimum; O quicunq; ille es, attendis quid tibi fecerit homo, & non cōsideras, quid tu feceris Deo? Cùm enim tu multo grauiora in Deum peccata commiseris, quare non dimittis homini parum, vt tibi Deus dignetur dimittere multum? recole quid Deus promiserit, & quam cautionē tibi quodammodo fecerit. Si, inquit, dimiseris; hominibus peccata eorū, dimittet & vobis. Si nō dimiseritis, &c. videtis quod in nostra potestate positū sit qualiter à Domino iudicemur? Nemo de virginitate præsumat, nemo de eleemosynis, nemo de ieiunijs, nemo

Odiū duplex. *Subdiuisio vnius odij.*

Ioan. 15.

Tract. 90. super Ioan. *2.2. quæst. 34. art. 1.*

1. Ioan. 2. & 3

Psalm. 100. Psalm. 138.

Peccatum non natura odio habetur.

Lib. 14. de ciuit. Dei ca. 6. & lib. 19. ca. 24. 25. et 29 cōtra Faustum Manichæum. *Ser. 1. de tēp. et 4 de sanctis*

Dimittendum est proximis. 1. Ioan. 3.

Obiectio mūdanorū & carnaliū hominū.

Matth. 6.

nemo de orationibus cõfidat, quia quamdiu odium in corde tenuerit, neque in istis neque in alijs quibuslibet bonis operibus placere sibi poterit. Sed si vult habere Deum propitium, audiat Dominum: Si offers munus tuum ad altare, & ibi recordatus fueris, quia frater tuus habet aliquid aduersum te, relinque ibi munus tuum ante altare, & vade priùs reconciliari fratri tuo, & tunc veniens offeres munus tuum; qui enim manducat indignè, iudicium sibi manducat. Sed cogites perarduũ esse diligere inimicum, pro persequentibus orare; Grandis, quidem labor est, inquit Augustinus, sed maius est præmium. Per amorem siquidem, inimici, efficimur amici Dei, nec solùm amici, sed & filij Dei, sicuti ipse eodem ca. dicit: Diligite inimicos vestros, benefacite his qui oderunt vos, vt sitis filij patris vestri qui in cælis est, Si quis opulentus vellet te hic adoptiuum facere filium; qua sedulitate illi famulareris, vt ad caducam peruenires hæreditatem? quod ergo ille sustinet propter substantiam terrenam, tu sustine propter vitam æternam. Et quanquam nemo vnquam carnem suam odio habuit, præcipimur tamen odisse animam nostram, non quod nobis malum machinari debeamus, secundum errorem Manichæorum, sed duplici sensu intelligendus est locus apud Ioannem cap. 12. teste Aug. Qui amat (subintelligitur in hoc mundo) animam suam, perdet eã, & qui odit vtique in hoc mũdo; in vitam æternam custodit eam, vel si male amaueris tunc odisti, si bene oderis tunc amasti. Fœlices qui oderunt custodiendo, ne perdant amando. Quod nobis concedatur gratia & misericordia Domini nostri Iesu Christi, qui est in secula benedictus, Amen.

[Margin: 1. Corin. 13. Matth. 5. — *Reconciliatio.* — 1. ad Cor. 11. — *Fructus amoris* — Ephes. 5. — *Anima odio quomodo habenda?* — *Tract. 51. super Ioan. & epist. 38. ad Lætum.*]

SEXTVM PRÆCEPTVM.

Non mœchaberis.

De fornicatione. CAPVT I.

FORNICATIONIS nomẽclatura bifariam vsurpati consueuit, teste August. spiritualiter & corporaliter. De spirituali lamentabili voce, conqueritur Esa. ca. 1. inquiens; Quomodo facta est meretrix Hierusalem ciuitas fidelis, quia idolis quibus sacrificabant, confundebantur, vt sequitur in eodem cap. & Hieremiæ 3. Tu autem fornicata es cũ amatoribus multis, & mœchata cum lapide & ligno. Item Ezech. 23. fornicata est Oolla, id

[Margin: *Duplex fornicatio.* — *Lib. cõtra Adimantũ cap. 7.*]

est, Samaria & Ooliba, id est, Hierusalem, & sequitur claritudinis ergò; Cum idolis fornicati sunt, per infidelitatem nimirùm & apostasiam: Posteriori modo accipitur corporaliter; Et hoc etiam dupliciter; Priori, pro omni carnis peccato, Quicunque dimiserit vxorem; excepta fornicationis causa mœchatur, & 1. ad Corinth. 5. omninò auditur fornicatio inter vos. Vbi accipitur pro illo crimine, quó aliquis vxore patris sui abutebatur. Altero modo propriam habet acceptionem, qua distinguitur contra alias luxuriæ species, & dicitur concubitus naturalis, soluti cum soluta. Estque peccatum mortale, quia separat à regno Dei, teste Paulo. Manifesta sunt opera carnis, quæ sunt fornicatio, &c. & subnectitur, qui talia agunt, regnum Dei non possidebunt. Verùm quo præcepto inhibetur fornicatio? cùm aliud sit quàm adulterium quod prohibetur, per Non mœchaberis? August. hanc quæstionem proponit: Si non omnis mœchia fornicatio dici potest, vbi est in decalogo prohibita illa fornicatio, quam faciunt viri qui vxores non habent, cum fœminis quæ maritos non habent? Et sibi respondet, Si furti nomine benè intelligitur omnis illicita rei alienæ vsurpatio; non enim rapinam permisit qui furtum prohibuit, sed vtique à parte totum intelligi voluit, sic profectò nomine mœchiæ omnis illicitus concubitus, atque illorum membrorum non legitimus vsus prohibitus intelligi debet, Vnusquisque seipsum castum custodiat, alienum non affectet thorum, nec latendi spe, aut faciendi impunitate, non incuria aut stultitia prouocetur, aut longiore mariti absentia, inquit Ambros. adest præsul coniugij Deus, quem nihil lateat, nullus euadat, nemo irrideat vicem absentis mariti, seruat excubias, imò sine excubijs, deprehēder reum antequam faciat; In animis siquidem singulorum, in mentibus vniuersorum, crimen agnoscit, etsi maritum adulteratum fefelleris, non falles Deum, etsi maritum euaseris, etsi iudicem fori luseris, nō euades iudicium totius mundi, ille grauius vlciscitur iniuriam inopis, contumeliam mariti imprudēris: Maior est enim iniuria in authorē, quàm custodem thalami sprerum & non consideratum. Et licet, inquit, aliquis adulter, aut fornicator parietibus sit clausus, & coopertus tenebris, sine teste, sine conscio, habet tamen facti arbitrium, quem nihil fallat, ad quē facta clamant omnia, Et August. Probatur certè talis hominibus credere, & non Deo, qui publicè vbi homines vident adulterium & fornicationem committere, abhorret, & secretò, vbi Deus videt, omninò non expauescit, si qualemcumque scintillam fidei haberet, sicut non permittit seruos suos in præsentia sua peccare, ita nec ille in conspectu Dei adulterare præsumeret, sed omnibus

Fornicatio corporalis bifariã vsurpatur. Matth. 5.

Roman. 1. & 1. ad Cor. 6. itē ad Gala. 5.

Fornicatio cū non sit adulterium quomodo hic prohibetur? Lib. quæst. super Exod. q. 71

Lib. 1. de Abrahā patriarcha cap. 2.

Deus inspector coniugum.

Epist. 44. ad Constantium.

Serm. 10. de verbis Dom. et 243. de temp.

nibus quibus posset modis fornicationem fugeret, secundum Paulum, 1. ad Corinth. 6. Vnde August. Contra libidinis impetum apprehende fugam, si vis obtinere victoriam, quia sine vlla dubitatione, qui familiaritatem non vult vitare suspectam, citius dilabetur in ruinam: Inter omnia namque Christianorum certamina, sola duriora sunt prælia castitatis, vbi quotidiana est pugna & rara victoria, propterea quod istum nobis hostem communem, carnem nempe, illecebris sensualitatis ac concupiscentiæ moribus obnoxiam iugiter circumferamus, quẽadmodum demonstrat D. Hiero. epistola ad Amandum presbyterum, requirentẽ veram & genuinam Paulinæ sententiæ, expositionem: Omne peccatum quod fecerit homo, extra corpus est, qui autem fornicatur in suum corpus, peccat. Omne peccatum, inquit, verbi gratia, furtum, homicidium, rapina, peiurium, post factum, pœnitudinem habet, & licet inuitet lucrum, tamen mordet conscientia. Voluptas sola ac libido etiam in ipso pœnitendi tempore præteritos stimulos patitur, & titillationẽ carnis & incẽtiua peccati, vt per hæc quę corripi cupimus cogitãtes, rursum sit materia delinquendi. Addit & aliam. Cætera peccata forinsecus sunt, quicquid enim egerimus, in alios agimus, fornicatio nõ solum conscientiam fornicãtis, sed & corpus maculat ac polluit, quia, cum meretricẽ vnum efficitur, & peccat in corpus suum, dum templum Dei facit corpus meretricis. Huic adstipulatur Chrysost. In fornicatione, inquit, corpus coinquinatur, siquidem haud aliter sordescit, quàm quod in lebetẽ immundũ infusum contagione inficitur. Subnectit D. Hieron. & 3. expositionem, dicens: Aliud est peccare per corpus, aliud in corpore; furtum, homicidiũ ministramus extrinsecus; fornicatio sola intrinsecus, in corpore nostro à nobis exercetur, non per corpus in alios. Et (τὸ περὶ) ministerium significat, In, autem præpositio, passionem. Sunt qui ita edisserant, vt vt secundum scripturam, vxor viri corpus sit, & quicunque fuerit fornicatus, peccet in corpus suum, hoc est in vxorem, dum eam sua fornicatione cõmaculat, & facit eam non peccantem, sua commixtione peccare.

Serm. 250. de tempore.
Præsentissimũ contra fornicationẽ remediũ.
Difficile est resistere carnis illecebris.
1. Corinth. 6.
Expositio sententiæ Paulinæ à B. Hieronymo requisita.
Alia prælibatæ sententiæ declaratio.
Homil. 16. in priorem Pauli epist. ad Cor.
3. D. Hieron. præmissæ sententiæ enucleatio.

De adulterio. CAPVT II.

QVONIAM hac lege cõditus est homo, vt solitariam vitam non agat, sed animal sit sociale, adiunctoq; sibi subsidio vtatur, Genes. 2. ex peccati maledictione in hanc necessitatem magis addictus est quàm satis erat, Dominus opitulatus est nobis in hac parte, dum coniugium instituit, & societatem sua authoritate initam, sua quoque benedictione sanctificauit. Vnde constat, aliam quamlibet extra coniu-

coniugium societatem, coram ipso maledictam esse,& illam ipsam coniugalem, in necessitatis remedium esse ordinatam, ne in effrenem libidinem proruamus. Porrò si coniuges recognoscant suam societatem esse à Deo benedictam, eo admonentur, illam nō esse intemperantia & dissoluta libidine conspurcandam, non enim si incontinentiæ turpitudinem vetet matrimonij honestas, ideo eius irritamentum protinus esse debet. Quare non omnia sibi licere, quæ lubent coniuges existiment, sed suam quisque vxorem sobriè habeat, & vicissim vxor virum, sic agentes, ne quid omnino indignum honestate ac temperantia matrimonij adimittant. Sic enim ad modū & modestiam reuocari decet coniugium in Domino contractum, non in extremam quamque lasciuiam exundare. Hanc petulantiam Ambros. quem citat August. vxoris adulterium vocant, quod in vsu coniugali nullam verecundiæ aut honestatis curam haberet: Quemadmodum namque nec proprio vino vel cibo abuti licet, ita nec vxore, teste Aug. lib. de bono coniug. & D. Hieron. lib. 1. aduersus Iouinianū circa finem. Amor formæ, rationis obliuio est; & insaniæ proximum, fœdum minimeq; cōueniens animo sospiti vitiū. Turbat consilia, altos & generosos spiritus frāgit, à magnis cogitationibus ad humilimas detrahit, querulos, iracundos, temerarios, durè imperiosos seruiliter blādos, omnibus inutiles, ipsi nouissimè amori facit. Nam cum cupiditate fruendi insatiabilis flagrat, plura tempora suspitionibus & lachrymis perdit. Refert præterea, Senecam cognouisse quendam ornatum hominem, qui exiturus in publicū fascia vxoris pectus colligabat, & ne puncto quidem horæ præsentia eius carere poterat, potionemque nullam nisi alterius tactam labris, vir & vxor hauriebant, alia deinceps non minus inepta facientes, in quæ improuida vis ardētis affectus erumpebat. Origo quidem amoris honesta erat, sed magnitudo deformis, nihil autem interest, quàm ex honesta causa quis insaniat. Vnde & Xystus Pitagoricus: Adulter est, inquit, in suam vxorem amator ardentior: In aliena quippe vxore omnis amor turpis est, in sua nimius; Sapiens vir debet iudicio amare coniugem, nō affectu, regat impetus voluptatis, nec præceps feretur in coitū. Nihil est fœdius, quàm vxorem amare quasi adulteram. Certè qui dicunt se causa reipublicæ, & generis humani vxoribus iungi & tollere, id est, educare liberos imitentur saltem pecudes, & postquam vxorum venter intumuerit, non perdant filios, nec amatores vxoribus se exhibeant, sed maritos, ne legis diuinitus latæ præuaricatores fiant. Qui dormierit cum masculo coitu fœmineo, vterque operatus est nefas, morte moriantur. Istud eorum refragatur vesaniæ, qui confinxerūt Deum peccata

Matrimonium est etiā in remedium institutum.

Lib. de Philosophia.

Lib. 2. contra Iulianum.

Adulterium in cōiugio quādo?

Cap. 5. & 6.

Insanus & stultus amor.

Quomodo maritus ardere debeat cōiugem?

Leuit. 20.

hæresis est Deū peccata carnis non curare.

peccata carnis non curare, teste August. cùm scriptura testetur, quod fornicatores & adulteros Deus iudicabit, nec solùm iudicabit, sed etiam condemnabit, vt pars eorum sit in stagno ignis. Est autem adulterium, teste August. & Ambros. alieni pudoris expugnatio, vel vt clarius habet magister Sententiarum, alieni thori violatio. Vnde adulterium dicitur quasi alterius thori accessio. Nec istud duntaxat veritatem seruat in viris, verumetiam in fœminis, teste D. Hiero. epist. ad Oceanum in epitaphio Fabiolæ, & allegatur cap. Apud nos. Apud nos, inquit, quod non licet viris, æquè non licet fœminis, & eadem seruitus pari conditione censetur, grauiori tamen crimini obnoxij sunt viri, quàm fœminæ, secundùm August. Indignantur, inquit, mariti, si audiant adulteros viros pendere similes adulteris fœminis pœnas, cùm tanto grauius eos puniri, oportuerit, quanto magis ad eos pertinet, & virtute vincere, & exemplo regere fœminas. Quantũ ergo ad fidem matrimonij attinet, æqualiter peccant; quantũ ad dominium rationis, vir amplius delinquit. Vnde August. Dicitur tibi: Non mœchaberis, id est, non ibis ad aliam aliquam præter vxorem tuam; Tu autem exigis hoc ab vxore, & non vis reddere hoc vxori. Et cùm debeas in virtute præcedere vxorem, quoniam castitas virtus est, & tu sub vno impetu libidinis cadis, & vis vxorem tuam victricẽ esse, tu victus iaces. Et cùm tu caput sis vxoris tuæ, præcedet te ad Deum cuius caput es. Vis domum tuam capite deorsum pendêre? Caput enim mulieris est vir. Vbi autem melius viuit mulier quàm vir; capite deorsum pendet domus. Et post pauca; Quare ergo vult caput ire, vbi non vult vt corpus sequatur? Quare vult ire vir, quo non vult vt sequatur vxor? Idem alibi: Vir à fœmina exigis castitatem. Præbe illi exemplum, non verbum. Tu es caput, quà is vide. Hac enim debes ire quà illi non sit periculosum sequi. Ab imbecilliori sexu exigis fortitudinem; carnis concupiscentiam ambo habetis. Et tamen quòd dolendum est, multi viri à fœminis vincuntur. Seruant fœminæ castitatem, quam viri seruare nolunt, Et in eo quod non seruant, se viros videri volũt, quasi propterea sit fortior sexus, vt eum facilius subiuget inimicus. Vir fortior fœmina, vir caput est fœminæ. Fœmina pugnat & vincit, tu hosti succumbis? Stat corpus & caput iacet. Secundùm Petrum tamen de Palude & Thom. Mulier adultera grauius peccat, quàm vir, ratione scandali, & incertitudinis prolis, quæ si marito matris tanquam proprius filius attribuatur, ab eoque dotetur, legitimi hæredes iacturam facultatum paternarum incurrẽt, dum illi conceduntur, cui non debentur, & propterea vterque adulter qui damni huius causa existit, tenetur pro viribus satisfacere, aut

Serm. 16. de verbis Dom.
Hebræor. 13.
Apocal. 21.
Adulterij descriptio.
Lib. de bono cõiugali, ca. 4.
Epist. 66. quæ est ad paternũ.
Lib. 4. distin. 41 d. §.
Grauius delinquunt viri cæteris paribus quàm fœminæ
32. quæst. 5.
Lib. de bono coniugi. ca. 8.
Tomo 9. lib. de 10. chordis, cap. 3.
Tom. 10. homil. 46. de verbis Dom.
In 4. dist. 35.
2. 2. q. 154. art. 8.
Qua ratione mulier grauius viro delinquat?

aut manifestè, si negotium patiatur, aut clanculario velamine, dando læsis, per interpositam personam, aut per se quod potest. In vita D. Ioannis Thauleri, serm. 1. ad populū, qui incipit: Quid dicam, extat triste exemplum quanta mala scaturiant ex vnico peccato adulterij. Porrò circa huius manifestationis negotium, teste Caietano, duo sedula mente occurrunt consideranda, nempe periculum & spes; si enim periculum immineret ex manifestatione adulterij, vel quòd maritus vellet vxorem adulteram interficere, vel aliud simile malum machinari, occultè satisfiat, conuenientiori quo poterit modo, ac reliquum diuinæ misericordiæ cōmendetur, iuxta illud quod habetur de pœniten. & remissionibus. Quia sicut cessante iudiciaria coactione, non tenetur homo perdere vitam aut libertatem, vt satisfaciat debito pecuniario, ita nec tenetur perdere vitam aut famam in proposito, vbi de sola pecuniaria substantia est controuersia; Cessante autem periculo & vitæ & famæ, si nequeat aliter satisfieri, spes futuri fructus ex manifestatione adulterij est consideranda, nimirum si speretur, quod maritus vbi resciuerit prolem non esse suam, nihilominus tanquam hæredem & dotabit & adoptabit, vel etiam si speretur, quod timorata proles cognoscens se illegitimam, conuolabit ad monasterium vel aliquod aliud reperiet medium, quo paternam substantiam non possideat; Si autem nullus speretur fructus, quia nec maritus nec soboles de iure tenentur matri credere adulteræ, in huiusmodi vana & inutilis esset adulterij manifestatio. Sed quid si mittatur adhuc infantulus foras, exponaturque clanculum in loco à feris quidem tuto, sed hominibus frequentato, schedula affixa qua insinuatur, an sit Christo per baptismum initiatus qualeque ei nomen sit inditum, dicendum quod licitè deferatur ad loca, vbi tales consueuerunt recipi, ad hoc enim extructa sunt talia loca. Tamen si adulteri sint locupletes, obligantur hospitali secretò satisfacere, secus se res habet quando sunt inopes. Et licet maritus & vxor indiuiduam vitæ consuetudinem retinere debeant, Dominus tamen excepit vnicam conditionem, ob quam, consortem relinquere liceat, & thoro separari. Qui dimiserit vxorem, excepta fornicationis causa, facit eam mœchari; vbi insinuat eā relinqui posse, propter peccatum fornicationis. Huius simile in veteri lege præcessit, haud tamen modica est differentia inter repudiū & diuortium, quia repudiū fiebat leui de causa, vtpote ob deformitatem, liuorem & rancorem, &c. Vnde dicitur: Si acceperit homo vxorem & habuerit, & non inuenerit gratiā ante oculos eius, propter aliquam fœditatem, scribet libellū, &c. Nequaquā tamen proprio ausu vxoribus his causis existentibus, præsta-

In Summula de peccatis. *Incertitudo prolis periculosa.* *Cap. Officijs.* *Paruuli expositi & pro relictis habiti.* *Math. 5.* *Repudium.* *Deuter. 24.* *Libellus repudij, quomodo datus?*

præstabant libellũ repudij, sed adire tenebantur fideles Reipublicæ Scribas, qui conabantur accusatores matrimonij adhortari ad vnitatem, & mutuam concordiam, & coram positis dissuadere diuisionem. Quorũ monitis si peruicaces parere contemnerent, tum demum libellũ repudij scribebant, teste Iosepho. Et hoc modo, quasi libertati restituti, ducebant quam volebant; Quanquam dominus causam ob quam illis permissus sit istè libellus non subticuerit, videlicet ob duritiã cordis; Ab initio namque non fuit sic, Aug. Nec tamen fiebat separatio ob fornicationem, quia adulteri per legem lapidabantur. Diuortium autem apud Christianos nõ fit ob deformitates naturales, aut etiam furtum vel homicidium, &c. De diuortio ca. fuit. Imò nulla ratione fieri potest, excepta causa fornicationis, Mat. 19. concil. Tolet. 12. Qui citra hanc culpã vxorem suam, quacunque occasione dimiserit, tam diu sit ab ecclesiastica communione priuatus, donec societatem relictæ coniugis sinceriter amplectatur & foueat. Istud comprobat Aug. Fit autem magis in adulterio diuortium quàm in furto aut homicidio, quia adulterium est cõtra substãtiam & bona matrimonij: tollitur namq; certitudo prolis, vt prælibatũ est, fides frangitur & sacramenti ratio violatur. Nec tamen protinus diuortium fieri debet, vbi præfatum deprehẽditur malum, quia plures sunt casus, quibus secundum Hostiensem in Rubrica de diuortio, & B. Bonauẽturam, impeditur maritus, quo minus matrimonium accusare possit; Primo si per ignorantiam cum alio rem habuerit quem suum putabat, Genes. 29. Iacob cognouit Liam pro Rachel, & allegatur 34. quæst. Secundo si conuinci queat etiam ipsum adulterium commisisse. Qui sine crimine est, &c. quia adulterium adulterio compensatur, teste concil. Lateranen. sub Alexand. 3. Tertio si quis prostituerit propriam vxorem, titul. de eo qui cognouit consanguineam vxoris. Quarto si credat maritum longa absẽntia vita defunctum, 34. quæst. 1. cap. Cum per bellicas. ex 77. epistola D. Leonis, & de secundis nuptijs, cap. Dominus. Quinto si fuerit vi oppressa. Sexto quando post adulterium fit reconciliatio & debiti carnalis solutio. Postremo quando infidelis repudiat propriam vxorem, & ducit aliam, de diuortio. Quando ergo aliqua adulterij rea deprehenditur iuxta concil. Lateranen. de sponsalibus, maritus procedere potest (si eam facti non pœniteat, aut si verbis aut verberibus corrigi nequeat) ad separationem quæ traditur à doctoribus scholasticis esse, vel thori, vel cohabitationis. Quo ad thorum comperta culpa, propria authoritate potest maritus vxori debitum negare, & debet, quæ fidem negauit & fregit. Separatio autem cohabitationis, non fit nisi

Lib. 4. Antiquit. Iudaicarum cap. 6. Matth. 19. *Lib. 19. cõtra Faustum, cap. 26. & 29.* Leuit. 20. Daniel. 13. Ioannis 8. *Cap. 8.* *Lib. 1. de adulterinis coniugijs ca. 1. 2. & 3.* *Lib. 1. ser. Domini in monte, cap. 25.* *Li. 4. dist. 35* *Cap. In lectũ.* Ioan 8. *Tit. de sponsalibus ca. 14. et de diuortio, ca. Ex literis.* *Cap. Discretioni, & in digestis de adulterijs, lege 2. §. si publico.* *34. q. 5. cap. Proposito, et in digest. de adulterijs, lege Vim passa.* *32. q. 1. cap. In coniugijs.* *Ca. Grãdenum Canone 25.*

Cap. Ponò. nisi iudicio ecclesiæ, de diuortio, & de conuersione coniuga-
Ca. Præterea. torum. Simul atque diuortium est legitimè celebratum, insons liberè proficisci valet, quo lubet, etiam continētiam vo-
In scripto 4. distinct. 35. uere, si placet, potest etiam secundum Thomam, & maritum reputare tanquam alienum & quasi nūquam familiaritatem cum ipso contraxisset. Repudiatæ vinculum siquidem coniugale, per celebratum diuortium, ab omni suo effectu impeditur, quod vinculum quia perpetuum, aliud matrimonium contrahere vetat, contra Erasmum qui laboriosissimè nititur probare illicitum non esse ducere aliam post diuortium, in
Erasmus hallucinatur. 7. caput prioris ad Corinth. Quod nos, inquit, interpretamur diuortium, cùm dirimitur domestica consuetudo, manente coniugij vinculo; Quis vnquam veterum, vel Theologorum, vel Iurisconsultorum appellauit diuortium? Diuortium interim appello, verùm quale solum illa nouit ætas, qua licebat à repudio prioris alteram ducere; Hunc sequuti sunt Ambr. Catharinus, necnon Thomas de Vio Caietanus dictus, etiam Lutherani cum Philippianis, qui alioquin finxerunt non re, sed nominetenus fore diuortium, nisi liceat facto diuortio alteri nubere, vel aliam ducere. Et allegat ad suam stabiliendam opinionem Erasmus Matth. 5. vbi habetur, Ego dico
Origo argumēti Erasmiani. vobis, Quicunque dimiserit vxorem suam excepta causa fornicationis, facit eam mœchari, & qui dimissam duxerit, adulterium committit; ergo in causa fornicationis licet aliam du-
In scripto 4. distinct. 35. cere. Huic obiectioni respōdet D. Thom. quod exceptio ista quæ est in verbis Domini refertur ad dimissionem vxoris, ideoque obiectio ex falso intellectu procedit; licet enim permittat causa fornicationis, nequaquam tamen sic permittit diuortio celebrato, quamdiu vterque superstes est, vt alter ducere vxorem, & altera nubere possit, quoniā alioquin vterque si contraheret, adulterium committeret, aut pars altera, si
Marc. 10. ramen altera, quia clarissimè dicitur: Quos Deus coniunxit,
Luc. 17. & 16. homo non separet, & quicunque dimiserit vxorem, & aliam duxerit, adulterium committit. Et Moyses licet ob duritiam cordis permiserit libellum repudij, non tamen videtur per-
Li. 1. de adult. coniug. cap. 9. & 10. misisse nubendi superstite vtroque licentiam, alioquin non subderet: Quia polluta est, & abominabilis facta coram domino. Hanc sententiam comprobat D. August. Canon Apo-
De sponsalibus cap. 25. stolorum 48. quoque sic habet: Si quis laicus cùm suam à se vxorem abijcit, alteram duxerit, aut ab alio dimissam acce-
Cap. Ex publico. perit, anathema sit, & concil. Mileuitanum cap. 17. cuius eadem verba habentur, canone 69. concil. Africani, necnō con-
Ca. Ex literis. cil. Latera. sub. Alexan. 3. item de conuersione coniugatorum,
Cap. Quemadmodum. de diuortio, & de Iureiurando. His consentanea sunt, quæ Paulus habet, quia si decesserit, præcipit manere innuptam,

prioris

prioris ad Corinth.7.& Rom.7.viuente viro vocabitur adul-
tera,si fuerit cum altero viro,etsi licuisset antiquitus; frustra
generosa Fabiola inter publicè pœnitētes comparuisset,teste *Epistola ad*
Hieron. Et Concil.Trident. Si quis dixerit Ecclesiam errare *Oceanum.*
cùm docuit & docet(iuxta Euangelicam & Apostolicam do- *Sess.24.can.*
ctrinam) propter adulterium alterius coniugum matrimonij *7.& 8.*
vinculum non posse dissolui, & vtrumque vel etiam inno-
centem,qui causam adulterio non dedit,nō posse altero con-
iugum viuente aliud matrimonium contrahere, mœchari-
que eum qui dimisso adultero alij nupserit, anathema sit. Si
quis dixerit Ecclesiam errare, cùm ob multas causas separa-
tionem,inter coniuges,quoad thorum, seu quoad habitatio-
nem ad certum incertúmve tempus fieri posse decernit,ana-
thema sit. Deinde sunt nonnulli, qui arbitrantur hanc pote-
statem ducendi aliam, esse penes viros non vxores, sic enim *Aequa lex &*
habet Erasmus super præfatum caput: Apostolus hic de mu- *marito ac*
liere duntaxat loquitur, quòd huic sexui apud Iudæos non *vxori.*
esset vllum ius repudiandi virum, sed tantum hortatur, ne
vxorem abijciat,inquiens;vir vxorem non dimittat,non ad-
dit autem;Si abiecerit maneat celebs,&c.ergo,&c. Dicēdum
verum quidem esse ex Iosepho, quod non licuerit vxori vi- *Lib.16.Anti-*
rum repudiare,& quod soli marito hoc priuilegium tāquam *quit.cap.9.*
languenti pharmacum sit permissum quoniam periculum
vxoricidij timebatur ex hac parte magis quàm alia. Maluit
igitur Moyses quod separarentur,quàm quod coniugis cruo-
re contaminarentur. Quod attinet ad Pauli locum, haud dif-
ficilis est solutio,quia quod vni tribuitur, creditur alteri non
esse negatum. Vnde expresſè in exordio eiusdem capitis di-
cit; Mulier potestatem sui corporis non habet, sed vir, & vir
potestatē non habet,sed mulier. Quo significatur penes vtrū-
que esse idem ius in actu coniugali, vti dilucidat D. August. *Lib.5. contra*
& concil. Eliberrinum cap.81. Atqui his August. sententijs *Iulianū c.4.*
non acquiescit Erasmus dicens: August. vult par esse ius, & *Lib.50.hom.*
vxori ac viro, quod sicut fortiter & constanter adseuerat, ita *homil.49.*
non est quo certum doceat. Rursum damnat Petrum Lom- *Lib.22. cōtra*
bardum,qui D.Ambros.ait esse falsatum: Sane,inquit,friuo- *Faust.cap.31.*
lum est, quod Petrus Lombardus adducens eum locum ex *Lib.1.de adul*
Ambros.sic diluere conatur,vt dicat hæc verba(Ideo nō sub- *ter.cōiu.c.24.*
dit de viro, sicut de muliere, quia licet viro aliam ducere) à *Epist.45.ad*
falsarijs indita libris Ambrosianis, cùm sententia & stilus ad *Armētarium,*
vnguem congruat. Sed si magister iniustè eum falsatum pro- *70.ad Bonif.*
nuntiat, ergo Ambr. ex diametro in diuersis locis secum pu- *Lib.4. Sentē.*
gnat,quia lib.1.de Abraham,parem coniugibus tribuit pote- *distinct.35.*
statem. Nec viro licet,inquit,quod mulieri non licet, eadem *Cap.4.& 7.*
debetur à viro quæ ab vxore castimonia, quicquid in eam

quæ non est legitima vxor, commissum fuerit, crimen adulterij damnatur, parem etiam potestatem tribuit Origenes in Matth. & concil. Elibert. & C. de incest. & inutilib. nuptijs lege. Si quis, vbi sic habetur: Quæ de vitiis cauimus de fœminis custodiantur. O si iam diuortio essent separati, qui adulterij vicio sunt conspurcati, si omnes viri à fœminis essent seiuncti, qui alieno thoro sunt commaculati, si inquam, omnes fœminæ à maritis ablegarę, quæ adulterium commisêre, quis non obstupesceret humani cordis malitiam, quis non fontibus lachrymarum eorum earúmve peccata deplangeret, potissimùm cùm ita exundarint, vt numerus haud facilè inueniri queat? Hinc deplorat Hierem. Vnusquisq; ad vxorem proximi sui hinniebat; Adulterijs repleta est terra, Oseæ 4. Homicidium & furtum & adulterium inundauerunt. & 2. Petri 2. Homines sunt delitijs affluentes, conuiuijs luxuriantes, oculos habentes plenos adulterij, nec multitudo excusat delinquentium, peccati grauitatem, quia dicitur, quod omnis mulier relinquens virum suum, peccabit. & : Si quis mœchatus fuerit cum vxore alterius, morte morietur adulter & adultera, Genus autem mortis quo solet animaduerti adulterium, habetur Leuit. 20. & Ioan. 8. vbi lapidari iubetur in detestationem peccati; & adulteros etiamnum lapidare consueuit populos Turcarum, sicut capitis supplicio plectẽdos obseruant Arabes, teste Virgilio Polidoro. Eandem consuetudinem reperire est apud D. Hieron. epistola ad Innocẽtium de muliere septies icta. Romanis quoq; mos fuit adulteram non flagello emendare, sed quasi in reprobum sensum tradere, vt si quæ semel thorum matrimonialem contaminasset, tanquam publicum deinceps scortum abijceretur. Sed Theodosius imperator hanc legem abrogando, nouam instituit, qua grauissimis pœnis adulteram affligi sanciuit, secundum hist. Tripart. & Niceph. Non tamen mortis pœna plectebatur, teste Aug. Postea maior rigor accessit, vt patet ex C. Iustiniani ad legem Iuliam de adulterijs lege Castitati, vbi capite plecti mandantur. Et si domina rem habuerit cum famulo, aut hera cum seruo, adultera capitali sententiæ subdatur, Adulter autem voracibus flammis consumatur, de mulieribus quæ seruis proprijs se iunxerunt. In decretalibus autem ca. Peruenit de adulterijs. Sed hodie excommunicantur & verberibus emendati detruduntur ad faciendam in monasterio pœnitentiam, cui non refragatur concil. Elibertinum quod quinquennalem pœnitentiam imponit his qui semel adulteriũ patrauerint, si verò crebrius eodem vitio se polluerint 7. vel etiam 10. annis, secundũ concil. Anciranum & Elibertinum, adeoque hoc ipsum confirmat August. libr. 50. homiliarum

Tract. 7. Cap. 69. Deplãgit præsentis temporis miseriam. Cap. 4. Et 23. Eccl. 23. Leuit. 20. Pœna adulterij Tom. 1. Lib. 9. ca. 24. Li. 12. ca. 22. Li. 2. de adulter. coniug. ca. 8. & lib. 3. de ciuitat. cap. 5. Lege. Si qua cum seruo. Cap. 69. Qua pœna hodie plectendi adulteri? Cap. 20. Ca. 69. & 70 Serm. 49.

miliarum vt strictam ad abluenda crimina pœnitentiam facere non dissimulent, & publicis officijs secundum ordinationes imperiales ac statuta regalia, indigni habeantur. *Lib. 3. rubric. 1. fol. 775.*

De concubinatu. CAPVT III.

HAVD vulgaris maritorum fuit impudentia quando legis humanæ & ciuilis prætextu, prærogatiua maritali, necnon veterum patriarcharum priuilegio singulari, sibi licitum voluerunt, habere concubinam, hoc est, scortum, vel, vt honestiùs dicamus, ancillam, quam paterfamilias maritali affectu amplectatur & cognoscit tanquam propriā coniugem, cui tamē non licebit habere plures maritos, vt ipsi volebant. Sed isti scire debuerunt, quod leges ciuiles semper emendandæ sunt, vel potius exponendæ secundum canonicas & diuinas. Licet igitur cuiuscunque ætatis concubinam habere posse aliquem palam sit, extraque pœnam legis reperiatur, intelligendæ sunt secundum leges fori, quæ nullum hic cognouerunt peccatum & conniuere visæ sunt, secundū concil. Toletan. 1. vel potiùs corrigendæ sunt, & exponendæ de concubinis, quæ absque aliqua solennitate, viris aliquibus non coniugatis adhæserunt, inter quos tamen intercessit firmus contractus mutui consensus, itaque in foro fori essent liciti, hoc est, à crimine adulterij alieni. Alioquin certè rem nefariam committere non dubitantur, qui vxori iniuriam concubinæ ignominia inurunt, vt habetur lege Nemo. Nemini, inquit, licentia conceditur constante matrimonio, concubinam penes se habere posse. Si autem matrimonium non constet, sed vinculum eius aculeo mortis interruptum fuerit, nec aliquis intercedit matrimonialis contractus & mutuus consensus, cum concubina quam viduus assumit honestam, dehonestare potest, & proinde peccatum mortale effugere nequit, vt habetur 32. quæst. 4. Vbi pronuntiantur illegitimæ proles, quæ ex tali procreantur concubitu: Dicat aliquis, inquit, vxorem non habeo, & ideo ancillam mihi associaui; Cui respondetur, audi quid dicat scriptura, ad Abrahā, Eijce ancillam, & filium eius, non enim erit hæres filius ancillæ cum filio liberæ. Et ne quis sibi blandiatur de legibus permittētibus, Cognoscat oportet illas per leges diuinas quæ nullibi non damnat concubinatum & fornicationem, esse emendatas, vt manifestum euasit primo huius præcepti capitulo. Quibus suffragatur Ambr. Augu st. contra Iulianū, concil. Elbertinum & Trident. Nemo sibi blandiatur, inquit Ambros. de legibus: Omne stuprum est adulterium, nec viro licet, quod mulieri nō licet, eadē à viro, quæ ab vxore debetur

C. de concubinis, lege, Qua in concubinatu, & lege In concubinatu.

Ciuiles leges de concubinatu quomodo intelligendæ?

Cap. 19.

C. de cōcubinis

Ca. Dicat aliquis.

Genes. 17.

Lib. de Abraham, cap. 4.

Lib. 5.

Cap. 4. li. 50. homil. 49.

Lib. 22. cōtra Faustū, ca. 31.

Cap. 81.

Sess. 24. ca. 1.

castimonia quicquid in ea quæ non sit legitima vxor commissum fuerit, adulterij crimine damnatur. Nec obstat Abrahæ aut aliorum patriarcharum exemplū, siquidem illis concessum fuit plures habere vxores, non causa variandæ voluptatis, sed ratione multiplicandę sobolis, teste August. & Ambros. lib. de Abraham, cap. 4. Hanc diuinam dispensationem, quatuor potissimum confirmabant causæ, quarum prima est congruitatis, quia vniuersa in figuris contingebant illis. Cùm autem numerosa soboles esset sacramentis ecclesiæ initianda, similiter & hæreticorum (horrenda separatione) portenta adumbranda, per Zaram tanquam catholicos, per Agar paleas reijciēdas, hoc est hæreticos, etiam tum manifestare voluit. Præterea cùm non raro hæretica prauitate infecti, palinodiam canentes resipiscant, & ad gremium sanctæ matris ecclesiæ recurrant, alijs in errorum voragine permanentibus, debuit pręfigurari, per Ismaëlem & istud posterius in ancillis Iacob, quarum filij duodecim patriarcharum numerum compleuerunt. Secunda fuit necessitatis; Cùm enim essent pauci & numero breui, cultores vnius veri Dei, necessarium fuit numerositate liberorum cultum Dei seruare & ampliare, quę non perinde haberi potuit per steriles quàm fœcundas, ideò plures vxores diuina permissione sibi asciuerunt. Tertia vtilitas, quia filij pijs adhortationibus instruebantur, ita vt non minus religionis disciplina sumeret incrementa, quàm successio numerosior multiplicata. Quarta honestas quia nō inordinato aut libidinoso, sed castissimo & maritali eas cognoscebant affectu, in cuius rei testimonium, Abraham non facibus libidinis inflammatus sumpsit Agar & viriauit, sed vxori obsequiosus cum Agar Zaræ sterili debitum reddidit, & affectu maritali cognouit. Vnde Augustinus: O virum viriliter vtentem fœminis, coniuge temperanter, ancilla obtemperanter, nulla intemperanter.

Abrahā plures habuit vxores, quare? *Lib. 1 de nup. & cõcu. ca. 8. et 9. Lib. 22. contra Faustū, ca. 32. Lib. 16 de ciuit. Dei, cap. 34.* *4 Causæ adsignantur.* *Genes. 21.* *Li. 16. de ciui. Dei, cap. 25.*

De incestu. CAPVT IIII.

INCESTVS est peccatum mortale, quod carnali inter consanguineos & affines commixtione absque dispensatione comittitur, quos ita recensere possumus, ex concil. Aurelianensi 3. Arelaten. 3. Turonen. 2. Agaten. & li. Institutionum, & Iuone, desumptos ex Leuit. 18. Si quis relictę vel auunculi filiæ misceatur, aut patrui filiæ, aut priuignæ suæ, aut qui ex propria consanguinitate, aliquam vsque ad quartum gradum inclusiuè polluerit, teste conc. Trident. Tantoque grauius æstimatur, quanto contra naturalem reuerentiā, parentibus & consanguineis debitam, secuudum Tho. committitur. Nec obstat quod antiquitus soror fratri, consanguineus

Cap. 10. Cap. 11. Cap. 22. Cap. 6. De Nup. leg. In potestate §. Ei si tales. Part. 9. c. 25. Sess. 24. ca. 3. 2. 2. q. 154. an. 9.

neus consanguineæ matrimoniali vinculo copularetur, quia secundũ Aug. Cùm nõ essent alij homines, nisi qui ex Adam & Eua nati fuissent viri sorores sibi cõiuges asciuerũt, quod profectò quanto fuit antiquius compellente necessitate, tanto postea factum est damnabilius prohibente religione. Ad idem quoque peccatum pertinent cõsensus, cogitatio, tactus, & huiusmodi in consanguineas & affines, etiamsi non adsit voluntas consummandi, vel potentia naturalis, vt in impuberibus. Vnde haud immeritò consultissimum iudicari debet, quod masculi etiam impuberes non condormiant puellis pubertatis annos nondum attingentibus, quia quanquam, vtpote impotentes nequeant generare, aut actum carnalis commixtionis consummare, possunt tamen instinctu diaboli, diuersa libidinosorum motuum portẽta machinari mortaliterque peccare, vt sequentia manifestabunt. Imò bonum esset & penè necessarium, vt nunquam impares sexu & dispares, compares sint in vno cubili, propter execranda quædam libidinis monstra, quæ spiritus luxuriæ suggerendo, etiam per paruulos efficit. Quemadmodum exemplo liquet ex D. Hieron. Nam quædam fœmina carnis illecebris subacta cùm expositum nutriret infantem cubaretque cum ea paruulus, qui vsque ad decimum iam peruenerat annum, accidit vt se fœmina mero ingurgitaret, accensaque libidine, obscœnis motibus puerum ad coitum duceret, prima ebrietas alterius noctis, & cæterarum deinceps fecit consuetudinem, necdũ duo menses erant euoluti, & ecce fœminæ vterus intumuit, & Deo permittente, per paruulum quo abusa erat, paruulum mundo peperit. Istud peccatum incestus grauius est adulterio, teste Tho. superatur autem peccato cõtra naturam, secũdum August. Maiori, inquit, crimine aliquis thorum alterius ascendit, quam qui solutus est: Adulterij enim malum vincit fornicationem, vincitur autem ab incestu. Accedens autem sanctimonialem, incestum committere non ambigitur, quod sponsam Christi vitiare non pertimescat, 27. dist. vbi sic habetur: Virgines quæ post consecrationem nupserint, non tam adulteræ sunt, quàm incestuosæ. Quæ acerbiori supplicio etiam apud Paganos solent plecti, teste August. & Aulo Gellio. Si enim vestalis virgo vel leuiter deliquisset, parumque pudicè castitatem coluisset, incæstus conuicta, verberibus à pontifice maximo cædebatur, simul atque cæsa fuisset, ad portam collinam efferebatur tanquam mortua, cum luctu propinquorum, pontificibus alijsque sacerdotibus, mœsto silentio sequentibus, iuxta quam locus erat subterraneus, ad quem scalis descendebatur, in eum virgo vestalis sola demittebatur, ac ablatis scalis, locus vndique occludebatur, & ne

Lib. 15. de ciuit. Dei, c. 16.

Masculi pueri non condormiant puellis.

Epist. ad Vitalem tomo 3.

Memorabile exemplum.

Incestus est peccatum grauius adulterio.

2. 2. q. 154. art. 12.

Li. de bono cõiugali ca. 11.

Cap. Virgines.

Lib. 3. de ciui. cap. 5.

Lib. 1. Noctiũ Atticarum.

Pœna incestuosa-ũ ac vestaliũ virginum.

 fame

fame videretur enecta,panis,lactis, & olei aliquãtum,incensaque lucerna derelictam refouebant,atque eo die iustitium erat Romæ & mœror non exiguus,præsertim quod magnum aliquod malum supplicium vestalis virginis ciuitati & imperio portendere existimarent. Et quanquam tali rigore incestus hodie non plectatur, longè tamen acerbiori subijcitur, per concil.Aurelianen.2. quo anathematis vinculo innodantur, nec prius ad communionem sunt reconciliandi, quàm crimen emendatione purgauerint: Siquidem maledictus legitur, qui dormierit cum vxore patris sui,cum priuigna,cum vxoris suæ sorore. Quo fit vt quos Deus maledixit, non nisi emendatos benedicere valeamus.

Ca.10.& 3. cap.26.
Incestuosi excõmunicantur.
Deuter.27.

De Stupro. CAPVT V.

STVPRVM est, quando mulier virgo,extra matrimonium defloratur. Estque peccatũ mortale propriã constituens speciem,eo quod auferatur virginale signaculũ, paternæ custodiæ commissum; Sic Danae virgo, teste Hier. epistola ad Gaudentium, & Aug. à patre Actisio, sublimiori seruabatur turri, nec vlli virorum ad eam patebat accessus, quam Iupiter cùm adamaret nimio ardore, aureum per impluuium, turri illapsus vitiauit, hoc est, muneribus aureis, quibus virgo, custodumque animi corrupti obedierunt; Signanter prælibatum est, mulier; Masculum namque virginẽ cũ meretrice rem habere,non est stuprare,quia non ita patris custodiæ manet hac in parte commendatus, nec fit ita legitimo matrimonio amissa virginitate ineptus, sicuti fœmina, quæ perpetuum quasi seruat facti improperium secundũ D. Thom. Quod duplex esse potest: Primo ex parte puellæ,quæ propter violationẽ impeditur à legitimi thori coniugio. Deinde etiam ex parte patris, cui opprobrij nota inuritur,quod puella eius curæ fuerat cõmissa.Gemina quoq; pœna stupratoribus fuit diuinitus ordinata: Nam patris indignationẽ sedare eiusque gratiam promereri, quingentorum siclorũ largitione cogebantur.Secundò etiam puellę manebant obstricti:Sic nãque legitur:Si quis seduxerit virginẽ necdũ despõsatam,dormieritque cum ea,dotabit eam,& habebit eã vxorẽ. Si pater virginis noluerit dare, reddet pecuniã,iuxta modũ,doris,quã virgines accipere consueuerunt. Præmissę tamẽ ordinationes quatenus iudiciales nos nequaquã cõcernunt,nisi per aliquã cõmunitatẽ essent renouatę,quod si factũ nõ fuerit,stuprator arbitraria iudicis pœna plectatur,nec immerito, cùm & spiritualẽ gladiũ ecclesia exercere nõ dissimulauerit, teste conc Elibert. quando stupratoribus puellarũ,nec in fine dandam esse cõmunionem,ad timorem incutiendũ,sanciuit.

Li.1.Confess. cap.16.& li. 2.de ciuit.Dei cap.7.
Danae puella corrupta.
Stuprum virginem concernit fœminam.
2.2.q.154. artic.6.
Dupliciter fit stuprum.
Genes.34.
Duplex stupratorũ pœna.
Deuter 22.
Exod.22.
Cap.71.

De raptu. CAPVT VI.

RAPTVS est violentus virginis, viduæ, vxoratæ, aut etiam sanctimonialis, concubitus secundum Tho. vel secundum Isidorũ, ac Iuonem. Raptus est illicitus cõgressus, à corrumpendo dictus, vel censetur esse, quãdo puella de cuius nuptijs nihil ante factum fuerat, abducta est. Coincidit nonnunquam cum stupro, quandoque prorsus à stupro secernitur, secundum Thomam vbi supra. Siquidem concurrunt, quando virgini simul & patri violentia propter deflorationem infertur. Interdum infertur violentia patri & nõ virgini, quæ proprio consensu à paternis ædibus vi quadã extrahitur, & corrumpitur, secundũ concil. Aurelianen. I. sic Dina videtur fuisse rapta. Aliquãdo verò abducitur violenter & nõ corrumpitur. Siue autem corrumpatur fornicario concubitu, siue matrimoniali, qualitercunque violentia sese immisceat, conseruatur natura raptus, qui potest esse etiã sine stupro, vtpote si quis rapiat viduam, vel puellã corruptam. Vnde Simmachus Papa epistola ad Cæsarem, & allegatur 27. q. 2, Detestamur viduarũ & virginum raptores, propter tanti facinoris immanitatẽ. Stuprum autem sine raptu inuenitur, quãdo aliquis absque violentiç illatione virginẽ illicitè deflorat. Estque læthale peccatũ, etiam gladio excõmunicationis feriendum, vt habetur 27. quæst. 2. & conc. Trident. necnon publica pœnitentia expiandum, ibidem. Et qnamuis matrimoniũ non dirimat contractum, dirimit tamen contrahendum. Aliter tamen atque aliter: Quãdo enim puellç sunt alijs desponsatæ, suis sponsis sunt restituẽdæ, quæ in eis despõsationis ratione aliquid iuris, secundum testimonium prçmissi canonis, & Tho. habent. Illæ autem quæ nõ sunt alijs fœdere desponsationis obligatæ, ad paterni iuris potestatẽ sunt reducendæ. Omnis siquidem rapina, est restitutioni obnoxia. Quinetiam tales capitis supplicio plecti statuit, quemadmodũ cuique obuiũ esse potest, inspicienti institutiones iuris ciuilis de publicis iudicijs, & in Autentico de raptis mulieribus, & C. de raptu virginũm. Qui vi, inquiunt, virginem aut etiã corruptam rapuerint & inuitam ad carnis copulam cõpulerint, capite puniantur. His adstipulãtur, quæ legũtur de vxore Leuitç, quomodo rapta fuerit ac vitiata, qualique pœna peccatũ vindicatum. Nec fugiũt nos prophanorũ & paganorũ paradigmata, quæ apud Valerium Maximũ, & Aug. legũtur Quomodo nimirũ propter raptũ Lucretiæ nobilissimæ matronç Romanç, Tarquinius rex cum filio vniuersaq; stirpe regia vrbe pulsus sit; Quomodo bellum Troianum originẽ sumpsit (vt Virgilius) quod Alexander Paris Helenã Menelai vxorẽ rapuerit.

2.2.q.154. art.7.
Lib.5. etymolog cap.24.
Part.8.c.26.
Coincidũt aliquando raptus & stuprum.
Cap.4.
Genes.34.
Dina filia Iacob.
Ca. Raptores.
Cap. Atho.
Seß.24.ca.6
Cap. Raptor.
2.2. q.154. art.4.
Pœna raptorũ.
Leg. Sin autẽ.
Leg. Ex quo.
Leg. Vnica.
Iud.19.& 20.
Lib.6.cap 1.
Lib.3. cap.5. de ciuit. Dei.
Lib.2. Eneid.

De sacrilegio. CAPVT VII.

Parte 2. Tit. 5 cap. 8. QVANQVAM varijs vsurpari reperiatur modis sacrilegium, tum apud Antoninum, tum etiam apud Caietanum aliosque summistas; In præsentia tamen animo constitutum est, solùm eam sacrilegij rationem considerare, qua est species luxuriæ, diciturque tunc concubitus cum persona Deo dicata, vt si vir, etiam secularis, rem habeat cum sanctimoniali, vel fœmina cum ordinibus sacris initiato, aut Deo per votum castitatis consecrato, nec committitur duntaxat, quando non sacrum sacro iniuriam præstat, aut sacrum non sacro operibus carnis offendiculum parat; verùm etiam multo magis, quando sacrum sacro, hoc est, religiosus religiosæ, consecratus consecratæ, impudicitiæ & incõtinentiæ fomitem ministrat. Estque peccatum mortale admodum

2. 2. q. 154. art. 10. Cap. 23. graue, secundum Tho. Vnde Concil. Triburien. Velatæ Deo consecratæ, si abiecto sanctitatis proposito clanculum sacrilega se contagione miscuerint, vel de illicitis complexibus publicè & liberè filios procreauerint, has impudicas detestabilesq; personas à monasteriorum cœtu & ecclesiarum conuentibus eliminandas esse iudicatum est, quatenus retrusæ ergastulis, tantum facinus continua lamentatione defleant; vnde canonica authoritate præcipimus, vt omnino separentur, & iuramento obligentur vlterius sub vno non cohabitare tecto, nec familiari frui colloquio, excepto in Ecclesia, & in publico, aut pariter vllam habere communionem, vnde suspicio illecebrosi desiderij aut scandalum libidinosi facti iustè possit oriri.

De peccato contra naturam.

CAPVT VIII.

2. 2. q. 154. art. 11. VITIVM contra naturã, licet vna sit luxuriæ species, secundum D. Tho. multis tamen modis abominabilibus ac execrabilibus adimpletur; Primo quando procuratur pollutio sine concubitu, sola delectationis inordinatę

Mollitiei peccatum. causa, appellaturq; pollutio volũtaria vel mollities, quæ sem-

1. ad Cor. 6. per est peccatũ admodum graue, teste Paulo: Nolite errare,

Cap. 12. neque masculorum concubitores, neque molles regnum Dei possidebunt. Et posterioris ad Corinth. Non egerunt pœnitentiam super immũditia; vbi immunditia signat peccatum contra naturam, per Antonomasiam. Hoc vitio conspurcatus

Genes. 38. Onan semen fudit in terram, ne liberi fratris nomine nascerentur. Et idcirco percussit eum Dominus, eo quod rem detestabilem fecisset. Alio modo eoque horribilissimo, peccatum contra naturam perpetratur, per concubitum ad rem non

non eiusdem speciei, nuncupaturque bestialitas, Cum omni pecore non coibis, nec maculaberis cum eo; Mulier non succumbet iumento, nec miscebitur ei quia scelus est, Qui cum iumento & pecore coierit, morte moriatur, pecus quoq; occidite: Mulier quæ succubuerit cuilibet iumento, simul interficietur cum eo, sanguis eorum sit super eos. Pecus licet legis non sit capax, nec peccati reum, iubetur tamen interfici, ne tali flagitio contaminatum, indignam refricet facti memoriam, teste August. super Leuit. Iuo parte 9. Istud fratribus peccatum Ioseph impegit, quando accusauit eos criminis pessimi, secundum Rupertum Abbatem Tuitien. & glosam interlinearem, qui sic habent: Crimen pessimum aiūt viri illustres, crimen Sodomitici fuisse sceleris, quo iumentis succumbebāt, aut horribiliter abutebantur, Iuo parte 9. Profectò si Bartolus sentiat quod lex, Cùm vir, quæ inseritur, Codici non debeat legi, multo minus prædicari in publico suggestu, ne castas aures offendat, vel occasionem iniquitatis præbeat, nisi fortè magna cautela castisque eloquijs, ne prædicatores vitia non docere, sed abominanda & execranda demonstrare videantur, teste Aug. Confundor, inquit, ego Episcopus talia loqui, confundor, & talia enarrare, sed si tacuero, mors mihi est, etsi prædicauero, nō effugiam linguas vestras: Audacter igitur damnabo & prædicabo, quia & vos ea operari non erubescitis, emendate vitam, & emendabo verba, quiescite agere peruerse, & quiescam mala vestra molliciei & Sodomiæ, quibus, proh dolor, repletur mundus, improperate. Sic Dominus mutata vita, mutauit sententiam. Deinde committitur per concubitum ad rem quidem eiusdem speciei, sed non secundum debitum sexum, vt quando masculus cum masculo, fœmina cum fœmina turpitudinem operatur, diciturque propriè Sodomia. Istud grauissimum peccatum plurimum detestatur Paulus Apostolus ad Romanos 1. quādo insectatur masculorum concubitores, quos nouerat, grauissimas dedisse pœnas, de istis criminibus ita exclamando conqueritur Augustin. O quàm abominabilia vitia, ô quàm detestabilia crimina, ô quàm mortifera damna, ô quàm pessima scelera, ô quàm inaudibilia mala, Has pollutiones Deus summo odio habet, has detestantur sancti, odiunt beati, fugiunt illi qui regnum consequuntur æternum, has diligunt illi qui cruciandi & maledicendi sunt cum diabolo; O pessimi Sodomitæ & peccatores coram Domino, rationis dictamen considerate, quia bruta animantia istud dispar consortium, ita abhorrent, vt sæpenumero & ductorem inuadant ac interficiant, diuinæ lucis claritatem honorate, Deum timete: Quid obsecro, ô miseri peccatores, quid consolationis

Leuit. 18. *Bestialitas.* *Et 20. cap.* *Pecus quare occidendum?* *Quæst. 74. & allegatur 15. quæst. 1. cap. Mulier.* *Cap. 108.* *Genes. 37.* *Lib. 8. super Genes. ca. 19.* *Ca. 89. & 90* *Ser. 47. ad fratres in eremo.* *Sodomia.* *Genes. 19.* *Ser. qui est 47 ad fratres in eremo.*

in cordis penetralibus assequuti estis, non dico consolationis, sed remordentem animam, sed confusionem coram Deo & angelis eius? Redite ergo ad cor, resipiscite à diaboli laqueis, ne clamor Sodomorum & Gomorrhęorum ascendat iterum ad cælum: Clamare namque dicitur, quando non solum cogitatur, sed absque omni timore ad actum perducitur & consuetudine intollerabili multiplicatur; Tuncque Dominus gladium furoris sui extendens, pluit ignem & sulphur de cælo, quibus combustæ & subuersæ sunt ciuitates: Nec immeritò, quia tam eorum fœminæ quàm masculi fœtenti luxuria ardebant. O luxuria pessima virtutum destructio, charitatis profligatio, crumenarum euacuatio, dulcis quidem videris, sed ecce omnis dulcedo in amaritudinem grandem cōuertitur. O luxuria, per te pax destructa est, per te homicidiū factum, per te ciuitates combustæ, per te Dauid exulat, per te Sampson moritur, per te Salomon expellitur, per te Loth iacturam vxoris & patriæ patitur. Istud monstrum subinde irrepit, timendum est petulantia lasciuorum & effœminatorum hominum per indebita instrumenta luxuriantium, vt si vir cum fœmina non seruet modum à natura ad generationem institutum, sed alium accedit locum quàm vas naturale, nec habet proprium nomen, vel accedit ad locum naturalem, sed modo indebito vt si mulier supergrediatur, &c. nec istud proprium habet nomē, quanquam grauissima sint peccata ad cælum clamantia, teste Aug. Peccatum, inquit, contra naturā fit execrabiliter in meretrice, sed execrabilius in vxore & cùm vir membro mulieris ad hoc non concesso vti voluerit turpior est vxor, si in se quàm si in alia fieri permiserit, & lib. de nupt. & concupis. 2. ca. 20. Naturalis quidē vsus, sed culpabilis, si naturalibus quis meretrici misceatur membris, ab ea verò parte corporis, quæ non ad generandum est instituta, si coniuge quisque vtatur, cōtra naturam est & flagitiosum. Item de excessibus Prelatorum legitur hoc modo: Quicunque illa incontinentia, quæ contra naturam est, propter quam ira Dei venit in filios diffidentiæ, & quinque ciuitates igne cōsumpsit, deprehensi fuerint laborare, si clerici fuerint deijciantur à clero, & ad agendam pœnitentiam in monasterium detrudantur; si laici fuerint, excommunicationi subdātur, & à cœtu fidelium, fiant pœnitus alieni. Idem allegatur 32. quæst. 7. ex li. 1. confess. D. Aug Si fortasse animalis homo & carnalis, spirituale pœnam, quasi inuisibile & insensibile, & proinde minus læsiuam contēnat, aut floccipendat, attendat ille necesse est, quod habetur in Autenticis titul. vt nō luxurientur contra naturam, Quidam, inquit, diabolica instigatione cōprehensi, grauissimis luxurijs semetipsos inseruerunt,

2. Reg. 11.

Muta peccata

Li. 3. cōtra Iulianū ca. 20. et li. de bono cōiugali cap. 8. & 11. & resumitur in decretis Iuonis parte 9 ca. 110. & de nupt. et cōcup. lib. 2. cap. 20. cap. 128 necnon 129.

Cap. clerici.

Pœna istorum.

Cap flagitia. Ca. 8. & cap. Vsus, ex li. 5. cōtra Iulianū. Collatione 6. §. omnibus hominibus, et C. de raptu virginum, lege. Cùm vi-

ſunt,ipſiq; naturæ contraria agũt,quibus iniungimus abſti-
nere ab illicitis iſtis & diabolicis luxurijs , Docemur ſiquidẽ
diuinis ſcripturis,quod ex huiuſmodi actibus,ciuitates cum
ſuis habitatoribus perierint; Imò his delictis præmiſſis & fa-
mes & terræ motus & peſtilentię crebreſcũt. Præcipimus igi-
tur tales cõpræhendi atq; vltimis ſubdi ſupplicijs,niſi reſipiſ-
cant,ne ciuitates & reſpublica tã impijs actibus læſa,vniuerſa
pœnis ſubiaceat,vbi peccantes contra naturam gladio legun-
tur diſperdendi, Et in inſtitutionibus de publicis iudicijs ha-
betur lex Iulia de adulterijs coercendis, quæ non ſolum te-
meratores alienarum nuptiarum gladio punit, ſed & eos qui
cum maſculis nephandam libidinem exercere auſi fuerint.

De tactibus & oſculis impudicis.

CAPVT IX.

IMPVDICITIA vitium eſt,quo quis vacat actibus,ta-
ctibus,oſculis & amplexibus libidinoſis,cauſa delectatio-
nis inordinatæ, quæ in illis ſentitur aut fingitur, etiamſi
nullum opus aliud aut intendat,aut ſequatur, & ſi fiat à non
coniugibus,mortale eſt peccatum,ſecundum D. Thom.quia *22. queſt.*
conſenſus in delectationem peccati mortalis, eſt peccatum *154.artic.4.*
mortale.Cùm autem prædictæ ſpecies ſint peccata mortalia,
ſequitur quod conſenſus in talium delectationem ſit morta-
lis, tantoque magis quanto peccata ſunt grauiora. Quando
ergo tactus & oſcula propter delectationem huiuſmodi fiũt, *Oſcula ſunt in*
neceſſario concluduntur eſſe mortalia , teſte Paulo Apoſtolo *terdũ mortalia*
ad Galat.quinto dicente,quod impudicitiam agẽtes regnum *peccata vt &*
Dei non poſſidebunt.Hoc modo, quemadmodum memoriæ *tactus.*
proditũ eſt,teſte Ludouico Viue, Sardanapalus vltimus Rex *Super 2.lib de*
Aſſiriorum effœminatus fuit,adeo,vt colum traheret,cupiẽs *ciuit. Dei, Au-*
captare gratiam, & beneuolẽtiam meretricum promereri, Et *guſt.cap. 20.*
Calligonus Valentiniani iunioris Eunuchus,ſecundum Au- *Sardanapalus.*
guſt. gladio vltore eſt punitus quòd complexus eſſet virginẽ *Calligonus.*
concupiſcentiæ carnalis affectu inflammatus , licet deſtitu- *Lib. 6. contra*
tus eſſet tanquam ſpado carnalis commixtionis congreſſu. *Iulianũ,ca. 5.*
Item Greg. teſtatur diabolum gloriatũ fuiſſe, quod Andreas *Li. 3.Dialog.*
Fundanæ ciuitatis epiſcopus cuiuſdam fœminæ dorſum la- *cap.7.*
ſciuis blandicijs demulcendo percuſſiſſet, fuitque à lucifero
collaudatus quod eo abiectionis epiſcopalis dignitas degene-
raſſet,& pontificalis rigor in ipſo elanguiſſet. Vnde Cypria- *Li.1.epiſt.11.*
nus , ad Pomponium fratrem : Certè ipſe concubitus , ipſe
complexus,ipſa confabulatio & inoſculatio & coniacentium
duorum turpis & fœda dormitio, quantum dedecoris & cri-
minis confitetur? & paulò ante: Libera,inquit,de periculoſis
locis na-

locis nauem, ne inter scopulos & saxa frangatur, eruenda est velociter sarcina de incendio, priusquam flammis superuenientibus concremetur, nemo tutus est periculo proximus, nec euadere diabolum potest, qui data opera se eius laqueis implicat. Non per hæc, inquit beatus Basilius, diligere fratres dissuademus, sed omnes velut vterinos diligere concedimus, imo etiam vterinos secure diligere consulimus. Timor tamē est, ne ex consuetudine & confidentia nostra peccatum arrepta occasione omnem in nobis concupiscentiam operetur. Sufficiens est enim peccatum & per manuum fratris factum & per amicum interim osculum sapientiam carnis clanculū ad propria excitare & cōcupiscentiæ oculos velut ipsius Adæ post gustum voluptatis amplius ad malum aperire. Proinde etiam vterina soror non assidue tactu & osculis fratris exacietur ne ex assiduitate temporis progressu affectus exortus resultet & præsertim vbi etiam corporis pulchritudo faces amoris in oculis horum amplius incenderit. Ab hac enim flamma etiam externa gentium doctrina nos detrahit. Pulchrorum, inquit, oscula vitare oportet velut reptilium virus eiaculatum morsus; diffunditur, inquit, venenum voluptatis per osculum in vniuersum corpus. Osculum est etenim sancto Ambrosio quo inuicem sibi adhærent amantes & velut gratiæ interioris suauitate potiuntur, & qui se reciprocis demulcent osculis non sunt labiorum prælibatione contenti, sed spiritum suum inuicem sibi vidētur infundere. Si autem oscula fiant ex beneuolentia, vt quando visitant se inuicem homines pacificis verbis salutando, secundum morem patriæ, sicut legimus, Iudam peregrè redeuntem Dominum osculatum, & Paul. Rom. 6. Salutate inuicem in osculo sancto. Sic Amphilochius vir admirandæ prudentiæ, secundum hist. 1 ripart. lib. 9. cap. 25. ingressus palatium, Theodosium Imperatorem cum osculo prius solenniter salutauit, nequaquam habent rationem peccati: Cuius enim finis bonus est, ipsum quoque bonum est.

Oscula quando licita.

Lib. de virgin.

Li. de Isaac et anima ca. 3.

Matth. 26.

De impudicis aspectibus & obscœnis colloquijs.

CAPVT X.

Repvtemvs deinde quis hic legislator opera carnis dānet, nempe is qui quum nos totos possidere debeat iure suo, animæ, spiritus, & corporis integritatem requirit, ergo dum mœchari & scortari prohibet, simul vetat & lasciuo corporis ornatu & obscœnis gesticulationibus ac impuris sermonibus alienæ pudicitiæ insidiari: Non enim ratione caret Archelai sententia ad adolescentem molliter & delicatè

delicatè vltra modum vestitum,non referre qua parte cinæ-
dus esset,ac pudore vacuus; Siquidem Deum respicimus qui *Aug. In Psal.*
omnem contaminationem abominatur , quacunque in par- *50. Et Hom.*
te,vel animæ vel corporis nostri appareat.Ac ne dubium sit, *21.libr.50.*
memineris hic pudicitiam à Deo commendari , si pudicitiā *homil.*
requirat à nobis Dominus , quæcunque illi aduersa sunt dā-
nat,vt sunt oculi impudici, & obscœna verba, teste August. *Ser.83.de tēp.*
& Ambros.lib.de S. Ioseph. Prima adulterij tela sunt oculo- *Cap.5.*
rum; Secunda verborum,Luc.6.Ex abundantia cordis os lo- *Tela adulterij*
quitur , & ad Colos. 3. Deponite turpem sermonem de ore *quæ?*
vestro,1.ad Tim.5.loquentes quæ non oportet ; Cui conso-
nat August. sententia & repetitur apud Iuonem Carnoten. *Serm.219.de*
episcopum:Hoc admonere fratres,vt cantica turpia & luxu- *temp.*
riosa castirati & honestati inimica familiæ vestræ non profe- *Cantilena im-*
rantur, quia non est iustū vt ex illo ore vbi eucharistia Chri- *pudica.*
sti ingreditur canticum luxuriosum & amatorium profera-
tur. Et Chrysost.qui frequentant spectacula,vt oculos pascāt *Homil.6.super*
illicitis conspectibus,profectò inde adulteri recedunt: Mise- *Genesim.*
ricors enim Dominus noster sciens naturam nostrām tenta-
tioni expositam & dæmonis versutiam , benè nos muniens
& illaqueabiles reddere volens,legem hāc posuit dicens: Qui *Math.5.*
inspicit mulierem vt concupiscat eam , iam adulteratus est *Adulteriū vo-*
eam in corde suo;adulterium vocando aspectum cum curio- *cat Christus*
sitate factum. Qua sententia non solum morbum , sed & *adspectum im-*
morbi radicem , concupiscentiam directis male luminibus *pudicum.*
excitatam,euellit,secundum eundem. Cum quibus nisi fœ- *Homil.8.li.de*
dus pangamus , haud difficulter animam nostram deprædа- *pœnitentia.*
buntur. Impossibile siquidem est secundum Basilium vt qui *Lib.de virgin.*
ignem contingit puram ab vstoria ipsius efficacia manum
ostendat , sed aut bullæ ad tactum aceruatim exortæ & cum
dolore feruentes ac salientes statim eruptionem minantur,
aut iam oborta in manu amara vlcera conspiciantur, sic im-
possibile est vt qui amatorium ignem attigit purum ab huius
signaculis tactum ostendat , sedant simili modo velut ad ta-
ctum manus bullæ latenter & intolerabilibus tremoribus
occupatæ peccati vlcera statim eruptura esse minantur, aut
iam totum vlceratum in profundo cor ostendunt. Quare
quandoquidem in omnibus membris hic ignis ardens est,
obseruandum est his qui purum corpus ostendere volunt ne
aliquod membrum contingant, vt ne in membro sitam ignis
efficaciam per tactum,non in parte solum quam contigerūr,
sed in totum corpus & in ipsam animam suscipiant. Si enim
quis caudam solum serpentis attigit & cum tanto spatio in-
termedij corporis caput ab illa distet,tamen ad contactum in
cauda fientē statim conuertitur. Et si vbi pedis nostri digitus
offendit

offendit capilli ſtatim in capite erecti eriguntur. Nimirum etiã vitioſus totius corporis tactus,etiã ſi in manu ſolum fiat, à capite tamẽ vſq; ad extremos vngues totum corpus ad voluptatis conſenſum,ſtatim vbi fit,attingentis ſignum contrahit. Et ſicut lapidis iactus in aquam in ciſterna fiens non adiacẽtem aquæ partem in quam cecidit lapis ſolum inundare facit, ſed alijs ſuper alios circulis excitatis vſque ad extrema quandoq; inundans, hos producit. Sic amatorius adſpectus, aut ſermo voluptatis effœminatus in virginis animã, velut in puram aquã vehemẽter illapſus alias ſuper alias in profundo excitans cogitationes, totã ipſam ad ferientis imaginationem percuſſam inundare facit. Quapropter maximè oportet virginem,& oculorũ,& vocis blanditias corruptoriæ voluptatis medicamentum exiſtentes, à proprijs ſenſibus quam longiſſimè abigere, ita vt aures quidem intus temperanti ratiocinatione obturet, oculos verò cautiſſima auerſione muniat: Nã ſi ſemel per oculos & aures acceſſum ad animã arripuerint, de cætero etiã reliquas per manus accedẽtes blanditias mercenarias adſumentes progreſſu tẽporis penitus quæ ſua ſunt, operabuntur. Quemadmodum enim miles, qui cum militari agmine in vrbe adeſt domum ſibiipſi ad inhabitandum circũcirca quærit,& aut per vim à foribus excluſus, vel alia arte excluſus alio ſe conuertit, at vbi primum ad interna acceſſum facilẽ habuit, vt vel aliquid ex armis ſuis, haſtã, galeam, aut ſcutũ deponere licuerit, & ſi propter ſocios egreſſus foris eſſe videatur, intus tamẽ eſt potentia per arma quæ depoſuit, domo propria ſuiipſius ac ſociorum quos nõ longè poſtea ſecum habitare facit, de cætero effecta; ſic potens voluptatis ac peccati miles domum ſibiipſi circumcirca quęrens, aut à primo ingreſſu excluſus & alio ſe conuertit, at vbi primum ad interna per ſenſus acceſſum facilem habuit, vt vel aliquid ex armis ſuis adſpectus, haſtam, inquam, per oculos eminus ſauciantem, aut voluptatis galeam illecebrem ſermonem per auditum aut tactum, per manus velut ſcutum totum corpus ad voluptatem cõcitantem in anima deponere licuerit, etiam ſi foris eſſe videatur corpore, nondum per operationem peccati corrupto, tamen intus eſt potentia per depoſita arma corrumpens mentem, anima quæ aliquid de his armis ſuſcepit, propria domo priuatæ voluptatis, ac ſociorum ipſius vitiorum de cætero effecta. Concludendus eſt igitur primus per ſenſus acceſſus carnis militi, ita vt ſenſus vndiquaq; velut fores aut feneſtras cordis vectibus obſtruat, vt neque per vnam ſaltem ex his callidiore cõſenſu facto ſecum mortem
Thren. 3. & tem ſocium ſuum habitare faciat. Mors enim, inquit, aſcen-
Hierem 7. dit per feneſtras veſtras, intrabitque mors per feneſtras noſtras,

ſtras, quando obuijs vlnis amplexamur quæq́ue ſenſualitatis oblectamenta, & æniuerſa voluptatis blandimenta, quæ mira colorum varietate in tabula Cleantis depicta & ornatu ſplendidiſſimo amicta regali in ſolio prçſidens, omnibus virtutibus coram ſtantibus principabatur & imperabat, nihilq́; moliri præſumptione temeraria audebant, quod præſidentis voluptatis ſuggeſtione fomitem laſciuiæ non miniſtraret, ſecũdum Ciceronem. Vnde Auguſt. Grauem caſtitas ſortita eſt inimicum, nemo ſe falſa ſecuritate decipiat, nemo periculis ſe committat: Dauid namq; ſanctiſſimus mulierem nudatam conſpexit, & ſtatim adulterio homicidiũ ſociauit. Et aliqui in extranea domo cum alienis mulieribus putant ſe caſtitatis obtinere triumphum, ignorantes dupliciter ſe apud Deum reos exiſtere, dum & ſeipſos in periculum mittunt, & alijs exemplum peruerſæ familiaritatis oſtendunt. Quanticunq; enim illarum ſtultitiam imitantes, per inhoneſtam familiaritatem caſtitatis ornamenta perdiderunt, illorũ animæ ab illis in die iudicij requirẽtur, qui eis exemplum perditionis oſtendunt. Et alibi: Quantoſcunq; aliquis exemplo ſanctę vitæ ædificauerit, cum tantis & pro tantis mercedem beatæ vitæ retributionis accipiet, & quantiſcunq; exemplum malæ conuerſationis, etiamſi non eum illi ſequũtur, præbuerit, pro tantis ſe malis rationem nouerit eſſe daturum, quia voluntas pro facto reputatur, & venenum erat propinatũ, licet nõ acceptum. Mementote frequẽter, & nolite obliuiſci, quid fecerit illa fœmina Romana Tarpeia nomine, quoniam luxuria magna dominabatur ei, ipſa tamen pagana caſtitatẽ adamabat, cuius pretioſitatẽ ne amitteret, oculos ſibi eruere voluit, cunctiſq; delicijs ſepoſitis, panem tantum & aquam ſumere ad menſurã ſibi conſtituebat. Haud aliter Hetruſcus iuuenis cùm propter admirandam oris pulchritudinem, teſte Ambr. in ſui amorem raperet fœminas, pũctionibus & ſtigmatibus, ne qua eum ardere poſſet, vultus pulchritudinẽ ſqualere fecit. Quo pertinet quoq; exẽplum quod habet Valerius Maximus de ſpurina, qui cum mira ſpecie complurimum fœminarum illuſtrium oculos ſolicitaret, ac proinde ſe maritis ac parentibus earum ſuſpectum ſentiret, venuſtam faciem vulneribus liuidam reddidit, deformitatemq́; ſanctitatis ſuæ fidem, quàm formã, irritamẽtum alienæ libidinis eſſe maluit. Valeant igitur incentiua vitiorum, vt quæſitis coloribus ora depingant, dum viris diſplicere formidãt & de adulterio vultus, meditentur adulteriũ caſtitatis. Pretioſa quoque, inquit Ambr. collo dependẽt monilia, inde per humũ veſtis trahitur aurata, variæ quoq: adhibentur odorũ illecebræ, gẽmis onerantur aures, oculis color alter infunditur. Quid ibi remanet creato-

Cleãtis tabula Lib. 2. de finibus.

Serm. 250. de tempore.

Intueri non licet quod concupiſcere non licet.

Gregor. 21. Moral.

Serm. 163. de tempore.

Ratio reddẽda praſtita occaſionis & ſcandali.

Serm. 250. de temp. & ſerm. 47. ad fratres in eremo.

Remediũ præſentiſſimum contra carnis illecebras.

Lib. exhortationũ ad virgines.

Lib. 4. cap. 5.

Fucata facies.

Lib. 1. de virginibus.

creatoris, vbi tam multa mutantur? sensus suos amittit mulier,& viuere se credit? quanta hæc amentia? effigiem mutare naturæ, pictutam quærere, & dum verentur maritale iudicium, prodere suum? si deformis, cur te formosam esse mentiris? & August. Corporis habitus impudicus, nuntius est adulterini cordis, In mulieribus quoque facies fucata, virilium vestimentorum imitatio, Deuteron. 22. & con. Gangrense ca. 13. capillorum natiui coloris adulteratio, vtriusque sexui adulterina sunt. Nónne impudenter Saluatori dicere videntur, cur me fecisti sic? Nec ista, inquit, dicimus à nobis, quasi ex nobis; habemus namque patres nostros, Paulum doctorem gentium, de superflua capillatura differentem, item Petrum Apostolorum coriphæum, super quo Cyprianus, vt allegat August. prælibato loco, & lib. 4. doctrinæ Christianæ. Si quis pingendi artifex corporis alicuius qualitatem emulo colore signasset, & signato iam consummatoque simulachro manus alius adferret, & iam formata & picta, quasi peritior reformaret, grauis prioris artificis iniuria, & iusta indignatio videretur. O tu non metuis, ne cùm resurrectionis dies venerit, artifex tuus te non recognoscat? & ad sua præmia & promissa venientem remoueat, dicens: opus hoc meum non est, nec hæc imago nostra est, quoniam formam quam dederam tibi mendatio deformasti, Deum videre non poteris qnando oculi tibi non sunt, quos Deus fecit, sed quos diabolus infecit. Vnde beatus Basilius: Totam veræ virginis pulchritudinem ornare oportet vt neque naturali pulchritudine pompam ducere studeat, neque si hæc desit externum fucum admittat. Indecorum enim est virgini & ab integritate quam professa est alienum aut gloriando in formæ figuris à conditore ad generositatem contributis & pompam pulchritudine ducendo plures corporis amatores ad communem ruinam commouere studere, aut non facta boni odotis coniectatione excogitatum fucum videntibus in voluptatis condimentum procurare. Turpe est profecto vt quæ apparentem corporis deformitatem viaticum ad custodiam virginitatis accepit, hanc ipsam ad suiipsius insidias spurijs formis nequiter transformet. Sed sicut qui sub sole loquitur cum præceptore consequentis vmbræ & motus manuum ipsius & totius formæ figuras per imitationem exprimentis, nullam curam gerens penitus ad præceptoris colloquium intentus est; sic etiam virgo corporis simulachrorum an formosa aut deformia sint hæc & eorundem irrisorum nullam curam habens totam ad præceptorem suum ac sponsum suum conuersa est cum hoc per vitam in purissima luce tota intentione loquens. Quomodo autem quis se ab istis vitiorum incentiuis fucatisque

laruis

Serm. 247. de temp.

1. ad Cor. 11. Et 1. ad Tit. 3. 1. epist. cap. 3.

Ca. 21. ex li. de habitu virginum.

Insigniter refellit mentitam pulchritudinē.

Lib. de virgin.

laruis expedire possit, ex Chrysost. & Cyprian. omnibus dilucidum esse poterit. Vel etiã ex eo quod habet Tripart. hist. de sancto Pambo, qui cum eremi deserta relinquendo Alexandriam attigisset, iussu beati Athanasij Episcopi, vidissetq; mulierem theatralem, amarè fleuit. Cumque suscitarentur lachrymarum causam; Duæ, inquit, me res mouerũt: vna est illius perditio; Altera verò quod tanta sedulitatis industria, non adnitar placere Deo, quanta ista turpibus ac fallacibus seculi ornamentis conatur placere hominibus.

Homil. 21. super Gen et 31 super Matth.
Lib. 2. de habitu virginũ.
Lib. 8. cap. 1.

De ebrietate. CAPVT XI.

EBRIETAS bipartita vsurpatur acceptione, secũdum Thom. Priori pro ligamine rationis, quod ex vino immoderatius sumpto accidere consueuit, qua consideratione magis rationem obtinet pœnæ quàm culpæ. Altera accipitur pro inordinato potus appetitu, quomodo euertitur status mentis & obruitur dictamen rationis bifariam. Primò propter fortitudinem vini & potus, quam bibiturus ignorabat, sicque ebrietas contingere potest absque peccato, potissimùm si ex negligentia bibentis ignorantia non oriatur, quemadmodum videre est in Noë, qui citra crimen inebriatus est, teste Ambros. quin & mirabile præmõstrauit passionis Christi mysterium, secundum August. contra Faustum, & de peccatorum meritis & remiss. Alio modo ex inordinata concupiscentia & vini abusu, haud facilè tamen est cognoscere, quando excessu cibi aut potus sit mortale peccatum, aut veniale: Raro enim reficimur quin peccato veniali obnoxij efficimur, quia passim naturam paucis cõtentam offendimus, dum insatiabile delectationis abdomen præferentes iustam temperantiæ mensuram excedimus, & Gregor. sæpè in multis proficimus, quod totum gula ventris destruimus, vbi dat quinque modos gulæ inhibitos. Et cap. 14. prolixè, carnis curam perficiendam vetat. Quare non immeritò sanctus Iob gemere solebat, inquiẽs: Antequam comedam suspiro, & holocausta offerebat, &c. ne filij reciprocis conuiuijs Deum offenderent. Quando autem quis in commessationibus nimio potu se ingurgitat aduertẽter, adeò vt grauamine naturæ rationis vsu priuetur, peccatum committitur mortale; Non in commessationibus & ebrietatibus, quę ad Galat. 5. recẽsentur inter opera carnis quæ qui agant, regnũ Dei non consequentur. Si autem potus fiat secũdum medicorum placita ad vomitum prouocandum, nullo modo mortale est reputãdum, secundum Tho. Similiter abusus bibẽdi æquales haustus, est mortalis, quando quis vltra naturalẽ suæ conditionis exigentiam aduertenter potitat, vt impotens reddatur officijs perfe-

2. 2. q. 150. art. 4.
Ebrietas quãdo excusatur?
Genes 9.
Nuditas Noẽ, quid prætẽderet.
Lib. de Helia & ieiu. ca. 5.
Lib. 12. c. 23
Lib. 2. c 10.
Raro sine peccato reficimur.
Lib. 3. Moral. cap. 13.
Quinque modi gulæ
Cap 3.
Cap. 1.
Roman. 13.
Vbi supr. ar. 2
Aequales haustus.

quendis, videlicet ad articulatè loquendum, horas legendum, vel alia officia impendentia debitè perficienda. Si autē æqualibus haustibus grauati, compotes permaneant rationis, nec status mentis euertatur, quantumuis in multam noctem potitent, tum cogitare incumbit illud: Vę qui consurgitis mane ad ebrietatem sectandam, vę qui potentes estis ad bibendum vinum, &c. Gemina autem est ebrietatis species; Vna quæ titubantem corpori adfert gressum, vigoremque mentis supplantet ac perturbet. Altera quæ mentem euacuet gratia, magnisque incommodis afficiat. Quocirca prouidè admonet Paulus: Modico vino vtere propter stomachum & frequentes infirmitates. Modico, ait, ne potitoribus & comessatoribus viam strauisse videretur, teste Chrysost. & Ambros. Nam secundum Apuleium prima cratera ad sitim pertinet, 2. ad hilaritatem, 3. ad voluptatem, 4 ad insaniam. Propterea pueri secundum decretum Platonis, vsq; ad duodeuigesimum annum, vini vsum ignorabant, & fœminis Romanis olim vini vsus prorsus fuit interdictus, ne in aliquod dedecus mero æstuantes delaberētur, secundum Valeriū Maximum. Plato quoq; suadet gubernatoribus & moderatoribus terrarum, vt ebrietatem summopere fugiant, cui cōsentaneus est Plinius, vbi inducit Andronidē sapientia clarū, cohibētem & arguentem Alexandrum magnum intemperantiæ, sic admonētem; Vinum potaturus, rex, memento te bibere sanguinem terræ, sicut cicuta homini venenum est, ita & vinum. Quibus præceptis si obsecundasset, profectò amicos thesæo sibi pectore iunctos temulētus non interemisset, & apertius post ebrietatem pallor, genæ pendulæ, oculorum vlcera, tremulæ manus effundentes plena vasa, ac plene infundentes vt statim euomant, rursusq; hauriant, idq; iterū, tertiumq; tanquā ad perdenda vina geniti, & tanquam effundi illa nō possint nisi per humanū corpus, postera die ex ore halitus fœtidi & ferè rerum omnium obliuio, morsq; memorię, vt pulchris epithetis demōstrat beatissimus pater Ioannes Chrysost. de qua etiam magnus ille Basilius parænecticam habuit orationem. Ebrius, inquit, mortuus est animatus, dæmon volūtarius, morbus veniam non habens, ruina excusatione carens, commune nostri generis opprobrium, & D. Hieron. Vinum & adolescentia prima arma sunt dæmonū, & duplex incendium voluptatis. Quid oleum flammæ adijcimus? venter enim mero æstuās, facilè despumat in libidinē, cùm sine Cerere & Baccho, teste Ouidio, frigeat Venus. Præterea vno die abliguriunt multorum dietū sudores, quibus plusculis diebus honestissimę vitæ consuetudinem retinere possent, teste B. Ambros. Taceo incommoda quæ corporis incolumitati inferre cōsueuit luxus.

Esa. 5. — *1. ad Tim. 5.* — *Homil. 1. ad populū Antioc.* — *Lib. de Noë et arca cap. 29.* — *Prima cratera ad sitim.* — *Lib. 2. de legibus.* — *Lib. 2. cap. 1. §. 3.* — *Lib. 3. de Republica.* — *Lib. 14 natural. hist. ca. 5.* — *Doctrina Andronidis.* — *Cap. 22. eiusdem lib.* — *Incommoda ebrietatis.* — *Homil. 1. ad populum Antioch. & hom. de ebrietate.* — *Epist. ad Eustochium.* — *Prima arma dæmonum.* — *Lib. de Helia & ieiunio, ca. 12. & 13.*

Ibidem : adeò vt scitè quidam dixerit: Plures interficit ingluuies, quàm gladius, Imò & insaniam quandam adducit, *Cap.14.*
secundum beatum Augustinum: Nam filius cuiusdam probi *Serm.33. ad*
viri, nomine Cyrilli in ciuitate Hyponensi patrem trucida- *frat. in eremo.*
uit, propriam matrem iam impregnatam oppressit, sororem *Horrendum*
vnam violare voluit, duas reliquas diris vulnerũ plagis sau- *ebrietatis ex-*
ciauit. Qui ergo ebrietatem existimat exiguum esse pecca- *emplum.*
tum, si se non emendauerit (inquit August. perpulchrè) & pro *Serm.232. de*
ipsa gastrimargia pœnitentiam non egerit cum adulteris & *tempore.*
homicidis æterna sine remedio cum pœna manebit, secundum Paulum: Neque fornicarij, neq; idolis seruientes, neq; *Roman.1.*
adulteri, neque ebriosi, regnum Dei possidebunt, & subdit August. Et hæc quidem non solùm secularibus dicimus, sed etiam clericis, quia quod peius est, multi sunt etiam maioris ordinis clerici, qui cum alijs sobrietatis bonum deberent iugiter prædicando inculcare, non solùm hoc non faciunt, sed
etiam se aliosq; inebriare non erubescunt. Contra quos iam *Clerici non in-*
dudum clamauit canon Apostolorum, Episcopus, aut pres- *ebrientur.*
byter, aut diaconus, qui vel aleæ vel ebrietatibus indulget, *Cap.42.*
vel desinito, vel deponitor. & : Subdiaconus vel lector idem
præsumens, à communione seiungitor; & Concil. Cabilon.2. *Cap.43.*
necnon Trident. Decreto Reformationis & Carthaginen.3. *Cap.10.*
Clerici edendi vel bibendi causa tabernas non ingrediantur, *Sess.22.ca.1.*
nisi peregrinationis necessitate compulsi fuerint. Quod *Cap.27.*
omnibus & singulis concedat gratia & misericordia Do- *Clerici taber-*
mini nostri Iesu Christi, qui viuit & regnat per immorta- *nas non ingre-*
lia secula, Amen. *diantur.*

SEPTIMVM PRÆCEPTVM.

Non facies furtum.

Furti descriptio exponitur. CAPVT I.

FVRTVM est fraudulenta rei alienæ inuito domino contrectatio, lucrifaciendi gratia, vel ipsius rei, vel vsus eius, vel etiã possessionis eius, vt habetur digest. nouo. *De furtis, leg. Furtum.*
Quò autem huius descriptionis sensus euadat manifestior, necessum fuerit attendere primam voculam, qua dicitur esse fraudulenta; quia si quis sibi persuasum habeat rem suam esse, & proinde licere eam sibi vindicare, non incurrit crimen furti, quanquam inordinatè procedat. Rei alienæ meminit, quia furtum non habet locum in

rebus plenissimè proprijs: Dico plenissimè, quia si alius haberet ius in illis rebus, vt sodalis vel creditor, vel quispiam similis, etiam dominus rem illam furtiuè alicui tali surripiẽs, furtum committeret, quemadmodum habetur. ff nouo. Nec demum in magnis, veruetiã in paruis rebus furtum consistit, quando animus furãdi & inferẽdi proximo nocumentum non deest; quin & cogitationis consensu à recta iustitiæ semita exorbitamus teste B. Tho. Non enim potissimũ quod furto est sublatum, sed mens furantis consideratur, vti allegatur 14. q. 6. ex 2. capite commentariorum D. Hieron. super epist. D. Pauli ad Titum: Si quis verò rapiat acum, calamum, pomum, nucem, vel aliquid huiusmodi, præsumi posset hoc non esse cõtra Dei voluntatem, præsertim si probabiliter cognoscat, aut pręsumat Dominum consentire nec cõtradicere velle, si præsto conspiceret, esset tamen veniale peccatũ, quod sedula mẽtis compunctione confitetur humillimus August. quando puerili adhuc petulantia, immorigerus, poma se furarum manifestat. Si quis verò rem propriã, alteri tamen oppignoratam, occultè surripit inuito domino vsum habente, furtum committit, teste Thoma Caietano sanctæ Ecclesiæ Romanę Cardinale: Debet enim iuris ordinem seruare, quia res aliena est, quantum ad custodiam, licet non quoad dominium. Qui autem rem suam rehabere nequit, nisi furtim surripiat, remoto scãdali periculo, absq; peccato potest accipere, nec tunc ius sibi dicit, sed ius naturale exequitur, quod ciuili ei impediatur, nihilominus tenebitur postmodum efficere, vt is qui rem suam iniusto titulo detinebat, non adstringatur restitutioni faciẽdæ, ne ipse vel hæres eius altera restitutione damnum incurrant. Secundum ordinẽ naturalẽ dispositione ac diuina dispensatione institutum, res inferiores hominum vsui & necessitati ordinatæ sunt, & proinde propter rationem humani iuris nõ impeditur, quin hominibus extrema necessitate laborantibus sit succurrendum; quod si non fiat, naturali lege procedens, aliena surripit sine peccato, ne necessitate & inopia pereat, ob quod omnia sunt creata, teste Ambr. Esurientium panis est, inquit, quem detines, nudorum indumentum quod recludis, miserorum est redemptio, pecunia quam in terra fodis. Quo fit vt peccato non fiat obnoxius, qui furando rem alienam propriæ necessitati extremæ, nec aliàs commodior modus occurrit, subuenerit. Inuenta autem crumena aut vestis accipi possunt, cũ intentione reddendi, quod si certus dominus, debita inquisitione facta inueniatur, illi restituenda sunt, alioquin furtum cõmittitur, secundum Panormitanum. Si autem inueniri nequeat, recompẽsetur bonis spiritualibus, secundum Caietanum, ex quo in temporalibus

De furto, lege Si res.
2. 2. q. 66. ar. 5. & 6.
Cap. vltimo.
Parua furari.
Lib. 2. Confes. cap. 4. & 8.
D. Aug furtũ.
An aliquis sua furtim possit surripere ab aliȷs?
In extrema necessitate furari an liceat?
S. r. 81. & citatur dist. 47. cap. Sicut hi.
De rebus inuentis.
De furtis, cap. Ex literis.
In Summula.

libus reddi non poteſt,ita vt diſtribuatur pauperibus, vel inuentor ſuis vſibus,ſi inopia prematur cum licentia confeſſoris applicare poteſt. Theſaurus autē in proprio fundo repertus,cuius dominus ignoratur,cēſetur eſſe inuētoris,totus. Si verò caſu in alieno reperiatur,ſecundum B.Thom.medietas vna erit domini fundi, altera inuentoris; bona verò naufragantium inuenta,ſunt domino reſtituēda, niſi pro derelictis habeantur,alioquin retinētes,ſubduntur anathemati.Inuito domino annectitur, quia ſi veriſimili ratione, & probabili coniectura ſuum inducat in animum,dominū permiſſurum, & iuſta cauſa ſubſit hoc credendi, non tenetur aliquis reus furti,etiamſi dominus non erat permiſſurus; Si autem iuſta cauſa non ſubſit hoc credendi, tenetur reus, quemadmodum habetur.ff.nouo. Si verò facere credebat inuito domino, & tamen dominus conniuet, ratione intentionis furtum committitur,mortaliterque peccatur,reſtitutioni tamen minimè obnoxius tenetur. Contrectatio etiā adſit oportet,hac ſiquidem ſecluſa,quanquam interueniat deprauata voluntas,verbum vel ſcriptura,vt ſuperiori lege exiſtit declaratū,non habet propriè rationem furti,licet præceptum;non cōcupiſces, violetur. Animo lucrandi addēdum erat,quia ſi ancillam alicuius ſibi meretricem libidinis ardore rapuerit, non quidem furti crimen incurrit, grande tamen delictum non euadit. Demum ſubnectitur,gratia rei vel poſſeſſionis vel vſus,quia non ſolùm committit furtum,qui lucri facere rei furtiuę dominium intēdit,verùmetiam qui rei poſſeſſionem vel vſum, (vt habetur dicta leg. Qui ſacrum) iniuſto titulo inuadit. Ex his perſpicuum cuique eſſe poteſt, accipientem equum, bouem,aliámve rem, ad certum vſque locum accommodatam, ſi cum re illa tranſiliat præfixi loci terminos,hoc præceptum violare non conuincitur, niſi in caſu præſuppoſito inuito dominò. Nec rem proprio vſui cōceſſam, alij cōmodare fas eſt, abſq; furti nota,qui non eſt ſibi ad iſtum conceſſa vſum,quo videtur venari velle lucrū aut cōmodum. Species ſiquidem lucri eſt,ex alieno beneficio ſibi amicos conciliare,& debitores adſciſcere.Summa igitur erit,nos vetari,rebus alienis inhiare,ac proinde iuberi ſuis vnicuiq; conſeruandis bonis fidelem opem impendere. Sic enim cogitandum eſt vnicuiq; eueniſſe quod poſſidet,non fortuita ſorte,ſed ex diſtributione domini, non poſſe igitur præuerti malis artibus facultates cuiuſpiam, quin fraus diuinæ diſpenſationi fiat Plurima autem ſunt furtorum genera. Vnum eſt in violentia, cùm vi quacunque,aliena diripiuntur,vt ſolent vagabundi,otioſi, nullius frugi nebulones,inutile pondus terræ ruſticis eſſe infeſti, qui debent poſt carceris ergaſtula flagellati in exilium

2. 2. quæſt. 66. art. 5.

De Raptis, ca. Excōmunicationi.

De furtis, leg. Si is qui rem.

Leg. Inter omnes.

Lege Verùm.

Varia furtorū genera.

Rubr. 1. ar. 14 depottari, vti docetur lib. 1. Ordinationum Imperialium & ſtatutorum Regalium. Alterum in malitioſa impoſtuta, vbi fraudulenter intercipiuntur. Aliud in rectiori callidirate, vbi per ſpeciem iuris excutiuntur. Aliud in blanditijs, vbi ſub donationis prætextu emunguntur. Sed ne in generibus recenſendis nimium inſiſtamus, artes omnes quibus proximorum poſeſſiones, & pecunię ad nos deriuantur, vbi à ſinceritate dilectionis, ad fallendi, aut quouis modo nocendi cupiditatem obliquár, pto furtis nouerimus eſſe habendas. In forenſi certamine obtineant licet, à Deo tamen ſecus æſtimanrur, nempe videt longas captiones, quibus ſimplicioris hominis vafri animum incipiunt irretire, donce in ſuas tandem caſſes attrahant, vident duras inhumanasque leges, quibus potentiores tenuem vrgent ac præcipitant, videt illecebras, quibus tā quam hamis imprudentem aſtutiores ineſcant, quæ omnia latent humanum iudicium, nec in cognitionem veniunt. Neque hæc iniuria in pecunia modò, aut in mercibus aut agris locum habet, ſed in iure cuiuſque: Suo enim bono proximos fraudamus, ſi denegamus officia quibus erga eos obſtringimur. Si procurator aut villicus otioſus vorat domini ſubſtantiam, nec ad rei familiaris curam intentus eſt, ſi commiſſas ſibi facultates vel iniuria diſſipet, vel luxurioſe profundat, ſi ſeruus dominum ludibrio habet, ſi eius arcana diuulgat, ſi vllo modo tum vitam, tum bona eius prodit, ſi dominus rurſus familiam inaniter diuexat, furti apud Deum tenetur: Alienum enim & retinet & præuertit, qui non exequitur quod ex ſuæ vocationis munere alijs debet.

In quibus furtum conſtituendum?

De emptione & venditione.

CAPVT II.

HOMO proprię ſenſualitatis mortificationi intendens, ac diuino amori iugiter inhærens, ſi obtutibus mentis proponeret Dominicum præceptum. Non facies furtum. & illud: Omnia quæcunque vultis vt faciant vobis homines, & vos facite illis. item: Quod ab alio oderis fieri, vide ne tu aliquando alteri feceris; Si inquam iſta, ſedula mentis attentione, ſcripturarum diuinarum teſtimonio, homo conſideraret, difficulter in emptionibus & venditionibus à iuſtitiæ rigore deflecteret, nec illicito pretio proximum circumueniret. Præcipua namque ratio, quæ hic difficultatem parit, eſt pretium, quo res aliqua redimi aut diuendi poſſit, quando falſum eſt mercatorum axioma, quo ſuam palliare contendunt iniuſtitiam, quod tanti valeat res, quanti emptorem inueniat, ſed firmiſſimè regulę loco habendū eſt, quod ſeruanda ſit æqua-

Exod. 20. Matth. 7. Tob 4.

Axioma mercatorum eſt falſum.

sit æqualitas rei emptæ ad eius pretiũ, teste Amb. & D. Aug. qui probè demonstrat, quod emptio sit rei pro re traditio, lib. autem 13. de Trinit. commemorat quendam Mimum facætissima vrbanitate, promisisse in theatro se dicturũ, quicquid omnes animo concepissent, obtinereque concupiscerent, cùm ad constitutum diem ingenti expectatione populosa multitudo conflueret, suspensis & silentibus dixit, vili vultis emere & carè vendere. Quod sanè nisi vitio naturę fit; nam scio ipse hominem, inquit ibidem August. cui cùm venalis codex fuisset oblatus à venditore pretij ignaro, & proinde exiguum quid, fortè vnum solidum exigeret. Respondit mercator codicem empturus, O venditor, miserè esses deceptus, quia codex non minoris valet, quàm decem solidis, dabo tibi tamen nouem, vt ego mercator existens, aliquid lucrari valeam. Vt etiam certiores simus valoris rerum, qualique modo æqualitas pretij patere queat, notandum est, secũdum Augustinum, duplicem esse rei valorem; Quidam est naturalis quo viuentia animataque multis parasangis præstant inanimatis, pulices auro, scarabei argento. Alter est valor, vsualis & ciuilis, quo homo in communi rei familiaris cõsuetudine vtitur, sic panis præpollet muri, & pulici. De hoc valore in præsentia nobis sermo est instituendus, qui licet vsualis sit, infinitis tamen modis vicissitudinem incrementi & decrementi admittit, nimirum ob caristiam aut ementium raritatem, &c. Sicut quando venditor mercem habet tam raram, vt eius æstimatio haud facilè hominibus persuaderi possit. Secundo valorem rerum elicere valeamus, ratione expensarum rationabilium quas venditor facere cogitur, pro abducendis mercibus vnius regionis ad aliam, vel earum conseruatione; Tales expensæ aggrauant magnitudinem pretij, nisi res in se deteriorata sit vel in hominum æstimatione ob abundantiam mercium similium. Considerandi sunt quoque labores in aduehendis mercibus, eorumque cõseruatione adhibiti, Nemo enim gratis suis laboribus tenetur communitati præstare obsequium. Nequaquam tamen ex præmissis haberi valet æqualitas, inter valorem rei & pretij indiuisibiliter, teste Ioanne Scoto, quoniam valor rerum consistit in quadam latitudine. Vnde iustum pretium non consistit in puncto, ita quod venditor aliquantulum vltra exigens, diceretur iustitiæ limites in exactione pretij transilijsse, nam trifariam vsurpatur iustum rei emendæ pretium: Primum dicitur pium quod est pretium nundinarum tolerabile. Aliud est moderatum; Aliud rigorosum. Hinc fit vt res eadem, in eodem loco ac tempore, quasi vendatur decem, vndecim vel duodecim Philippeis, aut stuferis, ita quod intra huiusmodi latitudinem reputatur

b. 3. Offic. cap. 6.
Lib. de verbis Apost. homil. 24 et hom. 10 lib. 50. homil.
Emptio quid?
Cap. 3.
Vili emere, carè vendere omnes appetunt.
Duplex rei valor.
Lib. 11. de ciuit. Dei, c. 16.
Valor rerum vnde eliciendus?
In 4. dist. 15. quæst. 2.
Iustum rei emendæ pretiũ est triplex.

iustum pretium. Ex qua contingit vt eodem die prudens negotiator, multum lucretur pio, hoc est, vili pretio emendo & rigorosæ vendendo. Quibus conficimus, quod emens minoris iusto pretio, id est, pio pretio, quamuis tamen citra medietatem, etsi excuſetur à iure ciuili non tamen à iure diuino, quin iniustè agat, & addere quod minoris iusto pretio accepit obligatur, secundum Greg. Conformiter est dicendum de vendente merces suas vltra prætium rigorosum, quamuis tamen citra iusti pretij dimidietatem, quia ad restituendum obligatur quod vltra pretium rigorosum accepit. Exemplo quod dicitur dilucidum fiat: Modius tritici prompta pecunia diuenditur triginta stuferis & triginta vno, à quibusdam, ab alijs ad summum triginta duobus, quodlibet horum pretiorum iustum, hoc præsenti tempore reputatur, secundũ communem hominum æstimationem: Si iam modium tritici vęnundo triginta octo stuferis, vel pluribus, iniustitia est, cuius restitutio creditur procuranda; Haud dissimili modo, si emptor ab aliquo iustum pretium ignorante, comparet sibi tum temporis modium tritici viginti stuferis, restitutioni obnoxius tenetur, vsque ad pium pretium, potissimum, si res eiusdem valoris expensæque æquales fuerint. Nihilominus licitè carius vendere possum Ioanni pecuniam promptam non habenti, quàm Petro prompta pecunia ementi, modò non excedam latitudinem pretij, præcipuè ratione damni emergentis vel lucri cessantis, quod incurro, ob dilationem. Ex prælibatis nascitur scrupulus, An venditio fiat illicita ex aliquo defectu rei vendibilis? Et respondendum est quod triplici ratione possit fieri defectus. Primò in substantia rei, vt si quis vendat auricalcum pro auro, stannum pro argento, hic defectus condemnatur, Esaiæ cap. primo. Alius defectus est in quantitate quę per mensuram cognoscitur, & prohibetur, Leuit. 19. Ego Dominus Deus vester, inquit, nolite facere iniquum aliquid in iudicio, in regula, in pondere, in mensura, statera iusta, & æqua sint pondera, iustus modius, æquusque sextarius. Non habebis in sacculo diuersa pondera maius & minus, Nec erit in domo tua modius maior & minor, sic Micheæ 6. Nunquid iustificabo stateram impiam & probabo pondera dolosa? &c. Tertius defectus est in qualitate, vt si animal languidum ac infirmum veneat pro sano, equus piger pro veloci, domus ruinosa pro firma, res putrida & corrupta, pro bona, vel adulterina pecunia pro moneta legittima, nam lex ciuilis C. de falsa moneta, monetarios tales extremo supplicio pronunciat plectendos. Nec satis est, si vitium silendo, iustum diminuam pretium, quia emptor defectus ignatus posset aliũ deciperc, propterea vitiũ semper est propalandum, secundum

Lib. 9. Moral. cap. 17.

Exemplo quod dixit, manifestat.

Defectus in rebus venalibus.

Deuter. 25.

Falsa moneta. Leg Quoniã, & leg. Si quis nummos.

secundum Ambros. & Thom. alioquin venditor tenetur ad restitutionem,& par ratio est in emptore, si namque compater sibi ab aliquo inexperto aurum pro auricalco, rem magni ponderis pro parui ponderis, aut mensuræ, tenetur venditori damnum recompensare, vnde August. ponit emptorem qui emit codicem à quodam simplici, qui ignorantia valoris vili pretio voluit librum tradere, atqui emptor timoratus & iustus noluit nisi iusto pretio accipere, vt prælibatum est. Præterea venditio nō indifferenter in omni loco fieri debet, quia Christus eiecit vendentes & ementes de templo, propter irreuerentiam vtique quæ loco sacro rebus prophanis infertur; vnde Zacharias prophetat: Non erit mercatio vltra in domo Domini exercituum, in die illo. Possunt tamen candelæ venales exponi, non propter auaritiam, sed pro communi hominum vsu, ad diuinum cultum necessariæ. Secundò emere, vendere ac negotiari illicitum est in die festo, iuxta testimonium ipsius Esdræ: In diebus illis vidi, inquit, in Iuda calcantes torcularia in sabbato, portantes aceruos, & onerantes super asinos vinum, & vuas, & ficus, & omne onus, & inferentes in Hierusalem in die sabbati, & contestatus sum eos, vt in die qua vendere liceret venderent, &c. quæ huic proposito maximè congruunt, quæ computantur inter opera seruilia, vt habetur de ferijs. Propterea instituuntur nundinæ hebdomadales & annales quibus omnibus compatere licet, & sua venalia exponere, nec aliquid ex apportatis mercibus, ratione locorum exigi potest, quia grande commodum importatur, quando talibus regio mercibus impinguatur, Nec venientes ad nundinas generales causa debiti alteriúsve rei illi quibus sunt nundinæ possunt arrestare, hoc est, iuridica lege detinere, quemadmodum habetur C. de Nūdinis & mercatoribus. Ea tamen secundum Thom. non prohibentur in die festó emi & distrahi, quæ victui quotidiano necessaria cognoscuntur. Tertiò, sicut mercatura non omni loco & tempore licita est, ita nec omnibus passim hominibus: Nam de spiritualibus sic loquitur Paulus: Nemo militans Deo, implicet se negotijs secularibus. & Act. 6. Non est æquum nos derelinquere verbum Dei, & ministrare mensis. Ex quibus concludit D. Aug. quod clericus non debeat seculares exercere mercantias, cui adstipulatur, conc. Cabilonen. 2. Imò clericus nec per forum nisi officij sui necessitate maxima debet deambulare, vt docet concil. Colonien. tempore Iulij Papæ primi celebratum, & conc. Trident. vbi complura præscribūtur sacerdotibus summopere vitanda. Possunt tamen sacerdotes & clerici necessaria emere, & superflua vænundare, quia hoc non est negotiari. Adsit etiam modus mercatoribus oportet. Periuriū enim

Lib. 10. offic. cap. 10.
2. 2. q. 77.
Lib. 13. de Trini. cap. 1.
Iustus mercator.
Matth. 21.
Deferendū est loco in emptione.
Zachar. 14.
Deferendum tempori in emptione.
Lib. 2. ca. 13.
Cap. vnico.
Nundinæ.
Lege. Qui exercitiorum.
22. q. 1 2. art. 4 ad solutionem 4.
Quibus personis illicita mercatura?
2. ad Timo. 2.
Serm. 19 de verb. Dom.
Ca 12. & 14
Ca. 47. et 48
Sess. 14. in proemio Reformationis, & sess. 22. ca. 1. Reformationis.

ac mendaciũ procul abesse debent, quia hæc nunquam sunt sine peccato mortali, aut saltem veniali: Non tamen iugiter obligantur in emptionibus & venditionibus ad restitutionẽ, nisi annexam habeant de facto iniustitiam; Vnde si quis falso iuret, rem suam sibi tãti constitisse, vt se conseruet indemnem, vel vt amplius lucretur, & diuendat rem quanti valeat, peccat quidem mortaliter, quia scienter falsum iurat, tamen restitutioni non est obnoxius, quia alteri nullam fecit iniustitiam, non enim plus habet, quàm deberet habere. Exemplo res clarescat; Cùm quis rem suam valentem sex stuferis, iurat se in Hispania quinque emisse, quam tamen emit 4. stuferis, & iuramento confirmat, ne minoris quàm ipsa res valeat diuendere cogatur, peccati læthalis vinculo constringitur. Si autem simplici mendacio prædicta adstruere satagat, venialiter solum delinquit, quia non est perniciosum, nec notabile alterius adducit detrimentum & grauamen. Nihilominus licitè res pluris venit, quam comparata sit, maximè si in melius mutata sit, vel si pretium rei mutatum sit, vel diuersis temporibus & locis translata, sicut mercatores ex longinquis locis vili pretio comparantes, carissimo in patria distrahunt, propter labores, expensas ac pericula in rebus asportandis tolerata.

Mercator iurando quomodo peccet?

Exemplo demonstrat.

De Monopolio. CAPVT III.

VT à descriptione ordiamur, profuerit cognouisse Monopolam esse illum, qui propria authoritate, vel etiam authoritate rescripti imperialis impetrat, seu impetrare contendit, vt sibi soli liceat exercere negotiationem in aliqua ciuitate. Committitur autem emptione & corrasione omnium rerum vnius generis, vt postea carius ab vno duntaxat talis res diuendatur, & maxima exactionis iniustitia ab vno auaritiæ facibus accenso Respublica defraudetur. Eodem quoque vitio laborant, qui fœdus ineunt cum complicibus mercatoribus, ne remissiori pretio quàm fraudulento animo constituerint, merces distrahãt, latomi etiam & fabri, nautæ & aurigæ paciscuntur inter se, vt opus ab vno inceptum, alius non perficiat, sicque magnam vim pecuniarum pro arbitrio suo propter opus modicum iniustè extorquent, quæ omnia sunt illicita, & naturali ratione aduersantia, quia vergunt in detrimentum, & totius reipublicæ perniciem, cui præpostero ordine proprium commodum anteponunt: Si namque aliquod membrum particulare corporis naturalis, conaretur ob proprium solum commodum illud agere, quod in perniciem totius corporis aliquorũmve membrorum redundaret, aut inhiberet beneficium cæteris membris impendis

Fraus in artificibus mechanicis.

impendi; Illud, inquam, tanquam perniciosum membrum esset præscindendum: Par ratio est in corpore mystico, cuiusmodi est Respublica, cui monopolium admodum est perniciosum, quia si prælibatis exerceatur modis, singulæ ciuitatis personæ compellentur merces quibus indigent, ab vno illo particulari recipere, & pretium immoderatum iuxta desiderij eius beneplacitum, illi persoluere, dum tales nemo alius habeat venales, nec solùm est contra dictamen rationis naturalis, sed etiam contra ius positiuum & ciuile: Nam C. de monopolijs, condemnatur, monopola expoliationis omnium bonorum & in perpetuum relegatur exilium, & qui paciscuntur pretia inter se exigenda, quinquaginta librarum auri solutione percelli decernuntur, & lib. ordinationum imperialium ac placcatorum regalium, idem sub pœna confiscationis bonorum, & alia arbitraria cauetur, necnon officialis qui data opera, pecunia corruptus conniuet & dissimulat, præfata monopolia exercêtes, nec pœnis prælibatis coercet, quinquaginta librarum auri cōdemnatur. Nec excusantur huiusmodi mercatores ex concessione principum & dominorum vasallorum, quia nec ipsi domini excusantur à rapina, dum emptores coguntur emere tanto carius, quòd apud ipsos solùm non alios, res exponatur venalis, vnde ad restitutionem tenentur totius pretij excedentis, quanto valerent merces absque huiusmodi monopolio, non solùm mercatores, verùmetiam domini temporales hoc concedentes, & causæ huius iniustitiæ existentes. Ex his præmissis nemo rectè intulerit Ioseph patriarcham monopolium exercuisse, quia nullum detrimentum aut grauamen Reipublicæ intulit, sed quæ tempore maximę abundantię vili pretio collegerat, communique pretio congregârat, rursum tempore necessitatis eidem populo vendidit; Nec, inquam, fuit in detrimentum Reipublicæ, quia in congregatione frumenti, non carius tum vendebatur, sed dexteritate quadam vsus, imò spiritu Dei repletus, sine damno communitatis congregauit, quæ postea digno pretio omnibus necessitatem patientibus vbertim ministrauit, adeo vt si Ioseph illam frumenti abundantiam non reseruasset, copiosus hominum numerus inedia contabuisset, & ipsum frumentum tempore annonæ collectum, multò carius fuisset, secundum Ambros. venditum, si Ioseph illā congregationem tempore abundantiæ non fecisset. Quo factum fuit, vt communitati seruiret, non detrimentū adferret, quod & nunc liceret, scilicet simili intuitu, tempore abundantiæ congregare frumenta, ita quod talis collectio, nequaquam esset causa caristiæ; præsentis vel futuræ, & tamen postea subsidio solatioquę foret communitatis.

Similitudine probat monopolium esse malum.

Leg. Iubemus.

Rubrica 1.

Monopola tenentur restituere etiam domini illud permittentes.

Iosephus nō fecit monopoliū.

Gen. 41. & 47

Lib. 2. Offic. cap. 16.

De vsura. CAPVT IIII.

Duplex vsura
Salutaris vsura.

BIPARTITAM nosse profuerit vsuræ esse acceptionē; vna est salutaris, altera damnabilis: Priori, salutarem exercemus vsuram, quando charitatis obsequijs & misericordiæ opribus Deum nobis promereri studemus, quemadmodum legimus: Fœneratur Domino qui miseretur pauperis & vicissitudinem suam reddit ei, vti insinuatur, quando dicitur, Benedicti patris mei venite, esuriui enim, &c. Facite igitur amicos de mammona iniquitatis, quia dicitur, Beatus ille seruus, qui quinque talentis concreditis, sibi alia quinque superlucratus est. & : Ego veniens cum vsuris vtique exegissem illud. Quæ loca nulla ratione patrocinantur vsurariorum sententiæ, nam Metaphoricos vsura vsurpatur, pro superexecrescētia bonorum spiritualium quàm à nobis Deus exiget, quando operum fructus, ex inserta gratiæ radice requiret, quos agro nostri cordis insitos, vt bonus & fidelis agricola colere, & imbre cælestis adfluentiæ præuenire non cessauit.

Prouerb. 19.
Matth. 25.
Luc. 16.
Matth. 25.
Luc. 19.

Vsura damnabilis.
q 3. ca. Vsura.
Lib. de Tobia 14.
12. Moral. cap. 25.
Deuter. 23.
In quibus vsura?

Alia est vsura damnabilis, quæ describitur (ex concil Agatensi, & allegatur 14.) esse, quando amplius acquiritur quàm datur, Verbi gratia; Si solidos decem dederis, & amplius quæsieris in solutione; vel si dederis frumenti modium, & supra aliquid exegeris, vsuram commiseris, teste Ambros. vel munus à manu vel ore, &c. Greg. Plerique, inquit, refugientes præcepta legis, cùm dederint pecuniam negotiatoribus, non in pecunia vsuram exigunt, sed de mercibus eorum tanquam vsuram emolumenta percipiunt, ideo audiant quid lex dicat, neque vsuram escarum accipies, neque omnium rerum quas fœneraueris fratri tuo. Et esca vsura est, & vestis vsura est, & quodcunque sorti accedit, vsura est. Quod velis ei nomen imponas vsura est. Ex qua Ambros. sententia liquidò constat, quod illi qui ea intentione mutuo dant pauperibus, vt seruitium impendant agriculturæ, vindemiæ, maturæ messi, vsuram committant secundum Decretum. Nec solùm seruitium manuale, sed & linguæ officium, quod hac ratione vnus alteri pro beneficio adipiscendo suffragatur, & mutuo dat interdicitur, cap. Putant. Quod desumptum est ex D. Hieron. commentarijs super 18. cap. Ezechielis, & cap. Plerique, quod allegatur ex prælibato Ambro. loco. His est consentaneus D. Thom. & D. Thomas Caietanus sanctæ Romanæ ecclesiæ cardinalis: Rursus alia est praxis vsurariorum, qua obligant alieno ære grauatum, vt pacto inito, occasione pecuniæ mutuo acceptæ, conferat se ad officinam gratia emendorum necessariorum, ad furnum, ad apotecam, ad molam mutuo dantis, qui alioquin non esset mutuaturus, & propterea mera est vsura,

Ca. Consuluit.
14. quæst. 3.
22. quæ. 78. art. 2.
Quodlibetis de vsuris.
Praxis vsurariorum.

vſura, etiamſi non pluris ſua vendat quàm communis obtineat curſus, quia ſibi vtilitatem cotradit, ex eo quod pretio æſtimari poteſt, quemadmodum docetur cap. Si fœneraueris, ex Auguſt. deſumpto. Aliam quoque callidam auarorum vſurariorum vafritiem graphicè depingit D. Baſilius concione in Pſal. 14. Amicus, inquit, vbi videt virum præ neceſſitate ſe incuruantem, non miſeretur eius, non mollitur precibus, non lachrymis frangitur, iurans & obteſtans ſe pecunijs carere, ac ſeipſum quoque circumſpicere, an aliquē reperire poſſit, qui mutuas tradat, atq; ſic mendacium per iuramentum confirmans, malum inhumanitatis acceſſorium quæſtum, periurium acquirit, poſtquam verò is qui mutuum petit, vſurarum mentionem fecerit & pignora nominauerit, tunc dimiſſo ſupercilio arridet, & fortaſſis quoque paternæ amicitiæ mentionem facit, & familiarem appellat ac amicum, & videbimus, inquit, an aliqua nobis repoſita ſit pecunia. Eſt autem depoſitum viri amici, qui lucri gratia apud nos depoſuit; verùm ille quidem graues ex ipſo vſuras exigit, nos autem omnino remittemus aliquid, & pro mitioribus vſuris dabimus; talia fingens, & talibus verbis blandiens, ac ineſcās miſerum, vbi libellis ipſis alligauit, & ſupra vrgentem paupertatem, etiam libertatem viri detraxit, abit; His alijsque modis ſimilibus auari lucrum ex mutuo principaliter intendunt. Mutuum ſiquidem eſt res, ex ſuo vſu pœnitus conſumptibilis, cuius proprietatem quis in alium transfert, recepturus deinde aliam rem non numero, ſed ſpecie eandem aut valore. Pro cuius deſcriptionis declaratione notandū eſt, quod Mutuum primò dicitur res, qua etiam pecunia, tanquam rerum pretium, comprehenditur. Anneĉtitur (ex vſu ſuo penitus conſumptibilis) quia in his quæ ſuo vſu non penitus conſumuntur, non conſiſtit propriè mutuum, quod vt pleniori capiamus intellectu, nōn ignorandum eſt quaſdam eſſe res, quarum vſus petit cum ipſa re, vt triticum comeſtionis vſu conſumitur, vinum cùm bibitur; In his non debet vſus ſeorſùm ab ipſa re computari: Nā cui conceditur vſus, etiam ipſa res concedatur, oportet, alioquin bis rem vnam diuendi probatu haud eſt difficile. Si enim mutuò alicui trado viginti Philippeos exigens viginti duos, pecuniam bis vendo, ſemel pro ipſa ſumma viginti Philippeorum, qui ſunt æquales pretio; Secundo eam vendo duobus Philippeis excreſcentibus, vel dici poteſt quod diuendo pecuniam 20. Philippeorū pro 20. Philippeis, & eius vſum pro duobus Philippeis, patet iam quod vendatur illud, quod nihil eſt, nam pecunia vltra vſum, nihil valet, inquantum pecunia eſt. Alia ſunt quorum vſus nō eſt conſumptio, nec dominium transfertur in vtentē (vt prius)

14. quaſt. 3.
Super Pſa. 36
Vafrities vſurariorum.
Mutuū quid.
Mutuum conſiſtit in rebus.

prius) Sic domus quæ elocatur, & animalia, quæ laboribus exponũtur, pro vsu earum similiumq; rerum, licitè pretium suscipitur, quia vsus datur rei, sed res nõ alienatur, quarè licitè aliquid vltra sortem, hoc est, principalem rem, ratione vsus, accipi potest, quod non contingit in alijs rebus: Non enim licet seorsum vendere vinum & eius vsum, quoniã eadem res bis venderetur, ac sic vsura committeretur. Consistit autem mutuum in rebus triplicis generis; Primò in pecunia: vnde pecuniæ valor æstimatur per excessum solius numeri, nam omnes stuferi sunt æquales, licet duo prævaleãt vni. Deinde in his quę consistunt in pondere, vt aurũ & argentũ, non monetis distinctũ. Tertiò in mẽsuræ capacitate, vt vinũ, oleum, frumentum, sicq; de reliquis, quæ vsu cõsumuntur. Additur quoq; in descriptione mutui (cuius proprietatem, &c.) quia in mutuo transfertur dominium, à dante in accipientem, & res relinquitur periculo accipiẽtis, etiamsi casu fortuito penitus periret. Dicitur (recepturus deinde) id est postea: Si enim quis protinus loco rei mutuatæ accipiat aliam rem, vel eius pretiũ, iam nõ erit mutuum, sed permutatio, vẽditio, aut cõtractus, dicitur quoq; (accepturus aliam rem) si enim esset rei pretium accepturus, non esset mutuum, sed venditio, nisi ipsum pretium rei mutuaretur, vel intelligeretur mutuari, vt si diceretur; Trado tibi hunc equum triginta Philippeis, quos mutuo concedo vsq; ad certum tempus. Subnectitur (aliam rem numero) quia si mutuans, eandem rem numero reciperet, non esset mutuum, sed commodatum vel pignus. Vltimò subditur (Eandem specie, &c.) quia mutuum fit dupliciter; vno modo expreßè, & tunc regulariter redditur eadem res specie: Alio modo virtualiter tacitè vel implicitè, & tunc recipitur valor rei; vt, do tibi frumentum decem Philippeorum, volens recipere oleũ quindecim Philippeorũ, quamuis enim expreßè frumentũ veniat, tamẽ implicitè pretium eius mutuatur in tempus redditionis olei, & quia vltra valorẽ pretij recipio, vsuræ notam non euado. Pro cuius rei maiore dilucidatione considerandũ est, triplicem esse vsurã; Prima dicitur explicita, quæ contingit quãdo manifestè ex ipso mutuo lucrum exigitur, exẽplo quod dicitur perspicuum fiat, mutuo concedo decẽ solidos, vt mihi refetãtur duodecim. Altera est implicita vel tacita, quæ fit in venditione, quãdo diuendo aliquid decem solidis, tanquã iusto pretio, sed ratione dilationis solutionis postulo duodecim. Quanquam hic expreßè non fit mutuatio, sed venditio, tamen virtualiter includitur ibi quædam mutuatio, vnde propter dilationem solius temporis augmẽtatur pretium, quod nihil aliud est, quàm dicere; Ecce mutuo tibi pretium huius rei, quam tibi vendidi decem solidis,

Triplex vsura expressa & explicita.

Implicita vsura.

Ratione dilationis solutionis carius vẽdere vsura est.

dis, & requiro vt tempore solutionis des pro decem tanto tempore dilatis duodecim; ecce nunc appatet anguis in herba, & expressa ex mutuo vsura: Et quia talis mutuatio, in illo emptionis contractu includitur, ideo dicitur ibi esse vsura implicita vel interpretatiua, secũdum Caietanum. Ille tamen qui dat decem solidos, vt alio tempore, totidẽ sibi grani, vini vel olei mensuræ reddantur, quæ licet tunc plus valeant, verũ plus vel minus solutionis tempore sint valituræ, verisimiliter dubitatur, non debet ex hac vsurarius reputari, vti habetur de vsuris, vbi & subnectitur. Ratione huius dubij etiam excusatur, qui pannos, vinum, granum, oleum, vel alias merces, vendit, vt amplius quàm tunc valeant, in certo termino recipiat, pro eisdem, si tamen eo tempore contractus non erat venditurus: Si namque certò constaret, quod tempore solutionis plus valerent, vsura committeretur, quemadmodum docetur eo loci, cap. In ciuitate, vbi sic habetur: Cùm quidam piper, cinamomum & alias merces comparant, quæ tunc vltra quinque libras non valent, & promittunt se illis à quibus illas merces recipiunt, sex libras statuto termino soluturos, nõ decepti in iusto pretio, sed data opera pluris ementes, propter solutionis dilationem. Respondet Alexander tertius, Archiepiscopo Genuensi super præmissa quæstione, licet contractus huiusmodi ex tali forma non possit censeri vsurarius, tamen nihilominus vẽditores peccatum incurrunt, nisi dubium sic merces illas plus minúsve solutionis tempore valituras. Ideoque ciues tui (inquit) saluti suæ benè consulerent, si à tali contractu cessarent, cùm cogitationes hominum omnipotenti Deo nequeant occultari, vt habet concil. Lateranen. 2. Tertiò mentalis est vsura, quæ expressum quidem non habet pactum, sed nihilominus interiori mentis expectatione, sperat, & intendit ex mutuo lucrum se accepturum. Potest autem lucrum nasci bipartita consideratione. Priori, non ratione mutui, sed beneuolentiæ & gratitudinis ergò cui mutuatur, si enim vltra sortem aliquid accipiatur, non est vsura, quia sicut ab aliquo prorsus extraneo, licet expectare munus aliquod ex mera liberalitate dandum, sic etiam licitum est munus accipere ab illo, cui mutuo datur, dummodo nullus habeatur respectus ad rationem mutui. Posteriori datur aliquid vltra sortem respectu mutui, quod multis scripturarum authoritatibus in D. Basil. præfato loco adstruitur illicitum. Nam regius vates eos in tabernaculis iustorum habitaturos pronunciat, qui pecuniam suam non darent ad vsuram, & si pecuniam mutuã dederis populo meo pauperi, qui habitat tecum, non vrgebis eum quasi exactor, nec vsuris opprimes, & alibi: Si frater tuus vixerit tecum, non

Super 2.2. D. Thom. q. 78. art. 2.

Cap. Nauiganti.

Tit. de Vsuris, cap. 2.

Vsura mẽtalis

Liberè oblatũ recipere nõ est prohibitum.

Exod. 22.

Leuit. 25.

nõ vrgebis eum,nec recipies vſuras ab eo,nec amplius quàm dediſti, pecuniam tuam non dabis ei ad vſuram, & frugum
Deuter.23. ſuperabundantiam non exiges. Item: Non fœnerabis fratri
2 Eſdræ 5. tuo, &c. Ne ſinguli vſuras à fratribus veſtris exigatis. Item:
Ezech.18. non morietur & vita viuet quî vſuram & ſuperabundantiam
Lucæ 6. non acceperit; Et in nouo inſtrumento, Date mutuo nihil in-
Obiectiones vnde petendæ? de ſperantes. His tamẽ maleuoli refragantur aliquot ſcriptu- rarum locis male intellectis ſeducti, teſte Ambroſ. quorum
Lib de Tobia c.17. & 18. ſolutionem expetere ex ipſo nulli debebit eſſe moleſtũ. Rur- ſum iniquitatem cordis palliare auari contendunt vſurarij,
Obiectio alia. dicentes: Omne peccatum eſſe contra legem aliquam, ſed vſura non eſt contra aliquam legem, nec diuinam nec huma- nam, ergo nõ eſt peccatum, probatur Minor, quia lege diuina
Deuter.15. dicitur, Fœnerabis gentibus multis. Et: Non fœnerabis fratri
Deuter.23. tuo ſed alieno. Verùm enimuerò expendendum eſt Iudæos
Reſponſio. perperam intellexiſſe alienum quemque eſſe proximũ, quia ſignat alienigenam, cuius regiones dominus eis conceſſerat, ſic terram Chananæorum & Philiſtinorum tradiderat, ex quibus licitè vſuras recipiebant, non tanquam vſuras, ſed iu-
Lib.de Tobia, cap.17. ris ſui vſurpationes, teſte Ambroſ. & allegatur cap. Ab illo. Vel per alienum, intellige quemlibet extraneum de genere
14.quæſt.4. Iudæorum non exortum, tuncque videbitur permiſſio, mi-
Alia eiuſdem reſponſio. noris mali, ſicut datus fuit libellus repudij ad vitandum ma- ius malum, minus enim malũ erat vxorem profligare quàm interficere, ſic vſura erga alienigenas, ne maiori crudelitate
Homil.35. in Matth. graſſarentur in ſuos permiſſa fuit, ſecundum Chryſoſt. & ci- tatur cap. Hac ratione. Probatur altera pars Minoris, quod
31.quæſt.1. vſura non ſit contra legem humanam, quia Cod.de vſuris, ſic
Lege Pro auro, & lege Eos. habetur: Pro auro, argento, & veſte facto chirographo, licitè perſolui & permitti vſuras iuſſimus; Et digeſto veteri, de vſu-
Lege Cùm de, & lege Etiam ex modo. ris & fructibus, idem conficitur, ergo vſura licita eſt, nec pec- catum ſecum inuoluit. Sed ſciendum eſt quod leges ciuiles dantur pro maiori parte malis & imperfectis, lex enim iuſto
Altera minoris pars ſoluitur. non eſt poſita, ſed iniuſtis, quatenus efficiant pacificũ ciuium conuictum, ita vt ſolùm prohibeant expreſsè vitanda ea, quæ ſunt temporalis quietis perturbatiua; Sic pœnis coercent, fur- ta & homicidia, &c. alia diſſimulant non vt licita permitten- tes, ſed vt non alia flagitia punientes, ſicut meretrices admit- tuntur, maioris mali vitandi gratia; & licet Ius ciuile conni-
Cap. Quoniã, & c.Cum in. ueat, non tamen quod præponderat Canonicum, vti habetur de vſuris, & apud Ambr. lib.de Tobia, vſuram omnibus pro-
Cap.2. & 3. ſcriptionibus & pœnis dignam reperimus, & ſtrictiſſimis ca- nonibus inhibitam tam ſecularibus quàm clericis ſecundum canonem 44. concil. Apoſtolorum & concil. Nicæni ſub Sil-
Cap.5. ueſtro celebrati cap. 18. & concil. Cabilo. 2. & Lateranen.2.

ſub Ale-

ſub Alexandro 3. Nec ſolum præmiſſis ſcripturarum teſtimonijs, & venerabilium canonum decretis adſtringuntur peccato mortifero, verumetiam vſurarij manifeſti ſacris altaribus communicare non poſſunt, nec oblationes eorũ ſunt accipiendæ, nec Chriſtianam debent obtinere ſepulturam, vt habetur expreſſis verbis de vſuris, publicè menſam ad vſuram tenentes, quanquam admittuntur, non tamen poſſunt tempore diuini officij ingredi, ſub pœna priuilegiorum illis conceſſorum, & alia arbitraria. His quoque ſubiacent pœnis, qui illis lucrandi gratia participant, quia excommunicati exiſtunt, vt etiam docetur canone Præterea, Niſi reſtituant illi, cui pecuniam vſurariam extorſerũt aut hæredibus eius. Qui ſi non ſint ſuperſtites, aut nequeant ita reperiri, pauperibus iniuſta pecunia, vel res eſt diſtribuenda, cap. Cùm tu. Quod ſi non habeant vt reſtituere valeant, ſua diſtrahant, ibidem. Quod ſi ipſi vſurarij malint æternaliter perire, quàm ſalutari pœnitentia redire, filij & hæredes eorum, ſecũdùm cap. Tua nos, de vſuris, tenentur reſtituere, nec per ſummum pontificem, nec per aliquem mortalium diſpenſari poteſt, vt vſurarij non incurrant peccatum, & impunè ſuam tyrannidem in pauperes exerceant. Vnde concil. Lateranen. non admittitur diſpenſatio, vt accipiantur vſuræ. Accedere tamen vſurarium neceſſitate compellente, petereque pecuniam ad vſuram ab eo qui paratus eſt dare, peccatum non eſt, mallet ſiquidem mutuum abſque vſura obtinere, ſed quia nequit ſic habere, conſentit & vult pati hoc malum vſuræ, ne maius malum incurrat, nec conſentit in vſuram, ſed in mutuum. Secus eſſet ſi induceret minus paratum ad vſuram, quia talis crimen læthiferum non euaderet. Non enim ſolùm delinquunt qui actu faciunt, ſed etiam qui conſentiunt facientibus. Vxor quoque & filij ac tota familia non poſſunt viuere rebus vſuratij, niſi ſint aliqua bona patrimonialia, & iuſtè acquiſita, aut in extremæ neceſſitatis articulo conſtituti, vel niſi fideliter negotia creditorum agant, inducendo vſurarium ad reſtitutionẽ, ſecundum D Thomam, & huic conformis eſt Caietanus ibidem. Sic mendicantes non debent eleemoſynas maximè notabiles ab vſuratijs accipere, niſi in extrema neceſſitate, vel niſi alia bona iuſto titulo poſſideant, vel etiam niſi concionibus exomologeſibus publicè & priuatim eos inducant ad reſtitutionem, tum namque poſſunt percipere, cùm eorum negotium ſedulò ſubeant, quibus reſtitutio eſt facienda, vt habetur de ſententia excommunicationis, cap. Cùm voluntate. Pignus tamen propter ſecuritatem, ratione mutui ſine vſura accipere licet, videlicet veſtem, equum, ciphum argentũ, &c. ex quibus aliquam vtilitatem per vſum ipſorum acquirere

Titulo de vſuris ca. 1. & reliquis.
Pœna vſurariorum.
Ca. Quoniam & ca. Quia in omnibus, & li. 3. Rubrica 1. i fol. 785. Ordinationũ Imperialiũ ac ſtatuũ Regalium.
Publici vſurarij nequeũt ingredi templa quando?
Ca. Conſuluit, ibidẽ, & cap. Quia fruſtra.
Reſtitutio vt facienda?
De vſuris, ca. Super eo:
Titul. de vſuris, cap. 1.
Accedere in neceſſitate vſurariũ nõ eſt illicitum.
Roman. 1.
22. quæſt. 78. art. 3.
Quomodo liceat eleemoſynas ab vſurario accipere?
Pignus accipere non eſt illicitum.

nephas est, quemadmodum docetur Amos 2. Qui accubuerunt, inquit, super vestimentis pignoratis, & quo magis frequenti vsu deteruntur pignora, eo possidentem restitutioni efficiunt obligatiorem, vt habetur Digesto no. vbi sic legitur: Creditor furtum committit, si vtatur pignore propter solam securitatem concesso, & conc. Lateranen. 2. sub Alexand. tertio sorte recepta, pignus est restituendum.

Tit. de furtis. leg. Si in pignore.
Titul. de vsuris, cap. 8.

De Cambijs. CAPVT V.

POSTQVAM succincta methodo perstrinximus ea quę concernunt vsuram, in præsentia consideranda est ars cambiendi, quæ consistit in commutatione numismatũ siue pecuniarum adinuicem. Potest quidem Cambij nomenclatura ad quascunque rerum cõmutationes transferri, quas appellare nostro idiomate consueuimus, *Manghelinghe*, tamen hoc loci vsurpare incumbit, pro exercitio eorum, quos Campsores, hoc est, *vrisselaers*, vocitare solemus. Quorum triplices potissimum reperiuntur species; Prima dicitur tantùm realis, quæ fit cùm Ioanni habenti aurum campsor dat argentum, aut è diuerso, vel habenti monetam vnius generis nempe Philippeos, dantur pecuniæ alterius, puta Daleri aut Ducati, accipiẽte nihilominus campsore certum laboris sui pretium. Quæritur ergo an licitum sit, pro isto cambiendi actu aliquid recipere vltra sortem? Respondendum est quod hic potest esse venditio pecuniæ, & tunc potest campsor plus exigere quàm legalis eius valor efficiat. Secundò potest hic esse purum Cambiũ, & ita licet accipere campsori vltra sortem aliquod lucrum ratione laboris, & curæ in acquirendis aut numerandis omnis generis monetis, vel etiam ratione iacturæ & damni, quod propter fures aliaque discrimina sustinet, vel interdum quoque pretio diminuuntur monetæ; Nemo siquidem tenetur proprio dispendio communitati præstare obsequium. Sed quid de his qui non exercent artem campsoriam, sed emergẽte casu aliquando petitioni proximi acquiescunt, tradendo aurũ pro argento vel contra? Loquendo de pecunia, dicendum quod si diuendat, licitè aliquid lucratur, considerando rationes quibus pecunia pluris diuenditur quàm valore legali circumferatur. Si solum cambiũ exerceatur est distinguendum, quia si nullum patiatur damnum aut periculum notabile, nihil lucrari potest, si verò notabilẽ patiatur iacturam vel rei vel tẽporis, &c. licitum est lucrum arbitrio prudentis viri assignandum. Secunda species Cambiorum fit per literas, sed bifariam; Priori modo sic; Ioannes Antuerpianus parat iter Venetias, præbet ergo Ioannes Cãpsori Antuerpiæ 100. Ducatos, & Cãpsor porrigit Ioanni pecuniam

Triplices species Cãpsorum.

2. species bifariam. Priori.

pecuniam in mensa deponenti scedulam, qua nummularius & Ioannes conueniunt in summa sibi Venetijs reddēda, puta octuagintaquatuor ducatis, reliquos sedecim, suis laboribus nummularius lucratur. Altero modo sic contingit, Ioannes habet Antuerpiæ certam summam pecuniæ, quæ pluris valet Venetijs, quocirca vt amplius lucretur, eam Venetias trāsferre satagit; Dat igitur nummulario Antuerpiano, à quo Ioannes scedulā recipit quæ ei Venetijs tradantur, nihilominus aliquid contribuit campsori pro labore. Contingit & tertio modo; Nam Ioannes habet Antuerpiæ etiam pecuniæ summam, quæ si existeret Venetijs, minoris valeret, & quia vult eam Venetias trāsferre, tradit præfato campsori recepta scædula, qua certificatus eam requirit Venetijs, impartiendo tamen aliquid lucri ipsi nummulario pro labore. Quæritur ergo an licitum sit campsori ex isto cambio per scedulas & literas aliquid lucrari, & dicēdum quod distinctā singuli casus requirant solutionem: Nam de primo, intelligi potest quod Ioannes Antuerpiæ existens, emat ibidē octuaginta quatuor ducatos Venetijs inueniendos, dando pro eis Antuerpiæ, vbi fit contractus, centum ducatos, & istud est illicitum, quia iniustitia fit Ioanni, qui plus deberet Venetijs recipere, quàm dedit Antuerpię, quia pecunia existens Venetijs minus valet Antuerpiæ, quàm Venetijs, vbi est, si igitur Antuerpiæ fiat emptio pecuniæ Venetijs existētis, minus deberet dare emptor quàm sit recepturus Venetijs, nam quāuis Ioanni volēti proficisci Venetias, pluris valeat pecunia existens Venetijs propter pericula latronū quàm Antuerpiæ, hoc tamen commodū Ioannis non potest venditor attendere; Quando namque pecunia in distanti loco venditur, tum campsor nihil pro labore transferendi recipere potest, quia absolutè vendit pecuniam in remotis existentem, quam emptor suis sudoribus & laboribus ibi debet acquirere. Si autem contractus intelligatur, quod Ioānes dat Campsori Antuerpiæ centum Ducatos, vt eos suis expensis & periculis campsor transferat Venetias, & dat sedecim pro labore, quem ipse deportando habere noluit, vti iam communis praxis obtinet, licitè recipit aliquid Campsor pro expensis & laboribus suis. Pro tertio casu dicendum, quod pecunia quæ pluris valet Antuerpiæ quam Venetijs, Campsor Antuerpiensis eam transferens, licite recipit aliquid ratione laborum. Si autē Ioannes emat à Campsore Antuerpiensi 100. Philippeos Venetijs existentes, qui tamē minus ibi valent quā Antuerpiæ, oportet fieri æstimationem iusti pretij, nam Philippei existentes Venetijs minus valent, ratione distantiæ, & ratione etiam legalis æstimationis, quia legalis valor Philippeorū minor est Venetijs quam

Altero modo.

3. Species.

3. genus Cambiorum. Antuerpiæ. Tertium genus Cambiorum dicitur fictū, quod fere continet iniustitiam, & licet infiniti sint practicorum & callidorum mercatorum strophi, tres tamen hic adduxisse suffecerit. Primus est, Ioannes recipit Antuerpiæ circa Pentecosten à campsore centum Philippeos, qui singuli valent viginti quinque stuferis, ea cōditione, vt circa festum Bauonis restituat campsori Antuerpiæ, tantum precij, quantum valent centum Philippei in festo Assumptionis Francfordiæ, qui tamen aliquando Francfordię minus, aliquando etiam & regulariter plus valeant & ex contractu, Campsor lucrum expectat ex probabili monetæ Philippeorum incremento, Secundus modus est Ioanne existente Antuerpiæ, & 125. Florenis renensibus indigente, qui valent centum Philippeis dat Campsor non quidem centum Philippeos in ipsa moneta, sed valorem eorum Antuerpiensem, vbi valet quilibet 28. stuferis, eo pacto quod Francfordiæ in nundinis illis reddet ei Ioannes centum Philippeos propriæ monetæ, vbi regulariter tringinta stuferis Brabantiæ valent, itaque Campsor sperat lucrari duos stuferos super quolibet Philippeo. Tertius modus est, Ioanni existenti Antuerpiæ, dat Campsor centum viginti quinque renenses ea conditione quod reddet ei Francfordiæ in nundinis centum Philippeos, quam summam credo plus valituram quàm summam datam Antuerpiæ. Super his omnibus contractibus dicendū est, quod ex parte Campsoris non possit esse locatio operarum in transferendo, quia nihil suscipit transferendum, sed potius transuehit Ioannes, qui primo recipit & reddit alibi, hac igitur ratione Campsor nihil lucrari potest, secundum Caietanum nec potest ibi esse permutatio, sed mutuum aut venditio, & quia in istis contractibus semper est lucrum aut spes lucri, nunquam licite fiunt per modum mutui, quia lucrum speratum ex mutuo directe constituit vsuram. Quando autem in istis contractibus est emptio aut venditio, tunc debet seruari æqualitas iusti pretij secundum considerationem distantiæ locorum & alias rationes, secundum quas pecunia vendi potest. Istis intellectis firma statuatur regula: Quandocunque arbitrio proborum virorum pars capiens cambium non grauatur, & distantia loci vel dilatio temporis nihil lucri adfert, nunquam est ibi peccatum: Si verò capiens cambium grauetur, vel si dilatio temporis lucrum accumulet, semper est ibi iniustitia & vsura constituenda.

In Quodlibetis de Cambijs.

Epiphonema capitis.

De Vectigalibus. CAPVT VI.

Census quid?

TRIA sunt genera sub quibus comprehenditur quicquid regibus penditur, scilicet Census, qui soluitur in signum

signum subiectionis secundum numerum personarum quæ recensentur, iuxta illud. Exijt edictum à Cæsare Augusto vt describeretur vniuersus orbis; Fiebat autem huiusmodi descriptio siue recensio, vt quisque ex Cæsareo mandato se declararet quàm esset potens in possessionibus & facultatibus, idque proprijs datis & conscriptis nominibus, vtque singuli testarentur & agnoscerent Romano se subiectos imperio, dato in hoc denario numismate census, aut certo aliquo tributo. Huius similis videtur esse census fermè, cuius meminit scriptura & Iulius Cæsar. Nec præualent quique sine discrimine hunc imponere censum, sed illi duntaxat qui dignitate in regno aliquo præpollent, vti habetur in institutionibus de vsu fructuum. Secūdum est Tributum, quod soluitur ex bonis ciuium, propter reipublicæ administrationē quam princeps armis tueri debet, moribus ornare, & in pace ac tranquillitate custodire. Atque debet exigi pro ratione substātiæ ciuis cuiusque, exceptis qui priuilegio eximuntur, quemadmodū legimus Christum intulisse, ergo liberi sunt filij. Ipse autem Christus erat secundum naturam diuinam filius Dei, & per consequens nulli subiectus: secundum autem naturam humanam erat filius Dauidis, & proinde libera tributo, propter scandalum tamen vitandum maluit sibi in hac parte detrahi, quàm alijs offendiculum poni, teste Gregor. Tertium sicut Tributum à tribuendo, vel potius à contribuendo dicitur, ita Vectigal à vehendo nuncupatur, penditurque ex mercibus quæ vehuntur de loco ad locum in legittimum reipublicæ & principum vsum, cui vectigal, vectigal. Quod in sustinenda quidem potissimum publica muneris sui onera conferunt, qui tamen similiter vti possint ad splēdorem suum domesticum, qui cum imperij quod gerunt dignitate quodammodo coniunctus est. Qualiter Dauidem, Ezechiam, Iosiam, Iosaphat, aliosque sanctos reges, Ioseph etiam ac Danielē videmus, pro personæ quam sustinebant modo, inoffensa pietate fuisse ex publica bona sumptuosius reposita. Necnō amplissimū agri spatiū regibus attributū legimus in scriptura, Vbi tametsi Christi spirituale regnū depingatur, à legittimo tamē hominū regno, simulachri exemplar petit. Sicq; quidem, vt vicissim meminerint principes ipsi, fiscos suos non tam priuatas esse arcas, quàm totius populi æraria, sic namque Paulus testatur. Quę prodigere aut dilapidare sine manifesta iniuria non possunt, vel potius ipsum pœnè populi esse sanguinem, cui non parcere, durissima sit inhumanitas. suas autem indictiones, aliaque tributorum genera non nisi publicæ necessitatis subsidia esse reputent, quibus miseram plebem absque causa fatigare tyrannica sit rapacitas. Quę tyrannis maximè

Luc. 2.

Matt. 22. Luce quinto in Actibus Apostolorum, Eusebius li. 1. eccl. hist. ca. 2. Ioseph. lib. 18. Antiquitatum Iudaicarum cap. 1.

2. Reg. 24.

Li. 1. ca. 15 de bello Gallico.

§. fine testamento.

Tributum.

Matth. 17.

Hom 7. in Ezech.

Vectigal.

Rom. 13.

Ezech. 45.

Rom. 13.

committitur, quando à non habentibus potestatem imponitur, secūdum Caietanum. Hoc modo Chlotharius rex Francorum tertiam fructuum ecclesiæ partem fisco relinquēdam cēsuit. Huius improbitati, licet omnes episcopi inuiti acquieuerint; Iniuriosus tamen episcopus calculum suum addere recusauit, inquiens, teste Greg. Turonen. Si volueris res Dei tollere, Dominus regnum tuum velociter auferet, siquidem iniquum est vt pauperes quos tuo debes alere horreo, ab eorū stipe horrea tua impleantur. His consonant quæ habentur apud eundē lib.) Sic multorū eheu malorum creditur occasio fuisse importuna decimi denarij (hoc anno 1572.) exactio. Iniusta sunt quoq; vectigalia, quādo plus grauāt minus grauandos, nec seruatur proportionis æqualitas vel exigūtur pro his, quæ ad vsum propriū vehuntur, ideo talia sunt iniqua, & pœna capitis plectendi decernuntur, Cod. de Vectigali. Sunt etiam iniqua quando non exiguntur pro vtilitate publica, sed pro bono principis proprio. Deinde iniqua censentur, quandoquidem non pro necessitate imposita sunt, vt pro mœnijs reparandis, pontibus construendis, publicis domibus, defensionibus publicarum viarum, cōtra prædones & piratas, contra hostes fidei vel patriç perturbatores, contra hæreticos etiā & infideles, vt habet Bartolus super prædictam legem. Quæ, inquam, his causis & similibus nō sunt imposita, non immeritò reputātur iniusta, nec in conscientia obligare creduntur. Prçterea si substiterit causa, & iam cesset, & nihilominus exiguntur, quia principis ratio est auara voluntas, vel exiguntur pro alia causa, quæ non producitur, sunt manifestæ & violētç rapinæ, & mortale crimē incurrūt, etiāsi ex obediētia hoc faciāt, manentq; restitutioni adstricti, vt habetur 23.q.2.estq; desumptum ex 10.cap. D. Aug. super Iosue. De his loquitur etiam Aug. quando dicit: Publicani sunt qui sectātur lucra & exigunt vectigalia per negotiationes, fraudes, furta, scelera q; & periuria. Quibus apta redditur respōsionis definitio apud eundē, quando dicebant: Magister quid faciemus? Nihil amplius, inquit Ioannes, exigatis, quàm quod constitutum est vobis; Honesta planè publicanorū interrogatio, ac sancti prophetæ iusta responsio: Illi enim solicitè interrogant, ne aut ignorantes plus exigendo in peccatum incidant, aut cessantes publicam decipiant functionem: hic autē moderatè præcepit, vt & iniquitas locum non habeat, & cōstitutum habeat vectigal effectum. Non enim dixit, nihil exigatis, sed nihil amplius exigatis. Vnde intelligimus, quod apud Deum non tam exactio, quàm exactio iniqua damnetur, vt Augustinus fusè eo loci prosequitur. Nequaquam tamen hæc doctrina priuatis hominibus superuacua est, ne quosuis principum

sum-

Lib.4.cap.2.

10.cap.7.

Driedonem inspicere nō esset indignum cap. 5. de libertate Christiana.

Iniusta vectigalia.

Leg. Vniuersi.

Ca. Dominus.

Serm. 95. de tempore.

Serm. 19. de verb. Domini.

Luc. 3.

ſumptus (etiamſi vulgarem ciuilemq; modum excedant) temerè ac procaciter ſuggillare ſibi permittant.

De Simonia. CAPVT VII.

SIMON Magus (cuius mentionem Actorum octauo habemus) qui in perſona patris in monte Sinai falſiſſimè legem dediſſe Iudæis gloriatur, ac tempeſtate Tyberij Cæſaris in perſona filij apparuiſſe, poſtmodum in linguis igneis ſe iactat ſpiritum ſanctum in Apoſtolos veniſſe, quiq; Celenam meretricem ſuam Mineruam ab ipſo vocitata ſcelerum ſociam, adeo adamauit, vt ſuam eiuſque imaginem Romæ publica authoritate, tanquam Deorum ſimulachra adoranda exhiberet, qui etiam mirabilia artis magicæ præſtigijs operatus legitur libris recognitionum D. Clementis ad Iacobum fratrem Domini, & Auguſt. Tãdem D. Petrus vertex Apoſtolorum, inſaniam eius pertæſus, aëra volatu celerrimo ſecantem deiecit, ſecundum Ambroſ. ſerm. 66. de conuerſione Apoſtolorum Petri & Pauli, Auguſt. Euſebium, & Irenæum. Inter reliquos, quos in eo patres reprehendunt errores, vnus eſt, quo pretio comparare niſus eſt Spiritus ſancti chariſmata, quę diuendere lucratiuis mercationibus decreuerat. Vnde emptores rerum ſpiritualium eiſque annexarum nuncupantur Simoniaci, ſicut earum vẽditores Giezitæ. Per venditionem emptionemque omnis contractus non gratuitus, vt eſt promittere, locare, conducere, paciſci, &c. venit intelligẽdus. Res ſpiritualis eſt quam Spiritus ſanctus per gratiam ſuam miſericorditer ad ſalutem fidelium operatur. Eſtque triplex: Quædam merè ſpiritualis, nil habens corporale admiſtum, nec ab homine mortali conceditur, ſed diuinitus infunditur, qualis eſt fides, ſpes, charitas, humilitas, iuſtitia, ſacramentorum effectus, quæ diuendi nequeunt, quia miniſter eſt duntaxat diſpenſator non dominus, in quo ſolo emptionis & venditionis contractus locum habet. Secundo venditione diſtrahi nequeunt res ſpirituales, quia pretium commenſuratur & proportionatur rei emendæ, cùm autem gratia Dei, cæteræque virtutes, ſint tranſilientes omnem rerum labilium æſtimationem, conficitur in ipſas non cadere emptionis aut venditionis contractus. Deinde gratia nomen habet vt gratis detur, quod eſt contra venditionis naturam, cùm Simonia deſcribatur eſſe ſtudioſa voluntas, emendi vel vendendi pretio temporali gratiam ſpiritualem, vt habetur 1. quæſt. 3. Nonnulla ita principaliter exiſtunt ſpiritualia, vt tamen hominum miniſteria non excludant, vt ſacramenta baptiſmus, confirmatio, &c. & ſacramentalia, conſecrationes virginum, benedictiones, nuben-

Simon Magus qualis?

Hæreſ. 1. ad Quodvultdeū.

Mors Simonis.

Serm. 27. de ſanctis.

Lib. 2. cap. 1. & 13. cũ duobus ſequẽt.

Lib. 1. aduerſus hæreſ. c. 20.

Actor. 8.

Simoniaci vnde dicti?

4 Reg. 5.

Res ſpiritualis triplex.

Cap. Salutator.

nubentium, missæ ac prædicationis officium, in quibus formale & principale, est spirituale, adeo vt si simpliciter vendātur & absolutè, spirituale distrahi credatur; Vnum quodque enim iudicatur secundum suum principale, sicut homo, propter animam rationalem, plurimi apud omnes est faciendus.
22. Q. 100. Hinc liquidò constat ex D. Thoma quod prędicatori ob concionem, consecranti propter celebrationem, antistiti propter ordinum collationem, nullo modo liceat pacisci, aut quouis colore prælibata ac similia pretio determinato impartiri, teste concil. Trident. Porrò res, quando est ex spirituali & corporali composita, ita vt principale eius sit corporale, vt calices, cruces, &c. quæ non præsupponunt, quid spirituale, sed illud ordine temporis præcedunt, hac consideratione, licita mutatione distrahi possunt. Si autem consecrati iam sint calices, nequeunt pluris vendi, ratione consecrationis absque simoniaca labe. Quę triplici committitur modo, vel officio linguæ, vt si quis adulatione linguæ obtineat rem aliquam spiritualem, quemadmodum Alchimus petijt sacris operari, vt muros domus Dei demoliretur. Alio modo fit, quādo aliquid spirituale seu ei annexum obtinetur per indebitum seruitiū. sicut Sichē se circuncidi procurauit, simulās cultū Dei Israel se velle amplecti, quo auarus opum hæres Israel existeret. Tertio committitur quando pecunia aut æquiualenti, spirituale quid ~~adsequitur~~, tertij Regum, 13. & secundi Paralyp. 13. quo loci si idolorum venditio vindicatur, quid facto opus est, quando spiritualia beneficia atque diuina tanquam merces institorum distrahuntur? Proh dolor, quibus Deus deberet esse pars hæreditatis, imò quibus deberet Deus esse omnia, quomodo auaritiæ iam facibus accensi, qui per fas per nefas, multiplicare fluxa & caduca ista bona corradere non pertimescunt? O abdomen insatiabile; Quid non mortalia pectora cogis auri sacra fames? qua nihil aliud moliuntur quidam, quàm de patrimonio Christi, & peccatis populi cum Giezi locupletari, adeo vt nimium quadret nostræ tempestatis ministris, quod Stratocles olim protulit, videlicet, Tribunal esse auream messem; Faxit diuina benignitas, vt ista sententia de sponsa Christi ecclesia verificari non possit, vt inquam, falsa deprehendatur qua dici solet:

Propter habere petit repetitq; altare sacerdos.

Similis illi, qui Ioui nomen pecuniæ imponit; vt quando pecuniam quærit, Deo sacrificare videatur, secundum Aug. Quid enim aliud alta mente repostum seruat, licet ore non exprimat; Quid vultis mihi dare & ego vobis, &c. O bone Iesu, quo iam abiectionis deuenit immensæ tuæ celsitudinis decretum; Gratis accepistis, gratis date? Et fortassis non desunt

Sess. 21. decreto de obseruādis in Missa, et sess. 24. ca. 14

Triplici modo committitur Symonia.

Primi Machabæorum septimo, & 9.

Genes. 37.

acquiritur

Li. 7. de ciuit. Dei cap. 12.

Matth. 10.

desunt excusationes, quanquam in peccatis, quia beneficia ecclesiastica non accipiuntur gratis. Licet enim aliqui in ista miserabili lachrymarum valle, quasi cum Crasi diuitijs ac Epicuri delitijs certare videantur, non ijs contenti & propriæ inopiæ, qua ante clericatum conflictabantur, immemores, exactiones Deo & hominibus odibiles faciũt, quos mira impudentia emungunt, contra creberrima sanctorum patrum, & venerabilium canonum monumenta, de Simonia, diuersis canonibus con. Apostolorum, Cabilonen. 2. Calcedonen. Turonen. 2. Toletanum 6. Braccaren. 2. August. in Ioannem, Greg. lib. 2. epistolarum & lib. 4. De pensionibus autem licet videre Hieronymum gigantem fusissimo simul & doctissimo tractatu harum cõditionem dilucidantem. Verùm quod passim in exequijs & sacrorum administrationibus dari consueuit, non est Simonia, non enim recipitur tanquam rei sacræ pretium, sed sustentationis subsidium, quo voluit Dominus ministros altaris de altari viuere, Concil. Braccaren. 2. Iure quoque diuino possunt accipere decimas. Conc. Lateranen. sub Alexand. 3. & concil. Trident. Quanquam hæc aut illa quantitas sit iuris positiui, quas si pendere negligant, moneri debent, si autem commoniti largiri renuant, Episcopi eos cõpellant, de Simonia. Si tamẽ scandalum timeretur oriturum, satis fore putatur si sacerdos iuri suo cedens, importuna vexatione, infirmos exemplo Apostolico non scandalizet. Inoleuit ferè consuetudo exigendi à recenter inauguratis canonicorum ecclesijs, conuiuium vel aliquod aliud temporale emolumentum. Iam scrutantur doctores propter cap. Iacobus; an licito possit fieri modo? Ioanni Driedoni viro vndecunque doctissimo, videtur probabilior sententia adfirmatiua, potissimùm si aliquid expendatur, ratione cultus diuini, vel quia deinceps nouo collegæ prætiosiora debent esse vsui ornamenta, vel etiam pro defensione priuilegiorum; alioquin exigere nefas ducit. Haud dissimili ratione aliquid temporalis lucri ex recipiendis ad ordinem exigere illicitum iudicatur, de Simonia. Secus tamen est quando Conuentus egestate pressus plures sustentare non posset.

Deplangit nostra tẽpestatis miseriam.

Cap. 30. Cap. 40. Cap. 2. Cap. 28. Cap. 4. Cap. 2. & sequentibus. Tract. 10. Et ser. 37. ad frat. in eremo. Epist. 95. Epist. 88. Lib. 32. Moral. cap. 17. 1. Corinth. 9. Cap. 7. Genes. 14. Numer. 18. Deu. 14. & 18 Titul. de decimis. Sess. 24. c. 13. Cap. Apostolicam. Cap. Quoniã, Cap. Nõ satis, Cap. Veniens, & c. de regularibus.

De pluralitate beneficiorum. CAPVT VIII.

QVEMADMODVM Canonicorum Regulariũ sub regula sancti patris Augustini degentium, bona temporalia nunc sunt indistincta & communia, ac à patre Priore Conuentus singulis, prout cuique opus est, dispensantur, teste August. ita olim in cathedralibus & collegiatis ecclesijs, omnia temporalia canonicis erant communia, vniuersaque singulis, secundum vniuscuiusque necessitatem,

Serm. 21. ad frat. in eremo.

per episcopum administrabantur, quod primitus facto suo edocuit Iudas, postmodum Apostoli. Deinde his diaconi præficiuntur, quibus hac in parte etiam succedunt episcopi, teste concil. Apostolorum. Aequaliter autem nocturnas persoluebant preces, vniformiter corporalis pabuli nutrimentum recipiebant, vno quasi claustri habitaculo commorabantur, vti Traiecti, Leodij, aliorumque in hodiernum vsque diem ædificiorum demonstrant vestigia. Episcopi autem canonibus tanquam regulis ducebantur. Vnde canonici nomēclaturam sortiti, nomen quidem etiamnum hodie seruantes, sed veteris ecclesiæ ritum, secundum Iustinum, Philonem, Tertullianum, & alios, præscriptum subinde posthabentes. Quadrifariam quoque illa prouentuum temporaliū massa distribuebatur, secundum concil. Rom. cap. 4. Prima pars vsibus episcopi cedebat; Secūda alimoniam ministris ecclesiæ canonicis adferebat; Tertia pauperum necessitati succurrebat; Quarta fabricæ ac ornamentorum ecclesiæ reparationi seruiebat; Postmodum verò crescente ecclesiasticarum personarum cupiditate, vt pacis haberetur ratio, & tranquillitatis bonū non periret, néve boni inter malos conuersantes paterentur in temporalibus rebus penuriam aut dispendium, diuisio bonorum facta est, & adsignata vnicuique præbendato Canonico sua æqua portio, quatenus viuat vt lubet. Quo vnicuique contestatissimum esse potest, pluralitatem beneficiorum repugnare naturali iustitiæ instituto: Sic enim habet Gabriel Biel, quādo susceptum beneficium sufficiens est honestæ ministri ecclesiæ sustentationi, præsumi potest & debet, quod fundator voluerit possessorem sum suæ vtilitati, nēpe vt pro se suisq; principaliter preces & hostias immolaret, Deo esse mancipatum. Si ergo vltra hoc recipit beneficium, etiam illius fundatori simili onere erit obligatus, iam si ambobus idē officium præstet, vterque fraudabitur, & bonum integrum vtrique debitum dimidiabitur, sicque violabitur iustitia, frāgetur fides, fraus committetur, animæ tardius iuuabuntur, à gaudijs cælestibus diutius suspendentur, toraq; cælestis curia lætitia ingenti spoliabitur, inæqualitas in clero, pacis inimica orietur, charitas repudium patietur, aliorum affectus à beneficiorum institutione retrahentur, & quantum ad instituta, vltimæ voluntates illudentur: Ad hoc enim beneficia ecclesijs sunt collata, secundum Tho. vt certus numerus seruientium Deo, in tali loco esset assignatus. Erit etiam cōtra rationis dictamen; Miles siquidem non potest in distantibus locis præliari, agricola nequit in diuersis agris simul glebas terræ proscindere, nec opilio potest distinctos ad caulas ducere greges, vna rota pluribus curribus seruire recusat, bos oneribus deportandis oneratus,

Ioan. 13. Actor. 4. & 6. 1. cap. 41. & 72.

Canonici vnde dicti?

Facultates Ecclesiæ quadrifariam distribuebantur.

Lib. de Officio Missæ, lect. 28

Incōuenientia multa ex beneficiorū pluralitate.

In Quotlibetis q. 8. art. 13. et q. 9. art. 15.

Similitudinibus pluralitatē beneficiorū reprobat.

oneratus, aratro rudem campum proſcindere nequit, & ſacerdos pluribus in locis initiari nõ valet, nec ſacris operari in diuerſis eccleſijs poteſt. Quo cõſtitutum ſit vnum miniſtrum, hic & ibi non poſſe percipere fructus, cùm beneficiũ ſit propter officium. Militat quoque pluralitas beneficiorum contra canonum & concil. decreta, vt probatur in Clement. de præbendis & dignitatibus. Extra de præbẽdis & dignitatibus, vbi inſigniter taxatur auarorum inſania ſacerdotum. Conc. Calcedonen. Lateranẽ. ſub Alexandro tertio celebratum, titul. de pluralitate beneficiorũ, Lateranen. ſub Innocen. tertio, Concil. Conſtantien. & Tridentinum noſtra tempeſtate ſolenniſſimè celebratum, ſic habet: Cùm eccleſiaſticus ordo peruertatur, quando vnus plurium officia occupat clericorum, ſanctè ſacris canonibus cautum eſt, neminem oportere in duabus eccleſijs conſcribi, & reliqua quæ eo loci ſequuntur. Hic obiter notandum eſt eos toto cælo errare, qui exiſtimant tantam eccleſiaſticorum bonorum affluentiam ac abundantiam eſſe deſignatam vni epiſcopo aut prælato pro ſuſtentatione familiæ ſibi neceſſariæ, tanquam ipſe poſſit ex huiuſmodi bonis familiam & equos ſibi multiplicare, vt libido fert animi, ſed verè exiſtimandum eſt omnia bona ſupra decentem & honeſtum ſtatum epiſcopo congruentem, ſuperflua illi eſſe relicta, vt pauperum mœcenati, & ad reparãdas fabricas, templa, domosque, & alia quæ ſunt neceſſaria in conſeruandis eccleſię bonis. Ideoque Epiſcopi, Abbates, cęterique prælati eccleſiaſtici, huiuſmodi bonorum ſuperfluitatem pauperibus aut fabricæ, debitorum prodigè dilapidantes grauiſſimè delinquunt, & iuxta omnium patrum ſententiam rapinam committunt ac ſacrilegium, tenenturque ex ſuis reſtituere patrimonijs, quicquid ſic prodigaliter abligurierint, teſte Ioanne Driedone inſigni florentiſſimæ Academiæ Louanienſis Doctore, & de præbendis & dignitatibus, vbi ſic habetur: Si autem non perſoluerint prædictas preces, tantum cogantur de ſuis prouentibus, in vtilitatem illius eccleſiæ erogare, quantũ à tempore vacationis ipſius cõſtiterit ab eis eſſe perceptum. At qui auaritiæ facibus accenſus, excuſationis prætextũ quæret in peccatis, inquiens; Eccleſia non ſuſtinet, quod vergit in periculum animarum, ſed pluralitatẽ beneficiorũ, etiã abſque legitima cauſa diſſimulando cõniuet, ergo aliquis tot beneficia poteſt occupare, quot angulos quadratus pileus obtinet, aut plura vt humeris inſideant, Reſpõdet Henricus de Gandauo quod crimẽ aliquod bifariã diſſimulatur, vno modo nõ prohibendo, quod tamen poſſet, ſicque eccleſia plura beneficia habere nõ diſſimulat, ſed per prælibatos canones vetat. Altero modo tranſgreſſionẽ prohibitionis non publicando, quæ tranſ-

Beneficium eſt propter officiũ.
De Reſcript. in 6. ca. Quia per ambitioſam.
Cap. Si plures, & cap. Si iuxta, de Exceſſibus prælatorum, ca. Sicut.
Cap. Execrabilis.
Act. 15. ca. 10
Cap. 1. & tribus ſequent.
Cap. 29.
Seſſ. 43. tit. de diſpẽſationib.
Seſſ. 24. c. 17.
Abuſus prælatorum.
Lib. de libertate Chriſtiana cap. 5.
Cap. Licet.
Obiectio.
Solutio.

transgressio, cùm versetur circa particularia, potest contingere, vel circa ea quæ turbant pacem Reipublicæ, vt homicidia, &c. quæ nullus dissimulare potest iudex, vel circa ea quæ nõ turbant communem Reipublicæ pacem, & talia dissimulari possunt, potissimũ propter correctionis difficultatẽ, nisi fortè
Cap. Cùm dudum cùm in iudicium deducuntur, vnde de præbend. & dignit. dicitur multa per patientiam tolerãtur, quæ si deducta fuerint
Alia obiectio. in iudicium exigente iustitia non deberẽt sustineri. Præterea ecclesia non solum dissimulat, sed approbat pluralitatem be-
Responsio. neficiorum, ergo, &c. Respondẽdum est absolutè, quod non
Tit. 15. cap. 1. approbet, sed solùm in causa dispensatiuè. Hinc Antonius 3.
paragr. 10. parte notat, quod decretalis illa, ex qua argumentum eliciũt
Ca. de multa, de præbẽd. loquatur de legitima causa, qua quis præualet plu-
& in 6. de fil. ra possidere beneficia, quod conceditur, non enim loquitur
presb. ca. Si u. ibidẽ simpliciter dispensandum cum sublimibus personis, sed annectitur: Cùm ratio postulat, per sedem Apostolicã poterit dispensari, hæc ibi. Ecce requiritur iusta causa, quæ si non adsit, ecclesia non permittit pluralitatem beneficiorum. Summus Pontifex requisitus dissimulando etiam cõniuet & per-
31. q. 1. cap. mittit, vt alia multa mala quæ non approbat, hac ratione ex homil. 33. D. Ioannis Chrysost. super Matth. quæ tamen im-
Obiectio. punita post istius vitæ transitum non remanẽbunt. Rursum opponi potest, Consuetudo est vniuersalis, quasi in ecclesia plura tenere beneficia, quę vim legis videtur habere, ergo, &c.
Solutio. D. Thom. diluit præfato loco hanc obiectionem dicens, quod consuetudo potest tollere legem humanam tantùm, non autem diuinam, aut naturalem, propterea nõ excusantur à pec-
De cõsuet. ca. cato, quia nulla consuetudo legem naturæ infringere potest,
finali, & 32. habere autem plura beneficia repugnat legi naturæ, quia be-
q. 7. c. Flagitia neficia suo proprio fine fraudantur. Secũdò voluntates testatorum frustrantur, & tertiò pretium iniustè à non laboranti-
5. Casus in bus recipitur. Quinq; tamẽ sunt casus, in quibus iura dispen-
quibus iura sant. Primò quando sunt nimis tenuia, ita vt neutrũ sufficiat
dispensant. ad sustentationem personæ, vti habetur de ætate & qualitate
Cap. Eam. ordinan. & Concil. Trid. Nec solum attendi debet, hic condi-
Sess. 24. c. 17. tio personæ, sed moderatus eius status, & familia sibi pro suo officio & honestate necessaria, nõ ad pompam aut luxum superflua. Secundò, si vna dependet ab alia, vbi suprà. Tertiò,
Cap. Clericus. propter raritatem clericorum, quemadmodũ habetur 21. q. 1. Quartò, licet plura obtinere beneficia, quãdo vna est intitu-
Ca. Qui plures lata, altera cõmendata 21. q. 1. Illa tamen commendatio fieri nequit, nisi iusta subsit causa, puta quia non inuenitur prælatus idoneus, vel aliquid simile. Quintò, si ecclesia est annexa dignitati vel præbẽdæ, quo casu cùm ipse teneatur personali ministerio residere, in maiori ecclesia, obligatur in ecclesia paro-

parochiali idoneum & perpetuum habere vicarium,qui congruentem habeat de prouentibus portionem,de præbend. ex Concil. Lateranē.sub Innocen.3. Istis tamen eorum non patrocinamur prætextui,qui se excusatos credunt, si vicarium pluribus locis substituát: Nam si quis licitè pluralitate beneficiorum potest gaudere ponendo vicarium,iam sutor ac sartor, imò mulier poterit obtinere ecclesiasticum beneficium. Verùm foret ridiculum aliquem contrahere matrimonium, sub spe substituendi vicarium ad impregnandam coniugem, multo absurdius est vnicā Christi sponsam, pro quā ipsemet pretiosum sanguinem effudit,alteri committere. Modò proponendum est vni auaro manicas,peram,& crepidas,pileum & scapulas numerositate beneficiorum impleti. Ille vicarius debet esse pastor,aut mercenarius,si neutrum horū; sic latro non ambigitur;fur nō dubitatur quin furetur,mactet,& perdat. Si dicas ipsum esse pastorē, Quomodo tu habes duas aut plures ecclesias,& ipse nullam?non times tibi improperādum illud, Non licet tibi habere vxorem fratris tui? Præterea vicarius iste est minus idoneus, vel æquè vel melior; si minus, tum natura dictat eum nequaquā esse recipiēdum,quia operarius nequit in vineam mittere vicarium minus idoneum? Si æquè bonus vel melior,quare tu plura,hic melior nullum? Attende quid acciderit primo vicario Synagogæ, Moyses relinquens populū, non tamen occupatus vanitatibus,vel delitijs mundi,vicariū Aaronē instituit, quando legem de mōte attulit,tamen fidelem populum prius idolatrantem,reuersus ingemuit. At huic opponitur, Pastores in curatis beneficijs, licitè deseruiūt per sacellanos & vicarios, multò fortius ergo alij excusantur vicarios subrogando. Sed respōdet Panormitanus super præfatum cap. Extirpandæ,quod in commissione curę,eligatur etiam industria personæ,cui cōmittitur,ideoq; non est rationi consonum, quod ille alteri committat, & nihilominus absq; labore mercedis fructū participet, & Greg. Nec est verosimile, ita sacris per vicarium cōductum operari ecclesiam, quàm per proprium pastorem, qui paternis visceribus subditos, ceu pater filios amplectitur, & econtra magis afficiuntur subditi proprio pastori,quàm mercenario, vtpote alieno. Nihilominus certę sunt causæ ob quas licet cōstituere vicarium, secundum Hostiensem & Panormitanum, super memoratum cap. Prima est ratione occupationis,hac ratione excusatur,quando vicarios substituit in ecclesia cathedrali de celeb.miss. Secunda ratione dispensationis, ritè iustaq; causa factæ,de præ bend.cap.penult. Tertia ratione loci remotioris de eccles.ædif. Quarta licet subrogare vicarium ratione prædicationis,de off.ord. Quinta ratione debilitatis aut infirmitatis

Ca.Extirpāda Cap.32.

Vicarius quomodo substituendus?

Quæstio Simoniacis proponenda.

Ioan.10.

Marc.6.

Exod.34.

Quando li'et vicarium substituere.

2.Thess.3.

Lib.40.homiliarū hom.17. & de off. deleg.cap.Is cui, & cap.finali.

In Summa tit. de officijs vicarij.

Extirpanda.

Dist.1. per totum.

Cap.Ad audientiam.

Cap.Scripsit. tatis superuenientis, 7.quæst. 1. & de clericis ægrotantibus.
Cap.vltimo. Sexta ratione necessariæ profectionis de appel. & de voto, de
Ca.Peruenit. quo Concil.Trident.de Reformatione, vidisse profuerit.
Cap.finali.
Sess.23.ca.1.

De auaritia. CAPVT IX.

QVANQVAM homicidium & adulteriū auaritiam quę hoc septimo pręcepto inhibetur, enormitate vincant, cùm homicidium personarum, proximi eiusque vitam quam natura manifestat tuendam, è medio tollat, & adulterium corpori proprio & coniuncto ignominiā inferat, tamen ex parte offendētis periculosiora sunt peccata furti & auaritiæ istis, propter restitutionem obtinēdæ remissioni necessariam. Homicidium istius non indiget, impossibile siquidem est, eum rursum vitales carpere aura, qui funesto crudeliq; ferro spiritum deposuit. Adulterium quoque hoc nequaquam requirit. Res namque fieri non sinit meretricem effici virginem. Atqui fur pluribus manet obstrictus, non enim solum damnationis periculū parit, verumetiam hæredes restitutioni obnoxios constituit. Ita etiam auarus cōtra hoc Domini præceptum delinquit, tantoq; magis, quāto omniū malorum radix ab Apostolo adseritur: Ex auaritia namq; tanquā ex radice, alia peccata pullulant, teste August. epist. 106. ad Paulinum. Queādmodum enim radix toti arbori nutrimentum exhibet; Haud secus diuitiæ, quibus sociata ferè est auaritia, quæ ministrat facilitatem quidlibet audendi, secundum August. Est autē auaritia inordinatus appetitus pecuniæ vel diuitiarum, & auarus est quasi æris auidus, censeturq; læthiferum peccatum, quādo quis nimia terrenorum cupiditate, ac iniusta rerū acquisitione furando, rapiendo vel fraudando nocere concupiscit proximo. Nam inter ea cōputatur opera, quibus homo dignus morte efficitur. Et auaris aditus regni cælorū præcluditur. Quocirca dira imprecatione Iudęos subsannat: Væ qui coniungitis domum ad domum, & agrum agro copulatis. Nec est rarum vitium, sed à minore vsque ad maiorem omnes auaritiæ studere, deplangit Hierem. quod etiam nequiuit ethnicus poëta Virgilius tacere:

[Margin: Auaritia periculosum peccatum. — 1.ad Tim.6. — In Psal.9.,lib.1.ciuit.ca.10. — Serm.212. de tempore. — Ser.5. de verbis Domini. — Auaritia quid? — Roma.1. — Ephes.5. — Colos.3. — Esa.5. — Hiere.6.& 8. — 3.Aeneidos. — Virgilius.]

Quid, inquit, non mortalia pectora cogis,
Auri sacra fames?

[Margin: Sacrum quid? — Lib.7.de ciui. Dei, cap.21. — Satyra 14.]

Hæc dictio, sacrum, Latinis aliquando est sacrū, aliquando pollutum & abiectum, vt hic & Aggęi 2. Si homo tulerit carnem sanctificatam, id est, prophanatā & pollutam. Vt autem quidam auaritiæ insatiabilem ardorē honesto velamine palliarent, Ioui nomen pecuniæ imposuerunt, vt quando pecuniam quærerent, Deo sacrificare viderentur, teste August. Crescit namque amor nummi (teste Iuuenali) quantum ipsa pecunia

pecunia crescit. Vnde non immeritò auari hydropicis perhibentur comparari, secundum Aug. qui quo plus bibunt, plus sitiuntur aquæ. Iuxta illud Ouidij: *Auarus hydropico cōparatur. Serm. 10. de sanctis.*

Creuerunt & opes & opum furiosa libido.
Et cùm possideant plurima, plura petunt. *Li. 1. Fastorū.*
Sic quibus intumuit suffusa venter ab vnda, *Ouidius.*
Quo plus sunt potæ, plus sitiuntur aquæ.

Nihil enim illis sufficit, omnemq; mouent lapidem vt aliena, iusto siue iniusto titulo possideant, vt non incongruo demonstrāt D. Ambros. (exemplo à Cancro sumpto.) Et Greg. qui ostreo delectatur, & carnis eius epulum sibi quærit, sed vt appetens cibi, ita est prospiciens periculi, cùm enim difficilis est venatio & periculosa, quia esca testis validioribus includitur, ad callida argumenta cōfugit, & insidias noua fraude molitur, itaque explorat si quādo ostreum contra solis radios reseret claustra testarum, vt libero aere visceris sui voluptatem capiat, & tunc clanculo calculum immittens, impedit conclusionem ostrei, ac interim viscera interna depascitur: Sunt, inquit, homines qui Cancri vsū in alienos irrepant, & infirmitatem propriæ virtutis astu quodam suffulciunt, fratri dolum nectant, & alterius pascuntur erūna; Tu proprijs esto contentus, aliena te damna non pascant, bonus cibus est simplicitas quæ insidiari nescit alienis, nec auaritiæ facibus inardescit, cui lucrum omne ad virtutem dispendium est, ad cupiditatem incendium: Melior est enim hospitalitas in oleribus, cum gratia, quàm vitulorū pinguiū præparatio, cum discordia, Cap. autem 10. graphicè depingit auari naturam: An, inquit, sine dote naturæ manere piscibus, etiam illam putamus gratiam, quod vnumquodque genus piscium, præscripta sibi domicilia habet? quæ sui generis nullus excedat, non incurset alienus. Quis geometra his diuisit habitacula nullis rūpenda temporibus? Sed geometram audiuimus, thalassometrā nunquam audiuimus, & tamen pisces mensurā suam nōrunt nō muris vrbium, portisque præscriptam, non ædificijs domorum, non agrorum finibus limitatam, sed mensuram eius quod oporteat, vt tantum satis sit vnicuique, quantū ad vsum abundet, non quantum auiditas quædā immoderata sibi vendicet. Lex quædam naturæ est, tantū quęrere, quantū sufficiat ad victum & alimentorum modo sortem censere patrimonij; Hoc genus piscium in illo sinu maris alitur, illud in alio, non est libera vagādi potestas. At nobis lōgè alia sentētia est, mutare exilio domos, incolarum fastidio teneri, aduenarū captare gratiam, transferre terminos perpetuos quos posuerūt patres nostri, agrum ad agrum iūgere, domum ad domū, deficit terra hominibus, sternūtur & maria. Rursus pro singulorum libidine

Prouer. 30. & Eccles. 14.
Lib. 5. hexamer. cap. 8.
Lib. 5. ca. 16. li. 14. Moral. c. 6. & li. 15. cap. 4. & 5.
Auarus comparatur Cācro.

libidine, inciditur terra, mare infunditur, vt insulas faciant, vt possideant freta, spacia maris sibi vendicant, pisciumque iura sibi subiecta commemorant: Iste, inquit, sinus maris meus, ille alterius, diuidũ elementa sibi potentes; His ostreę in fluctibus nutriuntur His in viuario piscis includitur. Auaritiæ nec mare sufficit, nisi apothecas habeat ostrearum. Itaque ætates earum numerant, & pisciũ receptacula instruunt, ne conuiuia diuitis mare non possit implere: Nam vicini nomen quibus audiunt auribus? quibus oculis intuentur possessiones eorum? Quemadmodum noctes diesque excogitant, vt aliquid proximi auferant? Nunquid soli habitabitis super terram? clamat Propheta Esa. Similiter Chrysost. Nox & dies veluti sorores quædam paternam hæreditatem partitæ cum charitate, multa nullo modo inter se calumniantes maxima æqualitate annum distribuunt propriosque cõseruanr fines, nec vnquam altera alteram pellit, nunquam hyeme dies fuit longa, sicut nec vnquam æstate longa fuit nox, tot præteritis generationibus, sed in eodem interuallo & lõgitudine, neque modicum nec dimidiam horam, nec oculi momentum altera quàm altera plus habuit. Audiant hæc auari & aliena concupiscentes, & diei noctisque æqualitatem imitentur: Dies nocti cedit, nec alienos fines inuadit vt auarus, qui etiã amat æqualitatem & vnitatem, sed quomodo? Discamus ex Aug. Autorum vafricem pandit fraudulentam. Proponamus, inquit, aliquam similitudinẽ; Concupiscit aliquis villã alienam, & cogitat facere suam, ecce vnitatem; Sed quo astu? si vicinus sit pauper, vt in necessitate positus cogatur vendere, vnde ipse aut filij sui sustentabantur, accedit ad eũ, per cuius nequitiam premitur & adfligitur, nesciens quod exactores incitauerit ad constringendũ; obsecro da mihi aliquot solidos, vrgeor namq; à creditore meo, & ille negat se habere in prõptu, quo proximi necessitati succurrere possit, at ille hoc dicit, vt debitor oppressus calumnijs necesse habeat vendere. Deniq; cũ pro nimia adflictione dixerit quod cõpellitur vendere, prorinus ille respondit. Et si non habeam pecuniam propriam, vndecũque studebo mutuare, vt tibi amico subueniã, etsi ita necesse est, etiam meũ argẽteolum distraho, ne tu iniuriã patiaris. Prius professus est se nõ habere pecuniã, sed iã occasione talis lucri abundat, vt subueniat, sed ita vt vbi prius pro re centum solidos offerebat; vt eum opprimi viderit, nec medietatem pretij dare acquiescit. Istis, inquit, Augustinus, væ erit in die iudicij, & ab auditu malo nonpoterũt liberari, sed audituri sunt; Discedite à me maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo & angelis eius. Quemadmodũ terribili exemplo docet August. sancto cuidam reuelatum: Cùm enim cuiusdam anima

Esa. 5. Homil. 9. ad pop. Antioch. — *Serm. 20. de verb. Domini.* — *Serm. 69. ad frat. in eremo.*

anima egredi cunctaretur, diaboli præstolantes obmurmurabant foris, cumque vnus eorum existimaret sanctum Michaelem ipsius defensorem adfore, alius spiritus malignus intulit, noster est, scio opera eius, noctibus diebusque illi adfui, hæc misera anima audiens, dixit; Heu quare vnquam nata fui aut creata? væ mihi, quare vnquam hoc corporis ergastulum intraui? væ tibi corpus, quare alienas rapuisti pecunias? quare facultates pauperum in domum tuam congregasti? cibarijs esculentioribus te nutristi? tu te pretiosis decorasti vestibus, me nuda existente virtutibus, tunc post sudores anima à corpore euulsa, traditur dæmonibus cruciandа, quorum vnus dixit, qui fuerat eius custos, accipite socij acutissimos tridentes, atque oculos quibus omnia quæ vidit concupiuit effodite, pungite os quod semper adfluentissimis dapibus epulari solet, transfodite cor, quod nulla misericordia aut charitate flexibile fuit: tandem pertractus est ad inferna, æternas luiturus quas meruerat pœnas. Idem conficit D. Ioannes Chrysost. ex tertio cap. Danielis, de illis qui auream adorant statuam, & crepitantibus fornacis ignibus perierũt: Lucrum siquidem in arca, damnum facit in conscientia, teste August. Quibus verissima conficitur Dominica sententia: Difficile est diuitem intrare in regnum, & facilius camelus pertransiret foramen acus, quàm diues in regnum Dei, Marcus soluit, quando confidentes in pecunijs difficile intraturos pronuntiat, vt dilucidant hunc passum D. Ioannes Chrysost. Ambros. & August. Verùm his opponi possunt sanctorum exempla patrum Abrahæ, Isaac, Iacob, Iob, &c. qui locupletati nimis super terram fuerunt. Quibus D. Augustinus respondet, aliud respicere esse diuitem, aliud velle esse diuitem. Nihilominus duplici consideratione thesaurizare valent homines, priori intuitu necessitatis qua parentes terrenis vacant, vt prouideant prolibus educandis, coniugio tradendis, & reliquis conditionibus pro ratione status & ordinis impendentibus, debent parentes filijs thesaurizare, sint tamen vt plãta, quæ duntaxat pedem figit in terra, & si superfluum humorem attraxerit, aut putrescit, aut putridos fructus producit, vt homo nimio istis caducis studio incumbens, teste August. & Chrysost. Quid auare colligis, & non potiùs quæris primùm regnum Dei? Quid rapis instar furis? nónne morieris? Sed pueros fortè ditari desideras; non ita est, quia Abraham habuit proles Isaac & Iacob habuit liberos, Iob numerosam habuit sobolem, qui tamen incendium auaritiæ prorsus non senserunt. Sed potiùs dixerim memoriam tui relinquere adfectas; verùm quidem, quia auaritiæ signum, est perpetuum obprobrium. Secundò licitum ratione publicæ vtilitatis, ser-

Exempl'ũ memorabile.

Homil. 23. ad pop. Antioch.

Exemplum ex Daniele.

Lucrũ in arca damnũ in conscientia.

Serm. 10. de sanctis, & ser. 24 de verbis Domini.

Matth. 19.

Marc. 10.

Homil 64. in Matth.

Serm. 4.

Serm 205. de tempore.

Ser. 5. de verbis Domini.

1. ad Tim. 6.

Duplici modo licet thesaurizare.

2. Corin. 12.

Lib de mendacio ad Consent. cap. 15.

Homil. 68. ad pop. Antioch.

Matth. 6.

uatis debitis circunstantijs seruare aliquam pecuniæ summam, iuxta qualitatem status, pro futuris iniurijs, ne notabiliter egeat, si contingat diutino languere morbo, bello grauari, caritate annonæ aut naufragio conflictari. Quisque tamen inuigilet, ne sub tali prætextu suam palliet auaritiam. Præterea etiam ad pias fundationes honestè iusteque licet colligere, vt Dauid, magnum ædificando templo præparauit thesaurum. Thesaurizare autem & nescire cui congregatur, mera est insania; Nam sine debita restitutione iniustitię sunt damnabiles, sine eleemosyna periculosæ. Diuitiæ conseruatę in malum Domini sui cedunt, quia excęcant hominem, eiusque peruertunt iudicium, vt non *Godt*, sed *geet* quærere videatur, quando tamen est rubra terra, opinione hominum nobilitata, secundum Bernardum, cui plus impendũt quàm Deo, & auari animam si perspiceres, recte Chrysost. quasi vestem mille tineis corrosam, sic videres curis perforatam.

1.Paral. 22. Psalm.38. Ecclesiast. 5. Serm.4.de aduentu. Hom.29.48. et 84.in Mat. ac in Ioã.hom. 64. & 75.

De Restitutione. CAPVT X.

DE Restitutione in peccato furti & iniustitiæ facienda legere qui voluerit, consulat Adrianum sextum in quartum sententiarum, & Antoninum parte secũda. Ex quibus colligere est promptum, restitutionem esse actum iustitiæ commutatiuæ. Iustitia secundum D.Bernard. est voluntas perpetua, & constans, ius suum vnicuique tribuẽs, quæ est bifariam diuidenda, in distributiuã nimirum & commutatiuam, distributiua consistit in quadã proportionis æqualitate ad totum, respicitque particulares personas in ordine ad quasdam conditiones, quas habent ad bonum commune rei publicę, ita vt qui plus meruerit, plus obtineat, quemadmodũ fieri adsolet in beneficijs ecclesiasticis, vbi digniora dignioribus concedũtur, quod Christus verbo docuit & exemplo mõstrauit. Reddite Cæsaris Cæsari, & quæ Dei Deo; quosdã etiã præter Apostolos discipulatus honore decorauit. Commutatiua pertinet ad restitutionem, & consistit in quadam æqualitate rei ad rem, vt venditio & emptio sunt: Omnis autẽ restitutio est propter alienum acceptum vel retentum, quatenus manet alienum, vt patet in furto, rapina, vsura, detractione, & impedimentum ne adsequatur quod sibi iure debetur. Si autem complures cooperentur, omnes tenentur ad damnum restituendum. Solent isti omnes hoc comprehendi disticho:

Tit.2.ca.2. *Iustitia quid?* Ser.3.de quadragesima. *Quotuplex iustitia.* Matth 22.& Luc.10.

Iussio consilium, consensus, palpo, recursus,
Participans, mutus, non obstans, non manifestans.

Septem priora sunt causa directa iniustæ acceptionis, sequentia indirecta. Primò ergo tenetur restitutioni obnoxius, qui in propria persona iniustitiæ aliquid committit. Vnde

rapta

rapta in bello iniusto, studiosè restituenda creduntur. Reddite omnibus debita. Et: Nolite errare neq; fures, neq; auari, neque rapaces, regnum Dei possidebunt, &c. Nec solùm hi, sed eorum ministri, per quos talis iniustitia exercetur, licet vtilitatis nihil habeant, restituere debeant, sicque de filijs & filiabus sentiendum est. Secundò obnoxij sunt restitutioni, Iubentes vel iubens, qui est quasi motor principalis furti & rapinæ. Tertiò dans consilium, supple efficax, quia si hoc consilio alter non commisit iniustitiam, non obligatur restituere, licet mortali crimini se subijciat, quia calicem præbuit si modò fuisset qui bibere voluisset, nemo siquidem ad prauitatem vult alium inducere, nisi prior ipse deprauatus sit, secundum Augustinum lib. contra Secundinum. Quartò consentiens non purè, sed quia est causa ablationis iniustæ, quẽadmodum si iniustum bellum dependeat à centum ciuium consensũ, cui quinquaginta & vnus subscribunt calculumque suũ addunt, reliqui conspicientes sẽ non posse impedire, quodam humano timore dissimulando, etiam conniuent. Quanquam læthaliter delinquant, tamen restitutionem nullam habent faciendam. Quintò, palpans, id est, laudans vel laudator & adulator, debetque tali quali prior articulus intelligi restrictione. Sextò, recursus; Nisi fur haberet asylum sibi paratum, quo confugiens furata distraheret, nec furtum, nec rapina existeret. Et quia præbens refugium tali, est quasi non solum sceleris socius, sed & iniquitatis patronus, propterea tenetur restituere tantum, quantum sibi obtigit in toto vel in parte, C. de his qui latrones vel alijs criminibus reos occultant. Septimo participans qui est socius facinoris. Octauo mutus, id est, qui tenetur repræhendere, ac arguere dissimulat; Istud concernit eum maximè, qui possit & tenetur officij sibi ratione commissi. Quanquam etiam quilibet Christianus furtum & iniustitiam amouere debeat; tamen certi casus deprehendi valent, quibus dissimulandum videtur, vt si timeatur, quod fur, si propalaretur, sibi manus violentas inferret, aut ipsum in magna necessitate constitutum non fugiat. Nonò non obstans, supple si possit & debeat ex officio; Sicque Dominus terrarum restitutioni est obnoxius, si per ipsum stet, quo minus latrones, & raptores pœnas dent aut profligentur. Decimò non manifestans, scilicet inuasorem, vel tunc vel saltem postea. Nec hoc dũtaxat, quando iure naturali adstringitur, sed potissimum quando officio compellitur. Interim sciendum est, quod tantum obligatur quis restituere, pro quanto est causa ablationis iniustæ. Etsi quilibet per se aliquid rapiat, & nullus est causa alicuius subtractionis rerum per alium factæ, sed solum suæ, tunc solum restituere quisque

Rom. 13. *1. Corinth. 6.* *Iubens.* *Consilium.* *Cap. 17. Ser. 16. & 250. de temp. necnon ser. 47. ad frat. in eremo.* *Consensus.* *Roman. 1.* *Palpans.* *Recursus.* *Leg. Eos qui, & leg. Si qui latrones.* *Participans.* *Mutus.* *Non obstans.* *Non manifestans.*

quisque tenetur, quod ipse abstulit, quia nullus alterius crimine damnatur: Si vero aliquis est causa subtractionis rerum per alium factæ vel per omnes alios factæ, quia nullus eorum absque socio præsumpsisset, tum talis obligatur ad damna per omnes facta restituenda. Quando ergo omnes conspirant, nõ ituri singuli per se, singuli restitutioni obnoxij inueniuntur, nec sufficit cuilibet restituere, quod ipse accepit: Si verò vnus iuisset absque socio, vel duo eorum, alijs nolentibus, tunc illi tenentur restituere. Alij autem sunt indemnes, quia non sunt causa furti commissi. Si autem omnes portent simul lignum ponderosum furto sublatum, omnes obligantur, quanquam aliqui fuerint parati soli ire, & ratio est, quia quamuis fuerint parati per se, tamen omnes operantur ad ablationem iniustam huius ponderosi ligni. Sed quî istud intelligendum est de toto damno? Si enim quilibet redderet de furto totum damnum per omnes illatum, tunc videtur consequens, quod ciuitas in bello iniusto depopulata, per mille milites, esset millecuplo ditior, quàm prius, quod tamen non requiritur ad restitutionem. Sensus igitur est, quãdo multi sunt causa damnificationis, vtpote præcipiens, consulens, & cæteri, quilibet eorum tenetur ad damnum totum restituendum in solidum quanquam ipse tantum pars fuerit. Etsi vnus restituat damnificato totum damnum, alij non obligantur illi. Exemplo quod dicitur manifestum fiat; ciuitas iniustè damnificata, id est, damnum passa à centum militibus mille aureorum, non debet recipere in restitutionem, à quolibet milite, mille aureos, quia pro mille aureis, reciperet centies mille aureos, quod est irrationabile. Quilibet ergo miles teneatur ciuitati in solidum, in eo quod deest ciuitati, quousque completam suam recipiat damnificationem, verùm vno totum restituẽte, aut duobus aut tribus, secundum partes perficientibus vniuersam restitutionem, reliqui non obligantur ciuitati, sicque in similibus est iudicandum. Iam adhuc restat scrupulus, an vno restituente vniuersum ipsi ciuitati damnum, alij teneantur illi restituere partem suam ne vnus grauetur vltra alios, qui æquè sunt culpabiles. Dicendum est istum casum tripliciter contingere posse. Primò si res adhuc extent apud ipsos raptores, Secundò si sunt ab eis consumptæ. In istis duobus casibus, tenentur illi dare, qui totum damnum damnificato restituit, quicquid de rebus acceptis habuerint vel consumpserint, quia per restitutionem plenariam damnificato domino factam, efficitur Dominus rerum ablatarum. Vnde hi qui res adhuc habent, vel consumpserint debent refundere illi, qui totam restituit portionem suam. Tertiò contingit, quod nihil vtilitatis ex dãnificatione habuerint, sicut fit in incẽdijs & in

Scrupulus quo modo singuli debeant restituere?

Similitudine dilucidat quod docet.

Vno restituente omnes alij quomodo illi obligentur?

Responsio tripartita.

& in conculcatione segetum. Dicendum ergo quod ille qui damnificato restituit totum damnum, aut fuit ad ipsam rapinam inductus, aut inducens, aut æqualis alijs. Si fuit inductus tenentur illi, qui eum induxerunt refundere æquas portiones, quia quasi ab alijs passus est, qui ab alijs inductus cognoscitur. Si verò ipse fuerit inductor, alij per eum inducti non obliganrur eidem restituere: Si autem æquè spontaneus & æqualis in crimine fuerit, distinguendum videtur, quia ille sine alijs non rapuisset; sic cùm par sit ratio, æqua debet omnibus esse portio. Si autem absque alijs iuisset Tho. de Vio Caietanus arbitratur alios non obligari ad restitutionem rigore iuris, sed humanitatis & æquitatis ratione. Deinde pœnitius intuendum est quid nomine rei alienæ intelligendum sit; Cuius hęc traditur regula: Omnis qui habet rem alienam, tenetur ei, cuius est, eam restituere. Istud dictamen rationis suadet, & æqualitas iustitiæ cōmutatiuæ requirit. Vnde Augustinus: Non dimittitur peccatum, nisi restituatur ablatum. Vt ista iureconsultorum regula plenius intelligi queat; Haud ignorandum est, rem bifariam posse haberi, bona scilicet vel mala fide, habetur autem mala fide, quando res emitur, donatur, accipitur quæ probabiliter scitur esse alterius, exemplo quod dicitur dilucidum fiat. Si antistes aliquis raptores aliquos excommunicasset, nihilominus à talibus emitur calix, vel alia res, de cuius iniustitia non est ambigendum, tum mala fide possidetur, bona fide possidet qui omnino ignorat rem nō esse suam & simul atque iniustitiæ certior factus est, non abnuit cuique reddere quod suum est. Qui autem mala fide habet, tenetur restituere rem quam probe cognouit alienam, vel secundum se, vel pretium eius, nec tutus est in foro conscientiæ, si eam distrahendo rem, pretio quo emerit, vendiderit nihil lucri habendo, nec etiā esse securus debet, si res mortua, amissa violenter, aut quocunque casu ablata seu debilitata fuerit. Sed oportet restituere in optimo statu, quo fuit, quādo scienter rem alienam emendo, sibi vendicauit, quia est directè contra iustitiam commutatiuam. Quocirca reddere tenetur etiāsi Dominus rei nihil pretij vellet dare taliter emēti, nec excusatur à restitutione etiamsi venditor nolit dare tali pretium acceptum in emptione. Si autem bona fide possederit, in foro contentioso posset citatus à Domino rei occasionem sumere citandi venditorem. Si autem iste bona fide possidens, dono rem alteri tribuerit, interea inuenitur Dominus rei proprius, ille qui dono dedit restituere non tenetur. Similiter si recto pretio vendiderit, vti emit, non requiritur retributio. Quamdiu enim homo iniustitiam ignorat, reus non efficitur, vt Augustinus docet, sed ille apud quem res depre-

Res aliena.

Epist. 54. ad Macedonium.

Nō dimittitur peccatum, nisi restituatur ablatum.

Res dupliciter habetur bona & mala fide.

Mala fide possidens tenetur restituere.

De fide & operibus cap. 7.

deprehenditur. Nec tenetur in conſcientia reddere emptori pretium, niſi iuridicè procedat, & tum occaſionem reperiat appellare venditorem. Si autem fide bona dono rem accepiſſet & pretio vendidiſſet, oportet tum pretium reſtituere, quo ditior effectus iniuſtè non ignoratur. Notandum quoq; eſt, ſi res extet, vt pecunia, vas aureum, animal, &c. eſt reſtitutio facienda, ſin minùs, æquiualens; Si verò propriæ famæ denigratio, aut diffamatio reſtitutione contingeret, per confeſſorem maturi conſilij virum, aut aliàs per intermediam tum perſonã, in propria forma reſtitutio fieri poſſet, vel per æquiualens. Sicut ſi quis agrum iniuſto titulo poſſediſſet, poſſet per æquiualens ſatisfacere, quia bona fama melior & pretioſior eſt rebus temporalibus: Melius eſt enim nomen bonum, quàm diuitiæ multæ. Sine tali cauſa non liceret valorem reddere, ſed ipſam rem vel ſimilē, ita quod damnificatus ſit cõtentus. Dãna inſuper illata, priuatio honoris fructuum, ſeminum, vti habetur de Reſtitutione ſpoliatorum, debent recompenſari aliquibus bonis, ita vt ſit ſatisfactum damnificato, viri prudentis iudicio. Cùm reſtitutio ſit actus iuſtitiæ commutatiuæ (vt eſt prælibatum) quę conſiſtit in æqualitate rei ad rem, ideo oportet reſtituere æquale rei ablatæ, item lucrum & fructum inde profectum. Si quãtitas ſit certa oportet tantundē reſtituere; Si incerta ſit res ablata, vel damnum illatum, timorati ſtandum eſt viri iudicio, qui vniuerſis conſideratis determinare poterit. Exempli gratia: Si quis impedit alium à conſequendo officio vel beneficio, ſi diſtributor, vel beneficij collator, antiſtes, abbas, vel alius decreuit alicui conferre beneficium ſuperuenit alius, illum impediēs, & inducit collatorem vt minus digno conferat, quanquam tamen dignus ſit & iſte, tum non ſolùm peccat in Deum, ſed reſtitutioni eſt obnoxius, ad dandum ſcilicet illi magis digno quē impediuit. At iſtud durum videri poſſet, cùm reſtitutio ſit alicui reddere, quod ſuum eſt, iſte autem qui impeditus fuit, nihil iuris in beneficio habuit, ergo nulla (vt videtur) debetur ei reſtitutio. Ideo ſciendum eſt, beneficia eccleſiaſtica, eſſe bona communia eccleſiæ debita per viam iuſtitiæ perſonis eccleſiaſticis dignis. Aliter tamen debetur vni digno ante diſtributionem, aliter poſtea, quandoquidem ante diſtributionem debetur digno, non tanquam proprium, ſed tãquam illi commune, ſicut & cęteris partibus eccleſiæ; Poſt diſtributionem verò ei debetur tanquam proprium: Diſtributio namq; eſt appropriatio rei communis, ad ſingulares perſonas. Vnde ſi quis poſt iſtam auferret, proprium ei auferret, Impediens ergo aliquem, quo minus potiatur officio politico vel beneficio eccleſiaſtico, directè agit contra actum iuſtitiæ diſtributiuæ,

Per intermediã perſonam reſtituere.

Prouerb. 22.

Damna illata reſtituenda.
Cap. Grauis.

Impediēs à beneficio, tenetur reſtituere.

tiuæ, & quanto plus ille actus processit, tanto plus obligatur restitutioni. Deinde notādum est collatorem non esse beneficiorum dominum, sed dispensatorem, quæ dispensatio innititur iustitiæ, nō liberalitati collatoris, sicq; per viam iustitiæ debent ecclesiastica conferri beneficia, adeo vt si scienter minus digno collator conferat, non solùm peccat vitio acceptionis personarum (de qua licet videre optimum libellum Thom. Caietani Summula de peccatis nuncupatum) verumetiam iniustitiæ, vt perspicuum fieri potest. Nec aliquis sibi blādiatur se nō arctari legibus iustitiæ distributiuæ, vt queat facere quod velit, cùm Apost. dicat: Sic nos existimet homo, vt dispensatores, non dominos, &c. vti habetur de donationibus. Iam cōsideratione opus est, an quis obligetur restituere, si impediat alium æquè dignum. Et manifestū est quod nō, quia non violatur iustitia distributiua. Præterea haud dissimulandum videtur, si desiderans aliquod beneficium teneatur restituere, quādo propter se dignior posthabetur. Respondēdum est quod si procuretur cum iniuria dignioris, restitutio est facienda, quia iustitia distributiua violatur. Si autem petatur absque alicuius præiudicio, tunc in conscientia tutus esse potest, posset tamen collator hunc minus dignū, promouere ob certas conditiones, quibus pollet in rebus gerendis, magis quàm alium sanctiorem & doctiorem, modò non intendat huic nocere, sed aliàs prouidere. Quantitas restitutionis, quę debet fieri per eum qui magis dignū impediuit, non secundū æqualitatē beneficij fiat, quia non erat ei proprium, poterat siquidem multis impediri modis, sed ad arbitrium timorati viri restituatur, vti docet D. Tho. Si autem testamenta impediantur aut etiam reuocentur ex odio aliáve causa, posset ibi esse mortale delictum, potissimùm si reuocentur absq; legitima causa, nihil tamen esset restituendum; Iustitia namq; hic non violatur, sed liberalitas qua nulli obligabatur, retrahitur. Rursus si ablatus sit equus, ita quod agricola nequeat arare, vel alijs elocare, oportet iusti viri arbitrio restituere: Non enim ei debetur quod inducta consuetudine ex talibus solet haberi, quia multipliciter potuit impediri. Ei quoq; hæc facienda est restitutio à quo aliquid iniustè ablatū est vel detētum. Sed difficultas oritur. Si res accepta sit à non domino, vtpote dispensatore, thesaurario, vel ab eo qui rem vsura extorsit. Respondendum existimo; Si accipiatur ab eo qui iniustè possidebat per vsuram vel rapinam, non debet restitui, à quo accepta est, sed domino rei; Debet tamen tum insinuari bono medio raptori, si fortè resipiscat, ne rursus domino restituat, teste D. Augustino. Quid autem agendum sit de rebus quorum dominus mortuus est vel incognitus, habet

Collator beneficij qualis esse debeat?

Ex 2. 2. D. Tho. q. 62.

1. Corint. 4.

Cap. Fraternitatem.

2. 2. q. 62. & Caieta. ibidē.

Testamēta retracta nō sunt restitutioni obnoxia.

Cui restituendum?

Epist. 54. ad Macedoniū, et allegatur 14. q. 4. cap. Quid dicam?

habet D.Tho. vbi supra satis fuso tractatu eo loci & Caietanus,qui volunt dominũ diligẽtiori opera inquirẽdum,si rum nequeat inueniri, eius nomine erogetur pauperibus. Viderint ergo qui rapiunt, omniaq; corradunt per fas, per nefas, cunctaque salua fore existimantes, si fenestram,calicem, casulam, &c. de mammona iniquitatis fecerint, & interea dominus fraudatur: Immolãtis ex iniquo oblatio est maculata. & postea; Dona iniquorum non probat altissimus, nec respicit in oblationes iniquorum, nec in multitudine sacrificiorum propitiabitur eorum peccatis. Qui offert sacrificium ex substantia pauperum,quasi qui victimat filium in conspectu patris sui. Huic adstipulatur beatus Ioannes Chrysost. ad populum Antiochenum, & D.Gregor. qui graui indignatione tales suggillant. Et si patrem crudeli aliquis ferro peremerit, satisfaciendum est liberis educatore destitutis & orbatis. Si tantùm læsus fuerit, restituatur quantum verisimiliter lucratus fuisset, sicuti habetur Exodi 21. & 22. Si res inuentæ, vt lapilli, gemmæ, &c. quæ nunquam dominum habuerunt, sunt inuentoris. Si ab antiquo illis fuerit dominus, vt thesauris in proprijs inuentis, similiter sunt inuentoris, lib. 2. Institutionum, Si reperiantur in alieno fundo, diuidantur inter inuentorem & dominum; ibidem, Si verò dominus sua dereliquit,quippe qui necessitate compulsus,sua proiecit in mare, & pro derelictis habet,vt præmissum est, tunc sunt inuentoris; ibidem,Alioquin illa surripere,est furtum committere,eo loci. Qui autem piscando colligit talia, intentione domino restituendi, magnum spiritualis gratiæ inde reportabit lucrum. Si retia ac aliqua huiusmodi nauem concernentia in mari reperiantur à naui dissecta, naucleri sportam malo affigendam, donec ille qui amisit,sua signa ediderit, suspendant, si nemo in mari compareat, coguntur redeuntes,rei gestæ seriem officiali manifestare. Quod si bona aliqua maris inundatione dimersa per anni circulum liberis fluctibus relicta fuerint, fisco regis applicabuntur, si aggeribus ante anni spatium circundata fuerint, reperantur, tantum impendere debebunt,qui possidebant, quantum expensarum proportionabiliter constat esse factum,quẽadmodum docetur lib.2. Ordinationum Imperialium, ac statutorum Regiæ maiestatis. Si inuentor sit pauper, quando dominus manet incognitus,potest se inter pauperes computare. Si dominus magna locorum intercapedine dissitus sit, significandum est,quid de re sua fieri velit. Et si fortè maiores expẽsæ valore rei essent faciendæ, si sint res iniustæ detentæ, proprijs expensis eas debet curare domino restituendas, nec domino in aliquo damnum inferre, siue ille alio commigiârit, siue

Eccl 24. *Ex fur. o offerre illicitum.* *Homil.60.* *Li.12. Moral. cap.23.* *Damna illata restituenda.* *De Rerum diuisione. §. Ite lapilli.* *De rebus inuentis quidfaciendum.* *§. Hoc amplius.* *§. Alia sanè.* *Rubrica 1. fol. 351. et 359.*

siue fur vel raptor extraneus factus fuerit. Nec differenda est ad multos annos, sed protinus quod suum est, cuique est tribuendum, vt patet Deuter. 24. Non tamen media nocte, aut inter missarum solennia, si occurrat, sed statim, id est, non differendum est ad tempus longum, nisi sit causa excusans. Sed difficultas oritur quando restitutio nequit fieri protinus, sine magno restituentis damno, an tum possit procrastinari, vt successiuè fiat vel tota congruo tempore. Dicendũ occurrit, quod si debitor alieno ære grauatus, extrema vel magna conflictetur necessitate, ita quod ea quæ habet restituere sint ei simpliciter necessaria ad vitam conseruandam, non obligatur, ilicò restituere. Sed intelligere si velis casum de opulentis, alijsque mediocris fortunæ hominibus qui si restituerent, paruum damnum incurrerent. Respondet Caietanus super Tho. quod debeant statim restituere rem ablatã, etiamsi pauperem cogerentur ducere vitam. Posset tamen restitutio aliquo modo differri, maximè si dominus damnũ nõ incurreret, & potissimùm si tales debitores creditoris impetrent dilationem. Nec cessio bonorum per leges & iura introducta (de cessione bonorum, lege Is qui bonis, & leg. Qui bonis suis) aliquem in conscientia tutum facere debet, sed vbi ad pinguiorem conditionem peruenerit, restituere obligatur. Haud secus quando quis scandalosis exemplis impactus in voraginem vitiorum prolapsus est, tum post melioris consilij admonitione emendatiorisque vitæ correctione, in pristinum statum reponendus est, quemadmodum docetur Exodi 22. Si egressus ignis, &c. & Matth. 18. Qui scandalizauerit, &c. Nequaquam tamen debet discurrere per mare per terras, per mille discrimina rerum, vt reducat dissuadẽdo peccata, inducendo ad meliorem vitæ frugem, per se deprauatos, sed veram condignamque pœnitentiam ostendat & conuersionem, qua allecti exorbitantes, à diaboli laqueis resipiscant. Quod mihi & omnibus nobis largiri dignetur pius pater & misericors Dominus, Amen.

Quando restituendum?

2. 2. q. 62.

Cessio bonorũ.

Scandalo impacti quomodo reuocandi?

De Eleemosyna. CAPVT XI.

QVEMADMODVM iniusta rerum detentione offendimus, istudq; præceptum præuaricamur: ita restitutione ac eleemosyna, instar Zachæi, Deum nobis promeremur, gratiamq; eius nobis cõciliamus. Cẽsetur autẽ eleemosyna esse opus, quo porrigitur aliquid indigẽti, ex cõpassionis affectu propter Deũ. In qua descriptione vniuersa tangũtur quæ eleemosynæ naturã cõcernunt. Miseria siquidem egenorum efficit nos compati, eisq; subuenire, nõ ex vanitate, sed charitate propter Deum. Bifariam autẽ diuiditur, in cor-

Eleemosyna quid?

Duplex eleemosyna.

Subdiuisio corporalis eleemosynæ. in corporalem aut spiritualem. Corporalis subdiuisione secatur in eam quæ ante mortem erogatur, & quæ post vitæ huius transitum exhibetur. Prior magnis laudum preconijs extollitur, in Thabira, in Centurione Cornelio, in Zachæo, atque eius septiformis administratio hoc hexametro, teste D. Bonauent. & D. Thom. comprehenditur:

Act. 9 & 10. Luc. 19. Super tex. 15. dist. in 4. sent. 2. 2. quæst. 32. art. 2.

Visito, poto, cibo, redimo, tego, colligo, condo.

Quorum obseruatio, nouissimi ac œcumenici illius iudicij rigidam comprobabit sententiam, Matt. 25. Eius quę post obitum exhibetur, mentio fit Tob. 1. quæ & laudem commeretur in pagano simul & efficaciam: Cùm enim Simonides nauem littori appulisset, inhumatúmque cadauer quod ibidem offendit, tumuli penetralibus inclusisset, à defuncto commonitus extitit, ne proximo die vela dando, naufragium procellosa vi venti incurreret, vbi alię naues periculis maris se committentes, scopulosis anfractibus illisæ perierunt, teste Valerio Max. Profuerit hic obiter annotasse, eleemosynam ante mortem erogatam plus energiæ habere, quàm post mortem. Beatius quippe est liberum exire, quàm post vincula libertatem requirere, & frustra quoq; post mortem medicina paratur. Vnde dicitur, Ante languorem adhibe medicinã. Vtinam istud multis diuitibus esset persuasum, eorumque cordibus impressum; mallent dubio procul vnã candelam ante se viam præparare, quàm duplicatas post tergum parum iuuare, teste beato Bonauent. loco prælibato, vbi triplicem producit dicti rationem. Primò si opulenti superstites eleemosynas largas distribuerint, aut saltem redditus suis pecunijs quibus abundant, compararent, ratione piarum fundationum instituẽdarum, præter maioris pœnæ remissionem, etiam maiorem sibi cumularẽt gratiam & gloriam. Plus siquidem meretur actualem elargiens eleemosynam, quàm tantum dare disponens, teste Bernardo, & D. Gregor. quod voluntatem habeat maiori firmitate solidatam, quàm ille qui solo sibi proposito blanditur. Secundò magis satisfacit, plusq; pœnæ sibi adimit, qui sic pręsenti effectu Missas celebrari instituit, aut egenis succurrit, quàm si eadem tamen eius institutione fierent post mortem, quãdo retinere bona nequit, & sua non sunt: Nam tunc dat non quasi proprium, sed quasi alienum, iuxta illud:

Lib. 1. cap. 7. Melius est ante mortem erogare. Eccl. 18. Serm. de Innocentibus. Lib. 18. Moral. cap. 22.

Da tua dum tua sunt, post mortem tunc tua non sunt.

Tertiò quia testamentorum exequutores & hæredes haud rarò sunt infideles, ita vt sibi magis cõsulant, quàm alijs, suisque negotijs magis inuigilent quàm alienis. O homo si hic es permansurus, quæ tua sunt, hic reponas, si autem illic iturus es, cur ea hic relinquis? Manus pauperũ est Christi gazophilacium, quia quicquid præstiteris pauperi, Christus accipit.

Manus pauperũ est Christi gazophilaciũ.

Da pau-

Da pauperi terram (aurum enim est rubra terra secūdum D. Bernard.) vt accipias cælum, da nummū vt accipias regnum. Vnde Aug. Si meditareris proficisci in lōginquam regionem, & hic illius regionis ciuem offenderes pauperem, dicerésne, dabo hic vt detur mihi ibi? pauperes sunt ciues regni cælorum. Altera est spiritualis, cuius meminit August. in Psal. 11. Et Gregor. Duo sunt, inquiūt, benignitatis officia beneficiorum corporalium erogandorum, & ignoscendorum peccatorum. Itē: Duplices sunt eleemosynæ, vna cordis, alia pecuniæ; Eleemosyna cordis est dimittere ei à quo læsus es: Nam quęris aliquando dare indigenti, nec habes. Indulgere peccanti quantum volueris, redundabit tibi. Potes dicere, non habeo quod tribuam egeno, nequeo ieiunare frequenter, quo minus autem omnes homines diligas, nunquam te poteris excusare. Huius generis est correptio fraterna, teste Ioanne Chrysost. & Bernard. nec ista duntaxat eleemosynæ spirituali attribuitur, sed & sextupliciter, teste Seraphico doctore, præfato loco completur, iuxta illud:

Aurum rubra est terra. *Ser. 4. de aduentu.* *Serm. 76. & 245. de temp.* *Lucæ 16.* *Lib. 22. Moral. cap. 8.* *Lib. 50. hom. homil. 6. & ser. 5. de verbis Domini.* *Correptio fraterna.* *Hom. 1. et 40 ad pop. Antioc.* *Serm. 42. super Cantic.*

Consule, castiga, solare, remitte, fer, ora.

Isti autem nobiliores sunt quàm corporales eleemosynæ, sicut anima præponderat corpori, nisi cōparentur ad aliquem particularem casum, in quo corporalis spiritualem, necessitudinis ratione superet, siquidem iustius est pascere fame morientem, secundum D. Thom. quàm tum docere nescientem. Vt autem cognoscamus quorum sit elargiri eleemosynam, aduertendum est inferiora subesse superioribus, itaque pronuntiamus seruum siue ancillam nō habere distribuendi eleemosynas potestatem, absque consensu Domini expresso vel interpretatiuo, nisi in rebus paruis, vtpote pane, olere, & eius generis alijs, quæ notabile hero non inferunt nocumentum, teste D. Thoma. Grande tamen piaculum nō euadunt, qui res potius putrescere sinunt àpud se, quàm alijs vtiliter expendant, sicut qui carnes malint esse vermiculosas, panem mucidum antequam pauperibus impartiri velint, imò vix ad necessitatem comedere audent, quòd semper locupletes penuriam instar Tantali, sustineant. Vxor tamen triplici casu potest eleemosynam facere absque viri consensu, secundum D. Thom. Primò si fuerit coniunx lucrosa, Deinde si aliqua possideat vel habeat præter dotem. Tertiò si faciat eleemosynam de rebus suæ curæ commissis, quæ approbato more solent ad dispensationem vxoris pertinere. In extrema tamen necessitate non est mariti aut hæri requirendus consensus, quia tum omnia sunt communia, adeò vt si quis illa ratione furtum committeret, à peccati labe immunis existeret, secundum D. Thom. Non tamen intelligitur ipse articulus

2.2. q. 32. *Qui debēt erogare eleemosynas?* *In scripto 4. dist. 15.* *Vxor quomodo facit eleemosynam?* *2.2. quæst. 32. art. 2.* *In scripto 4. dist. 15.*

extremæ

extremæ necessitatis, quando quis nimia pressus inedia videtur animam agere, tum namque nullum eleemosyna produceret fructum, sed quando probabili ratione, & verisimilibus argumentis cognoscimus egenum lapsurum in magnas (nisi inopiæ suæ subueniatur) tribulationes, secundum sanctum Ioannem Chrysost. ad populum Antiochenum. Hinc Christus tacuit omnia iniquorum crimina, & solam eleemosynæ sterilitatem, esse censuit improperandam. Huic quadrat sententia illa trita, quæ ex serm. Ambros. 81. est desumpta: Pasce fame morientem, si non pauisti, occidisti. Nec solùm ratione accipientis, verùm elargientis, secundum Thom. periculo peccati læthalis constringitur homo superflua dispergere pauperibus, iuxta Dominicam sententiã positam. Quod superest, date eleemosynam. Vide Aug. & D. Basilius insigni cõcione, qua dilucidat illud Luc. 12. Destruã horrea, & sequẽti, quod diuitibus applicat: Si non dederis, inquit, res alienas inuasisti. Quod neutiquam accipiendum est, quasi opulenti nihil præter necessitatem proprium possideant, sed vehementiori exaggerandi modo diuitum auaritiam, in rebus hæreditario iure possessis, suggillant. Nec aliquatenus superfluum est dimetiendum ex possidentis qualitate, sed etiam aliorum quorum cùra sibi incumbit, conditione. Quod non constat in indiuisibili, quoniam multa tali addita valent dici necessaria, & pluribus subtractis remanent adhuc sustentationi quotidianæ congrua; Aliàs eleemosynam diuinum inducit consilium, secundum beatum August. & D. Ioannem Chrysost. Omnium tamen obtutibus figẽdum est speculum, quod nobis composuit Ioannes euangel. primæ epistolæ. Qui habuerit substantiam huius mundi, & viderit fratrem suum necesse habere, & clauserit viscera sua, quomodo charitas Dei manet in illo? Viduas docet etiam de necessarijs Helias esse sustentandas; & beata mulier Luc. 11. ante diem iudicij meruit iudicis voce laudari, qui non considerasset quantum, sed ex quanto duo minuta dedisset, teste Cypriano. Acceptius siquidem sacrificium est cum parcitate proprium, quàm adfluenti ostentatione alienum, quod triplici modo fieri adsolet: Primo aliquid iniusto titulo possidetur, quoniam dominium non transfertur vti videre est in furto ac rapina; sic Gedeon fecit vestes sacerdotales de prædis, & factum est illi in ruinam & scandalum, Dauid quoque agrum pretio maluit redimere, quàm iniustè rem alienam occupare. Nec immeritò, nam Sapiens docet, quod offerens sacrificium de substantia pauperũ quasi qui victimet filiũ in conspectu patris, vt distinctè edocet D. August. Secundò ex vsura nequit fieri eleemosyna, secundum Aug. & Bonauent. & Thom. eo loci. Nihilominus haud

Homil. 12. Math. 25. Pasce fame morientem, si non pauisti occidisti. 22. q. 32. art. 50. Luc. 11. Quod superest da pauperibus. Serm. 219. de temp. Super Psalm. 103. ser. 9. de verbis domini. Homil. 72. in Matt 55. super Genes. & 14. super epistolam ad Romanos. Cap. 3. & Iacob 2. 3. Regum lib. cap. 17. Lib. de opere et eleemosynis. Iud. 8. 2. Reg. 24. & 1. Paral. 21. Ecclesiast. 34. Serm. 35. de verbis Domi-

haud illicitum censeri debet si concionatores beneficia percipiant vsurariorum, quoniam duplici via licitum hoc esse non ambigit D. Thomas. Priori quòd fideli persuasione inducant ipsum propriæ salutis habere rationem, restitutionemq; esse faciendam; Non enim dimittitur peccatum, si non restituatur ablatum, Augustino teste: Posteriori quòd fideliter partes creditorum agant vt suum cuique tribuatur. Quod autem Simonia acquisitum est, secundum D. Thom. debet erogari pauperibus, neuter enim vel reddens vel recipiens iusto titulo sibi vēdicare posset. Tertiò aliquid est illicitè acquisitum, vt quod latro acquirit latrocinio, meretrix suo turpi lucro, de quibus licet fieri queat eleemosyna; neqnaquam tamen de eo fieri debet sacrificium, vel ad altare oblatio, cùm propter scandalum, tum propter sacramentorum reuerentiam, teste Chrys. homilijs. Iam studiosa consideratione aduertendū est, quid præterea in largiente & quid in recipiente adesse oporteat. Primò charitate præditum oportet dantem esse, teste Paulo: Si distribuero omnem substantiam, &c. Et Ecclesiast. 32. Miserere animæ tuæ, placens Deo. Hinc monet D. Aug. vt eleemosyna incipiat à seipsa, id est, vt ex bona radice & puritate conscientiæ procedat; Peccatis namq; inquinari, & nihilominus eleemosynas multiplicare, est Deum quidem osculari in vna maxilla, sed alteri ignominiose alapam infligere, secundum doctrinam Aug. & D. Gregor. Nihil obstat tamē, quin eleemosyna debitum sortiatur effectum per famulum aut ancillam minus frugi erogata, cùm radicem distributionis habeat charitas, mittentis. Si verò eleemosynarum exequutio non sit ab hero charitatem habente ordinata vel intenta, sed aliquis peccato mortali obnoxius ad intentionem huius vel illius eleemosynam præstat, nil proficit, quia exequutor est principalis actor, cui deest radix meriti, charitas, ex qua omnis meritoria actio procedit. Deinde teste D. Bonauent. debet adesse hilaritas, iuxta illud Pauli: Hilarem datorem diligit Deus. & Eccle. 35. In omni dato hilarem fac vultum tuum, quali enim vultu facimus, tali respicit Deus. Debet quoque fieri abundanter. Si multum tibi fuerit, abundanter impartiri stude, si parum, exiguum communicare non graueris. Nam si magna pauperi commoda adferre nequeas, saltem particulam panis, saltem laticem bibituro præbeas, saltem lectulum in angulo domus reponas, saltem poculū aquæ non pretio calefactæ, sed frigidæ porrigas. Aug. debet etiam fieri festinanter, quemadmodum docet sapiens in paræmijs. Ne dixeris abi & reuertere cras, ego dabo tibi, cùm possis cōtinuò benefacere. & Eccle. 4. Cor inops ne afflixeris, & non protrahas donum angustiati, & qui cito dat, bis dat. Intentio

recta

ni 21. de ciui. Dei ca. 27. et ser. 21. de verbis Apostoli.
Li. 4. dist. 15.
Epistola 54. ad Macedonium.
Quotlibeto 12 articulo. 30.
22. q. 32.
8. 36. 78. & 79. super Matth. 76. in Ioannē, 3. 20 26. 76. super Genesim.
Quid requiritur in bene dante eleemosynas?
1. Corint. 13.
30. de verbis Domini.
Li. Enchiridij c. 76. & 76.
Li. 12. moral. cap. 23.
Eleemosyna famulæ distributa qualis valoris.
Super text. di. 15. lib. 4. sententiarum.
2. Corint 9.
Tobiæ 4.
Matt. 10.
Serm. 62. de tempo.
Prouerb. 3.

recta, est etiam necessaria, quia Matth. 6. hypocritæ recepe-runt mercedem suam. Quædam ex parte suscipientis, vt liquidò constat ex descriptione, quia egenis est impartienda, Psalm. 40. Beatus qui intelligit super egenum & pauperem. Luc. 14. Cùm facis cōuiuium, voca pauperes & debiles, inter istas, domestici Dei magisque timorati alijs sunt præferendi.

Serm. 4. septimi mensis. Eccle. 12. Da bono, & ne receperis peccatorem. His consentanea est Theologia sancti Leonis, & August. lib. 50. homiliarū *Lib. 1. de doct. Christ. ca. 28.* homil. 39. nec peccatori potissimum impēditur, sed membro & creaturæ Dei subuenitur, teste August. Vniuersis tamen *Super Psalmum 102.* præstat esse benignū, ne fortè ipse cui recusauerimus, ipse sit Christus, August. de doctrina Christ. ca. 1. & ser. 70. de temp. Hinc consuetudo non ambigitur in ecclesiā Dei introducta, *Ecclesiæ pauperes alit.* qua pauperes certis temporum spatijs peculiares ab æditnis Spiritus sancti perciperēt eleemosynas: Nam tempestate D. Ioānis Chrysost. ecclesia procurare debuit tribus milibus virginum & viduarū inopum necessaria, præter incarceratos & & Xenodochium inhabitantes, quemadmodum liquidò con-*33. 34. et 36 ad Antiochen.* stat ex homilijs. Haud secus tria milia sanctimonialium sustentabātur Romæ redditibus principis Apostolorum. Reci-*Lib. 6. epistola 187.* piebant siquidem 80. libras annuas, teste Greg. quod & Apostolorum tēporibus practicatū discimus, ex posteriori epist. *Cap. 8. & ad Philip. 4.* ad Corint. Veruntamen si omnibus prodesse nequeas, his potissimùm cōsulendum est, qui nobis sanguinis propinquitate iūcti sunt, aut etiā cum quibus familiarior cōuersatio inter-*Esa. 58.* cesserit, iuxta illud: Si videris nudū, vesti, & domesticos semi-*1. ad Tim. 5.* nis tui nō despicias. &: Si quis suorū & maximè domesticorū non agit curā, fidē denegat, & est infideli deterior. Et si quid erogare oporteret quod pluribus impēdi non possit, forte decidenda est controuersia, si vel maior egestas vel alterius fa-*Lib. 1. de doct. Christ. ca. 28.* miliaritas cui danda sit non decernat, teste August. Profectò si non defraudentur à desiderio suo qui sycophantæ, discolo, *Matth. 10.* aut alioqui minus frugi homini pręstent eleemosynā Multò minus qui ministris Dei opem ferunt, in terra vitam angeli-*Lib. 3. epist.* cam ducentibus, secundū B. Cyprianū, ad presbyteros & diacones, & D. Hiero. epist. ad Demetriadē. Hinc non immeritò anathematis gladio est percussus Ioannes Wiclef in Concil. *Sess. 8.* Constantien. vbi proscribitur trigesimus quartus eius articulus, qui sic habet: Dantes fratribus mendicantibus eleemosynam, eo facto sunt excōmunicati. Quod si verum esset, Dominus aquæ frigidæ, etiam cuicunq; concessæ exhibitionem non ita extulisset, quod non perderet mercedem suam, & à B. Aug. vocatur secūdus baptismus lib. 50. homil. 39. A Chry-*Homil. 33. ad Antiochenos.* sost. autem dicitur ars quæstuosissima. Nec immeritò, quia super tabulatum fructum non producit semen, sed terræ

finibus

finibus commiſſum, tam vberem vt curru aduehi oporteat. Quo manifeſtum euadit neminē eleemoſynarum largitate ad inopiam redigi, ſed erogando mirabili modo potius locupletari, teſte Ambro. & figuratur 3. Reg. 17. in vidua quæ pro ſubcinericio pane multiplicata olei vaſa, ſecundùm diuinæ pollicitationis fidem recepit, teſte Cypriano lib. de opere & eleemoſynis. Prouerb. 28. Qui dat pauperibus, nūquam egebit, &c. Et qui adminiſtrat ſemen ſeminanti, & panem ad edendum præſtabit, & multiplicabit ſeminationem veſtram, & augebit incremēta frugum iuſtitiæ veſtræ. Nec tranſitoria ſolùm multiplicat bona, verùmetiā à diſcriminibus impendentibus præſeruat eleemoſyna. Vnde Hieronymus epiſt. ad Nepotianum, & Auguſt. Non memini me legiſſe mala morte præuentum, qui miſericordiæ opera diligenter exercuit. Quin & à peccatis liberat. Daniel. 4. Peccata tua eleemoſynis redime. Tobiæ 4. Eleemoſyna à morte liberat. Eccleſ. 3. Reſiſtit peccatis. Lucæ 11. Date eleemoſynam & omnia munda ſunt vobis. Non quaſi protinus habeatur ſcelerum remiſſio, quando aliqualis facta fuerit eleemoſynæ largitio, ſed duplici modo à peccato liberare intelligendum eſt; Vel impediendo futurum, ſicut alia meritoria vitæ opera hominem in gratia conſeruant, vt gratiarum incrementa ſumat, & peccata deuitet Act. 10. Vel à præteritis & commiſſis liberando, quod diſponunt in peccatis exiſtentem ad gratiam recuperandam & remiſſionem, intermedijs ſacramentis obtinendam, ſicut alia opera de genere bonorum, recta intentione facta, teſte D. Bonauent. Qui autem exiſtit in ſtatu gratiæ, ſuis eleemoſynis meretur ſemper venialium remiſſionem, teſte D. Aug. Greg. Nazianzen. & Amb. Nec ſuam modò energiam oſtendit in præſenti, ſed etiam in futuro, nam leuiorem facit purgatorij pœnam, Act. 9. & Aug. Deniq; & Chriſtum videre facit omnium tributorem, & hic & in futuro. De priori legimus in vita ſancti Martini apud Seuerum Sulpitium, quomodo Chriſtus apparuit S. Martino, inquiens, curiæ cæleſti, Martinus adhuc cathecumenus hac me veſte contexit. D. Gregor. quoque, commemorat quendam patremfamilias, hoſpitio ſuſcepiſſe pauperes, vt patres veteris teſta. miſſos faciamus, cùm autem ex more manus eorum ablueret & vrceum acciperet, abluendus diſparuit, ille ſecum mirabundus cogitabat quid hoc eſſet, & nocte per viſionem Dominus ei apparuit dicēs; Cæteris diebus me in membris meis, heſterno autem die me in memetipſo ſuſcepiſti. Huic perſimile eſt quod legimus, apud Greg. Turonē. Nam ciuis quidam Antiochenus ſemper vnum vel plures ſuæ menſæ admittere ſolebat pauperes, quos requirendo cum non inueniſſet, ciuitatem exeundo, inſtar Abrahæ,

Eleemoſyna fructus. *Serm. 81.* *2. Corinth. 9.* *Serm. 44. ad ſrat. in eremo.* *Morte mala nō moritur qui dat eleemoſynā.* *Quomodo liberat à peccato?* *Lib. 4. ſenten. diſt. 15. art. 2.* *Epiſt. 54. ad Macedonium.* *Orat. 16.* *Lib. 1. Offic. cap. 11.* *Lib. de fide ad Petrum.* *Chriſtus apparet eleemoſynā facientibus* *Homil. 23. lib. 40. homiliarū.* *Lib. 10. c. 24.*

Abrahæ, vnum seniorem candidis vestibus amictum cum 2. alijs offendit, quos cum inuitasset, sudarium senior quasi expandendo, ciuitatē euertit, significans nihilominus ipsum instar Loth euasisse ob crebras eleemosynas egenis impartitas, quanquam amici eius occubuissent. De posteriori legimus Matth. 25. vbi largis eleemosynis locupletes singulari præsentissimæ Deitatis visione freti merentur peculiarem præ reliquis benedictionem, quam nobis omnibus largiri dignetur patriarcha pauperum Christus Iesus, qui est super omnia benedictus, Amen.

OCTAVVM PRÆCEPTVM.

Non loqueris cōtra proximum tuum falsum testimonium.

De vitio linguæ in generali. CAPVT I.

QVVM non solùm hoc præcepto inhibeatur falsum testimonium, de quo habetur Exodi 20. & Deuteron. quinto, sed omnis sermonis prolatio, qua proximus læditur aut Deus offenditur, secundum Greg. Magnū, ita quod omne nocumentum ac iniustitiæ genus, quod verbo potest inferri proximo interdicatur. Hinc est quod iuxta seriem Alphabeti, certas linguæ species duximus prȩferendas, quibus contingit rarum esse, qui non delinquat in lingua sua, perfectumque esse Iacobi tertio, qui verbo non offendat. Quocirca summopere adnitēdum est, summoque conamine laborandum, vt discretionis virtute discamus nostram moderari linguam, nihilque effutiamus, quo Deum offendamus, aut proximum exasperemus. Ad quod cùm primis adducere debet nos sacra pagina, dicit namque Sapiēs: Mors & vita in manibus linguæ, qui diligunt eam, comedent fructus eius. Et: Beatus vir qui non est lapsus verbo ex ore suo. Et: Si quis in verbo non offendit, hic perfectus est vir, vbi B. Iacobus exponit, quàm difficilè sit linguam refrenare, inquiens: Omnis natura bestiarum, & volucrum, & serpentum, cæterorumq; domantur & domita sunt, à natura humana; linguam autem nullus hominum domare potest, non quod impossiblitatem statuat, sed difficultatem ostendat, secūdum D. August. Si enim simpliciter non potest domari, non posset homini ad peccatum imputari, quod linguā suam non

Lib. 3. Moral. cap. 8.

Primū inducit ad linguæ frænum.

Prouerb. 17.

Eccles. 14.

Iacob. 3.

Difficile est non offendere lingua.

Lib. de natura & gratia, ca. 25. & ser. 4. de verbis Do.

non domaret, quia nemo compellitur ad impossibile, secundum eundem, & concil. Trident. Virginem quoq; gloriosam quater duntaxat in scripturis sermonē miscuisse cum aliquo, testatur D. Bernar. Deinde ad linguæ cohibitionem inducere debent plurima mala & peccata quæ nascuntur ex laxitate & immoderata linguæ licentia. Siquidem ex ea oriuntur reliquæ quæ sequuntur (tanquam ex equo Troiano) species in quibus non deest peccatum, ac multa alia mala, quæ D. Iacobus habet suæ epist. cap. tertio: Lingua, inquit, modicum quidem membrum est, & magna exaltat, ecce quantus ignis, quàm magnam siluam incendit, & lingua ignis est vniuersitas iniquitatis. Lingua constituitur in membris nostris, quæ maculat totum corpus, & inflammat rotam natiuitatis nostræ, inflammata à gehenna. & paulò post; Inquietum malū, plena veneno mortifero. In ipsa benedicimus Deum & patrem & in ipsa maledicimus homines, qui ad imaginem & Dei similitudinē facti sunt. Ex ipso ore procedit benedictio & maledictio; Nunquid fons, ex eodem foramine, emanat dulcem & amaram aquam? Tertiò ad linguę refrenationem ipsa corporis nostri plasmatio, ab optimo maximo Deo creatore nostro in organis visus & auditus constituta & obseruata conducit; Duas siquidem aures cuique hominum dedit, easque patulas, nunquam obstructas; Linguam verò vnicam, dentium vallo obseptam, ac labiorum munitione occlusam, teste beato Ioanne Chrysost. Ambros. Quo docerent ex huiusmodi corporis nostri fabrica, nos ad audiendū esse promptos atque attentos esse debere, ad loquēdum autem tardos, quod D. Iacobus admonet dicens: Sit omnis homo velox ad audiendū, tardus ad loquēdum. Pone Domine custodiam ori meo, & ostiū circunstātiæ labijs meis, vt nō declinet cor meū ad verbū malum, ad excusandas excusationes in peccatis. & iterum: Dixi custodiam vias meas, vt non delinquam in lingua mea. Super qua sententia dissimulandum non est, quod habet Tripartita historia de sancto Pambo, qui quum sine literis esset, accessit quendam vt psalterium addisceret posset. Audito autem primo versu præmissi Psalmi, Dixi custodiam vias meas, vt non delinquam in lingua mea. Secundum versum non passus est audire, inquiens, Si potuero opere hoc implere, hic versus tantummodo mihi sufficiet; Cumque doctor qui ei versum prælegerat, accusaret eum negligentiæ, quod per sex menses lectiones frequentare non adiecisset. Respondit se versum illum adhuc opere non complesse, postea vero cùm multos superuixisset annos, à quodam sibi familiari requisitus, an iam versum calluisset? Quadraginta, inquit, & nouem annis, vix quod illis comprehenditur assequutus

Virgo gloriosa quater loquuta legitur. *Serm. 61. & 205. de temp.* *Sess. 6. cap. 1.* *Serm. secundo post sermonē de Assumptione.* *Prouerb. 10.*

3. Quod inducit linguæ moderatū vsum.

Homil. 22. ad Antioch. *Li. de S. Ioseph 2. ca. 5. & Basilio de virgin.* *Cap. 1.*

Psalm. 38.

Lib. 8. cap. 1. *Exemplū custodiēdę linguæ*

4. Inducũt ad lingua frenū. quurus sum. Vltimò inducere debent ad linguam compescendam præclara authorum secularis literaturæ documenta. Sic etenim Cato:

Virtutem primam esse puta compescere linguam.
Proximus ille Deo est qui scit ratione tacere.

Et iterum:

Nam nulli tacuisse nocet, nocet esse loquutum.

Vnde Solon vnus ex septem Græciæ sapientibus interrogatus, cur cæteris loquentibus taceret, respondit, quia me loquutum fuisse pœnituit, tacuisse verò nunquam. Hesiodus quoque linguam non vulgandam, sed perinde atque thesaurum recondendam esse, eiusq; in promendo gratiam existere
Lib. 1. Noctiū Atticarū c. 15 plurimam (si parcis mensuret singula verbis, reste Aulo Gellio, pronuntiauit.) Postquam ergo prohibuit legislator opere
Epiphonema præmissorum præceptorum. proximum lædere in corpore, cui non debemus mortem inferre, aut etiam illicita carnalis copulæ commixtione violare, subiecit ne in bonis illi iniutiam furando faciamus, optima igitur methodo subnectit, ne vel verbo lædamus.

De Adulatione. CAPVT II.

2.2.q.115. ADVLATORES sunt, qui supra debitum virtutis modum, secundum Thom. volunt alios verbis, vel factis, gratiæ captandæ causa, vel lucri adipiscendi, oblectare. Dicitur (supra debitum virtutis modum) quia virtutis & amicitiæ censetur insigne, si quis amicum, ne tribulationum procellis absorbeatur, laudibus aures eius demulcendo confortet, vel vt bonis persequendis solito studiosiùs inuigilet, iuxta illud:

Excitat auditor studium, laudataq; virtus
Crescit, & immensum, gloria calcar habet.

Verùm aliquos magnis laudum præconijs extollere, de ijs quæ non habent, vel potiùs vituperio, quàm laude digna sunt
Psalm. 9. hoc mandato prohibetur. Reprobat namq; Dauid, quod laudetur peccator in desiderijs animæ suæ, & quod iniquus be-
Esa. 13. nedicatur; cui suffragatur propheta, Popule meus, &c. quēad-
Adulatio tripliciter est peccatum. modum liquido cōstat exēplo 3. Reg. 22. Estq; peccatū mortale trifariā. Primo ratione materiæ, vt si quis laudi ducat a-
Lib. 7. Moral. cap. 17. ctū læthalis peccati, reste Greg. Esa. 5. Vę qui dicunt bonum malū. Et Ezech. 13. Vę qui cōsuunt puluillos sub omni cubitu, & faciunt ceruicalia, & paulò post interficiebant animas quæ non moriebantur, & viuificabant animas quæ non viuebant, mentientes populo meo, credenti mendacijs, ac persuadentes prodigalitatem esse liberalitatem, humilitatem fatuitatē, fictā deuotionē monachatū, superbiam honestatem, voluptatem, atque delitias solatium. Secundò ratione finis, vt quando

quando quis laudat alium vt noceat corporaliter vel spiritualiter, vel vt eum decipiat, Meliora sunt vulneta diligentis, quàm fraudulenta oscula odientis. Tertiò cùm quis laudando alium, præbet ei occasionem læthaliter delinquẽdi, etiam præter intentionẽ adulatoris. Sic Herodes Iudęorum blanda assentatione impositus, cruciatu miserabili adflictus, damnandum emisit spiritum, secundum Eusebium Cęsariẽsem, qui prius fluctibus maris quasi videbatur velle imperare, ac montium altitudines in statera appendere. Quemadmodum memoriæ est proditum de Alexandro, teste Policrato, qui dicebatur filius Iouis, cùm circumeundo quandam ciuitatem quam obsidebat sagitta transfossus esset, intulit; Omnes me filium Iouis proclamant, at vulnus istud me mortalẽ demonstrat. Hinc non immeritò scorpionibus leguntur adulatores similes apud D. Gregorium, Scorpiones enim palpando incendunt, sed cauda feriunt, nec mordent à facie, sed à posterioribus nocent, blandi quidem videntur facie & adulantur, sed post dorsum portant vnde venenum fundant. Idcirco dicitur: Circundederunt me sicut apes quæ in ore mel habent, in aculeo caudæ vulnus, Et omnes qui lingua blandiuntur, sed latentet ex malitia fetiunt, apes sunt, quia loquendo dulcedinem mellis proponunt, sed occultè fetiendo vulnus inferunt, teste Prospeto, libro Epigrammaton:

Prouerb. 27. Actor. 12. Lib. 2. ca. 10. Lib. 3. cap. 7. Adulatores scorpionibus similes. Homil. 9 super Ezech. Psalm. 117.

Lingua assentatrix vitium peccantis acervat,
Et delectatum crimine laude ligat.
Nulla sit vt lapso reparandæ cura salutis.
Blanditur sonti, dum male suasus honor.
Libera sit potius vox correctoris amici
Serpere nec fibris cæca venena sinat,
Nec credens media verbis fallacibus, æger
Noxia laudata, vulnera pestis amet.

Et D. Gregorius, venditores olei adulatores sunt, qui enim accepta qualibet gratia vanis suis laudibus nitorem gloriæ offerunt, quasi oleum vendunt, de quo Dauid: Oleum peccatoris non impinguet caput meũ, Principale etenim membrum nostrum, caput est: appellatione autem capitis, ea quæ principatur corpori mens vocatur. Impinguat ergo caput peccatoris oleum cùm demulcet mentem fauor adulantis. Estque periculosa & attendentibus pestifera, secundum Ioannem Chrysost. Imò læthifera, teste Augustino docẽte, duplicia esse genera persequutorum, vituperantium & adulantiũ: Plus, inquit, persequitur lingua adulatoris, quàm manus interfectoris, nam & ipsa scriptura vocat caminũ, tanquã aurum in fornace. Audi quia & lingua adulantium est talis, probatio auri & argenti, ignis legitur; vir autem probatur per

Homil. 12. & 40. lib. 40. homil. & lib. 19. Mor. c. 14. Comparantur venditoribus olei adulatores. Psalm. 140. Homil. 88. in Matth. Super Psa. 69. Sapient. 3. Prouerb. 27.

os laudantium eum. Quocirca iuxta Catonis sententiam:

Cùm te quis laudat, iudex tuus esse memento,
Plus alijs de te, quàm tu tibi crederenoli.

Si te lactauerint peccatores, Prouerbiorum primo, non acquiescas eis, quia tanquam sibilo aucupes, ita verbo circunscribunt adulatores, similesque perhibentur suauiter radere volentibus, sed guttur gladio linguæ amputant. Quæ si modernis temporibus Domini ecclesiastici & tēporales animo repeterēt, non ita passim adulatoribus, mendacibus, ioculatoribus, & huius farinæ hominibus (qui obtinent mentem polypi, cum adulantibus in pręsentia adulantur, cum detrahentibus detrahunt in absentia, cum iuratoribus iurant, & periurare non formidāt, cum potatoribus potitant, cum obscœnis obscœna quęque effutire non cessant) locum tribuerent; Hos mirabili paradigmate cōfundit Diogenes ille Cynicus, teste Valerio Maximo. Nam Siracusis cùm olera ei lauanti Aristippus dixisset, Si Dionysio adulari velles ista non esses; Imò, inquit, si tu ista edere velles, Dionysio non adulareris.

Diogenis Aristippi elogium. Lib.4.cap.3.

De Blasphemia in genere. CAPVT III.

QVEMADMODVM derogatio honoris, famæque hominum in hac lachrymabili valle degentium, denigratio appellatur detractio; Ita derogatio excellentissimæ bonitatis diuinæ vel sanctorum dicitur blasphemia, secundum D.Tho. Porrò cùm bonitas diuina innumeris parasangis antecellat bonitatem sanctorū, idcirco blasphemia, simpliciter & absolutè siue antonomasicè dicitur derogatio excellentiæ ac maiestatis diuinæ, & per quandam analogiam dicitur etiam esse sanctorum, secundum D. Augustinum: Blasphemia est (inquit) aliqua mala de bonis dicere. Iam vulgo blasphemia non accipitur, nisi mala verba de Deo dicantur, de hominibus namque dubitari potest, Deus verò sine controuersia bonus est. Committi autem reperitur quintupliciter: Primò negatione eorum quæ Deo propriè conueniunt, videlicet omnipotentiæ, quam blasphemi hæretici negant, quando præsentiam corporis Christi in tremendis altaribus (quod sensuum viuacitate non comprehendant, nec ingenij acumine penetrant) existere recusant, teste Ioanne Chrysostomo. Blasphemare est rationibus, diuina velle discutere, & D.Hieron. Qui semel, inquit, fuerit superatus furore, necesse est vt prosiliat in clamorem, & turbidè fremens, huc atque illuc, in modum folij ventiletur, & dicat; O rerum iniquitas, ò iniusta Dei iudicia & cętera quæ solent loqui qui per indignationis furorem, mentis iudicium perdiderunt. Porrò blasphemia non solum aperta est, & de ira nascitur, sed & abs-

2.2.quæst.13

Li.2.de moribus Manichæorū ca.11.et li. cōtra Mendacium ad Consentiū ca.19.

Blasphemia quid?

Quintupliciter blasphemia vsurpatur.

Homil.5.in 1. epist.ad Timo.

Super 5.caput epist.ad Ephes.

& absque ira, sedata mente profertur, si aut de mundi istius quispiam gubernatione causetur, & dicat; Illud sic esse non debuit, aut certè in ecclesia constitutus, & credens in Deum labatur in dogmatibus, quæ ignorare non licitum est, aliter de patre & filio & spiritu sancto sentiens quàm rei ipsius veritas habet, non ita credens in resurrectione mortuorum, vt scripturæ docent, vel certe alienæ inuidens sapientiæ, eum malè sentire commemoret, qui catholicæ fidei est. & rursum; hæreticum adulatione, qua sibi obsequitur, catholicum esse contestás, qui dicit dulce amarum, & amarum dulce. Ex qua sententia conficimus, omnes in Deum esse blasphemos, qui vel ad latum pilum à regia catholicæ veritatis semita exorbitant. Alij vt Cain & eius similes, misericordiæ diuinæ detrahunt, quia veniam peccatorum commissorum desperant, Alij, vt Epicurus ac eius sequaces, omni scientiæ ac prouidentiæ Dei inuident, de quibus legitur Iob 22. Deus nostra non considerat, & circa cardines cæli perambulat. Sed intelligendum est Elipham (cuius hæc sunt verba) iniustè accusasse sanctum Iob oppressionis pauperum, & reliquorum, ibidem enumeratorum, quibus subnectit; Propterea circundatus es laqueis, & conturbat te formido subita, & arbitraris, inquit, nubes latibulum Dei, eumq; circa cardines cæli perambulare, & proinde nostra non considerare. Verùm D. Iob demonstrat se aliter credere, aliterque profitetur dicēs, Deus scit viam meam, & probabit me quasi aurum, quod per ignē transit, quo contestatissimum reddit Deum, non minus omnium habere scientiam & cognitionem, quàm potentiam. Alij attribuunt ei quod in Deum cadere nequit, nempe malum culpæ, qualis est Bucerus in commētarijs super primum caput ad Romanos, vbi docet, ipsum, Deum negare, qui non confitetur ipsum cogere hominem ad peccatum. Huc etiam reducendi sunt, qui peccata sua in Deum retorquent, dicentes, Deus ordinauit vt raperem & furarer, &c. Atqui horum errorem elidūt Origenes super epist. ad Rom. vbi habet paradigma huic instituto aptissimum, sic Hugo de S. Victore lib. 2. de sacramentis, secundum quē tria requirūtur, vt Deus causa alicuius peccati dici possit. Hæc quia in tractatu de Reprobatione enucleatius sunt demonstrata, superuacaneum ducimus ijsdem diutius immorari. Quarto cōmittitur, cùm aliquid creaturæ adscribitur soli Deo proprium, sicut secundum Marcionistas Deum in operibus suis errasse, Angelos mundum creasse, diabolum mundum gubernare. Hieron. in 18. Esaiæ, cùm aliud doceat catholica veritas & vniuersa sacra pagina. Quintò committitur blasphemia in sanctos quibus verbo vel facto iniuriæ notam inurimus, & quemadmodum

Genes. 4.
Li. 50. homil. homilia 27.
ca. sequenti.
Lib. 1. cap. 1.
Tria requirūntur vt sint causa peccati.
Parte 2. ca. 6.
5. Committitur blasphemia.

honor qui fit imagini, exhibetur imaginato, vt prælibatum est; sic iniuria, quę fit imaginibus sanctorum, aut earum reliquijs, sanctis ipsis inferri manifestum est. Quo iam, proch dolor, prorupit iniquitais nostrę temeritas; quo effrenis enormitatis audacia, quibus iam blasphemare Deum eiusq; sanctos non censetur piaculum, sed tam celebriter frequentatur, eheu, atque foret sacrificium, adeo vt Christiani plerique iam deteriores sint rapidis canibus, qui licet alienos inuadāt, dominis tamen parcunt, peiores etiam non dubitantur Iudæis, qui impatientes iniuriæ Deo illatæ, quasi aures obturando, vestimenta scindebant. Nos autem blasphemiam Deo illatam, surda aure negligimus ac dissimulamus. Interim si quis vel canem nostrum diuexasset, haud impunè nostras manus euaderet, teste Chrysost. Profectò barbara maiestas, Daniel. 3. nedum blasphemare voluit, sed & decretum sanciuit, vt blasphematores Dei Israëlis essent rei crimine læsæ maiestatis. Faxit Deus, ne in nos quadret subsannatio prophetica, Iugiter tota die nomen meum blasphematur, quia non vano neque falso oraculo sanctus Moyses nobis mortem comminatus est dicens, Qui blasphemauerit nomē Domini, morte moriatur, Matth. 15. blasphemiæ coinquinant hominem. Tollatur ergo à vobis, suadet D. Paulus epist. ad Ephesios 4. & ad Coloss. 3. Et quanquam homicida maius nocumentum proximo inferat, quàm blasphemus Deo, tamē quia in grauitate culpæ magis attenditur intentio voluntatis peruersæ, quàm effectus operis, blasphemus grauiori se subijcit crimini. Periurium quoq; sua enormitate vincit: Qui enim peierat, nihil mali vt blasphemus de Deo profert, sed Deum falsitatis testem inuocat, non quasi existimet Deum falsum testem fore, sed confidens Deum super hoc non aliquo euidenti signo oppositum testificaturum, quāquam conscientia mille testes probet contrarium. D. Paulus docet blasphemos Himenæum & Alexandrū Sathanæ tradendos. Et si carnalis fortè homo pœnam spiritualem, quasi insensibilem negligat vel contemnat, attendendum est D. Greg. exemplum, qui refert quendam puerum quinquennalem, nomen Domini blasphemasse, cùm autem morti proximus anhelo spiritu palpitaret, diabolico tādem ministerio ad inferos crudelissimè esse protractum. Cui consonat Bernard. in vita sancti Malachiæ: Nam quidam sancto Malachiæ præsenti mala semper improperabat, absenti autem detrahebat & aduersatijs eius fauebat, procaciterque eorum partes tuebatur, sed paulò post, digna linguæ procacis & blasphemiæ mercede donatus est. Intumuit namque & computruit lingua maledica vermibus scatentibus, & toto ore blasphemo diffluentibus. Quos per septem

Graue peccatū blasphemia.

Esa. 37. Matth. 26. Actor. 14.

Homil. 1. ad pop. Antioch.

Esa. 52. & Roma. 2. Leuit. 24.

1. ad. Tim. 1.

Lib. 4. Dialog. cap. 18.

Terribile blasphemātis Deū exemplum.

Aliud ex S. Bernar.

ſeptem fermè dies vomens inceſſanter,tandem cum illis miſeram expuit animam. Subnectit & aliud,quomodo quędam infœlix mulier ſancto Malachiæ declamatorio ad populum agenti ſermone blaſphemias euomebat,proclamãs ipſum hypocritam & inuaſorem alienæ hæreditatis. Sed Dominus reſpondit pro diſſimulante, nam redacta fuit ad inſaniam, demum horrenda morte blaſphemiæ luit pœnam.His haud parum conſonus eſt canon qui habetur 22. vbi ſic legitur: Si quis per capillum Dei vel caput iurauerit,vel alio modo blaſphemia contra Deum vſus fuerit,ſi in ordine eccleſiaſtico eſt, deponatur,ſi laicus anathematizetur.Et in Autenticis,Titul. Vt luxurientur contra naturam.Nemo iuret per mẽbra Dei, aut capillos,aut alio modo Deum blaſphemet.His enim delictis,& fames,& terremotus,& peſtilentiæ fiunt. Præcipimus igitur tales comprehendi,atque vltimis ſubdi ſupplicijs.

Aliud ex B. Bernard.

q.1.c. Si quis per capillum.

Collatione 6. §. omnibus hominibus.

De blaſphemia in ſpiritum ſanctum. CAP. IIII.

NVNC nonnulla in medium producenda ſunt de blaſphemia in Spiritum ſanctum,quæ trifariam accipi legitur, Primùm vt peccatum in Spiritum ſanctum appelletur, quod potiſſimum fit contra perſonam Spiritus ſancti.Sic Macedonius hæreticus peccauit in Spiritum ſanctum, quando falſiſſimè dogmatizauit Spiritum ſanctum non eſſe Deum,ſed patris & filij famulum,teſte Auguſtino.Quem & Arrius creaturam creaturæ opinatus eſt,& Amb.li.2. de pœnitentia cap. 4. Secundò peccatum dicitur in Spiritum ſanctum,quod eſt contra proprietatem Spiritui ſancto attributam,puta gratiam & charitatem;hoc modo omne læthale crimen eſt contra Spiritũ ſanctũ, quia aduerſatur diuinis chariſmatum cęleſtium donis,quæ per Spiritum ſanctum infunduntur. Tertiò blaſphemia in Spiritum ſanctum eſt, quæ fit ex certa malitia non qualibet, vel quæ concurrit etiam cum reliquis peccatis,vt ſunt fragilitas, ignorantia, concupiſcentia,ſed ex mera mala voluntate,ita vt contendat illud abijcere quod electionem peccati impedire poſſet. verbi gratia, Inſtigatur aliquis ad peccatum, ſed occurrit ei timor Dei peccatum punientis,nihilominus tamen talem de induſtria reijcit, vt liberius peccet, tuncque peccare in Spiritum ſanctum dicitur.Hoc modo peccârunt Phariſæi,teſte D.Hieronymo ſuper Matt. Qui dixerit verbum,inquit Chriſtus,contra filium hominis, carne mea ſcandalizatus, & me hominem tantum fabri filium voratorem,viniq́ue potatorem arbitratus opinio eſt abſque blaſphemia, & quamuis erroris non careat culpa, veniam tamen habet propter erroris paruitatem. Qui autem manifeſtè intelligens opera Dei, eadem ſtimulatus inuidia

Triplex peccatum in Spiritum ſanctum.

Lib. 3. contra Maximinũ c. 17. & lib. ad Quoduultdeũ Hæreſ. 62. Hæreſ 49.

12.cap.

(cum virtutem inficiari nequeat) calumniari nō cesset, quin potius ipsi Beelzebub opera Christi & Spiritus sancti attribuat, huic non dimittetur peccatum, neque in hoc sæculo, neque in futuro. Eadem per omnia habet Ambros.& Theophilactus in commentarijs eiusdem loci, necnon August. vbi supplet sententiam, quam incerta fluctuans opinione non confirmârat, dicens: Si tamen in hac tam scelerata mentis peruersitate finierit hanc vitam. Istud solis radijs clarius manifestat. Non enim Dominus inquit, Omnis blasphemia spiritus non remittetur ei, neque dixit, Quodcunque verbum contra Spiritum sanctum non remittetur ei, sed qui dixerit verbum. Quocirca non est necesse vt omnem blasphemiam, & omne verbum quod profertur contra spiritum sanctum, remissionem existimet non habere, sed necesse est, vt aliqua sit blasphemia, & aliquod verbum, quod si dicatur cōtra spiritum sanctum, nullam vnquam veniam mereatur, quia si omne acceperimus quis poterit saluari? Est ergo aliquod verbum, quod non remittitur neque in hoc sæculo, neque in futuro. Sed quod est illud verbum? Vt istud manifestius clarescat, attendendum est, quod ait Iudęis, Si non venissem & loquutus eis fuissem, peccatum non haberent, quod non dicit, quasi intelligi velit, Iudæos sine omni peccato futuros, si nō venisset, & loquutus eis fuisset, plenos quippe inuenit, oneratosque, varijs peccatorum sordibus, quomodo ergo si nō venisset, peccatum non haberent, nisi quia illa Dominica sententia, nec vniuersaliter nec particulariter, sed indefinitè non omne peccatum cogit intelligi, sed aliquod, non enim ait; Si non venissem & eis loquutus fuissem, nullum peccatum haberent, ne veritas hallucinando mentiretur, nec rursus, Si nō venissem & loquutus eis fuissem quoddam peccatum non haberent, ne pium studium parum exerceretur. Illud vtique peccatum est, quod præsentem, seque alloquentem non audierunt, eumque tanquam inimicum occiderunt, Ambros. de S. Ioseph. Hoc horrendum peccatum non habuissent, si non venisset & loquutus eis fuisset, quemadmodum etiam videre est apud August. Sic, inquit, intelligenda est blasphemia spiritus, quomodo dimittuntur peccata, & eijcitur spiritus immundus. Contra hoc donum gratuitum, & contra istam Dei gratiam loquitur cor impœnitens. Ipsa igitur impœnitentia, est spiritus blasphemiæ, nec habet remissionem in hoc sæculo nec in futuro, quia pœnitentia impetrat remissionem peccatorum in hoc seculo, quæ valet in futuro. Non potest tamen in hoc mundo deprehendi, quia de nullo est in hac valle lachrymarum desperandum. Paganus est hodie, vnde scis vtrum crastina die futurus sit Christianus? Iudæus est hodie

Li. 1. de spiritu sancto, ca. 3. Li. 1. Retract. cap. 19. Serm 11. de verbis Domini Matth 21. Sapien. 2. Cap. 3. Li. 3. contra 2. epist. Pelagianorū ca. 3. epi. 53. ad Bonif.

hodie, quid si cras credat in Christum? hæreticus est, quid si cras sequatur catholicam fidem? Ex his manifestum euadere potest, multa esse peccata in Spiritum sanctum, sed tamen non omnia esse irremissibilia: Symon Magus namque blasphemiam commisit in Spiritum sanctum, non tamen exclusus est per Apostolos à spe veniæ, sed inuitatus est ad remedium pœnitentiæ, teste Amb. Imò populus Iudaicus, inquit, qui dicebat de Iesu seruatore nostro, dæmonium haber, & in Beelzebub eijcit dæmonia; Er quod plus est, qui cruci adfixit Dominum, Petro concionante vocatur ad baptismum, quatenus tanti sceleris iniquitatem deponentes, postea sanguinem pretiosissimum humiliter bibant, quem prius crudeliter effuderant, secundum Aug. vbi docet quod omne peccatum & blasphemia dimittatur, vbi non fuerit peccatum cordis impœnitentis, quod non remittitur in hoc seculo, neq; in futuro. Dicitur autem peccatum irremissibile, secundum Thom. in scripto, tribus modis; Primo respectu Dei remittentis; sic nullum est irremissibile, quia Deus absoluta potestate potest angelis malis & damnatis dimittere peccatum. Secũdo consideratur irremissibile ratione status; Sic post mortem homini peccata mortalia sunt irremissibilia, teste Ioanne Damas. Quod angelis casus, hoc hominibus mors. Tertio dicuntur irremissibilia, non quod nullo modo remittantur, sed quantum habent de se, merentur, quod non remittantur, quia excludunt remedium quo acquiritur remissio, nempe pœnitens cor & contritum, quod Deus non respuit. Nec tamen est arbitrandum solam finalem impœnitentiam esse peccatum in Spiritum sanctum, vt D. Aug. videtur innuere, nec quatuor eius species tantum reperiuntur, vt Magister sententiarum recensere videtur. Cùm sex reperiãtur species, scilicet desperatio, obstinatio, præsumptio, veritatis agnitæ impugnatio, fraternæ gratiæ inuidentia, atque finalis impœnitentia. Contra Dei siquidem misericordiam, qua peccata remittuntur, opponitur desperatio, sicut patet de Cain, & fit quãdo homo suam iniquitatem existimat esse tantæ grauitatis vt immensa diuinæ bonitatis clementia, aut non possit aut nolit eam sibi remittere, adeoque in culpa vitam firmat, abysso abyssum inuocante. Sed quomodo quis desperare poterit, inquirit D. August. si in spem veniæ redditus est, à quo etiam occisus est Christus? Etiamsi Dominus voce cælitus lapsa nos insinuaret damnandos, secundum D. Chrysost. & D. Bernad. nequaquam tamen esset desperandum, nec visceribus misericordiæ eius diffidendum: quia Dominus in rebus desperatis fert opẽ, vt patet in Dauid in arcto posito, persequente eum Saul. Et secundum eundem homil. 22. ad populũ Antioch. Si nequeas

Actor. 8.
Lib. 2. de pœnitẽtia, cap. 4.
Iudæi bibunt sanguinẽ quẽ effuderunt.
Tract. 1. 2. & 8. in Ioan.
Serm. 11. de verb. Domini.
Enchir. c. 83.
De correpr. & grat. ca. 12. & lib. de vera & falsa pœnitentia cap. 4.
2. dist. 43. & quæst. 4.
Lib. 2. orthod. fidei, cap. 3.
§. 1. dist. 43. lib. 2
6. Species.
Genes. 4.
Tract. 38. super Ioan.
Nullo modo est desperandum.
Homil. 68. super Matth.
Ser. 38. super Cantic. cantic.
1. Reg. 23.

ſol fieri, efficiaris vel luna, tua vocatione contentus. Secundo iuſtitiæ Dei, quæ nos à peccato retrahit, opponitur præſumptio qua quis præſumit abſque pœnitentia impunitatem, & ſine meritis pollicetur ſibi vitam æternam, quaſi dominus non eſſet iuſtus, ſed ſolùm miſericors ſecundum D. Thom. Contra hanc præſumptionem videre licet Auguſt. ſuper Pſalm. 31. docentem eos damnandos qui in impietate fidem ſeruantes, ſibi blandiuntur nulla vitia aut flagitia obfutura, atque ita de ſe malè præſumentes, peccatorum impunitatem, contra Dei iuſtitiam ſtatuunt. Tertia eſt obſtinatio, qua ſi quis in peccato vſque in finem permaneat, adhuc non eſt peccatum in Spiritum ſanctum, ſed ſi placeat ſibi peccatum & approbat ex electione, proponendo nunquam pœnitere, tunc proculdubio eſt peccatum in Spiritum ſanctum. Differt autem ab impœnitentia ſecundùm Gabrielem Biel ſuper prælibara diſt. quòd obſtinatio eſt reſpectu futuri peccati: Impœnitentia verò comparatione præteriti. Quinto eſt impugnatio veritatis agnitæ, de qua priori articulo diſputatum eſt. Sexto eſt fraternæ gratiæ inuidentia, quæ eſt peccatum in Spiritum ſanctum, quando ex deprauata voluntate & malitia dolet de fraternæ gratiæ, promotione, quia diſplicet ſibi quod diuina gratia radices iaciat altiores, ac incrementa ſumat in proximis maiora, vel quod diuinus honor exaltetur in illis.

2. 2. quæſt. 29. art. 2.

De prauo Conſilio. CAPVT V.

MALVM conſilium eſt, quo aliquis efficaci perſuaſione inducitur, ad aliquid committendum vel omittendum in proximi detrimentum; Hoc modo Caiphas ac Iudæi contra Chriſtum plurima habuêre conſilia, vt manifeſtum euadit ex varijs ſcripturarum locis. Eadem ſiquidem actio bona poteſt eſſe vel mala, diuerſis reſpectibus, ſecundum Auguſt. & Thom. 3. parte: Sic Danielis 6. Princeps & primates regis Nabugodonoſor regularis obſeruantię Danielis impatientes, læſæ maieſtatis ipſum accuſauerunt. Ita Balaam dedit Balach conſilium quo aſtutè filios Iſrael ad luxuriam, idolatriam ac eius generis alia portenta inclinaret, teſte Ambroſ. & Gregor. Nam facta meliorum, aliquando deterioribus diſplicent. De his & quotquot eſſe poſſunt alijs, prædixit Ezechiel, inquiens; Fili hominis, hi ſunt viri qui cogitant iniquitatem, & tractant conſilium peſſimum, & ſanctus Dauid: Conſiliũ malignátium obſedit me. Et: Super populum tuum malignauerunt conſilium. Quia vt Sapiens docet, Mali ſemper mala machinantur, quorum conſilia iugiter ſunt fraudulenta. Serpens enim quicquid lingua tangit, inficit.

Matth. 12. 22. 26. & 27. Mar. 3. & 14. Ioan 11. &c. *Li. de prædeſt. ſanct. cap. 16. Enchi. ca. 101* Q. 47. art. 3. Numer. 24. *Lib. 2. Offic. ca. 17. & 18. Lib. 5. Moral. cap. 9.* Ezech. 11. Pſalm. 21. Pſalm. 82. Prouerb. 12.

inficit. Verùm qui fodit foueam, frequenter incidit in eam, & qui in alium mittit lapidem, velut flamine venti retortus, eum à quo iactatus est, mox reuersus percutit; Nequissimum consilium super facientem deuoluetur, & non cognoscet vnde ei adueniat; laqueo peribit, qui morte iusti oblectatur, dolor eum consumet antequam moriatur. Quod vel Amã facit nobis contestatissimum, qui luit in patibulo, quod Mardochæo summo studio optauerat, itẽ in Achitophel, qui suspendio funestam sibi accelerauit mortem. Sic in mortem Danielis & Susannæ iniustã machinantes iustissimas pœnas dederunt. Iudæi quoque propter consilium, quod aduersus Dominum inierunt, dispersi atque exterminati sunt, ac tandem in ore gladij omnes fermè mortui sunt, testibus Aug. Eusebio Cæsariensi, lib. 3. Eccles. hist. necnon Iosepho, de Iudaico bello. Vnde Hierem. ca. 18. Domine tu scis omne consilium eorum, aduersum me in mortem, ne propitieris iniquitati eorum; & peccatum eorum à facie tua non deleatur. Hæc sententia nequaquam prioribus eiusdem capitis aduersatur, vbi dicitur; Loquetur pro eis bonum vt auertat indignationem suam ab eis, secundum D. Hieronymum, quia postquam datum pœnitentiæ tempus præterijt, & illi in suo scelere perseuerant, non tam pro se puniũtur, quàm pro alijs, ne inultum peccatum cæteris noceat exemplo. Quarè haud immeritò sanctus Iob precabatur: O Domine quia non sunt in manu eorum bona, consilium eorum longè fac à me; Beatum siquidem pronunciasti, Psalm. primo, qui non ambulauit, in consilio impiorum, & in via peccatorum non stetit, & in cathedra derisorum non sedit. Præmissum est autem in descriptione, (efficaci persuasione) ac deinde (in proximi detrimentum) quo demonstraretur mortale secum adducere peccatum, si causa finalis, ad quam suo vafro ingenio inclinat, sit mortalis, quia efficaciter per alium, tanquam organum extraneum, malum operatur. Verùm si alius non inclinetur efficaciter ad faciendum, non tenetur quidem vt prius adhortationibus & obseruationibus emendando restituere, Exodi 21. Si quis aperuerit cisternam & foderit, & non operuerit eam cecideritque bos aut asinus in eam, reddet Dominus cisternæ pretium iumentorum, &c. lęthiferum tamen peccatum minimè euadit quia calicem propinauit, si fuisset qui bibere voluisset. Nemo siquidẽ ad prauitatem vult alium inducere, secundum August. lib. contra Secundinũ, nisi prior ipse deprauatus fuerit. Si autem leui verborum inductione solicitet alium, potissimum ad ea quæ non sunt ex sui natura lęthifera, venialis potest appellari culpa.

[Marginal notes: Eccl. 10. & 27 — Hester 7. — 2. Reg. 17. — Serm. 204. de temp. — Ca. 5. 6. & 8 — Lib. 7. ca. 12. & 13. — Cap. 21. — Ca. 17. serm. 163. & 250 de temp. et ser. 47. ad fratres in eremo.]

De Con-

De Contentione. CAPVT VI.

2.2.q.38. QVEMADMODVM discordia, teste D. Thom. prætendit internam quandam voluntatum contrarietatem. Haud secus contentio impugnationem veritatis extrinsecam, verbo importuno, aut clamore inordinato factam. (*Cntetio quid?*) Contentio siquidem est impugnatio veritatis cū confidentia clamoris, etiam trahens originem ab omnium vitiorum radice superbia, & humanæ laudis auiditate, quæ alijs inuidere consueuit, teste D. Ioanne Chrysost. (*Homil. 2. super 1. epist. ad Timoth.*) D. Aug. presbyt. ad Aurelium Augnst. (*Epist. 64.*) & Bernard. li. de modo bene viuendi ad sororem. (*Cap. 17.*) Cùm autem triplex sit veritas, necessario contentionis reperitur etiam diuersitas doctrinæ, nimirum iustitiæ & vitæ. (*Triplex contentio.*) Contentio siue impugnatio veritatis agnitæ qualis qualis etiam sit, siue fidei, siue doctrinæ, siue iustitiæ, siue vitæ virtuosæ, in his potissimum quæ saluti necessaria sunt, si veritas illius sit conditionis, vt eius oppositum mendacium foret perniciosum, eius impugnatio, haud dubiè læthale esset peccatum eoque maius, quo legem charitatis veritatisque impugnationem prætendit. (*Simile.*) Sicut cœnum, si contrectetur, grauius olet, ita anima cùm perturbata fuerit, & multis intrinsecus fluctibus agitata, quasi sordibus falsitatis conspurcata squalet, quæ licet forinsecus victrix emergere velit, tamen in animo semper perdendo, victa iacet, secundum D. Ambrosf. Quod ne contingat pluribus verborum copijs eius inordinationem exaggerat D. Chrysost. (*Super 2. cap. 2. epist. epist. ad Timoth.*) Quid verborum telis, inquit, iacularis? quid contenrioso sermone litigas? sùsne siluester effectus es? asinus agrestis, aut canis rabidus? nō pudet? non erubescis, in feram ex homine conuersus, ac propriæ nobilitatis oblitus? (*Homil. 15. super Matth.*) etsi enim pauper sis, certè liber, etsi opifex, certè Christianus; propter hoc ipsum ergo quod pauper es, magis necessariam habes quietem: Diuitum est enim litigare, non pauperum, eorum vtique hoc opus est, quos variæ aduersum se materiæ excitant, iurgiorum, &c. Sed dicis nequeo contumelias inimicorum tolerare. (*Homil. 47.*) Respōdet tibi idem, super Ioannem. Quæ ista est gratia? nam si etiam verè accusareris, coram compungi debetes, si falsò te dixerit pauperem, ride, si mendicum, ride, si capram aut nigrum, cùm sis albus, ride, si cornua te habere; ride si dixerit stultum, iam defle, nam qui dixerit fratri suo fatue, reus legitur gehennæ ignis (*Matth. 6.*) Disce tacere, nam alioquin si contumeliam contumelia persequaris, contentionem contentione addis, ignem excitas, qui non igni, sed aqua extinguitur. Sed pusilli animi argui times, si surda aure negligas; absit, imò sapientia tua erit omnibus admirationi. Si autem respondere conatus fueris contumelio-

tumeliosè,occasionem præstabis vt vera reputentur,quorum argueris: Quare enim opulentus & locuples,pauper appellatus ridet,nisi quia falsum cognouit? Ita si nos iniuriarum voces rideamus, præclarum erit argumentum nos falsò lacessitos. Impugnare verò veritatem exercitij gratia, vt illi qui in arenam certaturi disputationibus descendunt, non est contentio,nisi materialiter, quæ subinde laudi ducenda est, præsertim moderata: Nam si rixosis verbis implicata sit, dimissionem venialis culpæ requirit nisi fortè scandalum illi esset annexum, quia tunc mortale peccatum secum inuoluit, vt si prorumperet in verba contumeliosa, aut derisoria, ex quibus nascuntur contemptus,odia,rancores,& eius farinę alia. Vnde Paulus recenset contentionem inter opera carnis,quæ qui agunt, regnum Dei non consequuntur. Si verò veritas talis nequaquam sit, vt eius oppositum mendacium sit perniciosum, contentio contra illam est veniale, nisi scandalum aggrauet peccatum. Porrò impugnatio falsitatis non appellatur propriè contentio,nec est peccatum, nisi modo fiat indebito, hoc est,clamore inordinato, tuncque venialis censetur culpa, nisi tam vehemens esset contentionis inordinatio,quod scandalum induceret,quo fieret mortalis noxa. Vnde cùm Paulus dixisset: Oporret seruum Dei non esse litigiosum. Et: Noli contendere verbis; subnectit: Ad nihil enim vtile est, nisi ad subuersionem audientium.

Galat. 5.
1.ad Tim. 2.
2.ad Tim. 2.

De Contumelia. CAPVT VII.

INTEGRITATI honoris ac famę duo peccatorum quę lingua fieri possunt, aduersantur genera. Quædam fiunt coram & in præsentia; Alia in absentia: In præsentia pluribus proximus inhonoratur modis; Primo per cõtumeliam, quæ fit,secundum Tho. quando quis aliquid mali culpæ,verbo, nutu,vel aliquo signo profert, proximo in præsentia,animo iniuriandi. Exemplo quod dicitur manifestum fiat; Si quis pronunciet aliquem coram positum, furem, adulterum, &c. contumeliam infert. Hinc Sapiens, salutaribus monitis adhortatur, inquiens, Quæ viderunt oculi tui,ne proferas in iurgio citò,ne postea emendare nequeas, cùm insipiens contumeliosè amicum dehonestaueris. Potest autem culpa esse, vel falsa,vel vera,sed tamen occulta, tuncque subit rationem etiam detractionis, adeo quod vnus idemque actus sit contumelia & detractio diuersorum comparatione nuncupandus. Ea siquidem ratione qua quisque absentum non pertimescit rodere vitam,dicitur detractio. Qua autem coram posito iniuria dictis infertur, contumeliæ nomenclaturam meretur, quæ grauitatem suam ex peccati magnitudine adsciscit,

2.2.q 82.
Prouerb. 10. & 25.

adſciſcit,niſi fortè quis graui confuſione exceptus,aut aliquo vtilitatis vel dignitatis officio impeditus fuerit, quia tunc cõtumelioſum verbum nõ ambigeretur mortale eſſe peccatum. Suſtinendæ nihilominus ſunt contumeliæ in præparatione animi, quemadmodum & ea quæ contra nos fiunt. Vti enucleatius dilucidat D. Auguſt. exponens illum ſcripturæ paſ-

Math. 5. ſum:Si quis te percuſſerit in vnam maxillam,&c. li.de Men-

Cap 15. dacio ad Conſentium, li.22. contra Fauſtum Manich. Non

Cap.79. & tamen ſemper expedit, quò contigit vt nec Chriſtus aliam

epiſt.5.quæ eſt exhibuerit, ſed percuſſorem reprehendendum duxerit. Par

ad Marcellinũ ratio eſt in contumelia obſeruanda; Expedit namque inter-

Ioan.18. dum retundere procacium audaciam,iuxta illud: Reſponde

Prouerb.26. ſtulto ſecundum ſtultitiam ſuam, ne ſibi ſapiens videatur. Aliquando ob multorum profectum, qui propter contumeliam illatam,ab effectu impedirentur.Qui autem tacet vt irę cędat laudandus eſt. Verùm taciturnitate velle prouocare ad iracundiam pertinet(quod eſt peccati)ad vindictam.

De Conuitio. CAPVT VIII.

CONVITIVM conſiſtit in verbis, non minus atque contumelia,quia hoc refricatur ac repræſentatur defectus, in detrimentum honoris alicuius, qui duplex re-

Duplex conuitium. peritur; Primus eſt defectus culpæ, quo verbis contumelioſis inuri conſueuit. Secundus eſt defectus culpæ & pœnæ, qui per conuitium ſignificari adſolet. Conuitium namque non ſolùm animam reſpicit, ſed & corpus ſua generalitate inclu-

2.2.q.7.art. dir,teſte D.Tho.ad ſolutionem vlt.argumenti.Quarè ſi quis

1. & art.2. hominem eſſe hebetem,cæcum,claudum, ſurdum, &c. iniurioſè calumniatur; conuitiari quidem probatur, ſed contumeliam non infert. Porrò ſi quis alium furti arguat, non ſolùm conuitio, ſed & contumelia afficit. Nihilominus conſideratione quàm maxima hic opus eſt, vt cognoſcere valeamus,quò affectu hæc aut ſimilia effutiãtur verba.Cùm enim conuitium ſiue contumelia de ſui ratione quandam importent dehonorationem, ſi intentio proferẽtis eo vergat vt verbis in medium adductis honori alterius deroget, hoc dubio procul eſt conuitiari ac contumelia afficere. Eſtque mortale haud ſecus atque furtum aut rapina: Non enim homo minori ſtudio ſuum zelat honorem ac famam,quàm rẽ poſſeſſam. Si verò alteri verbum cõuitioſum vel contumelioſum, dixerit, nõ tamẽ animo derogãdi,ſed fortaſſe correctionis ſtudio,

Luc.24. ſicut Chriſtus diſcipulos appellat ſtultos, & Apoſtolus Pau-

Galat.3. lus Galatas inſenſatos, vel aliquid huiuſmodi non dicit cõuitium & contumeliam formaliter & per ſe, ſed per accidẽs & materialiter,inquantũ ſcilicet id quod poteſt eſſe cõuitioſum vel con-

vel contumeliosum. Vnde hoc potest aliquando esse peccatū veniale,& quandoq; absq; omni peccato. In quo tamen est necessaria discretio, vt tēperatè homo talibus verbis vtatur. Potest siquidem tam graue existere cōuitium, quod per sermonem incautè effutitū detraheretur famę eius contra quē proferretur, tuncque peccaretur læthaliter etiāsi minus denigraretur fama alterius. Si quid autem effutiatur non in contemptum aut contristationē eius in quē conuitium iaculatur, sed magis causa delectationis & ioci, si debitè obseruentur circūstantiæ, potest esse absq; peccato. Si quis verò non reformidet mœrore afficere eum in quem profertur huiusmodi iocosum conuitium, dūmodo alijs excitet risum, nō euadit peccatum.

De Derisione bonorum. CAPVT IX.

BIFARIAM consueuit fieri derisio, secundum Thomam, verbo scilicet, vel signo, Verbo cùm quis malum culpæ vel pœnæ, ægestatē alicuius vel naturæ defectum cachinnis excipit aut probris incessit, intendens eum flocci pendere adeoque vilem existimare, vt de eo nulli debeat esse curæ, imò fatuus sit omnibus reputandus. Quod est læthale peccatum grauitate etiam vincens contumeliam: Nam contumeliosus seriò in alium forinsecus stomachum ostendit; derisor instar Iudæ alicuius, osculum infigēdo, aculeum mittit. Quo manifestum fit, maiorem hic esse contemptū, quàm ibi, maioremque inferri ignominiam. Hinc Iob 12. dicitur, derisor Deum offendit. & Prouerbiorum 3. Abominatio Domini est omnis illusor, sic Matt. 5. Qui dixerit fratri suo Racha, (quod est vocabulum Siriacum non Hebræum) vt vel ex eo liquet, quod nomina Hebræa ferè vsurpent, literam י Iod vel I vocalē, cuius vice Syri vtuntur A. Vnde omnes ferè peregrinæ dictiones, quas passim reperimus in nouo testamento positas, sunt Syriacæ, sic Rabboni dixit Syriacè sanctissima peccatrix Maria Magdalena, non Ribboni; sic Maria non Miria, sic Racha non Richa, quod neque Græcè neque Latinè transferri valet; significat autem secundum D. Aug. Hier. super locum Matt. & D. Greg. leuem indignationis motum) reus erit concilio. Qui autem dixerit fatue, reus erit gehēnæ ignis. Maxima proinde sedulitate informanda est iuuētus, ne veneranda canities sit illi ludibrio, quoniam Hæliseus spiritu Dei afflatus, maledixit pueris se despectui habentibus, cuius iniuriæ, & vrsi impatientes, de interioribus deserti exilierūt, & sanctum virum defendendo, quadraginta duos pueros discerpserunt. Præter typicam significationem quam hic agnoscit D. Aug. Mali quiq; derisui habēt bene operātes; hoc modo Michol derisit Dauidis humilitatē, qui stabiliori gradu se in Deo

Derisio fit verbo. 2.2.q.75.

Racha. *Tract. 51. in Ioannem.* *Lib. 21. Moral. cap. 5.* *4 Reg. 2.*

Lib. 12. cōtra Faust. Manic. ca. 35. & ser. 204. de temp. *2. Reg. 6.*

in Deo solidauit, quo foris non reperit, in quo requiesceret,
Lib. 10. Moral. cap. 15. secundum beatum Gregor. Quid etiam adumbrârit Dauid
in hac sui hilaritate ac tripudij exultatione, petere non fuerit
Exultatio Dauidis, quid prætenderit? indignum ex serm. 22. & 80. apud Ambros. Nam præcognouit per gloriosam prolem stirpe Dauidica generandam, virginem, inquam, Mariam, ac ecclesiam Christi thalamo sociandam. Sic Sannaballath derisit muros Hierusalem restaurantes.
Nehem 6. & 1. Machab. 7. Matth. 3.
Proinde deteriores sunt ipsis Herodianis qui iam natos extinxerunt paruulos, isti autem maiori furore perciti, & conceptos enecare non expauescũt. Draco expectauit donec mulier fœliciori enixu peperisset, quæ signat gloriosam virginem, teste August. de Symbolo ad cathecumenos, Isti concepto fœtui, id est, meliori vitæ frugi quasi primitus seminatæ, firmoq; animo propositæ, gladio linguæ derisoriæ abortum procurantes, obstant.
Apocal. 12. *Mulier sole amicta quam figurauit? Lib. 4. cap. 1.*
Nonne Apostasiæ accusaretur qui trophæum crucis Dominicæ à templis eliminaret materialibus? Magis profectò delinquere conuincũtur, qui nituntur crucis operibus aduersari, & scommatis eius honori insidiari. Huiusmodi homines, quia prorsus cæci sunt, rectæ vitæ tramitem incedentes subsannant, nec à tyrannica captiuitate, cùm possent, liberant, sed crudeliter in carcerem protrudere laborant. De his loquitur scriptura: Hi sunt quos aliquando habuimus in derisum, & in similitudinem improperij, nos insensati vitam illorum æstimabamus insaniam, & finem illorum sine honore: Ecce quomodo computati sunt inter filios Dei, & inter sanctos sors illorum est.
Sapient. 5.
Alio modo secunda fortuna prosperati deridunt quarta luna (quod dicitur) natos, tribulationibusq; afflictos. Sic vxor deridebat sanctum Tobiam miseriarum patiẽtissimum; & vxor Iob Dina, à Philone in lib. biblicarum antiquitatum appellata, sanctum Iob exemplar longanimitatis ac patiẽtiæ præfulgidum.
Tob 3. Iob 2.
Præcones quoque euangelicæ veritatis tanquam peripsima subinde repelluntur, quod animaduertere promptum est in prophetis Israëlitis destinatis. Sic dogmata Apostolica subsannabant Iudæi. Quin & Apostolorum magistro vniuersorumq; Domino insultabant deridentes, Vah qui destruis, &c. Si filius Dei es, &c. Nec hic simplex est derisio, sed blasphemia, iuxta illud: Cui exprobrasti, & cui blasphemasti? postea adijcitur, Sanctum Israël.
2. Paral 30. Act. 4. & 17. Matth. 27. Esa. 37.
Si verò de modicis ac exiguis fiat proximi derisio, absque intentione detrahendi, contristandi, vel confundendi, sed ad risum duntaxat commouendi, veniale censetur peccatum, potissimùm si proximus salibus huiusmodi respersus, ac scommatibus exceptus, nullo mœrore afficiatur, quin potius recreatiuis verbis iocundetur, cum scienti & consentienti (vt habet regula Iuris) nulla fiat iniuria.
Sales ac lepidæ cõfabulationes quale peccatũ?

Verùm

Verùm passionatos iocis ac derisibus lacessere non solum culpa est, sed omnium inordinatorum motuum, verborũ mordacium, blasphemiarum, reliquorumque ex derisione emanantium reos efficit. Secundo derisio fieri contingit signis, vt rugando nasum, labia ringendo, vel aliquod aliud signum præstando. Talis derisio appellatur passim subsannatio, quæ tantum habet culpæ, quantum proximi est contemptus. *Signis fit derisio.*

De Detractione. CAPVT X.

DETRACTIO est alienæ gloriæ & famę mordax & inuida, per verba aut signa, imminutio, secundum Hugonem de sancto Victore, lib. de fructu carnis & spiritus. *Cap. 5.* Quemadmodum enim aliquod nocumentum infertur bifariam, in rebus nempe manifestè, vt in rapina, aut in occulto, vt in furto. Haud secus res se habet in verbis; vno siquidem modo manifestè coram positus profert aliquis contumeliosa verba in proximum præsentem, quod non est detrahere famæ alicuius, sed contumelię notam inurere, secundum D. Tho. *Contumelia quid? 2. 2. quæst. 73. art 1.* Quibus occurrendum est, non multiloquio, sed silentio, teste Ambros. *Lib. 1. Offic. cap. 5. & 6.* Vide si vis, quia sicut non sanat malam conscientiam præconium laudantis, ita nec bonam vulnerat conuitiantis obprobrium, secundum August. contra literas Petiliani, *Lib. 3. cap. 8.* & Greg. *Lib. 25. Moral. cap. 15.* Alio modo in occulto, quo non directè inferimus detrimentum honori alicuius, sed famæ, quatenus huiusmodi verba proferentes, quantum quidem valent, eos qui audiunt, efficiunt malam opinionem de eo (cuius famam denigrant) habere. Estque peccatum mortale Romanorum enim primo dicuntur Deo odibiles, & abominatio hominum dicitur detractor. *Lib 14. c. 24. Lib 5 ca. 12. Detractio est peccatũ mortale.* In huius figura maledictus fuit Cham, quod patris ignominiam non absconderet. Nonnunquam etiã pœna temporali detractor legitur affectus. Quia soror Moysi lepra squalere cepit, quod fratris gloriæ inuidisset. & Dathan & Abyron, propter murmur contra Moysen conflatum, terra ferre non potuit, sed terribili hiatu consumpsit. *Prouerb. 24. Genes. 9. Exod. 12. Numer. 16.* Consueuit autem sex modis malum proximi in medium proferri; *Sex modis malum proximi refertur.* Primo ad instructionem audientium, & ædificationem præsentium, sicuti Moyses, Pharaonis dimersi enarratione, ad meliorem vitæ frugem populum allicit. *Deuter 7.* & Christus exultantibus discipulis quòd etiam dæmonibus imperarent humiliari præcepit, ne instar sathanæ de sublimitate donorum ac charismatum diuinitus ruerent concessorum. *Luc. 10.* Secundo propter cautelam, ne ex ignorantia decipiantur, existimantes eos esse probos, quos constat probitate ac virtutibus esse vacuos; Sic ad Titum tertio, mandat Paulus hæreticos, vtpote subuersos, proprioque iudicio damnatos

vitandos. Tertio referre licet ad vtilitatem absentium, vt præsentes eis denuntient, quatenus cum peruersis non peruertantur. Quarto ex amicabili quasi compassione, licet aliorum malefacta commemorare, vt audiens excitetur ad orandum pro eorum emendatione. Quinto ex loquacitate & animi leuitate contingit absentum rodere vitam. Sexto ex odio & rancore. Primi quatuor modi, non solùm sunt liciti, sed & meritorij, si non aliqua obliquâ intentione obscurentur ac commaculentur. Quintus modus quanquam non semper peccatum inducat mortiferum, tamen si fiat pro deductione temporis, aut tædij expellendi ratione, vix aut nunquam peccatum saltem veniale euadit, eritque mortale, si verbum prolatum adeo sit graue, vt notabiliter alicuius famam denigret.
2.2.q.73. Secundum Thom. Nihilominus apertè mala, omnibusque
art.2. manifesta possunt referri, aliaque in meliorem partem in-
Mala omnibus manifesta licet narrare. terpretari, secundum Aug. Sexto modo loqui de defectibus alienis ex inuidia & odio, nunquam non est mortale peccatū, potissimùm si mortale sit, quod in famæ alterius diminutio-
Serm. 202. de temp. nem malè euomitur, quia est contra charitatem, quæ præcipit alijs faciendum, quod tibi factum exoptas. Nec ista sententia
Detractio est etiam in rebus verè gestis. duntaxat veritatem sortitur, quando falsum aut mendacium pronuntiatur, sed etiam quando res verè gesta euulgatur, teste Chrysost. ad populum Antiochenum: Quis dicat, inquit,
Homil. 3. tunc detrahi solum, quando falsum dicitur; nam si vera lo-
Luc. 18. quens maledixeris, & hoc crimen est: Etenim Pharisæus ille publicano veridicus maledixit, sed tamen hoc illi nihil profuit; dic enim mihi, publicanus non erat publicanus, & proinde grauis peccator? Cuique est in confesso, quod publicanus extiterit, sed tamen quoniam ipsum pharisæus vituperauit, abijt omnibus amissis. Vis fratrem corrigere? ora Deum, lachrymare ex corde, apprehensum admone, consule, exhor-
2. Corint. 12. tare, sic & Paulus faciebat, dicens ne iterum cùm venero, me humiliet Deus apud vos, & lugeam multos ex his, qui ante peccârunt, & non egerunt pœnitentiam. Demonstra charitatem erga peccatorem, instar medicorum, qui difficiles habentes ægrotos, deosculantur, persuadent, rogantque salutarem sumere medicinam. Porro hoc valde ridiculum est, inquit, quod negligentes propriæ vitæ conuersationem, alienæ timantur conditionem, cuius famæ detrahere volentes, cùm aliquid arcanū protulerint, rogant & adiurant aures præbentem, ne cuiquam alteri amplius dicant, hinc declarātes, quod
Nihil manifestandum quod alijs celādum præcipitur. rem reprehensione dignam commiserint; Si enim illum vt nemini dicat, rogas, multo magis te priorem, huic propalare non oportebat. In tuto sermonem habebas, postquam ipsum prodidisti, tunc salutem ipsius curas? si nolis publicari, neque alteri

alteri ipse enarres, postquam verò alteri prodidisti, sermonis custodiam efficis superfluam,& inutiliter admones de verborum custodia. Rursum alij prætexūt se mala quidem de proximo effutire, verùm bona & candida intentione, teste Bernardo,sic enim habet: Alij quodam simulatæ verecundiæ fuco, conceptam malitiam quam retinere non possunt, adumbrare conantur; Videas præmitti alta suspitia,sicque quadam cum grauitate & tarditate,vultu mœsto dimissis superciliis,& voce plangenti egredi maledictionem, & quidem tanto persuasibiliorem,quanto creditur ab his qui audiunt corde inuito,& magis condolētis affectu,quàm malitiose proferri. Doleo,inquit,vehementer,pro eo quod diligo eum satis, & nunquam potui de hac re corrigere eum. Et aliàs mihi quidē,ait, bene compertum fuerat de illo istud, sed per me nunquā innotuisset, at quoniam per alium patefacta est res, veritatem negare nequeo, dolens dico, reuera ita est, & addit; Grande damnum; nam aliàs quidem in pluribus valet,cęterùm in hac parte (vt verum fateamur) excusari minimè potest. Isti impensiori studio latebras cordis rimari deberent, an contenti forent, si prætextu bonæ sinceræque intentionis,alij vniuersos panderent defectus suos. Et quando confingunt se non ex inuidia vel sinistra intentione moliri,rogādi sunt, an ex amicitiæ dictamine,vel dilectionis ardore,vel an talia dilectionis argumenta vellent sibi fieri,itaque laqueis erunt capti,vt manifestum mendacium fateantur,contra cōscientiam, aut verba detractionis dixisse, contra charitatem proximi conuincantur. Estque fornicatione grauior, nam ille qui fornicatur, tantùm se occidit, ille autem qui detrahit, & se & eum qui audit interficit,secundùm August. Imò Bernard. audet & dicit; Detrahere aut detrahentem audire, quid horum damnabilius sit, non facilè dixerim, & serm. 24. Qui detrahit, primùm quidem seipsum perdit, ac se ipsum vacuum charitate ostendit. Deinde quid aliud intendit, nisi vt is cui detrahit veniat in odium vel contemptum ipsis apud quos detrahit, fecit etiam charitatem in omnibus qui se audiūt,& quantum in se est necat & extinguit,non solùm in se, sed in absentibus vniuersis ad quos volans verbum fortè per eos qui præsentes sunt, peruenire contigerit, de quibus dicitur: Quorum os maledictione & amaritudine plenum est, veloces pedes eorum,vtique tam veloces, quàm velociter currit sermo. Vnus est qui loquitur,vnumque tantum verbum profert, & tamen illud vnum verbum,vno in momento, multitudinis audientium,dum aures inficit, animas interficit. Præterea tenetur detractor restitutioni obnoxius; Non enim dimittitur peccatum nisi restituatur ablatum, teste Aug. & eo difficilius hic

Serm. 24. super Cant.

Alius detrahentium astus.

Detractio quàm graue peccatum?

Serm. 45. ad fratres eremi.

Serm. 63. super Cant.

Detrahentem audire malū.

Psalm. 13.

Detractor est restitutioni obnoxius.

Epistola 54. ad Macedonium, & allegatur 14. q. 6. c. Si res aliena.

restitutio fit,quòd ignoramus,quot hominum aures ipsa detractio peruaserit.Si detractor nequeat planè satisfacere,obligatur bonis temporalibus recompensare ad arbitrium timorati viri,quantum possibile fuerit,quod si neglexerit,hæredes eius tenentur,sicut ad aliorum debitorum solutionem, secundum Tho. Si iniustè & falsò,alicuius famam denigrârit,restituat, dicendo hæc aut simili modo, se falsum dixisse. Nec obstat, quod se diffamabit, quia cum damno alterius, nemo debet sibi famam comparare. Si autem verum deposuerit,tamen non debebat dicere,sed restituere debet,dicendo se iniustè talem diffamasse,& quod malè fecerit talia proferendo: Caueat tamen ne mentiatur quia non sunt facienda mala, vt eueniant bona, teste Apostolo. Istud de omni detractione debet intelligi occulta; nam manifestè patrata referre, sicut ille fecit ibi homicidium, non est restitutioni obnoxium,secundum August. Negligenda etiam est restitutio,quando homo magis infamaretur ex relatione,quod fieret,quando res obliuione quasi iacet sepulta. Deinde quoque facienda non est, quando fieret cum periculo maioris mali, quàm sit bonum famæ sequuturum. Præterea quando dixit ei,qui potuit prodesse secundum ordinem iuris & correctionis fraternæ,quæ præcipit,vt dicatur ecclesię. Si etiam verba de se non sint diffamatoria, vt sunt venialia, vel possunt in aliam partem interpretari, restitutionem nequaquam requirunt. Insuper si nō adfirmatiuè, sed dubitanter prolata sunt, vel si se tantùm audiuisse, hoc aut illud commemorat, aut alia via publicatum constet, restitutione minimè egent. Et ne audiens detractionem aures præbendo animam inquinet, oportet vt à consortio detrahentium discedat, quemadmodum scribitur: Detractoribus non cōmiscearis. Hinc in mensa sua scriptum habebat D. August. & teste Possidonio in vita Augustini cap.22.

In scripto 4. dist. 15.

Modus restituē di in detract.

Rom. 3.

Manifeste facta referre non est malum.

Serm. 202. de temp.

Quādo restitutio dissimulanda?

Matth. 18.

Prouerb. 24.

Li. ad fratres in eremo ser. 26.

Consuetudo D. Augustini.

Quisquis amat dictis absentum rodere vitam.
Hanc mensam vetitam nouerit esse sibi.

Adeoque commotus detractoribus ibidem legitur, & offensus, vt de media refectione discedens, secreta cubilis ascenderit. Secundò ne audiendo detractorem delinquamus, quando discedendi locus non est oportunus, dignis reprehensionibus arguere detractorem, condecet secundum testimonium Dauidis. Detrahentem secretò proximo suo, hunc persequebar. Vnde Hieron. Nemo inuito auditori libēter refert, ne ergo ausculte, quia sagitta in lapidem nunquam figitur, imò interdum resiliens percutit dirigentem. Si autem bilinguem arguere non audeat audiens, admonere debet, secundum D. Ioannem Chrysost. ad populum Antiochenum. Si habes

2. *Modus.*

Psal. 110.

Epist. ad Nepotianum.

Homil. 3.

habes,inquit,aliquem quem laudes & commēdes,aures aperio,vt suscipiam vnguenta, si verò mala velis effutire, verbis ingressvm nego,nō enim stercus & cœnum suscipere patior; Quod erit mihi lucrum, si didicero illum esse minus frugi? Maximum igitur nocumentum est hoc, & extrema iactura. Curemus nostra,& curiositatem hanc circa vitæ nostræ seriē exhibeamus; Quam veniā merebimur,qui nostris neglectis aliena scrutamur?sicut in domum alienam declinare,omnesque eius officinas peruagati ac perlustrare turpe est,sic & circa alienam vitam satagere extremæ dementiæ est.Si nec admonere ausit detractorem,excuset vel detractum secundum Bernard.Excusa intentionem,inquir,si opus non potes,puta ignorantiam,puta subreptionem,puta casum. Quod si omnino dissimulationem rei euidentia propellat, suade nihilominus tibi ipsi,& dicito apud temetipsum; vehemens nimis fuit tentatio, quid de me illa fecisset, si in me similiter potestatem accepisset Sic quidam religiosus nomine Libertinus, vbi flagris(exigente culpa) ab Abbate illatis, sensisset turgidam & liuidam faciem, requirentibus rationem dixit, heri exigentibus peccatis impegi scabello,ita veritatem dixit,nec factum prælati manifestauit, secundum Gregorium. Si res ita efferbuerit detractionis,vt nullus locus excusationi relinquatur residuus, hoc saltem audiens sedulo intendat, vt aliquo tristitiæ, vel displicentiæ signo, vultu vel alijs modis facto,se tali non assentiri ostendat. Sic Constantinus insignis ille Imperator, scedulas quibus aliqui maleuoli Episcopos traducebant,vulcano tradidit, antequā eas aperire aut legere vellet,teste Ambros. Theodoreto, ecclef.hist. Tripart.hist. & Niceph. Addidit inclitus Imperator & illud: Si contingeret Episcopum aut sacerdotem, alicuius coniugem violare, piaculum illud sua purpura se obtecturum esse, ne tam fœdum facinus spectatoribus occasionem calumniandi præberet.

3. Modus. *Serm. 4. super Cant.* *Exemplum B. Gregor. lib. 1. dialog. cap. 2.* *4. Modus.* *Insigne factum magni illius Constantini.* *Epist. 32. ad Valentinianū.* *Lib. primo. Cap. 11.* *Lib. 2. cap. 2.* *Lib. 8. ca. 16.*

De Discordiam seminantibus. CAPVT XI.

QVEMADMODVM concordia vnionem cordium voluntatumq; significat, ita Discordia, teste D.Tho. diuersitatem voluntatum importat: Non enim qui diuersa, fide tenent vel opinione fluctuant, sed qui diuersa voluntate constituunt,discordare creduntur.Magno interim discrimine differt à Rixa,quod hæc in exteriori cōsistat opere,sitq; filia iræ,quæ mouet animum ad nocēdum proximo, sed discordia consistit in distinctione voluntatum, quatenus vnius voluntas persistat in vno,& alterius in opposito.Quod autem voluntas alicuius in proprio sistat,hoc ex eo prouenit, quod aliquis ea quæ sua sunt, præfert his quæ sunt aliorum, *2. 2. quæst. 37*

quòd cùm inordinatè fit, superbię est & inanis glorię. Ideoq; peccatum probatur, eoque maius, quo charitati aduersando concordiam tollat debitam, quod bifariam fieri contingit. Primò per se, alio modo per accidens; Per se quidem, in actibus humanis dicitur esse, quando est secundum intentionem & propositũ. Vnde per se discordat aliquis à proximo, quando data opera dissentit à bono diuino, cui obligatur assentiri, vt habitare pacificè, absque tumultu & scandalo, runcque est peccatum mortale, quia militat contra charitatem: Nam ponitur inter opera carnis, quæ quicunque perfecerit, regnum Dei non possidebit. &: Sex sunt quę odit Deus, & septimum detestatur anima eius, Oculos sublimes, linguam mẽdacem, manus effundentes sanguinem innoxium, cor machinãs cogitationes pessimas, pedes veloces ad currendum in malum, proferentem mendacia, testem fallacem, & eum qui seminat inter fratres discordias. Vnde D. Augustinus de salutaribus documentis: Discordiam seminantes nulli rei similes iudico, nisi diabolo qui seminauit discordiam inter Deum & hominem, adeò vt etiam odia, cædes & homicidia inde oriantur, sicut liquidò constat 1. Reg. 22. Propterea nihil commodius contra vitium discordię, vel cauendum, cùm nondum existit, vel sanandum cùm existit, quàm recordatio primi parentis, quem propterea Dominus creauit vnum, de quo multitudo propagaretur, vt hac admonitione, etiam in multis concors vnitas seruaretur, secundum B. Augustinum, & D. Ambros. Sed his refragari videntur Acta Apostolica, vbi vna pars populi excitata fuit in alteram, propter verba Paulina: Viri fratres, inquit, ego Pharisæus sum & filius Pharisæorum, de resurrectione mortuorum ego iudicor, &c. Ex quo concludi posse videtur, quod discordia non sit peccatum, saltem mortale, quod in Apostolos iam spiritu sancto repletos cadere nequit, Ioan. 14. Vt maneat vobiscum in æternum. & Roma. 8. Neque mors, &c. Cui respondet D. Tho. quod voluntas hominis, Deo adhærens, sit quædã regula recta, à qua peccatum est discordare, ita voluntas hominis Deo contraria est quædã peruersa regula, à qua bonũ est deflectere. Parere igitur discordiam, qua tollitur bona cõcordia charitate inducta, graue est piaculum; Porrò generare discordiam, qua mala è medio tollitur concordia, non vulgaris est virtus. Itaque D. Paulus dissensionẽ cõstituit inter eos qui in malitia conspirabãt, vti Dominus de se loquitur: Non veni pacẽ mittere, sed gladiũ. Potest tamẽ esse peccatum veniale propter imperfectionem & subreptionem actus, nimirũ si nõ plenè ac liberè fiat, vel si tollat concordiam in rebus saluti minus necessarijs, vt si quis discordet à veritate purè officiosa, cuius mendaciũ est veniale pecca-

Bifariam discordia seminatur.

Galat. 5.

Prouerb. 6.

Discordiã seminãtes similes diabolo.

Cap. 32.

Remediũ cõtra discordiam.

Lib. 12. de ciuit. Dei, c. 26

Li. 2. de Abraham cap. 6.

Cap. 23.

Obiectio.

Apostoli cõfirmati in gratia post Pẽtecostẽ.

2.2.q.37.

Solutio.

Matth. 10.

peccatum reputandum. Si quis autē nolit concordare proximo, in his quæ sunt supererogationis, puta ad intrādum religionem, nequaquā pertinet ad vitium discordiæ, cùm nullus teneatur ad religionē inducenti consentire. Per accidens autem in humanis actibus consideratur, ex hoc quod prẹter intentionem aliquid fit. Vnde si intētio aliquorū sit ad bonum aliquod, quo honor Dei integer seruatur, ac vtilitati proximi consulatur, sed tamē vnus æstimat hoc esse bonū, alius aliud; Discordia tunc censetur per accidens, contra bonū diuinum vel proximi commodum. Sicuti Paulus & Barnabas per accidens discordes fuerunt, secundum D.Thom. Vni siquidem videbatur hoc esse bonū, alij aliud, quod ad humanum pertinebat defectum, non enim talis erat controuersia in ijs quę sunt fidei aut salutis, quamuis hoc ipsum quod discederēt ab inuicem diuina fuerit prouidētia, propter vtilitatem cælitus præuisam, ordinatum. Secūdò infertur quod discordia quandoq; est ex peccato vnius tantum, nempe cùm vnus vult bonū, cui alius scienter resistit. Quod si infidelis discedit, discedat. Quandoq; cum peccato vtriusq;, puta cùm vterque dissentit à bono alterius, & vterque diligit bonum proprium. Et quamuis voluntas vnius hominis secundum se considerata, non sit alterius regula, tamen benè ex consequenti, inquantum voluntas proximi inhæret voluntati Dei, ideoq; discordare à tali voluntate, est à voluntate diuina exorbitare.

2. Modo est discordia per accidens.

Act. 15.

2.2.q.23.

1. Corinth. 7.

De Hæresi. CAPVT XII.

POSTQVAM immensa diuinę bonitatis clemētia nonnullas linguæ species attigimus, operæpretium arbitramur enucleatius demonstrare vnum doctrinæ caput, vel maximè hac lamentabili tempestate, necessarium, nempe hęresim, eiusque proprietates. Quò autem istæ vniuersis manifestiùs innotescant, ac quasi in tabula depicta clariùs elucescant, haud inutile fore duximus, si hæreseos corpus, veluti membratim discissum, legētibus offeramus, vt singula membra penitiùs perlustrantibus, certius aliquid de integro corpore constare possit.

Primò igitur obtutibus mentis & corporis proponemus, Quid sit hæresis, quique hæretici.
Secundò, Quod sicut semper fuit, ita nunquam non erit.
Tertiò, Quid pariat?
Quartò, Qua pœna exterminandi?
Quintò, De falso hæreticorum martyrio.
Sextò, Qua pœna fautores eorum feriendi?
Septimò, Qua pœna Domini sint digni extirpationem minùs cordi habentes?

Octauò, Qui relapsi sint censendi?

Nonò, Qualiter ab hæresi resipiscentes sint recipiendi?

Decimò, & vltimo, De potestate Inquisitorum hæreticæ prauitatis.

Quid Hæresis, quiq; Hæretici?

CAPVT XIII.

LICET cùm primis in quæstione intelligi debeat, secundum Philosophū, an sit res, tum quid sit; Neutrum hoc rerum statu, nos latere arbitror. Difficulter tamen conuenit inter quosdam de definitione hęreseos, cùm sanctus Augustinus, dicat Philastrum centum & viginti octo hæresum species collegisse, Epiphanium autem nonaginta duntaxat, quòd non omnia infidelitatis portenta, ad notitiam eius peruenire potuerint, aut quòd vni aliqua hæresum, non alteri primo intuitu redolere videbantur. Hæresis autem nomenclatura tantum Græcè valet, atque electio Latinè; loquimur autem modò de hæresi quæ versatur circa naufragium fidei. Electio verò est eorum, quæ sunt ad finem, proposito fine. Ideoque hæresis rectè species infidelitatis appellatur, pertinens ad eos qui fidem Christi quidem confitentur, sed eius doctrinam peruertunt; Christo siquidem tanquam fini adsentiūtur, sed in eligēdo ea, quibus Christo adsentiuntur, deficiunt, quia non eligunt ea quæ verè tradita sunt à Christo, sed ea quæ sibi suggerit mens propria. D. Augustino: Hæreticus nuncupatur qui alicuius temporalis commodi, & maximè ambitionis ergò, nouas ac falsas opiniones gignit (vt Hæresiarchæ, Arrius, Sabbellius, Macedonius, & nostro seculo Lutherus, Caluinus, &c.) vel sequitur (vt Arriani, Lutherani, Caluinistæ, &c.) Falsa autem ac noua doctrina, per quandam Analogiam ad quatuor genera credibilium, per oppositionem extenditur. Ratio siquidem fidei, primò & principaliter versatur circa articulos fidei, cuius oppositum censetur hæresis. Secundò fides extenditur ad illa quæ docet sacra pagina, cùm de ciuilitate morum, tum de veritate biblicarum historiarum. Temerario namque ausu, comminisci fornicationem, homicidium, cæteraque eius farinæ similia, non esse peccata læthalia, hæreticum foret ac impium; Haud secus etiam, qui historiam aliquam Bibliæ pertinaciter falsam criminaretur, tanquam hæreticus insectandus censeretur, 24. quæst. 3. cap. Hæresis, ex quinto ca. D. Hieron. super epistolam D. Pauli, ad Galat. 5. fidei regula, ad traditiones sacratissima Apostolicæ atque ecclesiasticæ authoritatis ordinatione dispositas dilatatur, quibus insultare absque impietatis nota fas non est, secundum beatissimum patrem Dionysium Areo-

In prologo lib. ad Quodvultdeum.

Hæresis quid?

Lib. de vtilitate credē li ca. 1. et allegatur 24. q. 3. cap. Hæreticus, & q. 1. ca. Quod autem.

Fides est circa quatuor præcipuè.

24. q. 1. cap. Hæc est fides.

Lib. eccle hierarch. cap. 16.

Areopagitam, Irenæum, Ioannem Chrysost. & D Basilium. Quarto fidei ratio complectitur œcumenica consilia, quibus refragari sacrilegium est, teste D. Aug. contra Parmenianum, lib. 7. contra Donatist. & C. de hæreticis, vbi hæreseos nota, illi inuritur, qui quatuor vniuersalibus concilijs acquiescere refugit. Cui D. Greg. adstipulatur, Sicut, inquit, sancti Euangelij quatuor libris, sic quatuor concilia recipere ac venerari, me fateor, Nicenũ videlicet, in quo peruersum Arrij dogma destruitur, Conc. quoque Constantinopolitanum, in quo Eunomij & Macedonij error conuincitur, Ephesinum etiam primũ in quo Nestorij impietas iudicatur, Calcedonense verò in quo Euticlietis Dioscorique prauitas reprobatur, tota deuotione complector. Quisquis aliud sapit, Anathema sit. Cùm hæc quatuor fidem concernant, perspicuum est, eos hæreseos insimulandos, qui pertinaci animo, hæc quatuor aut vnum eorum obseruare detrectãt, credereque recusant. Dico pertinaci animo, quoniam ad perfectam hæresis rationẽ, tria concurrere debent, primo falsa credulitas in rationali, 2. peruersa voluntas in concupiscibili, 3. pertinacia defensionis & impugnationis ex irascibili: Si quis enim suam sententiam, licet peruersam, præfarisque aduersam, nulla pertinaci animositate, sed inquirendi sollicitudine defenderit, paratus tamen palinodiam canere, vbi meliùs auribus insonuerit, non est inter hæreticos computandus, quòd non habeat electionem doctrinæ ecclesiæ contrariam. A recepta autem eorum, quæ nõ sunt fidei, sententia declinare, aliorumque opinionibus modestè secluso scandali malo dissentire, secundum D. August. lib 2. contra Donatist. cap. quinto, & epistola 101. ad Fortunatum, grande non est piaculum.

Lib. 4. contra heres. cap. 63. Hom. 4. in 2. epist. D. Pauli ad Thessalon. Epis. 70. et 71. Lib. 2. ca. 13. Cap. penult. epist. 118. quæ est ad Ianuar. Leg. Dãnato. Li. 1. epist. 24. Li. 2. epist. 49 & lib. 3. epistola 33. Conciliũ Nicenum cõdemnauit Arrium. Constantinop. Eunomium. Ephesin. Nest. Calcedon. Eutich.

24. q. 3. cap. Dixit Apostolus, ex Aug. epist. 162. quæ est ad Glorιũ.

Hæresis, sicut semper fuit, ita nunquam non erit. CAPVT XIIII.

INSCRVTABILI diuinæ permissionis consilio, hæretica prauitas, primordialem humani generis creationem anteuertit. Apostatici siquidem spiritus, quorum lucifer erat antesignanus; ab ipso diuinæ veritatis fonte exorbitantes, fecerunt sibi cisternas dissipatas, quæ nequiuerunt continere diuinorum charismatum aquas. Quare graui lapsu, qui mane videbantur exorti, leguntur collisi, teste D. Aug. Quo ascendisti lucifer, qui mane oriebaris, corruisti in terram, qui vulnerabas gentes, qui dicebas in corde tuo; In cælum ascendam, super astra Dei exaltabo solium meum, sedebo in monte testamenti in lateribus aquilonis, ascendam super altitudinem nubiũ, similis ero altissimo, veruntamen ad infernum

Lib. 11. de Genes. ad lit. c. 24. et lib de mirabilibus sacræ scrip. c. 2. Esa. 14.

detraheris in profundum laci. Qui te viderint, ad te inclinabunt, teque prospicient. Nunquid iste est vir qui conturbauit terram, qui concussit regna, qui posuit orbem desertum & vrbes eius destruxit, vinctis eius nō aperuit carcerem? Si hęresis nomenclaturam consulamus, graphicè huic congruit spiritui, qui superciliosо ausu delegit proprio potius militare vexillo, quàm diuino ttemendissimę maiestatis subdi imperio, ideoque desciuit à primæ veritatis regula, vt falsitate complices spiritus seducendo, de fastigio beatitudinis deturbaret. Certas namque secundum B. August. conditiones soli Deo proprias (qui dicit, gloriam meam alteri non dabo) ambiendo concupiuit. Quomodo & reliqui apostatici spiritus deliquerunt, quanquam instar modernorū erronum non pariformiter, quia peccarunt, non tantum lucifero consentiendo, verùmetiam sibi excellentiā appetendo, ad quam cùm se peruenire, sine subunatione luciferi, qui quasi princeps erat, desperarent, & sibi & illi ipsam vindicare cupiuerunt, præeligentes magis sub vmbra illius miserabiliter & æternaliter cruciari, quàm sub diuino imperio glorioso ministerio inæternum principari. Deinde simul atq; Deus immensæ bonitatis suæ gratia fundamenta terræ iecisset hominemque in ea sacris præceptis, tanquam quibusdam cancellis, ne huc illucque vagando periclitaretur, sui timore circundatum constituisset; Serpens callidior cunctis animantibus quæ fecerat Dominus Deus, dixit ad mulierem, Cur præcepit vobis Deus vt non comederetis ex omni ligno paradysi? Quæ non subitò serpentinæ calumnię technas repellens, sed prolixi sermonis tractu verba commiscens, triplici errore diuinam falsificauit sentētiam: Respondit enim: De fructu ligni, quod est in medio paradysi nobis præcepit Deus ne comederemus, quod falsum erat, quia lignum vitæ etiam in meditullio paradysi constitutum erat, deinde subnectit; Et ne tangeremus illud, quod Deus non protulerat, vt liquido cōstat ex decursu libri Geneseos. Tertio ne fortè moriamur, cùm Deus absoluta enuntiatione legem tulisset; In quacunque die comederis ex eo morte morieris. Quæ sententia cuique videri possit absurda, quia non eo prorsus die à corpore est solutus, quo cibo vetito illicitè fuit oblectatus, Cùm legatur vixisse 930. annis, quibus magno pœnitentiæ rigore crimen expiare conatus est, teste B. Irenæo lib. 3. aduersus hæreses, & D. August. de peccatorum merit. & remiss. Est respondendū quod prælibata scriptura de morte spirituali & corporali valeat intelligi, de spirituali eā accepit. D. Greg. li. 5. Epi. 14. inquiēs, Cùm cōmedit de ligno vitę Adā, quia in corpore mortuus non est, nouimus quia post hoc filios genuit, atque multis

Angeli mali quomodo peccarunt?

Li. 12. de ciui. ca 1. li. 14. ca. 28. li. 22. ca. 1. & epist. 80 ad Esichium.

Genes. 3.

Genes. 2.

Genes. 5.

Pœnitētia Adæ

Ca. 34. et 37.

Lib. 2.

Cap. 34.

multis annis superuixit. Si itaque in anima mortuus non est, quod dici nefas est, ipse mentitus est, qui hunc prædixit, die qua peccasset moriturum. Eucherius Episcopus Lugdunen. super præfatis verbis, vtramque mortem intelligit de corporali Genesis 3. dicitur, Puluis es & in pulverem, &c. sic Ro. 5. & prioris ad Corinth. 15. quod post aliquot seculorum curricula factum est, Sed tamē eo ipso die, vitiata est natura, mutataque in deterius, qua nos necessitate nati sumus, propter quod nō ait Apostolus, Corpus quidem moriturū est propter peccatū, sed mortuū est propter peccatū, quia videlicet moriendi necessitudini erat obnoxium, teste B. Aug. Nec modò ista legis naturæ tempestate hæreses irruperunt contra diuinam veritatem militantes, sed etiam tempore legis scriptæ. Sic namque legimus Exodi 7. Dixitque Dominus ad Moysen & Aaron: Cùm dixerit vobis Pharao, ostendite signa, dices ad Aaron, tolle virgam tuam & proijce eam coram Pharaone, ac vertatur in colubrum, & factum est ita, vocauit autem Pharao sapientes & maleficos, & fecerunt etiam ipsi per incantationes Aegyptiacas, & arcana quædam similiter, Induratumq; est cor Pharaonis, & non audiuit eos, &c. Horum vesaniam retundit sanctus Apostolus quando dicit: Quemadmodum Iannes & Mambres restiterunt Moysi, ita & hi resistunt veritati, homines corrupti mente, reprobi circa fidem, sed vltra non proficient, insipientia eorum erit manifesta omnibus sicut & illorum fuit. Emersit & altera hæreticæ prauitatis tunc temporis iniquitas. Nam Dathan & Abyron aduersus Moysen & Aaron stantes, alienum ignem, hoc est, exoticum religionis cultum obtrudere sunt conati, secūdum D. August. & B. Ambros. Quarto hæresis labes prophetarum monita labefactare conabatur, vti dilucidum fit, vbi Helias subsannando dixit prophetis Baal, Eligite vobis bouem & facite, hoc est, offerte primi, quia vos plures estis, & inuocate nomina Deorum vestrorum, ignemque non supponatis, &c. Et: Osias vindicauit sibi præter sceptrum regale & thuribulo in templo suffire, sed lepra in frōte exorta, iustissimas, quibus dignus erat, dedit pœnas. Quinto hæresis extitit Saducæorū resurrectionem negātium futurā, teste Iosepho li. 18. antiq. ca. 2. Iudaic. & lib. 2. de Iud. bello, cap. 7. Sexto Apostolorum adeoque ipsius Christi dogmata sacratissima varijs agitata sunt hæresum scissuris, vti docetur Act. 5. de Teuda & Iuda Galilæo, vnde Ioānes Euang. dixit, nūc Antichristi sunt multi, Quoniā multi pseudoprophetæ exierūt in mundū. Cōtra hos & eius farinæ alios cōpulsus scripsit euangeliū 32. annis post Christi ascensionē, secundū Euseb. Cæsarien. & D. Iren. contra hæreses. Septimo pacificā diaconorū conuersationem hæresis

Roman. 8.
Lib. 13. ciuit. Dei, ca. 23. li. 1. de peccator. merit. et remis. ca. 4. & lib. 6. de Genes. ad literam, ca. 26.

2. ad Tim. 2.

Numer. 16.
Ser. 98. de tēp.
Epist. 82. ad Vercellensem ecclesiam.
3. Regnm 17.
2. Paral. 26.
Matth. 22.
Marci 12.
Lucæ 20.
1. Epist. ca. 2.
Et cap. 4.
Lib. 3. eccles. hist. ca. 24.
Lib. 3. ca. 11.
Ioannes quare scripsit euangelium?

hæresis malum conturbauit. Nam Nicolaus Ecclesiæ pacem
Lib. 3. ca. 29. tumultuosa temeritate infregit, Act. 6. Et Euseb. ac B. Aug.
Li 4. c. 10. co aperte pronuntiat Nicolaum diaconum fuisse hæreticum, &
tra Donatist. luculentius hæres. 5. Hinc laudi ducitur Episcopo Ecclesiæ
Lib. ad Quod- Ephesinæ, quod oderit facta Nicolaitarũ. Octauò, Errorum
vultdeum. finem non obtinuit ecclesia per istos mille quingẽtos annos,
Apocal. 2. quin magis hæretici per longas inualuere moras, sicut præ-
Act. 20. dixerat D. Paulus: Ego scio quoniam intrabũt post discessionem meam lupi rapaces in vos, non parcẽtes gregi. Et, ex vobis exurgent viri loquentes peruersa, vt abducant discipulos post se, propter quod vigilate, memoria retinentes, quoniam per triennium nocte & die non cessaui cum lachrymis monere vnumquemque vestrum. Et 2. Petr. 2. Fuerunt pseudoprophetæ in populo, sicut & in vobis erunt magistri mendaces, qui introducent sectas perditionis, de quibus intueri Irenæum, Philastrum, & D. Augustinum ac Epiphanium non fuerit indignum. Nona est maligna nostræ tempestatis cæcitas, qua plerique malunt in tenebris palpitando errare, quàm plenissimis meridianæ lucis fulgoribus gaudere. Nec aliquẽ admiratio inuadat vel indignatio exuscitet, nam oportet hæ-
2. Corint. 11. reses esse, quemadmodum satis eruditè demonstrat V. Pater Alfonsus de Castro in prologo librorum de hæresibus; Etsi diuina clementia tranquillitatem concedere dignaretur, qua aliquãtulum respirare liceret, non ob hanc omnem excutere deberemus de opposito formidinem, nam in procelloso pelago etiamsi nulla sequiat tempestas, est tamen iugiter metuenda. Propterea decimo est futura, quem numerum in primo
1. ad Tim. 4. præcepto reliquimus probatum. Hinc à Paulo dicitur: In nouissimis diebus discedent quidam à fide, attendentes spiritibus erroris & doctrinis dæmoniorum, &c. Qua sententia D. August. commotus vniuersam exuit hæreseos iniquitatem,
Cap. 2. vti fateri non erubescit lib. cõtra Secundinum Manich. Item
2. ad Thess. 2. sic habet Paulus: Ne quis vos seducat vllo modo, quoniam nisi venerit discessio primùm, & reuelatus fuerit homo peccati, filius perditionis, qui aduersatur, & extollitur super omne quod dicitur Deus, aut quod colitur, ita vt in templo Dei sedeat ostendens se, tãquam sit Deus. Quo manifestum euadit primam & vltimam hæresim coincidere, eundemque petere scopum. Sed licet diabolus multis mæandris verbum Dei impugnârit, sicut hactenus nequiuit, ita nunquam præuale-
Techna diaboli propter verbum Dei. bit, nec aliquid sibi prius habet, quàm ad insidias conuersus, verbum Dei vt mentibus hominum eripere possit. Sicut in
Genes. 1. paradyso homini insidias struxit propter verbum; Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram, sic ante
Genes. 3. diluuium, propter ipsum conteret caput tuum. Et quemadmodum

modum postea filios Israël adoriri non timuit occasione verbi, Genes. 22. positi: In semine tuo benedicentur, &c. sic modò ecclesiam persequitur, propter verba sacri euangelij malè intellecta; Sed stat firmissima scripturę nostrę anchora: Portę inferi non præualebunt aduersus eam. Matth. 16.

Hæresis quid generet? CAPVT XV.

PRIMITVS beneuolentiam captantes, aureſq; quadam beneuolentia demulcentes, consuunt puluillos sub omni cubito & ceruicalia sub capite vniuersę ętatis, persuadentque omnibus scientiam Dei se habere, zelareque pro gloria domus Dei & euāgelio eius, quod cæremoniarum nebulis squalidum, ex orco quasi omnibus constitutionum humanarum sordibus expurgatum, & solaribus radiatum fulgoribus in lucem suscitasse, ac lucernam Domini super candelabrum constituisse, nec vltra tyrānidem, cui scriptura subiecta fuit, pati potuisse, iactitant. His serpentinę astutiæ sibilis fascinata plebecula, non præbere aures nephas ducit, potissimùm cùm audiat Euangelium sacrum, purum Dei verbum, scholis academijs, decretis tāquam cimmerijs tenebris obductum fuisse, itaque gipsum vice lactis improuido propinant, secundum D. Ambros. Quid enim miser faceret, ante cuius obtutus, rete iacet expansum virusque paratum, cùm melliti sint sermones eorum & ignoret esse iacula, ipsosque linguis pro hastis vti, secundum Niceph. Et si quis fortè animo resumpto obiectum errorem, probabilibus rationibus ac scripturis diluere queat, mox instar hydræ varia mōstrorum capita quibus hominem ita dementant, adferunt, vt illiteratus & indoctus, vix rimam inueniat, qua effugere eorum casses valeat, teste Irenæo aduersus hæreses, & D. Athanasio. Nec isto disputationis imò deceptionis genere, tantum contenti, spiritu tenebrifero tumidi, ostentant se tanquam numen aliquod venerandum; Nam licet humani capacitas ingenij homines eo vesaniæ venire posse capere non sufficiat, Simon Magus nobis exemplo fiat, qui in monte Sinai se patrem cælestem falsissimè legem tulisse Iudæis, & tempore Tyberij Cęsaris in persona filij apparuisse, ac postmodum in linguis igneis se spiritum sanctum in Apostolos descendisse, iactabundo animo gloriatus est, Selenam etiam meretricem suam Mineruam ab ipso appellatam, scelerum sociam, adeo arsit, vt suam eiusque imaginem Romæ publica authoritate tanquam Deorum simulachra adoranda exhibuerit, vbi & præcipitio collisus interijt obsecratione beati Petri Apostoli, qui eum aëra volatu celerrimo secantem deiecit, secundum beatum Ambros. August. ac Eusebium Cæsariensem. Similis quoque

Ezech. 13.

Gipsum vice lactis præbent hæretici.

Lib de fide c. 1

Psalm. 54.

Lib. 6 ca 11.

Instar hydræ procedunt hæretici.

Lib 1. ca. 34.

Lib. contra Arrianos.

Actor. 8.

Simon quo vesaniæ prorupperit.

Mors Simonis Magi.

Serm. 66.

Serm. 27. de sanctis.

Lib. 2. ca. 1. et duobus sequēt.

Li.10.ca.25. quoque vesaniæ meminit Gregor. Turonen. Præterea monasteriensis ille nostri seculi, & Dauid Georgius paulò post circa annum Domini 1556. Basileæ defunctus (vt reliquis breuitatis ergò supersedeamus) nonne hisce elapsis annis sese tanquam filium hominis Deumq́ue Israël colendos ostentarunt? Nónne (vt ad tertiam perstringamus personam) mentiuntur Manichæi, promissionem Domini nostri Iesu Christi de spiritu paracleto, in suo Archimanichæo cõpletã esse? apud D. Aug. *Hæres. 46. ad Quoduultdeũ.* Fortè iam efflagitas quomodo res fuerit tam horribiles tamq́ue intolerabiles pullulare & grassari hæreses per orbem? Non est mihi impræsentiarum hac in promptu fortior ratio, quàm quod ille antiquus ac versipellis hostis, mille mæandris humanum genus circunscribit, vt ipsum adigat, sub suo militare vexillo. *Mira diaboli vafricies.* Ante aliquot siquidẽ annorum curricula, per Manichęum suum fidelẽ ministrum, docuit non vescendum carnibus, ouorum, lactis, viniq́; vsum prohibuit, deinde nuptias damnandas docuit. Pelagium à patris impietate haud degenerẽ, secundum B. Aug. Aetiani tantum cœlibem actitantes vitam suæ colluuiei admittebant. *Li. 2. de pecca. orig. ca. 33. & li. contra 2. epist. Pelag. [illegible] Hæres. 53. [illegible] hæresis multiplicata.* Quorum vestigia si moderni sectarentur aduersarij (vti sequuntur Wiclefum & Walden. adeo vt in eorum damnatas hæreses iurasse videantur) perpaucos aut nullos hac tempestate eorũ incedere velle semitas mihi persuaderem. Verùm obtinentes mentem Polipi, eorum odas psallunt quorum panem manducant, laxis siquidem habenis Baccho ac ventri thura incendere non desinunt, concupiscentiæ motibus ac carnis illecebris acquiescere non expauescunt. Legitur namque quod Martinus Lutherus instar Epicuri ac Sardanapali cuiuspiam, singulis prandijs ac cœnis duos selectissimi vini cantharos ebiberit. Quod ad castitatem attinet, reperitur verissima illa D. Hieron. sententia; *Ad Eustochiũ.* Venter estuans mero facilè despumat in libidinem, & illa Terentij: Sine Cerere & Baccho friget Venus. Cùm ipse religiosus religiosam impregnârit, ex qua tres proles suscitauit, non secus quã Acrisius æreæ turri inclusit Danaim puellam, ne florem virginitatis amitteret. At Iuppiter per impluuium specie imbris aurei illapsus, id est, munusculis intromissus, corrupit, vt ex ethnicis scriptoribus sumpsit D. Hieron. & sanctus Augustinus libr. primo confess. *Epist. ad Gaudentium.* Sic Andreas Carolstadius sacrilegus sacerdos, primus vxorem duxit, contra 16. canonem concil. Calcedonen. *Cap. 16.* Imò vult Iustinianus tales capite plecti. *Cod. de raptu virginum, leg. Raptores.* Et complures alij duas & tres simul retinere non abhorruerunt, adeo vt Dauid Georgius supra memoratus (vt interim taceamus clades & strages seditiosas, per hos excitatos, & horrenda illa impudicitiæ monstra portentosa, ob quæ meritò

dicere

dicere adſolent Priſcillianiſtæ, & ventres moderni dicunt;
Iura, periura, ſecreta pandere noli.

Vt Auguſt. & D. Bernard. ſuper Cantica) promiſcuum fœminarum vſum permiſerit, ſicut olim Nicolaitæ ſecundum ſanctum Auguſtinum. Et quemadmodum caſtitas exulat, ita parſimoniarum exercitia ac pœnitentiæ opera reijciunt, bona opera maiorem facere peccatorem, proh dolor, ſtatuunt, vt carnalibus deſiderijs ſe totos mancipent. Hęccine fieri flagitia, conſilia permittunt dominica? hæccine praxis ſanctorum, qua regno cælorum vim intulere? hæccine arcta via quam pauci ingrediuntur? Imò vniuerſi natura corrupta libenter hanc currimus, adeo vt plerique vitam ita ſuam corruperint, vt voluptas principatum & ſceptrum regni teneat, quemadmodum habet Cicero, qui dicit Cleantem tabulam habuiſſe, in qua depicta erat voluptas pulcherrimo amictu refulgens, ac ſolio regali inſidens, cæteraq́; virtutes tanquam ancillulæ præſto pingebantur, quæ nihil rerum præſumebāt, niſi voluptas annueret, ſibiq́ue perplaceret. Hāc potiſſimum reor eſſe cauſam, quamobrem longè lateq́; diuerſis in regnis rerum potiri videantur. An ergo vacillabimus? nequaquam: Vbi eſt enim illa phaſelus Arriana nauis velox & oblonga? velox quia exigua ſcintilla Imperatorem ac Imperatricem, imò vniuerſum quaſi orbem incendit, teſte Theodoreto & Niceph. Quin etiam per diuerſa mundi climata, ſeptuaginta duos ſuæ factionis conſtituit Epiſcopos ſecundum beatum Aug. ad Quoduultdeum. Oblonga quia tempora D. Bernardi attigiſſe non ambigitur, vt liquidò conſtare poteſt ex eius 190. epiſt. Vbi, inquam, eſt nauis roſtrata Donatiſtarū, quam Liburnam vocant? qui numeroſitate ducentorum ſeptuaginta nouem epiſcoporum pollebant, vt inſinuat Beatus Auguſtinus. Vbi eſt nauis Perſæi, imò Manichæi, quæ ſecundum Eutropium libro quarto Roman. hiſtor. inuſitatæ legitur fuiſſe magnitudinis, adeo vt ſeptemdecim ordines remorum habuiſſe, non ambigatur? Certè iſti, & quotquot ſunt alij, incidere in ſcyllam, non portum, ſed planctum inuenientes.

Quocirca non debet nos anxios reddere, aut inſtabili animo fluctuantes, cùm videmus eheu complures, cùm ſcientia tum probitate conſpicuos, ab orthodoxa & Romana deſciuiſſe fide, quin maiori certitudinis euidentia firmabimur. Sicuti tres adoleſcentes Danielis tertio qui non ignorantes doctiſſimos vndecunque ſophos in regno Babilonico abundare, conſtantiſſime tamen Deum Iſraëlis confeſſi ſunt, & leges patrias cum diſcrimine vitæ tutati. Sic inſignis ille athleta Dei Mattathias, ſic Helias qui non eſt ſcandalizatus, nec octingentis quinquaginta pſeudoprophetis deprauatus, nec blan-

Heref. 70.
Serm. 65.
Heref. quinta.
Li. 2. de finib.
Lōgè graſſata here. Ariana.
Li. 3. eccleſ. hiſt. cap. 9.
Li. 9. ca. 2. & allegatur 24. quæſt. 3. cap. Reſecanda. §. Arrius.
Quot Ariani habuerint epiſcopos?
Heref. 46.
Donatiſtæ quot habuerint epiſcopos?
Li. 1. Collationum cap. 13.
Conſtantia eſt neceſſaria.
1. Machab. 2.
3. Reg. 18.

nec blanditijs illectus, nec minis fractus, vel solus, se ne Deū offenderet, hocq́ue eius præceptum posthaberet, cōtra illam numerosam congeriem, zelo Dei oppoſuit, imò & confudit. Quod non tacuit Ruffinus de simplici Theologo, qui philosophum acrimonia ingenij ac captionibus argutiarum plenum silere fecit. Istorum exemplo si confundere eos (obsecro) nequeamus, quia erubescere perfrictæ frontis homines nesciunt, etiamsi falsitatis adeo conuincantur, vt ne hiscere quidem possent, queadmodum D. August. Honoratum Manichæum lib. ad eundem; Rursum Fœlicem Manichæum, lib. de actibus cum Fœlice, & Maximinum Arrianorum Episcopum lib. 2. in fine, contra Maximinum. Deinde Ioannes Eckius, insignis sui temporis doctor (vt alios breuitatis gratia missos faciamus) Lutherum. Tamen cum peruersis non peruertamur, nec instar Donatistarum, propter malorū peruersitatem, relinquamus Ecclesiæ Romanæ vnitatē, ait Aug. vt ipsi Lutherani conuicti, ad commune ipsis azylum confugiunt, obijciēres abusus ecclesiasticorum. Cùm enim Donatistarum ora essent obstructa, secundum D. August. lib. 3. contra literas Petiliani cap. primo & 40. necnon lib. 2. ca. 99. monasteriorum & sacerdotum abusibus obijciendis volutabantur, vt Scarabei stercoribus delician tur.

Lib. 10. eccle. hist. cap. 3. *Simplex homo confundit Philosophum.* *Lib. 2. contra Donatist. cap. 5. & 6.* *Epist. 137.*

Qua pœna hæretici exterminandi?

CAPVT XVI.

PRIMITVS hæreticos, D. Paulus docuit vitandos, quod & praxi docuit B. Ioannes euangelista, conspiciens Cherintum hæreticum in balneis: Fugiamus, inquit, ne ruina domus nos opprimendo præueniat, teste D. Irenæo, Hieron. epistola ad Pamachium. Conc. Calcedo. Bernardus, Eusebius Cæsarien. & Nicephorus. Sic sanctus Policarpus quodam tempore obuiam factus est Marcioni hæretico, qui dixit Policarpo; Cognosce nos, respondit sanctus: Cognosco te primogenitum Sathanæ, Sic Irenæus. Pari modo Lucius populo catholico fuit episcopus Arrianus, qui vbi semel asello vectus, forum transiret, pueri pila palmaria ludebant, cùm autem pes asini casu pilam attigisset, eam ceu virus abhorrentes, amplius manu attingere refugiebant, sed pedibus in ignem ibidem constructum protrudebant, quo manifestam omnibus detestationem hæreticæ prauitatis efficerent, secundum Theodoretum, & tripart. hist. lib. 7. Et Constantius nondum baptismatis sacramento renouatus; se existimauit contaminandum, si aram gentilium adspiceret, teste Ambr. Putrida siquidem caro & ouis scabiosa, non solum corpora inquinat,

Ad Tit. 3. & allegatur 24. q. 3. ca. Dixit Apostolus. *Lib. 3. contra hæret. cap. 3.* *Cap 14.* *Epist. 194.* *Lib. 4 ca. 14.* *Lib. 30 c. 30* *Lib. 3. cap. 3.* *Lib. 4. eccles. hist. cap. 15.* *Cap. 17.* *Epist. 31. ad Valentinianū.*

inquinat, sed & aërem & spiritum inficit, sermo namque eorum, vt cancer serpit, secundum Apostolum. Verùm calumniantur esse contra libertatem spiritus, nec in primitiua Ecclesia aliquid molestiæ sibi fuisse illatum. Sed quis quæso pastorum, relinquet lupis rapacibus ouem? & non potius arcebit ab ouili, imò interimet, si alia via nequeat ouiculę consulere? Quis, inquam, non prius animaduertat in lupū, quàm gregem sinat dilaniari? Pari ratione præstat hæreticum interire, quàm oues periclitari. Quamobrem varijs cataplasmatum generibus, Rom. & Apostolica Ecclesia huic paroxismo occurrere voluit, primò namque vinculo excommunicationis innodati fuēre, exemplo Paulino, qui Hymenæum & Alexandrum excommunicando sathanę tradidit, quia in fide naufragium fecerant. Hoc modo D. August. Pelagium & Cælestium hæreticos excommunicauit, vti habet epistola Vrbani Papæ, quæ citatur 24. & Concil Braccaren. 1. Haud secus Siritius Papa excommunicationis gladio percussit hæreticos, secundum D. Ambros. ad Mediolanēsem ecclesiam. Et die cœnæ Domini omnes vt modo hæretici excommunicabantur, teste August. Nequaquam tamen hic silentio prætereundum est, variam esse communionis acceptionē, & proinde multiplicem esse excommunicationem, seu communionis priuationem: Est namque cōmunio spiritualis, quæ consistit in consensu vero, vel interpretatiuo, quādo nempe cum asserente, aliquid asseueratur, aut cum negante negatur, quo modo non est hæreticis communicandum, sed potius de medio eorum exeundum. Secundo modo est communio sacramentorum, nec sic est communicandum, potissimùm si sint notati vel nominati, & quanquam sint occulti, vel etiam manifesti, simpliciter ratione sui priuantur effectu communionis sacramentorum, Extra de hæreticis. Tertio est communio in cibo, potu, & huius farinæ alijs, neque sic nominatim præcisis est commiscendum. Quarto est corporalis communio, qualis est in eadem ciuitate cohabitatio, quæ ob hæreticorum multitudinem, proh dolor, difficulter hocce tempore vitari potest. Pastorum igitur est & concionatorū, catholicæ fidei doctrinā indefesso inculcare labore, ne simplices ac rudes ignorantiā veritatis pro velamine excusationis pretexere queant. Cùm autem hanc terribilem excommunicandi pœnam, vtpote spiritualem & insensibilē, adeo flocci penderēt, vt docerent eam ambabus vlnis amplectandam, cōdemnauit eos ecclesia decem librarum auri, quemadmodum Iure politico damnātur certorū solidorum qui gladium euaginârint, licet ferro neminē perstrinxerint. Istā tulit legē Theodosius, teste B. Aug. Libra autē auri septuaginta duobus aureis impletur,

1. ad Tim. 2.
Matth. 7.
1. Corinth. 5.
Excommunicati hæretici.
Quæst. 3. cap. Notandum.
Cap. 33.
Epist. 80.
Serm. 119. de tempore.
Antiquitus hæretici in cœna Domini excōmunicati.
Quotuplex communio?
2. Corinth. 6.
Ca. Excommunicamus.
1 Corint. 5.
Difficulter hodie vitantur hæretici.
Decē librarum auri dānantur.
Li 2. cōtra literas Petiliani ca. 83. li. 3. cōtra Cresconiū grammat. cap. 47. & epi. 50 ad Bonifaciū.

pletur, & centum aureos pro duabus libris auri intelligit Budæus lib. de asse. Qui ergo deprehendebatur ab ecclesiæ vnitate, per hæreticam prauitatem se abrupisse, centum libras grossorum Flandriæ, vel circiter pendere cogebatur. Cùm verò pecuniarum mulctam non formidarent, simplices muneribus alliciendo circumuenerũt, vti Arrius fecit, teste Augusť. & B. Ioanne Chrysost. & Montanus multas ecclesias Priscæ ac Maximillæ nobilium & opulẽtarum fœminarum, primùm auro corrupit, dehinc hæresi polluit. Sic Donatus, per Africam, vt infœlices quosq; fœtentibus pollueret aquis, Lucillæ opibus adiutus est, secundum D. Hieron. aduersus Pelagium. Quod & hoc lamẽtabili seculo haud segniter, neq; parca manu per plerosq; à fide catholica auersos pręstitũ est. Alij splendidis mẽdacijs imponere soliti sunt. Sic filij Belial subornãtunt mulierẽ pudicitiam corporis sui prostituentem, cuius linguę officiũ mercando, iurisiurandi sacramento confirmare fecerunt, quem lactaret puerum, se ex magno Eustachio Episcopo Antiocheno cõcepisse, teste Theodoreto. Prohibentibus autem alijs episcopis Eustachium iniustæ parere sententiæ absq; testibus prolatæ, abiere illius fabulæ compositores quàm primùm ad regem, eiq; persuadent, veram accusationem, iustamq; fuisse condemnationis sententiam, exiliumq; conficiunt, tanquam adultero & tyranno, pietatis ac castitatis athletæ. Porrò mulier illa postmodum morbo grauissimo exagitata, insidiarum tragœdiam detexit, quando se pecunia conductam ad illam calumniam instruẽdam manifestauit, non tamen omnimodam falsitatem iuramẽto deposuerat, quoniam Eustachij cuiusdam fabri puerum infœlix scortũ pepererat. Simile quid machinati sunt cõtra D. Athanasium Arriani, nam quidam pecunia inducti, (quò suspicio accusationis vitaretur) persuadẽt quatenus ad Imperatorem Constantinum cursitent hæretici, calumniaturi Athanasium exactionibus, Aegyptũ intolerabilibus degrauare, sed simul atq; aërem verberasse, vt dicitur in Prouerbio, se hac fabula conspexerunt, aliam instituunt. Nam Arsenio episcopo Melitiano occultato, dextram alicuius cadaueris arcæ ligneæ inclusam, per mare, per terras circumferebãt, proclamantes recisam esse de cadauere Arsenij per Athanasiũ interfecti. Subornãtunt & publicæ abiectionis meretricem, quæ coram tribunali sanctum Athanasium importunis cõfunderet clamoribus dicendo: Tu mihi virginalis integritatis pudorem eripuisti, tu castitatis decore me spoliasti. Adducunt & arculam ligneam, denudant manum quam mentiebantur ab Arsenij cadauere pręcisam. Atqui Athanasius constanti animo, in corona iudicum cõstitutus, adsignauit Arsenium viuum ac incolu-

Li. ad Cathecumenos cap. 7. *Homil. 6. ad Antioch.* *Epist'o ad Ctesiphõtem.* *Mendacia hæreticorum.* *Li. 1. eccl. hist. cap. 21.* *Eiusdem lib. cap. 22.* *Simile calumnia mendaciũ.* *Cap 26.* *Cap. 28.*

columem adesse curauit, vtramq; eius manum naturali compage reliquo corpori coalitam demonstrauit. Persimili mendacio commẽtus est Ioannes Wiclef, se monachos ac doctores in æde D. Paulo sacra conuicisse, ac corã plebe Anglicana confudisse, adeo vt rubore suffusi, quiq; capta fuga, ignominiam euadere certarẽt, vt habet Concil. Constan. Fortunatus quoq; D. August. insidias tetẽdit, decreuerat siquidem cum Donatistis in biuio operientibus, eum occidere, sed Deus fecit doctorẽ suum, in via arrepta errare, itaq; manus impiorum euadere. Cumq; his similibusq; technis à patre mẽdacij adinuentis fidelibus imponerent, aliud pharmacum ouibus curandis iudicatum fuit necessarium, propterea in exilium ablegati sunt, teste August. & Chrysost. super illa verba, Sinite vtraq; crescere. Ambros. ad Siritium, Tripart. hist. vbi Eunomius legitur in exilium actus. At licet corpore absentes exulare debuerint, spiritu tamen crebrisq; literis se præsentes exhibebant, vti manifestum euadit in Eutichete, qui magna impudẽtia longè dissitos decepit, quãdo venenatis literis simplices circumscripsit, secũdum Leonem ad Matcianum Augustum. Quod aduertẽs sancta mater ecclesia sponsa Christi & columna veritatis, ne fidelium animæ inciderẽt, tanquam præda petita in eorũ casses; necem indixit, extremoq; supplicio plectendos secundum leges, de cõsuetudine autem comburendos & cremandos sanciuit, & concil. Calcedonen. docet Eutichetem non solùm pœna, sed & igne dignum existere vt palmes non crescat, sed ardeat. Nec istud recẽtet est inductũ, sed diligenter tempestate D. Hieron. obseruatum, qui cõmemorat Priscillianũ hęreticum seculari gladio totius orbis authoritate fuisse damnatũ, epist. ad Cthesiphontem, & sanctus Leo ad Turbium Episcopũ Astutiẽsem dicit, Priscillianũ & aliquos eius discipulos, ense legum publicatum fuisse interfectos: Donatistæ quoq; vocabant nos corporũ interfectores, teste Aug. quod nequaquã fecissent, nisi tum tẽporis etiam gladio materiali in ipsos animaduersum fuisset, vt manifestè docet idem Aug. cõtra literas Petiliani, Nec alicuius roboris est argumentũ, quod nouatores adducunt: Primitiua ecclesia neminẽ occidendũ mandauit, ergo nec hodie pœnas dare debent; huic satis pro nobis respondet D. Aug. quoniã tunc impleri debuit, inquit, quod prædictũ erat, Occident nempe vos Christi Apostolos & præcones arbitrãtes se obsequium præstare Deo, & gentes fremere debebant aduersus Christianos, postmodum impleri cœpit, quod scriptum est, Et adorabant eum omnes gentes ac reges. Tunc legibus constringi cœpere, non solum adulteria, sed & hæreticorum portenta, vt Augustinus disertè docet. Et licet prior August. sententia Luthero

Simile quid commentus est Vviclef.
Sess. 15.
Insidiæ D. Aug. paratæ.
Lib. Enchirid. ca. 17. & ser. 36. ad fratres in eremo.
In exiliũ hæretici deportati.
Epistola 48. ad Vincentiũ.
Epistola 81.
Li 9 cap. vigesimoquinto, & 36.
Epistola. 45. & 70.
Lege occiduntur de consuetudine cremãtur hæretici.
Actione 1.
Ioan. 15.
Contra Pelagium.
Epistola 93.
Lib. 1. contra epistolam Parmeniani c. 7.
Lib. 2. ca. 92. 97. 99. & 100.
Cauillum hæreticorum.
Epist. 40. ad Bonifacium.
Epist. 48. ad Vincentium.

Aug. retractauit sententiam de hæreticis nō occidendis. fauere videretur, qua nolebat hæreticos occidi, ne fictos haberemus catholicos, quos apertos noueramus hæreticos, tamen mea hæc opinio, inquit, nō contradicentium verbis, sed demonstrantium superabatur exemplis. Quoniam primo opponebatur mihi ciuitas mea, quæ cùm tota esset in parte Donati, ad vnitatem catholicam timore legum imperialium est conuersa, quam nunc videmus ita hæresis perniciem detestari, vt in ea nunquam fuisse credatur, ad Vincentium, *Epist. 48. Et 50.* ad Bonifacium, item de Donatistis, ac lib. 2. retractationum. *Epist. 166. Cap 5.* Multi legibus corriguntur, inquit, & se etiam correctos gratias agunt, & qui oderant, diligunt, molestasque sibi fuisse saluberrimas leges, quantum in insania detestabantur, tantum recepta sanitate gratulantur, & in residuos, cum quibus erant perituri, iam simili dilectione nobiscum vt pariter instemus, ne illi pereant, excitantur. Ista autem Theodosij Imperatoris lex habetur, C. de hæreticis, & Manichæis, lege Arriani, & refumitur 23 quæst. 4. cap. Ipsa pietas 11. quæst. 3. cap. Imperatores, & distinct. 9. cap. eodem His suffragatur scriptura, vbi fictores somniorum præcipiuntur occidi, quod Ioanni Hus, & Wiclef contigit in concil. Constantien. Atque vt sedulò huic intendant iudices, monentur & inducuntur, & si necesse sit, etiam per ecclesiasticam compelluntur censuram. Nam pro defensione fidei præstant publicè iuramentum, quod de terris suæ iurisdictioni subiectis vniuersos hæreticos, pro viribus exterminare studebunt, & si facere Domini temporales vel eorum Baliui neglexerint, excommunicationis vinculo innodantur, Hæc concil. Lateranen sub Innocentio Papa tertio celebratum, C. de hæreticis, lege Statuimus, & lege Si vero. His inferendum est, quod habetur libr. primo Ordinationum Imperialium & statutorum Regalium Caroli Quinti Imperatoris & Philippi filij eius nunc regis catholici Hispaniarum. Quod anabaptistæ etiamsi resipiscant, sint vulcano tradendi, fœminæ autē sunt terræ finibus, viuæ recondendæ. Publicatio quoque huius statuti bis in anno fieri præcipitur, in profesto Ioannis Baptistæ nimirùm, & Natiuitatis Domini, sub pœna decem Carolorum prima vice, 2. viginti, 3. priuatione officij, moderna tamen praxis etiamnū obtinet semel. Qui autem in aliquem sunt errorem relapsi, sanguine & ære sunt conficiendi. Si qui ex infirmitate aut simplicitate à recto fidei tramite aberrârint, locū indulgentiæ reperiunt, non tamen poterunt dignitate aliqua perfungi, vel publicis officijs honorati: Si verò qui parechiam aut ciuitatem transmigratione mutarint, testimonium à pastore discedentes recipiant, sine quo alijs in locis suspecti de hæresi reputentur. Hæc ibi. Si autem clericus hæreseos labe conspurcatus

Lex Imperialis est scripturis cō sentanea: Leuit. 10. Deuter. 13. & 17. necnon 2. Reg. 23.

Seß. 25.

Domini tēporales quale præstēt iuramētū?

Canone 3. §. damnati, & 2. sequētibus.

Rubrica 7. Pœna Anabaptistarum.

Migrantes à pastore testimonium cōferant.

spurcatus fuerit repertus, totius ordinis ecclesiastici prærogatiua nudetur, omnique officio ac beneficio spoliatus, secularis relinquatur arbitrio potestatis debita animaduersione, nisi fideli animo impietatem abiurarit, puniendus. Intercedit nihilominus ecclesia pro eo, vt citra mortem, si fieri queat castigetur: Laicus autem nisi abiurata hæresi & satisfactione exhibita confestim ex animi sententia resipuerit, secularis iudicis arbitrio relinquatur, debitam recepturus pro qualitate peccati vltionem. Præterea luere non solum in corpore, sed & in ære cogitur, nam vniuersa clerici bona applicanda sunt ecclesijs, à quibus stipendia percepit. Laici verò ipso iure confiscantur, de hæreticis, cap. Excommunicamus, & dist. 8. cap. Quo iure, ex D. Aug. Concil. Gangren. & Carthag. Confiscationis tamen huiusmodi executio vel bonorum ipsorum occupatio, fieri non debet per principes aliósve dominos tēporales, antequam per episcopum loci, vel aliam personam ecclesiasticam, quæ super hoc habeat potestatem, sententia super eodem crimine fuerit promulgata, in 6. de hæreticis. Decernunt quoque venerabiles canones in 6. de Hæreticis, quod hæresis maritorum, fisco non subdat catholicarum dotes vxorum, quod intelligendum venit, nisi fortè ipsis nupsisset, quos tales esse tunc non ignorabant. Etsi opus fuerit, nec aliter fieri queat, manus militaris adhibeatur, oportet; Omnia siquidem bona debent eis auferri, nec aliqua Iuris ciuilis ratione valēt ab ipsis possideri, dist. 8. cap. Quo iure. 23. quæst. 1. ca. Quidam, & quæst. 7. cap. Quicunque, & ca. Si de rebus. Imò catholici, qui crucis assumpto charactere, ad hæreticorum exterminium se accinxerint, illa gaudere permittuntur indulgentia, illoque priuilegio muniri, quod terræ sanctæ suppetias ferentibus conceditur. de Hæreticis, ca. Excommunicamus. §. Catholici. Si contingat ipsos non in corpore, sed in ære duntaxat luisse, palinodiamque cecinisse, bona eorum vlterius ad eos non reuertuntur, nisi misericordia principis eis indulgere voluerit. de Hæreticis. cap. Vergentis. Innocentius à minori arguens, censet & filios orthodoxos à paternis bonis penitus excludendos, præfatum canonem exponens, Cod. ne filius, leg. 1. item patris. Statur hodie huic decreto, in odium criminis, sicut in criminæ læsæ maiestatis filij in temporalibus deprimuntur. Alij tamen adserūt ecclesiam veris iudicijs fidei ac probitatis filiorum certiorem factam, non sumere super talibus supplicium, sed pia miseratione exhibere viscerum naturam maternorum. Sed Innocentij opinionem iuuat hoc, quod pœna filijs inflicta, non tantum fiat illis, sed in pœna filiorum puniuntur & parentes, cùm subinde grauior sit, siue in corpore, siue in

Clerici hæretici pœna.

De hæreticis ca. Ad abolendam. §. præsenti, & ca. Excõmunicamus. §. damnat.

De bonis hæreticorum.

Tract. 6. super Ioannem.

Cap. 6.

4. Cap. 7.

Cap. Cùm secundum.

Ca. Decreuit, Dotes vxorum catholicarũ nõ confiscantur.

Priuilegium cõtra hæreticos militantium.

8. quæst. 1. ca. Clemens.

bonis contingat, quàm ea quam ipsi in sua propria sustinent persona. Nec solùm in filijs affliguntur, sed & hæretici sepul-

Hæretici careāt sepultura. tura puniuntur. Qui namque hæreticos, credentes receptores, defensores, vel fautores eorum, scienter præsumpserint ecclesiasticæ tradere sepulturæ, vsque ad satisfactionem idoneam sententiæ excommunicationis se nouerint subiacere. Nec absolutionis beneficium mereantur, nisi proprijs manibus publicè extumulēt, & proijciāt huiusmodi corpora damnatorum. Locus quoque perpetua careat sepultura. Quo canone docetur, quod si quis in hæresim lapsus fuerit, nec accusatus, sed morte præuentus, è viuis in errore suo decesserit, ecclesiastica debet carere sepultura, nec licet tali, tanquam vero catholico officia exhibere funeralia; Quin & locus penitus relinqui debet tanquam prophanus, vt non amplius in eo corpora fidelium recondantur. Idem sentiendum est de fautoribus & receptatoribus eisq́ue credentibus, hoc est, sepelientes fautores vel receptatores hæreticorum vel eis credentes, id est, publica voce profitentes se credere errori talis hæretici, incurrunt etiam sententiam excommunicationis. Præmittitur autem (scienter) quod ignorantia probabilis tales habeat excusatos. De Clerico excommunicato ministrante. Quod præmittitur (extumulent) est intelligendum, secūdum canonem qui habetur de sepulturis, vbi sic legitur: Sacris est canonibus constitutum, vt quibus non communicauimus viuis, non communicemus defunctis, careantq́ue ecclesiastica sepultura, prius ab vnitate ecclesiastica præcisi, si in articulo mortis ecclesiæ non fuerint reconciliati. Vnde si contingat interdum corpora excommunicatorum per violentiam, alióve casu, in loco sacro tumulari, si ab aliorum corporibus poterunt discerni, debent exhumari, & procul ab ecclesiastica sepultura iactari. Hęretici autem credentes, receptatores, defensores, & fautores eorum, ipsorumq́ue filij vsque ad secundam generationem ad nullum ecclesiasticum beneficium seu publicum officiū admittantur. Et si secus factum fuerit, irritum sit & inane. Per hoc autem quod dicitur (vsq; ad secundam generationem) comprehenduntur primus & secundus gradus, secundum Ioānem Andream in 6. ibidem, id est, filij & filiorum filij, in linea paterna, sed extēditur tantùm ad gradū primum in linea materna. Exemplo quod dicitur manifestū fiat: Si Titius fuerit hæreticus, receptor vel huiusmodi, cui fuit filius ac filia, vterque huic prohibitioni subiacebit, necnon filij à filio progeniti, non autem filij à filia orti. Itē si mulier aliqua hæreseos labe fuerit infecta, habeatq́ue filios, ipsi huic includuntur prohibitioni, non autem filij filiorum; Atq; istud veritatē habet, de patre catholico, filioq́;

Ca. Apostolicæ. *Cap. Sacris.* *In 6. de hæreticis, ca. Quicūque §. hæretici* *Ca. Statutum. §. 22.* *Filij hæreticorū quatenus puniantur?*

non in-

non infecto; alioquin proprij delicti lueret pœnam. Adhæc, Qui ad preces huiusmodi pestilentium personarum, dignitates, personatus, & quæcunque alia ecclesiastica beneficia sunt adepti, ipsis sic acquisitis ipso facto sint priuati, etsi receperint ea scienter, ad alia vel similia nequaquā in posterum admittantur. Qui sola suspitione de hæresi deprehensi fuerint, nisi ad episcopi arbitrium se expurgauerunt, sententiæ seculari subiacebunt, de sententia excommunicationis, ca. Vt famæ, & secundum Hostiensem, Suspectus ex differentia morum vel aliàs si vocatus cōfiteatur errorem ac spes correctionis affulgeat, potest iudex imposita salutari pœnitentia emēdato indulgere, multoq; magis, si sponte hoc ipsum fecerit. Si vero infamis diffiteatur, nec conuinci possit, expurgabit se, quod si detrectet vt conuictus puniatur. Infamatur autem quis de hæresi, si nullo modo velit iurare, vel aliquid huic simile præstare. Præterea suspectus dicitur, & velut hæreticus condemnatur, de Hæreticis, ca. Cum contumacia. qui ab eo, cuius interest vocatus, vt de fide respondeat, excōmunicatus fuerit, quod parere subterfugerit, vel contumaciter se absentauerit, atque per annum animo pertinaci sententiā excommunicationis sustinuerit. Deinde hæreticis determinata post mortē non est finalis pœna, quia D. Basil. ait: Si is qui vnum ex paruis his scandalo affecerit, huius mortis reus iudicatur, profectò qui tanta per prauam vitam ad corrumpendos mores reliquit exēpla, aut corruptoria in vita dimisit dogmata, scandalo offendens etiam post mortem suam, omnium sanè qui propter ipsum mortui sunt, mortis reus meritò & iustè pronunciari poterit, dum singulatim autor in illo seculo vulneratur ac moritur, quum singuli in hac vita propter ipsum sauciantur, aut moriuntur.

Ab hæreticis promoti ad officia.

In 6. de Hæreticis, ca. Quicūque. §. adhæc.

Suspectus de hæresi qualiter puniendus?

Et de hæreticis, ca. Excommunicamus. §. Qui autem.

Lib. de virgin.

De falso hæreticorum martyrio.

CAPVT XVII.

COMMVNIS humani generis hostis, conspiciēs suos æmulos imperialibus constringi legibus, persuasit plurimis necessitatem esse virtutē, imò funestam eorum mortem, mœreri martyrij palmam. Hinc hæretici Christiano nomine dealbati, & paganismi tenebris obcæcati, martyresin crimine existimandi essent, teste Aug. & Greg. quando pro superstitione & capitis sui adinuentione, quam piam religionem fingūt, legales pœnas luunt. Quin & dæmones qui horrenda perferunt, & latrones, cùm pœnas dare coguntur, martyres dici possent; Sed miranda est potius in istis patientia, quàm laudanda, imò neganda est patientia, miranda est

Li. ad Honoratum cap. 1.
Li 18. Moral. cap. 14.

obdurati cordis peruicacia, teste D. Augustino. Non enim ex passione certa est iustitia, sed ex iustitia passio efficitur gloriosa. Hinc dicitur, Beati qui persequutionem patiuntur, sed additur, propter iustitiam, secundum Augustinum lib. primo contra epistolam Parmeniani. Nullus igitur scandalizari debet, si conspiciat istos alacri animo, lætoque vultu, omnia tormentorum genera subire, nec inde rei veritatem statuat, quemadmodum de suis perfidis gloriatur Caluinus. Nam si veritas rei ex alactitate sit dimetienda; non iam Caluino, sed Anabaptistis herbam porrigere oportebit, ijsque fidem tribuere; nos quasi cogit eorum animositas, vel potius peruersitas. Nec mirum, cùm sæpè soleat similis filius esse patris, qui pater nempe Donatus, eiusque sequaces, adeò vitæ propriæ prodigi extiterũt, vt si gladius persequutoris cessaret, sibi præcipirio de altis rupibus mortem pararent, secundum beatum August. & Bernard. Imo se vulcano holocaustum obtulerunt, secundum August. lib. de vnitate ecclesiæ. Profectò si externum solùm contemplemur cruciatus supplicium, iam Christus (quod absit) latronum collegio erit sociandus, quandoquidem latronibus crucis patibulo fuit assimulatus, & sinister latro meritò, tanquam amicus sponsi, erit gloria ac honore dignus, quod dementissimum est vel cogitare. Stat nãque sententia, apud beatum Augustinum & rei veritarem, pœnam non facere martyrem, sed causam. Deinde objiciunt: Paulus ad Titum tertio iubet virandum hæreticum, non interficiendum, ergo, &c. Sed argnmentum negatiuum nihil concludit, sicut nec istud: Paulus non iussit fures extremo plecti supplicio, ergo non sunt interimẽdi. In quos nisi iudex animaduerteret nihil securitatis ciuibus remaneret. Nec occiduntur hæretici, vindicandi studio, vti Apostoli postulârunt ignem de cælo, Luc. 9. sed charitatis officio, nec resipiscendi spes habetur, simul atque semel iterum commoniti sanis consilijs acquiescere recusant, quoniam subuersi sunt, secundum Apostolum ad Titum tertio. Idcirco vt membrum putridum resecandi. Si enim Arrius statim extinctus fuisset eius flamma totum orbem depopulata non fnisset. Etsi Lutherus confestim è medio sublatus fuisset, tam grauis tempestas in ecclesia subòrta non fuisset. Deinde objiciunt & illud: Sinite vtraque crescere vsque ad messem, ergo non sunt occidendi. Sed istud nòn sequitur, nam secundum sanctum August. & beatum Cyprianum, intelligitur quod tantum permittũtur mali inter bonos conuersari, quando mali sine bonorum periculo extirpari nequeunt. Ideo subditur; Ne fortè colligentes zizania, eradicetis simul & triticum. Vltimo addunt & illud: Oportet hæreses esse. Sed pari ratione oportet & scãdala esse, sed sub-

Lib. de patientia cap. 5.
Matth. 5.
Cap. 7. lib. 3. contra Cresconiũ Grammaticum ca 46. & li. 4. contra Donatist. c. 17
Crudeles filii ipsis Donatist.
Lib. 2. contra literas Petiliani cap 89.
Serm. 66. super Cant.
Cap 16. & heresi 69. ad Quoduultdeũ.
Epist. 61. quæ est ad Dulcitium 167. ad Faustum.
Concione 2. in Psa. 34. et ser. de S. Vincẽtio.
Pœna nõ facit martyrem, sed causa.
Argumentum hæreticorum negatiuum.
Obgauniunt heretici,
Matth. 13.
Lib. 3. contra epist. Parmeniani cap. 2.
Li. 3. epist. 3.
Matth. 18.

fed fubijcitur; Væ homini per quem fcandalum venit. Oportet vtraque effe, non quidem abfoluta, fed conditionata neceffitate, vt fidelium conftantia probetur in difciplina fidei: Nam diabolus arbores concutit, vt poma deijcere poffit, fecundum Auguft. Doctorum etiam ofcitãtia, hærefibus, tanquam quibufdam calcaribus excitatur, fecundum Aug. fuper Pfalm. 7. & Bernardo. Oportet ergo hærefes effe, fecundum hominum qui peccatorum occafiones, ac hæreticam prauitatem non fugitant, conditionem. Exemplo quod dicitur manifeftum fiat; Si medicus videns aliquos inordinato ciborum nutrimento vtentes, dicat, neceffe eft tales infirmari, quod intelligendum eft cum hac diftinctione, fi cibum immoderatè fumptum fcilicet non mutent. Haud fecus neceffe eft, fcandala euenire, & hærefes pullulare, quando homines conuerfationem malorum non euitant, de hæreticis, cap. Cùm ex iniuncto, & cap. Sicut in vno, C. de epifcopis & clericis, lege conuenticula, nec hæreticorum conuenticula, vel confortia declinant.

Aliud argumentum.
Serm. 22. de temp.
Li. de vera religione cap. 8.
Ser. 98. de tēp.
lib. 7. Confeff. cap. 19.
Epi. 89. et 90 ad Innocentiū.

Qua pœna fautores iftorum puniendi?
CAPVT XVIII.

Vt veritatis apicē in hoc doctrinæ capite attingamus, non ignorandum eft, varia effe hominum genera, quæ refpectibus diuerfis diftinctas hæreticæ prauitatis fortiuntur nomenclaturas. Siquidem nonnulli dicuntur credentes, alij receptatores, alij defenfores, alij denique fautores, de hæreticis in fexto. Credentes autem offenduntur dupliciter, aut ex fermone, aut opere: Petrus namque de Palude, commemorat illos effe credentes hæreticorum, qui licet nulli adhæreant hærefi, illas tamen docentes fufpiciunt, bonamque opinionem fuper illis habent, credentes illos bonos effe homines, rectéque de fide fentire, ac hanc ob caufam, generali modo credunt omnia quæ illi hæretici affeuerant credenda: Huius farinæ permulti funt vulgares cum hæreticis commercium habentes, hos non dubium eft effe hæreticos, præfertim fi credulitas præfata pertinaciam habeat coniunctam, ita vt licet admoniti fint, illos effe hæreticos, nihilominus perfiftūt in fua credulitate, exiftimantes hæreticos non effe damnandos. Nam quemadmodum non eft neceffarium, vt quis fidelis cenfeatur, omnes articulos exprefsè in particulari credat, fed fufficit ea quæ ecclefia credenda tradit, fide tenere. Ita vt quis hæreticus iudicetur, non requiritur aliquis particularis error, fed fatis eft ea vera credere, quæ manifeftus hæreticus approbat & docet; Si autem ab ecclefia non fit damnatus, nec eft ma-

Ca. Quicunq.
Credentes hæreticorum qui?
Super 4. di. 13

est manifestus hæreticus, illi fidem prædicto modo adhibens, non esset hæreticus censendus, nec vt talis puniendus, teste Augustino epistola ad Glorium & Eleusium. Alij non ob verbalem confessionem sunt credentes hæreticorum, sed propter opera quæ circa illos gesserunt. Si qui hæreticos reuerentur, & illorum libenter intersunt concionibus, libros eorum manibus terunt, ac lubenti animo legunt, nimiam amplexantes eorum conuersationem, hos credentes hæreticorum habendos pronuntiat Archidiaconus super præfatum capitulum Quicunque. Prædicta tamen veniunt intelligenda, de ijs qui frequenter hoc fecerunt, si enim semel fecerunt, non sunt reputandi credentes, quia non videntur probasse quod postea vitârunt. Simili modo ij dicendi non sunt omnes credentes hæreticorum, qui eos visitant, alimoniam præstant, & id generis aliorum, in quibus nil ad hæresim concernens deprehenditur, quæque mercedis intuitu alióve respectu plerunque exhibentur, quod potissimum verum existimo, secundum cap. Accusatus in 6. de hæreticis, si illi qui hæc præstiterint, in hæresim prius lapsi nequaquam fuerint, alioqui relapsi habebuntur. Receptatores sunt duplices, aut ignoranter, aut scienter hæreticos recipientes. Si ignoranter receperint, quod probare possunt, rigore canonum non percelluntur. Culpati autem receptatores sunt illi, qui data opera, rectâque scientia, occultè aut manifestè recipiunt; Nec refert an receptator semel, vel pluries, vnum vel multos receperit, æquè enim est canonibus, de Receptione hæreticorum statutis obnoxius, quod non tam multitudo receptationum, quàm finis veniat considerãdus: Si namque recipit vt occultet, itaque iudicem euadat, tunc iustè nomen receptatoris meretur. C. de his qui latro. occul. leg. vlt. Occultans enim alienum delictum, facit suum, cui eo loci adstipulatur Baldus & veritatem quoque sortitur in consanguineis receptoris. Si verò recipiatur vt instruatur, ac tandem resipiscat, tunc laudandus est receptor, tantum abest vt alicui pœnæ subiaceat; His accedunt defensores, qui armis, potentia, impediunt, ne compedibus ligati incarcerentur, aut à iudice examinentur, vt habetur 17. quæst. 1. cap. Si custos ex Gregor. lib. 7. epistola 9. Defensores dicuntur, qui protegunt; Fautores verò qui sermoni hæretico patrocinantur. Fit autem bifariam, aut verbo aut omissione. Rursus verbo alicui fauens bipartita sectione, quoniam potest aliquis fauere doctrinis, & etiam personis doctrinæ illius. Qui doctrinis deprauatis fauent, & pro eis contendunt, non solùm fautores, sed hæreticis peiores censentur, quemadmodum Vrbanus Papa docet 24. quæst. 3. cap. Qui aliorum. Qui excusat personas, à crimine hæresis, dicendo

Receptatores duplices.

Defensores hæreticorum qui?

Diuisio.

Subdiuisio prioris sectionis.

dicendo illos non esse hæreticos,sed bonos si non sint heretici manifestè, non censentur fauere, quamdiu non constat illos esse hereticos. Eousque etiam aduocati possunt eis in iudicio patrocinari, illos illorumque bona tueri: Neq; enim huic sententiæ refragatur,ca. Si aduersus,de hæreticis,quia de hæreticis publicis est intelligẽdum. Potest & aliter quis solo verbo fauere hæretico, nempe monendo vt fuga sibi consulat, tutoque loco vbi iudex inuenire nequeat,cõstituat,hic vt fautor est puniendus,ca. Vergentis,de Hæreticis. Fauet etiam & verbo, qui apud principem aut iudicem ecclesiasticum, pro manifesto intercedit hæretico,vt habetur 6. q. 2. cap. Si quis cũ militibus. Omissione heretico fauet,qui omittit quod agere tenebatur. Sunt autem duo quæ fieri debent, aut publica potestate,aut priuata ratione: Publica potestas tenetur hæreticos ab ecclesia damnatos punire, vt habetur cap. ad abolendam. §.statuimus.de hæreticis.& cap. Excommunicamus.§. Moneantur. Et si neglexerit, fautrix hæreticorum dicetur. Nec caret scrupulo societatis occultæ, qui manifesto facinori desiuit obuiare, imò apud Deum reus efficitur Iudex omnium malorum,quæ hæretici fecerint,vt Origenes docet homilia 20. super Numeros, exponendo illud: Tolle cunctos principes,&c.cap.5. Persona priuata nil contra hæreticos facere tenetur, quàm testimonium quod contra illos sciuerit, reddere. Qui ergo recusat testimonium perhibere, potissimùm requisitus, ne hæreticus det pœnas,canonibus fautoris subiacebit. Incurrit siquidem maiorem excõmunicationem, de hæreticis ca. Excõmunicamus.§.credentes. Firmiter quoque eo loci sancitum est,vt simul atq; talis fuerit notatus excommunicatione, si satisfacere infra anni spatium contempserit,ipso iure fit infamis,nec ad publica officia seu consilia, nec ad eligendos aliquos ad huiusmodi, nec ad testimonium ferendum admittatur; Sit etiam intestabilis, vt nec liberam habeat testandi facultatem, nec ad hæreditatis successionem accedat,omnique actu legitimo spolietur. C. de his qui latrones occultauerunt, lege, Si qui latrones, vbi sic reperitur: Si qui latrones seu alijs criminibus obnoxij, in possessione degant,vel latitent, Dominus possessionis,si præstò est,aut procuratores,si Dominus abest, vltrò eos offerãt,quod si rei certiores effecti facere neglexerint, impunes non euadant, nam Dominus possessionis dominio priuabitur, procurator verò perpetuo exilio subiacebit. Quo concludi posse promptum est, quod nulli horum defensorum, fautorum, ac receptatorum, domum elocare ad manendum, nec cubicula elocanda præstare liceat; Si iudex fuerit, ipsius sententia nullam obtineat firmitatem; Si aduocatus, nullatenus eius patrocinium admit-

Aduocati quãdiu in causa hæresis patrocinantur.

Omissione fauere hæreticis duplici contingit modo.

admittatur, Si tabellio, instrumenta per ipsum confecta nullius roboris reputentur, sed cum authore damnato damnentur; Si fuerit clericus, ab omni officio & beneficio deponatur: Si qui tales, postquã ab ecclesia fuerint denotati, euitare contempserint, excommunicationis sententia vsque ad satisfactionem idoneam percellantur, qui namque sponte excommunicato participat, excommunicandus non dubitatur, de sententia excommunicationis. Præterea clerici non exhibeãt huiusmodi pestilẽtibus ecclesiastica sacramẽta, nec eos Christianæ præsumãt tradere sepulturæ, nec eleemosynas vel oblationes eorum percipiant, alioquin suo priuentur officio, ad quod nunquã sine speciali sedis apostolicæ indulgentia erunt restituendi. Idẽ rigor manet Regulares, de hæreticis, non obstantibus libertatis suæ priuilegijs. Magno rigore, istud genus hominum circumuenire oportet, quod sine defensoribus & fautoribus diu manere nequeãt. Acriùs proinde sunt puniendi, quòd aliorum errores defendendo, grauiùs delinquant.

Cap. Quod in dubijs.

Ca. ad abolendam, & cap. Vergentis. ff. de Recept. leg. 1. 24. q. 3 cap. Qui aliorum & 11. q. 3. cap. Qui consentit.

Qua pœna Domini feriendi, extirpationem minùs cordi habentes? CAPVT XIX.

SECVLI potestates, quibuscunque fungantur officijs, sicuti reputari & haberi cupiunt fideles, ita inducantur & moneantur, teste conc. Lateranen. sub Innocentio tertio celebrato, necnon Iuone episcopo Catnotensi, imò si necesse fuerit, per censuram ecclesiasticam compellantur, pro defensione fidei, præstare publicè iuramentum, quod de terris suæ iurisdictioni subiectis, vniuersos hæreticos ab ecclesia denotatos, bona fide pro viribus exterminare studebunt, ita quod amodo, quandocunque quis fuerit in potestatem siue perpetuam, siue temporalem assumptus, hoc teneatur iuramento firmare: Si verò dominus temporalis requisitus, & ab ecclesia suam ditionem purgare ab hæretica fœditate monitus, neglexerit, per Metropolitanũ & cæteros comprouinciales episcopos excommunicationis vinculo innodetur, etsi satisfacere contempserit, infra annum, significetur hoc summo pontifici, vt extunc ipse vasallos ab eius fidelitate denuntiet absolutos, & terram exponat catholicis occupandam, qui eam exterminatis hæreticis, absque vlla contradictione possideant, & in fidei puritate conseruent. Mandato etiam decretali astringuntur Consules & Magistratus ciuitatibus & pagis, modo præfecti vel præficiendi, in 6. de hæreticis. Statuimus vt ad requisitionem diocœsanorum vel vicariorum suorum, seu inquisitorum hæreticæ prauitatis, iurent præcise attendere inuiolabiliter & obseruare & facere à suis subditis obser-

Ca. 3. §. Damnati, & duobus sequẽtibus & de hæreticis ca, Excommunicamus. §. moneantur, c. Ad abolẽdam. §. statuimus, & c. Vergẽtis. Li. 1. Decretorum, cap. 99. Iuramentum Dominorum temporalium.

Cap. Vt officiũ §. statuimus.

obſeruari, toto ſui regiminis tempore, in terris ſuæ iuriſdictioni ſubiectis, conſtitutiones, contra hæreticos, credentes, receptatores, fautores ac defenſores eorum, ipſorumque filios, & nepotes à ſede Apoſtolica promulgatas, ac etiam approbatas, quæ qui iurare noluerit & ſeruare, vt infamis, & tanquam hæreticorum fautor, ac de fide ſuſpectus, officio & ſui regiminis honore ſpolietur, nec vlterius conſul aut prætor in aliquo habeatur, vel de cætero in aliquam dignitatem, vel officium publicum aſſumatur, & ſi quæ, vt talis fecerit, nullam obtineant firmitatem. Præterea in virtute obedientiæ præcipitur, de hæreticis, Volumus vt epiſcopi ſuper diocœſi ſua diligenter inuigilent: Si quis enim ſuper expurgando de ſua diocœſi hæreticæ prauitatis fermento, negligens fuerit, vel remiſſus, cùm id certis iudicijs apparuerit, & ab epiſcopali officio deponatur, & in locum ipſius, alter idoneus, qui velit & poſſit hæreticam confundere prauitatem, ſubſtituatur. Quo autem fœliciori omine rem inſtituant, operæpretium fore ducunt; Sanctus Leo ſermone quinto de ieiunio decimi mẽſis, & Tripart. hiſt. modum demõſtrant, item canones venerabiles de hæreticis, vt archiepiſcopi vel epiſcopi per ſe, aut per archidiaconum ſuum, aut alias honeſtas, idoneaſque perſonas, bis aut ſaltem ſemel in anno, propriam parochiam, in qua fama fuerit hæreticos habitare, circumeat; & ibi tres aut plures boni teſtimonij viros, vel etiam (ſi expedire videbitur) totam viciniam iurare compellat. Quod ſi quis ibidem hæreticos ſciuerit vel aliquos occulta cõuenticula celebrantes, ſeu à communi conuerſatione fidelium, vita & moribus diſſidentes, eos epiſcopo ſtudeant indicare; Ipſe autem epiſcopus ad præſentiam ſuam conuocet accuſatos, qui niſi ſe ab obiecto reatu purgauerint, vel ſi poſt purgationem exhibitam, in priſtinam fuerint relapſi perfidiam, canonicè puniantur: Si qui verò ex eis iuramenti religionem, obſtinatione damnabili reſpuentes, iurare fortè noluerint, ex hoc ipſo, tanquam hæretici reputentur.

Prætoris officiũ

Ca. Excommunicamus. §. volumus.

Epiſ. opt negligentes.

Lib. 9. ca. 19.

Ca. Cùm ex iniuncto, & ca. Excõmunicamus. §. Adijcimus.

Praxis epiſcoporũ in dinoſcendis hæreticis.

Qui Relapſi ſint cenſendi? CAPVT XX.

PRO hoc doctrinæ capite præſupponendum eſt, aliam imponi pœnam in hæreſim lapſis, aliam relapſis; Exemplo quod dicitur in mediũ adducto dilucidius erit: Fuit vnus hæreſeos inſimulatus, vtpote de hæreſi ſuſpectus, contra quem prælatus cœpit agere, ſed per ſufficientes teſtium probationes illum de crimine hæreſis nequiuit conuincere condemnandum; Attamen quia rumores paſſim ſparſi, ipſum ſuper hæreſi ſuſpectum ferebant, authoritate Epiſcopi indicta illi fuit purgatio, in qua ſe male exemit ſuſpicioni, quãdo vniuer-

Exẽplo demonſtrat quod docet.

vniuersam hæreticæ prauitatis nequitiam abiurauit,& interpositi iusiurandi sacramento pœnitus renuntiauit; Postea ei quod prius abiurarat,deprehēditur obnoxius. Quæritur ergo controuersia vtrum abiurationis ratione censeatur relapsus, ita quod sit tanquam talis puniendus: Si enim de prima hæresi fuisset conuictus,nemo ambigeret ipsum instar relapsorum pœnas daturum; Cùm autem prima hæresis nota non fuerit,nec probabili ratione cōuicta, dubium manet,quid de tali sentiendum sit? Hūc difficultatis nodum bipartito modo dissoluere licet. Si namq; vehemens fuerit suspicio cōtra ipsum de prima hæresi, quam purgauit ad instantiam,ac iudicium Episcopi cum abiuratione, tunc postea ijsdem si reperiatur tenebris obductus,quadā iuris fictione, licet ante abiuratione hæresis crimen plenè contra ipsum probatum non fuerit, censeri debet relapsus. Atqui si leuis modicaque illa fuerit suspicio,quanquam grauiori pœnæ sit subdēdus, haud tamen debet in hæresim relapsorum pœnas dare; Alia siquidem imponitur lapsis, alia pœna, vti prælibatum est, in hæresim relapsis. Nam lapsi,in pane tribulationis & aqua angustiæ transactam malè vitam emendare debent, iudicio Episcopi vel Inquisitoris; sed qui post abiurationem erroris deprehensi fuerint,in abiuratam hæresim recidiuo lapsu corruisse secularium iudicio, sine vlla pœnitus audientia decernuntur relinquendi, teste B. Ambrosio ad Constantinum. Concil. Ancirano ca. 2. Elibert. ca. 22. Aurelianen. 3. Verùm iste inflexibilis rigor, quomodo consentaneus reperitur ei quod 23. quæst. 4. ca. Duo, & Cod. de summa trinitate, lege Inter claras habetur, vbi nulli homini claudenda leguntur misericordiæ viscera? Respondendum est, secundum canonem qui constituitur in 6. de hæreticis, cap. Super eo quod rigor primi iuris, intelligendus sit de salute corporis, aliud de salute animæ: Nam relapsi iudicio seculari, vt ignibus corpora eorum subijciantur, sunt relinquendi. Si tamen pœniteant, vetaq; pœnitentiæ signa in eis appareant, nequaquam sunt (humiliter petita vt spiritus saluus fiat) sacramenta pœnitentiæ & eucharistiæ deneganda. Cæterùm si quis accusatus de hæresi in vnam hæresis speciem vel sectam commisit, aut in vno fidei articulo, vel ecclesiæ sacramento errārit, & abiurauit vniuersam hæreticæ prauitatis nequitiam, postea tamen in aliam sectam vel articulum, aut sacramentum se præcipitem dedit; Quærendum occurrit, vtrum talis, relapsus, vel lapsus sit reputandus? Huic satisfacit ca. Accusatus, inquiens: Si iste prius fuerit conuictus, de vna hæresis specie vel secta, vel articulo, seu sacramento, & abiurauerit hæresim simpliciter non restringendo, aut istam sectam, vel illum

Ex cap. Accusatus, in 6. de Hæreticis.

Quis relapsus censendus?

De hæreticis ca. Excommunicamus. §. Si qui autem.

Lapsorum in hæresim pœna.

Relapsorum pœna.

Epistola 44.

Ca. 30. & 4. ca. 8. de hæreticis, ca. Ad abolendam. §. Qui vero, & ca. Excommunicamus. §. Damnati.

Non inutilis quæstio.

In 6. de Hæreticis. §. Eum vero.

aut

aut istum articulum, si à fide desciuerit, pro relapso habendus est; Si autẽ suam abiurauerit hæresim, in illa secta vel articulo, & postliminio alterius sectæ baratro absorptus fuerit, lapsus censeretur, nõ relapsus. Sed quid facto opus est in illo, qui cõuictus de hæresi, omnem abiurauit iniquitatem, postea tamen non incidit quidem in eundẽ errorem, aut similem, saltem manifestè, sed recipit, fouet ac promouet eiusdẽ factionis hæreticos? Istud clarioribus perstringit verbis præfatus canon. §. Ille, qui sic habet: Ille quoq; de cuius lapsu in hæresim ante abiurationem constiterat, vel nunc constat, si post illam hæreticos acceptet, deducat, visitet, siue associet, aut dona vel munera eis donet, vel mittat, seu fauorem eis impendat, nisi necessitudo famis excuset, vel ignorantia supportet, meritò iudicari debebat relapsus, cùm illum ex approbati à se prius erroris consequentia, non sit dubium id fecisse.

Dist. 43. cap. Quiescamus, & 86. cap. Nec satis. De Regulis Iuris. L. Ignorantia.

Qualiter ab hæresi resipiscentes recipiendi?

CAPVT XXI.

DEVS qui venit quæsiturus quod perierat, quiq; vult omnes saluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire, nullum hæreticum hominem, modò sincero corde resipiscat, despicit, nec ecclesia sponso suo cõformis, à gremio misericordiæ reijcit. Iuxta illud: Tu fornicata es cum amatoribus multis, tamen reuertere & ambabus vlnis suscipiam te, quod graphicè adumbratum legimus (cõtra Nouatum lapsis peccatorum indulgentiam pernegantem) in bono pastore, qui inuentã ouem non percussit, non contriuit, nõ decoriauit, sed gaudens humeris impositam, ad ouile perduxit: Filio quoque acolasto pater euangelicus non exprobrauit, non suggillando abegit, sed misericordia motus, pristino decori restituit. Hæc prodigi parabola de communi peccatore intelligi valet, præsertim tamen de hæretico, quòd magis paternas ædes in regionem longinquam proficiscendo deseruerit. Quando ego à Christo recipiuntur, & ab ecclesia eius sponsa remissionem merentur, nemo eis deberet improperare, aut labe hæreseos aspergere, quia si aduena apud vos moratus fuerit, non exprobretis ei, docet scriptura, Leuitici 19 & austerè ac improbè importunos recens conuersis reprehendit Dominus, Ezech. 21. Satius ergo fuerit benignè suscipere, dulciter fouere, blanditijs allicere, quatenus firmius in abiurata hæresi persistere possit. Nec his refragatur, cap. contra Christianis. Quia cap. illud pertinaces & corrigi imparatos concernit. Verùm quia hæc animi constantia & firmitas fidei, non nisi exterioribus potest cognosci signis, ideo sub duobus testimonijs illam proban-

Lucæ 19. 1. ad Tim 2. Ieremiæ 3. Luc. 15. Nullus improperare debet alicui hæreseos notam à qua resipuit. In 6. de hæreticis.

probandam esse ecclesia censuit, antequam hæretico resipiscenti & ad fidem catholicam redeũti reconcilietur. Primum testimonium est præteriti erroris publica in iudicio abiuratio & detestatio. Ista coram Episcopo aut inquisitore facienda præcipitur, cap. Ad abolendam: Olim hæc abiuratio hæresesque detestatio in consilio communi episcoporum duntaxat celebrabatur, vt liquido constat dist. 50. Nunc autem quando rarò & difficulter coguntur concilia prouincialia vel generalia, decretum est, eam coram episcopo esse faciendam; Deinde datis contra hæreticos inquisitoribus, ad illos etiam hæc authoritas & potestas recipiendi hæreticos est deriuata, ita tamen vt sine episcopi consensu & consilio non fiat. Forma autem huius abiurationis, qualis esse debeat, habetur cap. Ego Berengarius, qua abiurabit vniuersam hæresim, etiamsi solùm vno aut altero fidei articulo laborauerit. Secundum testimonium resipiscentiæ est publica non recidiuandi, cum iuramento firmata promissio. Forma huius promissionis habetur 1. quæst. 7. Nec fiet formidine pœnæ iurata promissio, sed hæresis detestatione virtutisque amore. Nec hic recipiendi modus recens inuentus est, sed ante mille annos practicatus. Concil. namque Arelaten. 2. Statuit Nouatianos in communionem non recipiendos, nisi suscepta pœnitentia incredulitatis præteritum damnẽt errorem, & concil. Nicen. Item clarius in epistola Ephes. conc. Nestor. hæreti. episcopo Constantinopolit. directa. Non autem sufficit vel tuæ religioni tantummodo fidei simbolum confiteri, quod est expositum per idem tempus spiritu sancto largiente, & venerãdo & magno concil. apud Niceam celebrato: hoc enim non intellexisti, nec rectè interpretatus es, licet sono vocis eadẽ verba protuleris. Sed consequens est etiam iureiurando fateri te, quod anathematises quidẽ tua polluta & prophana dogmata sentias autem & doceas, quæ nos vniuersi per orientem seu occidentem episcopi & magistri præsulesque populorum credimus & docemus. Quibus verbis manifestè mõstratur modus abiurationis. Forma tamen quæ modò seruatur & ab inquisitoribus exhibetur ita se habet: Ego. N. cognosco & confiteor, coram vobis dominis, me errasse in præfatis, & super his, contrito corde & humiliato absolutionẽ & pœnitentiam requiro, & hanc hæresim, & omnem aliam quocunque nomine censeatur, abiuro & promitto, quod de cætero, seruabo catholicã quam Romana docet ecclesia fidem, & quod hæreticos & credentes eorum pro viribus persequar, & tã eos quàm eorum fautores, receptatores, & defensores animo candido, fraude & dolo seclusis, absque mora, ecclesiæ vel prælato manifestabo, & pœnitentiã quę mihi pro mea culpa imponetur, integrè

§. pœnitenti, Extra de hæreticis.

Ca. de eo, et 1 q. 7. c. Si quis episcopus.

Abiuratio vbi fieri solita.

De consf. di. 2.

Ca. Quotiens.

Cap. 9.

Cap. 8.

Forma abiurationis hæreseos

integrè complebo, & volo ac concedo, quod si ab hac hora in posterum ad eũdem errorem deciderо, vel alium cuiuscunque hæresis, quocunque nomine censeatur, errando fortè in aliquo casu vel credendo, aut fidem habendo errantibus, vel eos vel credentes eorum recipiendo scienter, aut defendendo aut fouendo, dicto vel facto, aut eis benefaciendo, qualitercunque eos vel celando, vel non bona fide manifestando, & sine mora, vel si pœnitentiam à vobis iniunctam non seruauero, abinde ipso facto habear excommunicatus, & periurus, ac hæreticus manifestus, & meipsum ego iudico, ita quod sine ampliori recognitione & sententia quæ iure relapsis & manifestis hæreticis indicitur, mihi pœna imponatur: Insuper affirmo & protestor, me puram totamque veritatem de me & alijs inquantum scio dixisse, etsi fortè constare poterit, me malitiosè de veritate aliquid suppressisse, vel tacuisse, iniungenda mihi à vobis pœnitentia, seu absolutio obtenta, vel obtinenda, nihil mihi prosit. Hanc formam quam inquisitores vt plurimum moderni obseruãt, ex 24. ca. lib. 1. V. P. Alphonsi de Castro de Iusta hæreticorum punitione, his inserendam curaui, vt nulla maneat rimula, qua si postea errârit, elabi possit, ne dignas suo scelere sustineat pœnas. Simul atque abrenuntiatio vniuersi erroris, intimis cordis medullis, secundum ecclesiasticæ formæ ritum peracta fuerit, absolutionis mysterium est impendendum; secundum modum quem inuenimus in calce 2. præcepti capite 30. de Apostasia constitutum, quem breuitatis ergò hic missum facere maluimus. Quo impartito iniungatur ijsdem; quemadmodum habetur in 6. de hæreticis, quod iniungi talibus consueuit, prouisis solerter, ne simulata conuersione fraudulenter redeant, & seipsos fallentes sub agni specie, lupum gerant. Proindè ne quis ex præfatis occasionem erroris capessere valeat; arbitrans hæreticum hominem, quotiescunque palinodiam cecinerit, esse semper cum misericordia suscipiendum. Oportet non ignoremus bipartito modo contingere, vt hæreticus ad fidem reuersus, ab ecclesia recipiatur: vno modo ad solam animæ suæ salutem; Altero vt non solum ad animæ, sed etiam ad corporis salutem recipiatur. Priori modo quocunque tempore redeat, etiamsi relapsus fuerit, pœnitentiæ sacramenta non sunt deneganda, vti docetur in 6. de hæreticis. Posteriori modo ad corporis & animæ vtilitatem, non oportet semper recipere, si enim semper corpus & bona temporalia ecclesia seruaret, hoc in multorum perniciem cederet.

Ca. Vt officiũ. §. Si vero & de sententia excommunicationis cap. Cùm desideres. 1. q. 7. ca. Saluberrimum.

Hæreticus quo modo ab ecclesia recipiẽdus?

Ca. Super eo.

De officio inquisitoris hæreticæ prauitatis.

CAPVT XXII.

IN inquisitionis hæreticæ prauitatis negotio procedi potest, simpliciter & de plano, absque aduocatorum ac iudiciorum strepitu, & figura, sicuti habetur in 6. de hæreticis. Inquisitor namque sedis Apostolicæ authoritate deputatus vel episcopi ordinatus constitutione, ibidem: quando contra hæreticos credentes, receptatores, fautores & defensores, necnon contra infamatos de hæresi, vel suspectos, posito hominum metu procedere intēdit, quadragesimum ætatis annum, quo ad se attigisse oportet, nec aliquo officij prætextu, pecuniam illicitis modis extorquere potest, nec scienter ecclesiarum bona, ob clericorum delictum, prędicti occasione officij, fisco etiam ecclesiæ applicare, quod si secùs factum fuerit, excommunicationis sententiæ, ipso facto subiacebit, à qua non possit absolui, præterquam in mortis articulo, donec illis à quibus extorserit, plenè satisfecerit. Quando igitur inquisitores aliquod visitare oppidum inquisitionis ergò intendunt, populum per concionatorem admonere solent, vt si quis diabolo fallente in hæresim fuerit lapsus, infra certum temporis spatium sibi præfixum, errores suos recognoscat, & se errasse coram eis humiliter confiteatur, alioqui si præfixo illi tempore transacto, depræhensus fuerit, velut hæreticus punietur. Hic terminus illis præfixus, solet appellari tēpus gratiæ, quia ex gratia & non ex necessitate indulgetur. Hic iam operępretium est considerare, an quis sponte, sine accusatione, an accusatus coram iudice prodeat: Si quis namque in fide errauerit, & postea resipiscens, sine accusatione sponte ad inquisitorem hæreticorum accesserit, seque accusauerit, ac misericordiam super hæresi petierit, dubio procul misericordiam assequatur oportet, ac sine alicuius infamiæ nota, pœnitentia aliqua secreta iuxta hæresis & personę qualitatem est imponenda. Contingit etiam aliquando, vt idiotæ tam rudes & aggrestes sint, vt ignorent se errare, & à rectæ fidei semita exorbitare, tum inquisitor discutiet, an sit res quam omnes scire non tenentur, an etiam testibus comprobari possit, & conuinci illum scire, assertionem suam fidei catholicæ aduersam: Si autem illum sic scire aperte probari nequeat, tunc examinandus est an sit paratus, eam quam catholica ecclesia tenet fidem suscipere, si se verè promptum exhibuerit, tunc ignorantia laborasse credendus est, nec ob id pertinax iudicandus, sin minus, pertinax erit reputandus. Altero modo accusatione & citatione inquisitori hæreticus sistitur. Primò namque hæreticus accusatur & vocatur, secundò idoneis te-

Ca. Statuta, et cap. Per hoc. Cap. Inquisitores.

Tēpus gratiæ.

stibus

ſtibus hæreſeos conuincitur, tertiò damnatur & eas quibus dignus eſt, dat pœnas. Si poſt tempus gratię hæreticus citatus comparuerit & dolendo errorem abiurarit, nec relapſus probari poteſt, non eſt morte damnandus, nec ſeculari iudici tradendus, ſalutari tamen pœnitentia eſt modeſtè caſtigandus, & ſine infamiæ nota recipiẽdus. Vt autem quis pœnam mortis euadat, non opus eſt, vt fateatur ſuum crimen, antequam fuerit conuictus, quia etiamſi poſtquam fuerit in errore deprehenſus & conuictus, ſi antequam per ſententiam ſit condemnatus, ſuum fateatur errorem, perpetuo carceri mancipatus, pœnam mortis euadet. Tertiò agendum eſt de illo qui ſimul atque conuictus eſt, pernegat, ideoque damnatur, vt ſecularis arbitrio poteſtatis relinquatur, & poſt hanc damnationis ſententiam, palinodiam canit credẽs ſe hac via miſericordiam conſequuturum; hic non eſt venia dignus qua à iudicio ſecularis poteſtatis redimatur, quia præſumi poteſt eum fictè fateri, nec multum de eius emẽdatione eſt ſperandum, vt docetur cap. ad abolendam, vbi præcipitur quatenus hęreticus relinquatur ſecularis iudicio poteſtatis animaduerſione debita puniendus, niſi continuò poſt deprehenſionem erroris, ad fidei catholicę vnitatem ſponte recurrere voluerit. At qui poſt damnationem redit, non ſponte, ſed timore pœnæ quaſi coactus reſilit, & qui conuictus, adhuc ſententiam expectauit, non continuò reſipuit, ſed contumacia laborauit, vt habetur cap. Excommunicamus: Vltimũ hæreticorum genus eſt, qui ſuum quidem fatentur errorem, ſed abiurare recuſant, quin potius non errorem, ſed veram fidem aſſeuerant, hi diligenter admonendi ſunt, antequam ſeculari poteſtati, velut incorrigibiles tradantur. Nam Apoſtolus Paulus, non ante duas correctiones, hæreticum docuit vitãdum. Cauere ergo debent inquiſitores ne protinus hæreticum incorrigibilem cenſeant, quia fortè ſemel & leuiter admonitus, noluit acquieſcere, magis conandum eſt, vt paucos iuſtè puniãt, quàm multos iniuſtè. Anxiè eſt res examinanda, & omnem mouere oportet lapidem, antequam de alicuius correctione deſperetur; Nemo tamen exiſtimet admonitiones in infinitum protrahendas, aut millies iterandas, vt nunquam ante mortem aliquis incorrigibilis ſit cenſendus, quia poteſt ſemper ante mortem reſipiſcere: Non enim ideo aliquis incorrigibilis eſt cenſendus, quia non poteſt corrigi, ſed quia non vult. Qualis autem ſit cenſenda legittima admonitio, quam ſi hæreticus contempſerit, meritò dicatur incorrigibilis, docuit Paulus, qui prælibato loco, quo duas admonitiones adhiberi voluit, quibus peractis iubet à colloquio eius abſtinere, quod eſt deuitare, & cauſam annectit, quia ſubuerſus

3. facit Inquiſitor.

Diuerſi reſipiſcentiũ modi.

§ damnati.

ad Tit. 3.

Legitima admonitio qualis?

est,hoc est,incorrigibilis est,quemadmodum exponit ibidem Theophilactus.Hæ autem admonitiones,non sunt nimis celeriter vna alteri coniungendę,quia iudiciarię admonitiones, iusto temporis interuallo sunt faciendæ, neque huius laudabilis consuetudinis nouus est ritus, sed ante mille annos obseruatus: Nam cùm Nestorius negaret Mariam Theocon,id est, Dei genitricem, Cælestinus Papa ,dedit ei per epistolam decem dierum,quo sibi bene consulere posset,spacium; Et si intra illud tempus nollet catholicam confiteri veritatem , intelligeret se Episcopatu & cōmunione fidelium priuandum, vt docet Liberatus diaconus lib. breuiarij Nestorianorum & Eutichianorum,& Macharius hæreticus Episcopus obtinuit 40.dierum spatium ad resipiscentiam, vt habetur 1. quæst.7. deinde hoc ipsum concil. Constantien. obseruauit in Hieronymo de Praga,vt habetur eiusdem concil.21.sess. Postquam igitur hęretico datū fuerit aliquod vel mediocre induciarum tempus; Inquisitores & iudices omnē quam potuerint,intra illud tempus debent adhibere diligentiam, vt hæreticus ab errore suo discedat; Nunc illum ipsimet blanditijs alliciant, nunc alios doctos & pios ad eum mittant , qui illum doceant quantopere à catholica fide aberret,testimonijs sacrę scripturæ aut ecclesiæ definitione. Si hæreticus adeo fuerit in suo errore induratus , vt infra tempus præfixum sufficienter admonitus , hæresim deserere noluerit, tunc meritò incorrigibilis censeri poterit, & vt talis puniri. Etsi post elapsum tempus illi præfixum , & post adhibitam in illo tempore omnem debitam admonitionem, de errore verè pœnitens resipuerit, saluabitur anima eius, punietur tamen vt incorrigibilis & ad veniam non recipietur,ita vt per illam conuersionem & pœnitentiam pœnam mortis euadat, præsertim si per sententiā iam damnatus sit. Nam alioqui si ante damnationem quamuis post terminum præfixum resipiscat, vti habetur cap. Excommunicamus,perpetuo carceri mancipabitur; Si verò post damnationem redire voluerit, iam non recipietur, quòd non virtutis amore,sed formidine pœnæ contingat. Nec istud absurdum reputari debet; Damnati siquidem in inferno,se malè egisse dolent,& ob peccata perpetrata pœnitentiam agunt, quæ tamen illis ad salutem nequaquam prodest. Præcipitur tamen in 6.cap. Statuta,de hæreticis : Quod si accusatoribus vel testibus in causa hæresis interuenientibus (propter potentiam personarum contra quos inquiritur) videant, Episcopus vel Inquisitores graue impendere periculum , propter nominum publicationem, nomina ipsorum non publicè, sed secretò coram diocœsano Episcopo vel eo absente eius vicario, quando procedunt Inquisitores; quando vero Episcopus procedit

Ca. 5. & epistola con. Ephesini ad eūdem Nestoriū missa Cap. Conuenientibus.

Resipiscēs quādo mortē corporis euadit?

§. Si qui autem de hæreticis.

Sapientiæ 5.

Cap. Iubemus.

procedit coram Inquisitoribus, si commodè haberi possit copia eorundem, significabuntur, ac nihilominus siue Episcopus siue Inquisitores processerint, aliquibus alijs personis prouidis & honestis Iureque peritis, quibus totus processus integraliter explicari, quorum etiam consilio ad sententiam vel condemnationem procedi debet, exprimantur, sicq; (non obstante quod illis contra quos huiusmodi, deposuerunt nomina ipsorum non fuerint publicata) adhibeatur ad cognitionem iudicis instruendam plena fides depositionibus testium eorundem. Et vt eorundem accusatorum & testium periculis efficacius occurratur, & cautius in negotio inquisitionis procedatur; Episcopus & Inquisitores secretum possint indicere illis, quibus processum huiusmodi explicabunt, & in eos sententiam excommunicationis, quam ex secreti violatione ipso facto incurrant, promulgare. Cessante verò prælibato periculo accusatorum & testium, nomina sunt publicanda. Ferre quoque possunt Inquisitores, & debent ex officij sui ratione citationes & denuntiationes sententiarum in quoslibet hæreticos, credentes, receptatores, defensores, & eorum fautores. Aduocare quoquè peritos, si expedire iudicent, quatenus in rebus ambiguis assistant, & in huiusmodi sententijs ferendis oportunum præbeant consilium, habent & potestatem mutandi aut mitigandi pœnas, priuandi præterea vel priuatos denuntiandi dignitatibus, ac alijs beneficijs ecclesiasticis, officijs publicis, ac honoribus quibuscunque, eosdem hæreticos credentes, receptatores & defensores ipsorum, eorumque filios & nepotes, quemadmodum habetur in 6. de hæreticis. Habent etiam potestatem capiendi, custodiæ mancipandi etiam in compedibus & manicis ferreis si opus fuerit, sicuti docetur in Clement. huius autem carceris duos habeant Episcopi, & Inquisitores custodes, quorum vnus vnam carceris habebit clauem, alter alteram, quo fidelius concreditum iuramento constricti exerceant officium, Domini quoque temporales, in 6. de hæreticis, quibuscunque nominibus censeantur, Episcopis & Inquisitoribus pareant & intendant in hæreticorum, credentium, fautorum, receptatorum, & defensorum ipsorum inuestigatione, captione ac custodia diligenti, cum ab eis fuerint requisiti, & præfatas personas pestiferas, in potestatem seu carcerem Episcoporum aut Inquisitorum ducant vel duci faciant, vbi detineantur, donec eorum negotium per ecclesiæ iudicium terminetur. De hæresi etiam ab Episcopo diocœsano vel Inquisitore condemnatos, domini temporales statim recipiant, animaduersione debita siue in corpore siue in bonis puniendos. Confiscationis tamen huiusmodi exequutio, seu bonorum ipsorum occupatio

Cap. Vt commissi.

De hæret. ca. multorum.

Duo carceris custodes.

Ca Vt inquisitionis.

patio, nullo modo fieri debet, per dominos tēporales, eodem cap. Cùm secundū leges, antequā per Episcopū loci vel aliam personā, quæ super hoc habeat potestatē, sentētia super eodē crimine fuerit promulgata. Inhibetur nihilominus dominis tēporalibus, Ne ipsi de hoc crimine cū mere sit ecclesiasticū, quoquo modo cognoscant, vel iudicent, siue incarceratos pro eodem crimine, absque Episcopi siue Inquisitoris, vel saltem alterius sententia è carceris ergastulo liberēt, aut exequutionem sibi pro huiusmodi crimine à diocœsano vel Inquisitore iniunctam, prompte (prout ad suum spectat officium) adimplere detrectent, vel alias diocœsani vel Inquisitoris sententiam seu processum eodem cap. statutum directe vel indirecte impedire præsumant. Si quis verò prædictorum dominorum temporalium, præfatis contraire præsumpserit aut præfato fidei negotio; Episcopo vel Inquisitori incumbenti se opponere vel aliquatenus impedire, tentauerit, necnon qui scienter in prædictis dederit auxiliū, consiliū vel fauorem, excommunicationis se nouerit mucrone percussum, quam si per anni circulum, animo pertinaci sustinuerit; extunc velut hæreticus condemnetur.

Eodē ca. Vt inquisitionis. §. prohibemus. Domini temporales nō se immisceāt iudicijs Inquisitorum.

Hypocrisis. CAPVT XXIII.

1.2.q.111. HYPOCRISIS est fictio secundum Tho. qua homo se iustum vel iustiorem simulat aut iniustum, vel iniustiorem dissimulat, vt inquam callide occultet quod est, & ostentat quod non est vera mala præmēdo, & falsa bona monstrando, secundum Gregor. qua nimirum omnia facit vt videatur, eaque perdita existimat opera quæ non hominibus fuerint manifesta; scire quidē optat, sed facere Dei præcepta vt debet, recusat, quia nunquam mentem ad culpæ cognitionem reduceret, nunquam cum internum iudicem offenderit, considerat, nihil de eius districtione metuit, quia sic se placuisse ei, sicut hominibus credit, teste Greg. Hypocrita namque Græco sermone simulator interpretatur, qui dum intus malus sit, bonum tamen se palam ostendit. Hinc translatum est à specie eorum, qui spectaculis tecta facie incedunt distinguentes faciem niueoque colore, cæterisque pigmentis habētis simulachra oris gipsata & vario colore distincta, nonnunquam colla & manus creta perungentes, vt ad personæ colorem perueniant, & populum dum ludis agūt fallerent, modò in specie viri, modò in forma fœminæ, & reliquis præstigijs. Quæ species argumenti translata est in his qui falso incedunt vultu, & simulant quod non sunt, quales fuerunt Scribæ & Pharisæi sepulchtis dealbatis similes quæ foris

16. Moral. 23

Hypocrita. Lib. 8. Moral. ca. 24. & 25. & 26. vsq. ad 30. ca. et li. 11 Moral. cap. 18

Math. 23.

foris parent hominibus ſpecioſa, intus autem plena erant oſſibus mortuorum, quia ſqualent ſitu peccatorum, ſicut ſub pictura aurea ſæpe latet lignum corroſum, quia ſe iuſtificāt coram hominibus. Imò ſecundum Aug. hyprocriſæorū maculam non habere aut paucorum, aut nullorum eſt, nam quicunque vult ſe videri quod non eſt hypocriſeos nota vindicari non poteſt. Qui tuba canit eleemoſynam facturus, hypocryſis culpa venit damnandus. Qui in ſynagogis & angulis platearum, orationis formam oſtentat nemo ambigit, quin hac nota hypocriſeos inuri debeat. Qui ieiunans demolitur faciem vt ventris inanitatem in vultu demonſtret fructum ſacri ieiunij coram Deo laudibus contentus, quas amauit nō habebit. Ex quibus omnibus perſpicuum eſſe poteſt hypocritas eſſe qui faciunt omnia vt ab hominibus glorificentur, vnde non immerito ſtrutionum nomine, ſignificantur, nā teſte Greg. Strutio volandi ſpeciē habet, ſed vſum volandi non habet, ſic hyprocrita cunctis intuentibus imaginem de ſe ſanctitatis inſinuat, ſed tenere viam ſanctitatis ignorat, lib. autem 8. ca. 25. telis aranæarum comparatur, quę ſtudioſè texuntur, ſed ſubito venti flatu diſſipantur, quia quicquid hypocrita cum labore peragit aura humani fauoris tollit, li. verò 33. Moral. cap. 24. comparatur hypocrita lamiæ, quæ humanam dicitur habere faciem, ſed corpus beſtiale, ſic omnes hypocritæ in prima facie quod oſtendunt quaſi ex ratione ſanctitatis eſt, ſed beſtiale eſt corpus, quod ſequitur, quia valde iniqua ſunt quæ ſub bona ſpecie moliuntur. Diſtinguitur autem à ſimulatione ſicut magis & minus cōmune. Omnis ſiquidē hypocriſis eſt ſimulatio, ſed non econuersò. Si enim vir iuſtus & timoratus ſimulet ſe peccatorem, eſt ſimulatio non hypocriſis, quæ eſt ſimulata ſanctitas & proinde duplex iniquitas, vna eſt negligentia quia virtutes ſaluti neceſſarias comparare negligunt, quemadmodū figuratur Iudicum 18. Nec iſtis eſt duntaxat negligentia, ſed ſubinde etiam peccatorum abundantia, vnde ſepulchra dicuntur dealbata, excolentes culicem & camelum glutientes, quod ſcateant non rarò maioribus peccatorū generibus quàm illi quos delictorū inſimulant, nā Chriſtus dicit, Hypocrita eijce primū trabem de oculo tuo, & tunc videbis eijcere feſtucam de oculo fratris tui. Sic Aug. Altera eſt iniuſtitia, quia cū probè nouerint omnibus ſe vacuos virtutibus, tamē oſtentāt ſe, quaſi aliquid ſanctitatis eruditionis, &c. habeāt atq; inde ſuperbire ac iactabūdo corde fimbrias magnificare nō ceſſant, propterea mortale nō ambigitur peccatū, vt multiplices vę, manifeſtare poſſunt, & expreſſius ſentētia ſeq. ca. poſita, vt reliquis ſuperſedeamus partē ponit cum hypocritis, illic erit fletus & ſtridor dētium,

Similitudo. Luc. 16. Ser. 59. de tēp. Iob 6. Lib. 7 Moral. cap. 12. Strutionis conditio. Telis aranearū comparatur hypocrita. Lamiæ cōparatur hypocrita. Differunt hypocriſis & ſimulatio. Matth. 23. Matth. 7. Serm. 202. de temp. et de vnitate eccl. ca. 5. Eſt peccatum mortale. Matth. 23.

quæ nulli obtingunt nisi ob læt iferum peccatū. Nihil tamen
Li.19. Moral. cap.14. vetat secundum D. Gregor. quin sacris se exercens operibus possit se bonum reputare atque catholicum, quia distributionem in templo quotidianam repellere non obligor, quanquam omnibus anteferam honorem diuinum.

Iactantia. CAPVT XXIIII.

SEQVITVR alia mendacij species iactantia appellata,
2.2.q.112. qua quis plus de se quàm sit aut appareat pronuntiat, te-
Li. 12. de ciuit. Dei ca.8. ste D. Thom. Aut secundum Aug. Iactantia est virium animæ peruersæ amantis laudari ab hominibus spreto con-
Iactātia quid? scientiæ testimonio. Eius autem species sunt quatuor, secun-
4. species iactantiæ. dum Bernardum post B. Gregor. quibus nequissimus serpens non tato etiam bonos decipit, primo namque ducit homines
Li. de pass. Domini cap. 29. ad præsumendum de se, quatenus existiment bonum quod habēt non habere se à Deo, sed propria virtute vti aliqui ma-
Lib.23. Moral. cap.14. ligni dicere præsumpserunt, Manus nostra excelsa, & non
Deuter.32. Dominus fecit hæc omnia. Huiusmodi fuit Nabugodono-
Esa.14. sor, qui dixit in corde suo; ascendam in cælum, sedebo in la-
Lib.11. teribus aquilonis. Aug. de Gen. ad literam, & de mirabilibus
Cap.24. sacræ scripturæ eodem modo 2. Machab.15. Cùm tamen po-
Cap.2. sterioris ad Cor.3. dicitur, quod non simus sufficientes cogitare quidē aliquid ex nobis quasi ex nobis. Alij credunt iactabundi omnia sibi pro meritis tradita. Cuius erroris aliquādo
Lib.2. Periarchon, cap.9. videtur fuisse Origenes, qui existimauit vniuersa hæc dispēsati, secundum merita in alio sæculo acquisita, atque patriarcham Iacob docet ob merita in alio sæculo consequuta antequam istas carperet auras electū fuisse. Verum ista sententia multipliciter deficit, quia prædestinatio nullam permittit in homine causam aut meritum, teste Paulo, Ro.3. nam iustificati sumus gratis, & vocati vocatione sua sancta, non secun-
2. ad Tim.1. dum opera nostra, sed secundum propositū suum & gratiam quæ data est nobis in Christo Iesu, ante tempora secularia, &
ad Tit.3. non ex operibus iustitiæ quæ fecimus nos, sed secūdum mi-
1. Corin.4. sericordiam suam saluos nos fecit. & alibi, Quid habes quod non accepisti? si accepisti quid gloriaris quasi non acceperis?
Cap.25. Vnde con. Arausic. 2. Ipse Deus nobis nullis præcedentibus bonis meritis, & fidem & amorem inspirat, & Braccar.1. ca.6. Si quis animas humanas dicit prius in cælesti habitatione peccasse, & ob hoc in corpora humana in terrā deiectas sicut Priscillianus dixit, anathema sit. Alij iactitant se habere quod non habent, itaque falsum sui ipsius cōtra octauum Domini
Hierem.48. præceptum proferunt testimonium, de quibus propheta: Audiuimus superbiam Moab, superbus est valde, arrogantiā & iactantiam eius ego scio dicit Dominus, eo quod nō sit iuxta eam vir-

eã virtus eius. Vltimo aliqui confitentur se habere quod non habent, atque à Deo ea possidere non abnuunt, sed ijs reputando se meliores alios contemptui habent. Pharisæus namque, non deliquit quod Deo gratias egit, sed quia super alterum se meliorẽ de ipsis bonis extulit. Quemadmodũ enim gallina ouum emittens glocitat atque clamore perdit quod possidebat, ita iactabundi bonum opus amittunt quod sibi vtile & salutare esse poterat vt perspicuum cuiq; fieri potest ex ca. 9. Iudicum, 4 Regum 18. & Daniel. 4. vbi turgidus & fastuosus Nabugodonosor protulit, Hæc est ciuitas magna Babylon, protinus in bestiam conuersus, eam amisit. Nec solum est iactantia oris, sed etiam cordis iuxta illud, Gratiæ fatuorum effundẽtur. Tertia est iactantia operis quæ prouenit ex rerum abundantia. Quid profuit nobis superbia aut diuitiarũ iactantia quid contulit nobis? Rex Assuerus fecit grande conuiuium, vt ostenderet diuitias gloriæ regni sui. Sed Paulus ait, non qui seipsum commendat ille probatus est, sed quem Deus commendat, nam multi se commendantes & de fortitudine aliísve dotibus gloriantes miserè perierunt, vt manifestum euadit in Goliath, qui quoslibet sine discrimine ad singulare prouocabat certamẽ, & à paruulo superatus est, cuius duelli typum exponit D. Aug. & Ambr. Sic Adonias se regno præficiendum iactitauit, & Naaman se reginæ prãdio interesse dignũ ostentauit, vterque tamen sua spe frustratus est. Petrus quoque gloriabundus pollicebatur se Christo cõmoriturum, quem postea ad vocẽ ancillæ ter abiurauit. Consultissimum ergo fuerit humilitatis argumenta omnibus esse ostendenda, & arcana cordis nostri alta mẽte seruare reposta, quemadmodum nos docet Sampson, qui se Leonẽ superasse nulli manifestauit, & Saul quod inuentæ essent asinæ, non quod vnctus esset propalauit. Interdum tamẽ compelluntur sancti vitam suam dicere, vt auditorũ valeant vitam mutare, vt perpulchrè docet B. Greg. Passim censetur peccatũ veniale, quando neq; honori Dei derogat, neq; vtilitati proximi dare iura recusat. Mortale autẽ dici potest, quãdo iactanter aliquis de se præfert quod gloriæ Dei aduersatur, sicut ex persona regis Tiri. Eleuatũ est cor tuũ, & dixisti, Deus ego sum; Vel etiã militat cõtra charitatẽ proximi, sicut cũ aliquis iactabũdo corde extollit seipsum, in prçiudiciũ & contumeliã aliorũ.

[Marginal notes: Luc. 18. — Ecclesiast. 10. — Sap. 5. — Hester 5. — 1. Corin. 8. — 1. Reg. 17. — Ser. 97. de tẽp. — Serm. 88. — 3. Reg. 1. — Hester 4. & 5. — Matth. 26. — Iudicum 14. — 1. Reg. 10. — Lib. 19. Moral. cap. 14. — Ezech 28. — Lucæ 18.]

Temerarium iudicium. CAPVT XXV.

IVDICIVM temerarium est, quo homo sibiipsi de re certa vel incerta proximi sui reddit testimonium. Contingit autem proximum varijs iudicari modis, primo ex euidentia patrati sceleris quod nullum est peccatum; habent

namq; homines iudicare de ijs quæ foris parent & ex fructibus qui bono nequeunt fieri animo, sed peruerso voluntatis proposito discimus eos dinoscendos. Sic homo iudicat aliquem homicidam quia oculato testimonio vidit eum interfecisse hominem. De his & huius generis alijs absq; peccati culpa diiudicare fas est. Alio modo ex signis euidentibus iudicare non est illicitum, vt si quis iudicet aliquem fornicatorem, quia conspexit eum cum aliqua, nudũ cum nuda, solum cum sola, vel cum quis furem esse iudicat in corde, quem deprehendit noctu pariete perfosso domum irruisse, nec hic est peccatum iudicantis, sed eius qui alteri tale scandalum præstat, secundum D. Paulum ad Galatas 5. & ad Ephesios 5. vnde August. De manifestis de quibus clarum est quo animo fiant, iudicare non est illicitum, occulta autem Dei iudicio relinquamus. Tertio iudicium fit ex signis leuibus, quod pluscolis fieri potest modis, primo quando timore aliquid facimus, ne remoto obice, & impedimento cessante malum sequatur. Quod potius suspicionis rationem subit, quam iudicij, hoc modo clausura sanctimoniales sequestrantur, non quod malæ sint, vel quod mala professionis oblitę intendant, sed timetur, ne fragilitati sexus libertas exeundi vel apertio clausuræ fiat occasio ruinæ, sic obseramus arcam, & conclaue obiectis repagulis obfirmamus, nõ quod aliquem iudicemus furem, sed ne demus occasionem mali alicui, posthabentes certum pro incerto. Alio modo iudiciũ dicitur suspicio mali citra tamen consensum rationis. Et licet suspiciones omnino vitare nequeamus subrepẽtes, iudicium tamen rationis continere debemus, ne victi proximum diiudicemus aut contemnamus, quia subinde à veritatis semita deuiaremus, quod manifestum facere possunt Iudæi, qui suspicabantur Apostolos esse ebrios, & barbari opinabantur Paulum esse homicidam. Et: Dauid misit suos ad consolandum Regem Amon, quos principes eius esse existimabant exploratores. Diffinitiuas ergo firmasq; sententias suspicionis occasione non promamus, vti admonet Ioannes Chrysost. sed omnia in meliorem partem interpretemur. Deinde iudicium fit ex leuibus signis secundum Tho. quando quis incipit dubitare ex signis leuibus de bonitate proximi. Estq; peccatum veniale & rarus est qui non hoc offendat modo. Si autem ex leuibus signis certo constituat proximum esse malum, est mortale, potissimũ si de aliqua re graui iudicium existat. Verũ si quis ex leuibus signis, non solum temerè iudicet, sed vindictã exercet, perinde atq; flagitium cõmisisset, istud grauius est, quia non solum pugnat cõtra charitatẽ, sed etiam iustitiæ æquitatem; hoc modo crebrò pauperes affliguntur, & insontes propter furtum

Matth. 7.

Serm. 202. de temp & lib. 2 sermonũ Domini in mõte.

Manifesta iudicare licet.

Ex signis leuibus iudicare.

Suspicio fallit.

Actor. 2.
Actor. 28.
2. Reg. 12.

Hom. 42. super Genes.
2. 2. q. 60. art. 3.

furtum ab alijs commissum luere coguntur, iuxta illud:

Dat veniam coruis vexat censura columbas.

Aliquando fit iudicium de occultis cordium, quod est valde periculosum, cū enim Deus solus illabatur animæ ac scrutetur corda & renes, consequitur quod abscondita cordium nulli sint manifesta. Quo conficere est integrum, quod nulli liceat sententiam aut iudiciū de incognitis præstare. Si enim Petrus se non cognouit qui volebat pro domino mortem oppetere & tamen negauit, quomodo poterit aliorum haberi notitia? nulli igitur improperandum est, quod cor habeat superbum, vel iste est adhuc futurus ganeo, aut furcifer, quia reprehendit te lex Dominica. Si manifestam edacitatē ebriositatemque cognoueris, & ita reprehenderis, quasi illa nunquam possit corrigi atque mutari, temere iudicabis. Futura namque cognoscere Dei est, secundum Esa. Annuntiate quæ ventura sunt in futurum, & sciemus quia dij estis vos. Et si iam est malus, vnde cognoscis ipsum cras nō fore bonum? paganus est hodie, poterit cras esse Christo initiatus, Iudæus est hodie, quid si cras credat in Christū? hæreticus est, quid si cras catholicam sequatur veritatem? teste Aug. Vltimò iudicium fit in rebus indifferentibus quæ & bono & malo possunt fieri animo, de quibus nequimus certam proferre sentētiam, propterea in meliorem partem sunt interpretandæ, secundum beatum Bernardum: Caue, inquit, ne sis curiosus explorator aut temerarius iudex. Etiamsi perperam actum quid deprehēdas nec sic iudices proximum, magis autem excusa. Excusa intentionem si opus nō potes, puta ignorantiam puta subreptionem, puta casum. Quod si omnem omnino dissimulationem rei certitudo recusat, suade nihilominus ipse tibi, & dicito apud temetipsum, vehemēs fuit nimis tentatio. Quid de me illa fecisset si in me accepisset similiter potestatē? Duo si fuerint familiariter colloquentes de bonis vel malis, nec discernere præuales, quidnam rerum habeant quod tractent, tū teneor in meliorem verba ipsorum prolata interpretari partem, ne si incerta tanquam certa diiudicem, peccatum lęthale incurram. Nolite iudicare (ait Saluator) & nō iudicabimini. Præterea aliquis comedit in die ieiunij, fortè ex gulæ intemperantia, aut fortè infirmitatis necessitudine, tūc in meliorem trahenda est res partem, secundum testimonium Pauli: Qui non manducat manducantem non spernat, & August. Si quispiam, verbi gratia conquestus de stomacho ieiunare noluerit, inquit, & tu id non credens edacitatis vitio tribueris, temere iudicabis. Quod non ex alia procedit radice secūdum D. Greg. & D. Tho. quam ex superbia, quia veri humiles æstimāt alios semper meliores. Secūdo ex malo affectu.

Matth. 7.

Cap. 41.

Epistola 53. ad Bonifaciū.

Excusanda aliorum peccata non iudicanda.

Ser. 40. super Cantic.

Matth. 7.

Roman. 14.

Lib. 2. serm. Domini in monte.

Iudicium temerarium ex qua radice.

Lib. 3. Moral. cap. 18.

2. 2. quæ. 60. art. 3.

Si pro-

Si proximum namque diligeremus, excusaremus, quia charitas operit multitudinem peccatorum, facileq; malum concipimus de eo quem odio habemus. Tertio, ex peruersitate animi, nam alios metimur ex nostri cordis iniquitate, sicut quando funditur metallum illam suscipit vtique formam, quam in modio deprehendit, sic qui cor habẽt deformatum, quicquid ab eis cernitur, tortum & corruptum inuenitur, & quemadmodum infirmo omnis cibus est insipidus, non ratione cibi, sed palati, ita iniustus proximũ dente rodit Theonino, non quod factum proximi hoc requirat, sed quod prauitas iudicantis proprium malum in altero diiudicat, iuxta illud: Stultus in via ambulans cùm ipse insipiens sit, omnes stultos æstimat. Eccles. 14.

De maledicis. CAPVT XXVI.

DVOBVS potissimum modis contingit maledicere, secundum D. Thom. primò per modum enuntiationis vel prænuntiationis, vt maledicere nihil aliud sit, quam alterius malum dicendo vel prædicendo referre, sic legitur, Confundantur qui me persequuntur, id est, confundentur. Et: Fac illis sicut Madian & Sisare, id est, facies. Et: Fiat mensa eorum in scandalum, id est, fiet, teste August. vt sit prophetantis non optantis. Secundo contingit per modum optandi vel alicui imprecandi maledicere. Sic Simon Magus maledictus est à Petro, & pueri ab Helizæo, secũdum Greg. & Florentius monachus spiritui diuino conformis, quatuor religiosis male est imprecatus, qui subitò Elephãtino morbo correpti interierunt, secundum eundem. Si quis verò optet alicui malum, & maledictionibus inimicum impetat, teste Gregor. quid aliud in illo facere vult Deum, nisi quod ipse facere aut nequit aut erubescit? Mortem namque aduersario exoptat, quam etsi posset inferre metuit, ne aut perpetrati homicidij reus inueniatur aut iniquus appareat etiam cum sit. Quid ergo Deo dicere videtur, occide quẽ odi, nisi apertis vocibus clamare, hoc fac meo aduersario, quod me in illum facere nec peccatorem decet: Optare tamẽ aliquam pati iustitiam ægritudinem sustinere, reliquaq; eius generis alia incommoda, vt emendetur, non est per se maledictio, sed per accidens, quia principalis dicentis intentio non fertur in malum, sed bonum, hoc modo iudex iustè maledicit & imperat flagitioso malum inferri, vti Ecclesia anathemate percellit ethnicos & publicanos. Quatenus etiam creaturæ irrationales ad rationales referũtur, contingit illas interdum maledici, vna ratione propter modum subuentionis, quia illis subuenitur humanæ necessitati. Sic Deus dicit: Maledicta terra in opere

[Margin notes: 2.2.q.76. — Hierem. 17. — Psalm. 82. — Psalm. 108. — Super Psalmum 68. — Actor. 8. — 4 Reg. 1. — Lib. 4. Moral. cap. 6. — Lib. 3. Dialog cap. 15. — Lib. 22. Moral. cap. 6. — Matth. 18. — Genes. 3.]

opere tuo, vt nimirum homo per eius sterilitatem puniretur. Et: Maledictum horreum tuum. Altera ratione refertur irrationalis creatura per modum significationis ad hominem, sic Dominus maledixit ficulneæ, quæ significabat gentem Iudaicam reprobandam & maledicendam. Et quamuis Christianos quos Iudæi Nazareos appellant dira execratione, tribus singulis diebus vicibus mane, meridie, & vespere maledicant, ac maximis imprecationibus execrentur, teste B. Epiphanio & V. P. Nicolao Lirano, lib. de incarnatione verbi quem scripsit contra Iudæos, non est tamen curandum, quia synagoga sathanæ non nouit, nisi Deum blasphemare & maledicere, vti delineatum legimus, Iob 1. & 2. Vbi nititur sathan qui est pater Iudæorum beatum Iob procella tentationum obruere, ac protrahere vt Deo maledicat, secundum August. sic enim translatum legit Sanctes Pagninus magis secundum sensum quam verbum, cùm alioqui in textu habeatur, אִם-לֹא עַל-פָּנֶיךָ יְבָרְכֶךָּ Im lo al panecha ieuarechecha, id est, Nisi in faciem tuam benedixerit tibi. בָּרַךְ Berach enim significat benedicere, laudare. Hoc autem loci per Antiphrasim, teste Gregor. lib. 2. Moral. cap. 6. & August. lib contra Mendacium ad Consentium cap. 10. vsurpatur pro maledicere, quemadmodum & 3. Reg. 21. vbi idipsum vocabulum Berach ponitur, pro eo quòd nos legimus, Benedixit Naboth Deum & regem, Hebræi habent, blasphemauit: & Chaldaica translatio Ionathæ habet, גַּדִּיף Gadiph, quod signat exprobrare, conuiciari, contemnere. Sic verbum תָּאַב Taabh Psalmo 119. accipitur in bonam partem, vt significet desiderare; Concupiuit anima mea desiderare, &c. Verùm Amos 3. secūdum trāslationem D. Hieron. in malam partē sumitur, vt significet detestari & abominari, detestor ego superbiam Iacob. Tertiò refertur irrationalis creatura ad hominem per modum continentis, quia continet aut tempus aut locum humanæ natiuitatis, cui seruit exemplum Iob, qui maledixit diei natiuitatis suæ, & Hierem. propter culpam originalem aliasque humanæ conditionis fragilitates, quas nascendo contraxit, secundum Thom. vbi supra post Gregor. Mag. Dies siquidem non sunt mali, sed ea quę in illis contingunt sunt maledicenda, secundū Aug. & Ambros. Maledicere namq; diei, pluuiæ, vento, cæterisq; creaturis secundum se cōsideratis, otiosum est & vanum, maledicere autem eis vt sunt Dei creaturæ est blasphemia, & peccatum æterna damnatione dignum. Qui maledixerit patri vel matri, morte moriatur. Et: Maledici regnum Dei non consequentur.

Deuter. 28.
Matth. 21.
Iudæi singulis dieb' ter Christianis maledicunt.
Tom. 2. lib. 1. cap. 29.
Tract. 12. in Ioannem.
Maledicere pro benedicere in scripturis.
Maledicere dies natiuitatis quid?
Iob 3.
Hierem. 20.
Lib. 4. Moral. cap. 7.
Epist. 80. ad Hesich.
Lib. de bono mortis cap. 2.
Leuit. 20.
1. Corinth. 6.

De men-

De mendacio. CAPVT XXVII.

Mendacium est falsa enuntiatio cum intẽtione fallendi, secundum Augustinum lib. contra Mendacium ad Consentium; In quo duo sunt cõsideranda secundum Thom. Prius est materiale, posterius est formale: Materiale est falsa enuntiatio: Formale eius est fallendi intentio. Nonnunquam subit aliquid rationem mendacij materialis, non tamen formalis, vt si quis proferat falsum quod putat esse verum, qui nullatenus mendacij est arguẽdus, nec peccati reus, quia quantum in se est, non fallit, sed fallitur, dum falsa incautus credit, ac pro veris habet. Si verò enuntiatio vera sit, & aliquis intendat fallere, falsumque proferre, est mendacium formale ac peccatum, quia abutitur eloquutione alteri eam vsui applicando, quam primaria fuerit eius institutio, loquela siquidem nobis diuinitus concessa est ad manifestationem conceptuum, vt habet Arist. Voces, inquit, sunt notæ earum, quæ in animo sunt passiones. Potiusque econtrario, quantum in se est, mentitur ille, qui dicit verum, quod putat falsum. Quãtum enim ad animum eius attinet, quia non quod sentit hoc dicit, non verum dicit quamuis verum inueniatur esse quod dicit, nec vllo modo liber est à mẽdacio, qui ore nesciens verum loquitur, sciens autem voluntate mentitur. Non consideratis itaque rebus ipsis, de quibus aliquid dicitur, sed sola intentione dicentis, melior est qui nesciẽs falsum dicit, quoniam id verũ putat, quàm qui mentiendi animum sciens gerit, nesciens verum esse, quod dicit. Ille namque aliud non habet in animo, aliud in verbo; Huic verò qualecunque per seipsum sit, quod ab eo dicitur, aliud tamen clausum in pectore, aliud in lingua promptũ est, quod malum est proprium mentientis. In ipsarum autem quæ dicuntur cõsideratione rerum interest, qua in re quisque fallatur, vt cum falli, quàm mentiri minus sit malum, quantum pertinet ad hominis voluntatem, tamẽ longè tolerabilius sit in ijs quæ à religione sunt seiuncta mentiri, quàm in ijs sine quorum fide vel notitia coli non potest falli, vt in pluribus à perquirẽte lucidius inuestigabitur. Quod vt illustretur exẽplis, intueamur, quale sit, si quispiam dum mentitur viuere nuntiat aliquem mortuum, & alius dum fallitur, credat iterum Christum post quælibet longa tempora moriturum, non illo modo mentiri, quam isto modo falli incõparabiliter præstar, multoq; minoris mali est in illum errorem aliquẽ inducere, quam in istum ab aliquo induci: Varij namq; sunt modi fallendi, vt habet Aug. ca. 19. eiusdem libri. Quod autẽ omne mẽdacium sit peccatum, insinuat ca. 18. Enchir. Mihi, inquit, vide-

Cap. 12. & Enchir. ca. 18

2. 2. q. 110.

Duo in mendacio.

Lib. 1. Perihermenias c. 1.

Omne mēdacium peccatū.

videtur omne mēdacium esse peccatum, sed nihilominus interest multum quo animo, & de quibus rebus quisq; mentiatur. Non enim sic delinquit, qui consulēdi, vt qui nocendi voluntate mentitur, nec tantum nocet, qui viatorem mētiendo in diuersum iter mittit, quantum qui viam vitæ mentiendo deprauat. Porrò omne mendacium tripartita sectione solet diuidi, primū dicitur iocosum, quod nulli nocet, quin potius recreationem & delectationis occasionem cōtinet, vt referre iocosam fabulam aut lepidam historiam, teste August. Aliud est officiosum quod absque alicuius iniuria pronuntiatur, & alicui prodest, sicuti Chusi officiosè mentitus est, & Raab, suntque semper venialia peccata, quamuis hoc illo excusabilius & leuius esse possit. Quia hoc debet loqui homo, quod animo gerit, siue illud verū sit, siue putetur, & non sit; Verba enim ideo sunt instituta, non vt per eá homines inuicem fallant, sed per ea in alterius notitiam, suas cogitationes ferant. Nec ideo existimandum est mendacium non esse peccatum, quia possumus alicui interdū mentiendo prodesse, possumus enim & furando alij prodesse distribuendo rem furtiuam, quod tamen peccatum est. Possumus nihilominus veritatem tacere, licet inhibeamur falsum proferre, teste August. super illa verba, Perdes omnes qui loquuntur mendacium. Ne quis ergo arbitretur, inquit, perfectum & spiritualem hominem, pro ista temporali vita, in cuius morte non occiditur anima, siue sua, siue alterius debere mentiri, sed quoniam aliud est mentiri, aliud verum occultare, aliud falsum dicere, aliud verum tacere, vt si quis fortè vel ad istam visibilem mortem, non vult hominem prodere, paratus esse debet verum occultare, non falsum dicere, vt neque prodat neque mentiatur, ne occidat animam suam pro corpore alterius. Si autē hoc nondum potest, vel sola huius necessitatis habeat mendacia, vt etiam ab istis si sola remanserint, liberari mereatur, & Spiritus sancti robur accipere, quo quicquid perpetiēdum est, pro veritate contemnat. Possumus etiam secundum Adrianum huius nominis sextum Romanæ Ecclesiæ Pontificē, Aequiuocatione vel amphybologia hominem aliquem ad interficiendum furibundo animo quærentē deludere, dicendo, non est hic, quem quæris, pro non comedit hic. Simili ferè ratione Abraam & Isaac veritatem reticendo coniuges sorores suas nuncupauerunt, secundum Augustinum, Sic Iacob se Esau esse respondit, & manus hœdinis pellibus circundedit, vt hirsuti Esau personam simularet, eo quòd res ductu Spiritus sancti ageretur, & magnum sacramentum hœdinis pellibus celebraretur, quæ significant peccata, per eum qui eis se cooperuit, significatus est is, qui nō sua, sed aliorum portauit

Tripartitum mendacium.

Contra Mendaciū ad Consent. ca. 11. & super Psal. 5.

2. Reg. 17.

Iosue 6.

In Psalmū 5.

Aliud mentiri, aliud verum occultare.

In Quotlibeto de mendacio.

Gen. 12. & 20

Lib. 22. c. 33 & 34. contra Faust. & lib. contra Secundinū cá. 24. et cōtra Mendacium ad Consent. cap. 10.

peccata,

Cap 10. peccata, teste August. lib cōtra Mendacium ad Consentium.
Genes. 42. Ioseph quoque non peccauit, quia verba illa; exploratores estis, non protulit affirmando, sed potius tentando aut interrogando. Quando autem se peritum in augurandi scientia adseruit, largioti augurij acceptione, pro futurorum prouisione vsus est, vel etiam suis verbis incolarum quasi famam expressit, potius quàm damnatam sibi scientiam vindicaret,
Lib. 3. Sent. dist. 38. teste Bonauēt. Deinde obstetrices Aegyptiorum mendacium incurrerunt, Raab, Iosue 2. Iudith 13. sed officiosum, teste
Exod. 1. Cap. 22. August. lib. Enchirid. Forsitan sicut obstetrices, inquit, non remuneratæ sunt, quia mentitæ sunt, quia infantes liberauerunt, & propter hanc misericordiam veniale fuit peccatum. Sic Raab liberata est propter liberationem exploratorum, ob
Iudith 13. quam fuit veniale peccatum & Iudith, propter Bethuliæ ciuitatis victoriam: vnde August. contra Mendacium, Quando
Ad Consentiū, cap. 5. & 15. de scripturis mentiendi exempla proponuntur aut mendacia; non sunt quæ esse putantur, quando non intelliguntur, vt in prælibatis euasit manifestum, aut si mendacia sunt, imitanda non sunt; Potius siquidem Christiano homini mors expectanda est, quàm vt fidem fallat, aut etiam apud impios pietatis causa mentiatur; nam sibi dictum quisque arbitrari
Eccles. 7. debet, quod dicitur, noli velle mentiri omne mēdacium, non tamen omnis simulatio peccati rationem obtinet, quoniam
4. Reg. 10. Iehu finxit se cultorem Baal, vt ita cultores Baal eliminaret.
1. Reg. 21. Et: Dauid simulabat se mente captum & à sensu alienatum,
Lib. 1. cap. 7. sicuti & Constantius pater Constantini, Tripart. hist. simulauit
Magna dexteritas Constātij. se idololatram, nam vniuersos in suo palatio euocans, si prompti venirent ad sacrificandum & idola colenda, intimos sibi fore amicos prædixit, si verò recusarent, & scelus idololatriæ refugerent, palatium relicturi benignitati regię minimè ipsis pœnas infligenti gratias referrent, cumque vtriusque partis comparuissent, alij quidem religionis desertores, alij diuina præsentibus pręponentes, deliberauit eis amicis & cōsiliarijs vti, qui in melioribus fideliores permansissent, aliòs velut effœminatos auersatus palatio expulit, persuasum habens, eos nunquàm circa principem fideles fore, qui sic fuissent Dei sui desertores. Alia est simulatio doctrinæ, vt in
Luc. vltimo. Christo, teste Aug. lib. contra Mendacium, qui finxit se longius
Ad Consentiū, cap. 14. ire vt doceret discipulos hospitalitatis officium, nam coegerunt eum ingredi castellum aduesperascente iā die. In his
Mendacium perniciosum. simulationibus non est peccatum. Mendacium perniciosum est quod ita alijs nocet, vt nulli prosit, hoc est, eo fine fit, vt proximo vel vitæ, vel famæ, vel bonorū externorū, iacturam
Psalm. 5. adfetat, quod omnino damnabile est. Perdes, inquit Dauid,
Sapien. 1. omnes qui loquuntur mendacium; & : Os quod mentitur

occidit

occidit animam. Rursus, Qui loquitur mēdacia peribit, item abominatio sunt Deo labia mendacia, qui autem fideliter agunt, placent ei. Inuenias hodie qui è suggestu nihil non conuitiorum (ipsi aliquando omnibus modis exibilandi) in ecclesiæ prælatos, pontifices, monachos, ac sacerdotes euomant, & toti in hoc sunt occupati, vt promiscuum vulgus (alioquin prælatis ecclesiæ suapte ingenio satis infestum) tales haud vulgari plausu excipiat, illos verò summa contumelia afficiat, adeoq; seditioso tumultu exterminet. Qui ecclesiastæ quàm suo officio non fungantur, nullus est qui non videat, geminum siquidem peccatum incurrunt, tum quod absentes pessimorum criminum insimulent ac traducant, tum etiam quod in eos asperis verbis debacchantes, nihil aliud agunt, quàm quod vulgo fenestra aperiatur calumniandi, ac prælatorum authoritatem flocci pendendi, obliti Paulinæ modestiæ, qua monemur, ne seniores increpemus, sed obsecremus vt presbyteros, non solum non accusemus, sed ne accusationem eorum nisi pluribus testibus recipiamus. Alio etiam loco non ea modò parte, nos à mēdacio reuocat, ne simus criminatores & susurrones in populo, sed ne quis decipiat fratrem suum. Sanè dubium non est, quin vt præcedentibus mandatis cohibuit sæuitiam, impudicitiam, auaritiam, ita hic vniuersam falsitatis propaginem exterminare voluit. 1. ad Tim. 5.

De Multiloquio. CAPVT XXVIII.

OPORTVNE hic instruuntur factores legis de linguæ custodia, quia licet plerique manū à malo opere contineant, linguam tamen ab illicito & infructuoso sermone pauci coercent, vnde dicitur: Beatus qui non est lapsus in lingua. &: Qui non offendit in verbo, hic perfectus est vir. Quis autem sufficienter posset dinumerare, quanta mala faciat effrenis lingua, quæ vt idem Apostolus ait, modicum quidem membrum est, sed magna exaltat? Ecce quantulus ignis, quam magnam siluam incēdit? & lingua ignis, est vniuersitas iniquitatis, lingua constituitur in membris nostris, quæ maculat totum corpus, & inflammat totam nostræ natiuitatis, inflammata à gehēna inquietum malum, plena veneno mortifero. Denique quis enumerare sufficiat, quantas lingua suscitauit discordias, nutriuit odia, accendit furores, mouit bella, euertit vrbes, perdidit gentes, quantos errores disseminauit, illaqueauit incautos, versauit dolos, instruxit fraudes, quàm multos nudauit, spoliauit honore, vulnere sauciauit incurabili, damno irreparabili affecit? Qui enim facilis est in verbis, velut plenus rimarum hac illacque fertur, & exeunte multiloquio peccatum ingreditur, teste Eccles. 14. Iacobi 3.

Serm.4. super Psal. 118. & lib.1. de Cain & Abel ca.9. Homil.15. ad Antioch. hom. 22.

Ipsa oris dispositio silentium indicit.

Ephes 4.

2. Petri 4.

Ambros. Vnde hanc non otiose tanquam feram indomitam feris multis, labijs videlicet & dentibus prouida natura inclusit, secundum Chrysost. & August. serm.4. de verbis Domini. Ad hæc superposuit ei aures, oculos, nares, cerebrum, vt omnis sermo malus de ore nostro non procedat. Sed priusquam loquamur cogitemus & discernamus, audiamus primum & videamus, hoc enim natura docuit, quæ cæterorum organa sensuum lingua voluit esse situ superiora. Præterea cum non nisi vnam linguam, duas tamen aures, easque patulas, oculos duos, nares binas natura nos habere voluit, quasi per hoc insinuauit nos plura debere audire, videre, plura cogitare quàm loqui. Quod etiam voluisse spiritum sanctum, docet Rabbi Salomon super tertium caput Threnorum; quando cōtra ordinem Alphabeticum literam phe posuit ante y Ayn, ne videlicet amplius loqueremur quàm oculis corā conspeximus, y namque significat oculum, pe os, quia prima tela adulteræ oculorum sunt, secunda verborum, secundum Ambros. His tamen omnibus & naturæ & scripturæ documentis non obstantibus, cor stultorum in ore ipsorum est, quia de ore latrinæ, non potest nisi fœtor egredi, & ex abundantia cordis os loquitur, vbi os sapientium est sermo eorum, ad rationis limam venit, priusquam ad linguam secundum Paulum: Sit sermo vester semper sale conditus, vt sciatis qualiter oporteat vos vnicuique respondere. Superest autem vt quisquis linguę incontinens est, is iam excors & vanus sit oportet, sicut scriptum est: Nunquid vir verbosus iustificabitur? profectò vas sine cooperculo immundum lege censetur: & quemadmodum ciuitas cuius porta existit iugiter aperta, ac domus absque ostio varijs est exposita discriminibus, ita arcæ patenti thesaurum nemo credit. Calor itidē non inclusus, sed per rimam exire permissus tepescit, & aromatum odor nisi pixidi seruetur inclusus in auras euanescit. Sic nimirum & ipse mentis humanæ feruens, ac magnus in Deum affectus, & ipse cælestis, gratiæ depositus thesaurus per inutile multiloquium & stultiloquium amittitur. Quod exemplis ostendit varijs Gregor. Nam duæ sanctimoniales nobiles quidē genere, sed mente ignobiles, non curabant linguæ frenū imponere, quæ cùm admonitioni sancti Benedicti non obsecundarēt, excommunicationis gladio pertinaces sunt percussæ, postea sacris in locis tumulatæ sunt. Diaconus autem vbi more consueto dixit, exeant non communicantes & ipsæ de sepulchri penetralibus foras egressæ sunt. Fuit & alia, religione vana, castitatis quidem obseruans, sed linguæ stultiloquium flocci pendens, cum esset sepulta, custos vidit eam in duas secari partes. Simile quid habetur 4. dialog. ca.17. de Musa puella. Similitudinem

Lib.de Sancto Ioseph cap. 5.

Math 12.

Colos. 4.

Iob 11.

Numer. 18.

Exemplis varijs demonstratur multiloquiū esse malū.

Lib.2. dialog. cap.23.

Lib.4. dialog. cap.51.

nem attende, qua parua ſpernentes paulatim decidunt ad maiora: nam dolio ſunt magni circuli, qui paruis colligantur funiculis, quibus ſolutis, mox totius vaſis diſſolutio ſequitur; Ita nimirum, cor fatui quaſi vas confractum, totum quod continet profundit. Circuli grandiuſculi diuinæ legis præcepta ſunt, quibus ſalubriter obligamur. Dedit tibi Dominus mandata, quæ ſi volueris ſeruare, conſeruabunt te, parui funiculi & ligamina ſunt diſciplinæ morum & modeſtiæ inſtituta, præſertim ſilentij grauitas & circunſpecta in verbis diſcretio: Nam de omni verbo otioſo quod loquuti fuerint homines, reddent in illo die rationem. Eſt autem verbum otioſum ſecundum Gregorium Magnum tertia parte curę paſtoral quod aut ratione iuſtę neceſſitatis aut intentione piæ vtilitatis caret. Nec dicatis non ſunt grauia, non ſunt detractoria &c. quia licet multiloquium non ſit ſemper peccatum læthiferum, tamen frequenter iterata verba otioſa eo præcipitant, vt Auguſtinus ſimilitudine à guttis aqueis deſumpta, manifeſtat, quę ſi nimis multiplicentur onuſtam nauem ſubmergent: & Gregor. lib. 6. in lib. Regum cap. 2. & Bernard. ſer. priori in Conuerſione D. Pauli. Hinc dicit Aug. Noli venialia contemnere, quia minora ſunt, ſed time, quia plura ſunt, Quam minuta ſunt grana arenæ? ſi arena tamen amplius in nauem mittatur, mergit illam, vt pereat; Quàm minutæ ſunt guttæ pluuiæ? tamen cauant lapidem, non vi, ſed ſæpe cadendo, Nónne flumina tãdem implent ac vndis criſpãtibus crebro allabentibus & vehementia continuorum fluctuum impellentibus, domos deijciunt? ita loquacitas complura adfert diſcrimina & vas integrum diſſoluit, iuxta ſententiã Sapientis: Sicut vrbs patens, & abſque murorum ambitu, ſic vir qui non poteſt in loquendo prohibere ſpiritum ſuum.

Qui negligunt parua, decidũt ad maiora. Eccleſiaſt. 19. Eccleſiaſt. 15. Matth. 12. *Verbum otioſum quod.* Cap. 15. & *pulchre lib. 7. Moral. cap. 7. & li 8. c. 22. Similitudo pulchra.* Tract. 12. *in Ioan. tract. 1. in epiſt. Ioan. epiſt. 108. ad Seleucianum. Lib. de decem chordis, ca. 11.* Prouerb. 13.

De Murmure. CAPVT XXIX.

DESCRIBITVR murmur eſſe querela cum impatientia in his, quæ homo debet ferre æquanimiter vel ſuſtinere patienter. Alio modo murmuratio eſt iniuſta impatientis clanculoſa querela de re iuſta, vel iniuſta indebito modo facta. Dicitur iniuſta, quia murmuratio eſt ſpecies detractioins, & ſecundum veritatem detrahit ei, contra quem murmurat tanquam iniuſte & irrationabiliter ſe habeat. Impatientis ſubnectitur, quia ſi per modum denuntiationis vel admirationis fieret, non eſſet propriè murmuratio. Clanculoſa etiam additur, quia ſi fieret in præſentia, & non ſubmiſſa eloquutione, eſſet cõtumelia & improperium. Contingit autẽ aliquando contra Deum per diſplicentiam, quam aliqui habẽt de eius adminiſtratione ac regimine, trãquillitati

Murmur contra Deum.

aduerſantes propriæ, quia recuſant ſeſe conformare diuinæ diſpoſitioni, nam ſi ita cuncta adminiſtrarentur & diuinitus diſpenſarentur, mundus periret, quod enim vni placet, alteri diſplicet, quòd non omnes voto viuamus vno. Propterea magnæ eſt inſipientiæ, hoc animo voluí humano, quod ex diuino dependet arbitrio, ſubtiles namque artifices ægre ferunt ignatorum & inſciorum inſtructionem, nec ſus præſumit erudire Mineruam, cùm autem longè ſit à nobis cæleſtis illa rerum ordinandarum ſcientia, æquiſſimo animo vniuerſa

Eccleſiaſt. 10. ſunt ferenda, iuxta ſententiam Sapientis. Vir prudens & diſciplinatus non murmurabit; Hoc modo murmurabant ad-

Li. 40. *homiliarum, homilia* 19. uerſus patremfamilias, quod intelligit D. Greg. de ſanctis in limbo exiſtentibus, qui videntes gentiles nouiter conuerſos ſimul perduci cum eis ad regnum, quaſi murmurabant, quod eis ſimiles fierent. Hæc tamen expoſitio videtur patere calumniæ, quia quod aliquorum oculus nequam fuerit, nequit dici de ſanctis patribus. Ideo Liranus concludit, quod non intelligatur de conſummatione ſeculi, ſed de ijs qui fuerunt ſub ſtatu gratiæ tempore Chriſti. Itaque tempus gratiæ eſt hic ſero. Si tamen negotium penitius inſpiciatur, poteſt intelligi de vtroq; tempore: Nam de tempore gratiæ haud dubium eſt quin Iudæi murmurabant aduerſus gentiles, pro eo quòd gentiles recepti erant in communionem & fidelium

Act. 6. & 11. conſortium. De tempore autem conſummationis poteſt intelligi per ſecundam regulam Ticonij, ſecundum quem fit

Li. 3. *de doct. Chriſtiana, cap.* 32. ſermo ad alios atque alios, de eadem multitudine, non mutata voce, teſte Auguſt. ſicut in Pſalm. 34. Cùm occideret eos quærebant eum, non occiſi, ſed alij remanentes, & ſic eſt ſenſus, quod accipientes non adoptione, ſed vocatione, licet laborârint, non tamen finaliter in gratia perſtiterunt, & ſic murmurabunt mali viſa beatorum in iudicio gloria. Secundo exponi poteſt de præſenti murmuratione, vt ſcilicet in præſenti murmurent, qui in futurum tale præmium ſunt accepturi, vt dictum eſt de Iudæis & gentibus. Iudæi ſiquidem mouen-

Act. 6. & 10. tur contra gentiles, videntes eos æqualia dona gratia Spiritus ſancti accepiſſe. Poteſt etiam intelligi de murmure admirationis, in iudicio enim erit magna admiratio Iudæorum de tanta gentium gloria, & de tanta ſanctorum noui teſtamenti remuneratione, quorum multi præferentur antiquis patribus. Sed quomodo tum dicitur, an oculus tuus nequam? Si exponamus de electis in futuro, tunc dicendum, quod oculus eorum non dicitur nequam propter culpam, ſed inæqualitatis admirationem, quia admiratio magis procedit ex diuinæ iuſtitiæ conſideratione quàm miſericordiæ infinitæ. Aliqui obmurmurant quòd vident bonos deprimi, malos autem proſpe-

prosperari, periuria, mendacia aliaque scelera nihil videntur nocere malis, nec bonis prodesse virtutes, vt Boëtius libro primo de consolatione metro quinto, & libro quinto prosa quinta, vnde Iob: Quare impij viuunt sublimati? &c. Hiere. 12. Quare impiorum vita prosperatur, & bene est omnibus qui inique agunt? Abacuc primo, taces impio conculcante iustiorem se. His respondet D. Gregor. Iniustus, inquit, ad debitam mortem currens, effrenatis voluptatibus vtitur, quia & vituli qui mactandi sunt, vberibus pascuis relinquuntur, econtra iustus à delectationibus transitoriæ iucunditatis restringitur, quia vitulus ad laboris vsum deputatus, sub iugo retinetur, & D. Ioannes Chrysostomus, ad populum Antiochenum, & ser. primo de resurrectione. Gregorius Nissenus lib. octauo de prouidentia Dei, August. lib. primo capite octauo, & lib. 20. cap. secundo de ciuitate Dei, epist. 54. ad Macedonium, tract. tertio in Ioãnem. Hieron. epist. ad Paulam de obitu Blesillæ. Gregorius lib. 40. homiliarum, homil. 15. Damasc. lib. secundo orthod. fid. Nemo siquidem tam integræ vitæ est, vt irreprehensibilis & nulli pœnæ obnoxius in extremo die inueniri possit. Vt autẽ nõ in futuro, sed hoc quasi purgatorium luat, misericordia Domini tali hic constituit, vt aduersa laboret fortuna, cæteraque eius generis sustineat incommoda, vt ijs expurgatus cælestia citius capessere valeat regna. Alius peruersus quidem est, & nequam, tamẽ aliquando vel exiguam erogat eleemosynam, aut rei diuinæ tepido quanquam animo interesse interdum non grauatur, &c. huiusmodi facere videtur, quæ debito modo peracta absolutum redderent Christianum. Ne autem ista apud iusti iudicis tribunal mercedis temporalis dignitate careant, quia æternam nequaquam merentur, hic retributio temporalis, ne iniustus illis Deus videatur, operibus refunditur. Alij obmurmurant propter tribulationes & aduersitates sibi immissas, cum tamen profectui animæ vel maximè conducant, teste Apostolo: Cum infirmor, tunc fortior sum, hoc modo, ortum est murmur populi, quasi dolentis præ labore contra dominũ. Alij murmurant per inuidentiam contra proximum. Sicut Saul nequibat candido affectu aspicere, ipsum Dauidem, ac immurmurans dicebat: Mihi dederũt mille, & Dauid decem milia; Hoc modo fratres Ioseph oderunt eum, nec poterant ei quicquam pacifice loqui. Et Pharisæi contra discipulos Christi. Huiusmodi tamen animorum dissentientium, discordia ac murmuratio non fuit inter Mattham & Mariam Magdalenam, nam laboriosa conqueritur se insufficientẽ rebus tanto hospiti præparãdis, idcirco propter grauitatẽ oneris efflagitat suppetias sororis, vt Moyses Numer. 11. nõ ignorãs ad le-

Impijs quomodo hic bene? Cap. 21. Li. 21. Moral. ca. 4. & lib. 6 cap. 3. Homil. 1. Cap. 8. & 9. Cap. 29. *Pulchra ratio.* 1. Corint. 12. Numer. 11. 1. Reg. 18. Genes. 37. Luc. 5. *Murmur Marthæ & Magdalenæ.* Luc. 7.

Galat.6. ad legem Dei pertinere,quod paulò post Apostolus expressit: Alter alterius onera portate. Potuit etiam prælibatis præoptare verbis,sibi otium contemplationis,ac theoricę vitæ per-
Serm.3.de assumptione gloriosæ virginis Mariæ. fectionẽ concedi,secũdum Bernard. Putas in domo in quam Christus ingreditur,inquit,vox murmuris audiatur? & subijciendo adnectit; Fœlix domus & beata congregatio in qua de Maria Martha conqueritur,& ratio huius est, quia theorica & contẽplatiua vita, per se est absq; quærimonia amplectenda,& ab omnibus præferenda religiosis, Martha verò,id est, practica & laboriosa vita propter necessitatem humiliter
Genes.29. suscipienda. Vnde Iacob præelegit Rachel,& D.August.sed
Serm.80.de tempore. prius suscepit Liam. Licet ergo cõqueri Martham,omnesq; alios religiosos ac religiosas personas,vt sint sicut Maria,quia hoc humilitatis est argumentum, & proficere volentium insigne. Si autẽ conquerantur,quia non adhibent manus adiutrices,infirmitatis est. Si de hoc quod Mattham Maria adiuuare velit & ipsa nolit,hoc est impietatis,quia talis querimonia legem infringit charitatis. Porrò si suum laboriosum anteferret Martha officium,repræhensionẽ haud vulgari ipsius factum esset vindicandum: Maria namq; optimam partem elegit. Alij per inobedientiam mussitant contra prelatos tam spirituales quàm temporales, quorum obtutibus est proponenda D.Petri sententia: Obedite prępositis vestris,non tan-
1.Petr.2. Rom.13. tum bonis & timoratis,sed etiã discolis & dissolutis. Et: Om-
Lucæ 10. nis homo sublimioribus potestatibus subditus sit. Sic: Qui vos audit me audit,& qui vos spernit,me spernit; vnde dictũ
Exod.16. est: Non te reiecerunt,sed me,&c. Istud etiam nonnunquam
Murmur religiosorum. religiosis contingere,deplangit B.Ioannes Chrysost. (vti experientia quoq; aliquando exigentibus peccatis meis discere
Lib.2.de cõpunct.cordis. obedientia coegit) qui murmurãt de cibo,potu,vestibus,&c. iuxta illud: Si non fuerint saturati murmurabũt. Sicut namq;
Psalm.58. inania vasa & vacua resonant,& rotæ minus vnctę strepitum excitant; haud secus miseri plenitudine supernorũ charismatum vacui,licet numero aliquando breui & exiguo maiorem excitant tragediam,quàm plurimi virtuosi, quod & duæ aut tres ranæ in stagno nos docent,quæ sua coaxa & stridore maiorem strepitum,quàm centum magni lucij efficiunt. Atque proinde isti in ipso spiritualis belli exordio,gulositate,primo
Matth.4. religionis aduersario, prostrati succumbunt. Quarè optimè
Philip.2. suadet D.Paulus omnia sine murmurationibus esse faciẽda,
Numer.16.& 1.Corint.10. nam quidã leguntur murmurasse & ab exterminatore perijsse. Quo manifestum euadit, murmur esse peccatũ mortale, aut saltem veniale secundum qualitatem obiecti, hoc est, secundum intẽtionem animorum ac personarum murmurantium affectũ, necnon contra quos est murmuratio in mediũ proferre,

proferre, aut aures murmurantibus præbere non recusant. Quorum pœnā canonicam est videre, dist. 90. nam à fratrum consortio & vnitate alieni fieri deberent, & opus eorū, id est, oratio & oblatio eorum, repudium patiatur oportet. *Cap. Alienus.*

De suspicione mala. CAPVT XXX.

DE proximo malam habere suspicionem discrepat à iudicio proximi, nam suspicionem malam habere de proximo adseritur, qui quidem adsentit, quod proximus est, malaq; intētione agit, non tamen firmiter; Iudicare autem malè de proximo dicitur, qui firmiter seclusaq; de opposito formidine adsentitur proximum esse malum, vel mala intentione egisse. Ex quo emergit alia discriminis ratio, nēpe malum de proximo suspicari, non esse nisi veniale delictum, quòd tali suspicionis opinione, nō magna inferatur proximo iniuria; Iudicare autē personam proximi super graui facto, ac notabili, leuibus signis, nunquam non adfert mortiferum peccatum, propter notabilem iniuriam, in proximi contemptum illatā, dicēte Propheta Domini: Væ qui spernis, nónne & sperneris? Væ autē in sacris eloquijs semper importat peccatum læthale vel æternam damnationem. Præmisimus notanter (personam proximi) quia factum proximi leuioribus signis potest omni carere peccato. Porrò dicitur quis iudiciū ferre personæ, quando de intentione vel de authore, qui tamen non constat, aliquis iudicat, vt si quis cōspiciat Petrum cum Agnete prolixos miscere sermones, firmiter statuat, hoc luxuriæ concupiscentia factum; Vel si quis audiens quod res aliqua sit furtim ablata ab aliquo, non habito intentionis vel conditionis in operante latentis conspectu. Prælibatum est etiam (de graui) quia si quis iudicaret personam firmiter de leuiuscula re, puta peccato veniali, non est nisi veniale peccatum. Subnectitur etiam (ex leuibus signis) vti explicatū reliquimus articulo de temerario iudicio, quia ex signis manifestis euidentibusque iudicare personam, non est peccatum. Neque huic repugnat Dominica sententia: Nolite iudicare. Quia intelligenda venit de irrationabili personæ iudicio.

Esa 33. *Væ quid importet?* *Matth. 7.*

De Susurrio. CAPVT XXXI.

SVSVRRATIO est obloquutio mala de proximo occultè ad amicitiam bonā tollendam facta. Vnde liquidò constat, Susurronem & detractorem in aliquo conspirare, in altero separari. In hoc siquidem conueniunt, ac æquis passibus gradiuntur, quod vterque absentum non veretur rodere vitam. Distinguitur autem in hoc, quod Susurro intendat læsionem amicitiæ; Detractor famæ. Estque mortale

peccatum, si fiat ex animo, siue ex intentione dissoluendi amicitiam bonam, absolutè, quia intendit notabile proximo damnum inferre, nempe amicitiam auferre. Tantoque grauius est contumelia & detractione, quanto amicitia est melior fama & honore. Prælibatum est (si fiat ex animo dissoluendi amicitiam absolutè) quia si solum modicum intendat lædere amicitiam, censetur veniale, nisi ex grauitate nocumenti materiale redeat in suam formam, sicuti alibi manifestum euasit.

De Testibus. CAPVT XXXII.

PROHIBEMVR huius antepenultimi mandati articulo calumnijs aliquem incessere, aut falsis proximo in-
Exo.20.& 23 sultare criminationibus, iuxta illud: Non suscipies vocem mendacij, nec iunges manum tuam, vt pro impio falsum dicas testimonium. Ita Deuteron.5. Non loqueris contra proximum tuum falsum testimonium. Apud Sapientem
Prouerb.6. leguntur sex esse, quæ odio habeat Dominus, oculos sublimes, linguam mendacem, &c. nec per linguæ organum duntaxat, hoc falsitatis committitur peccatum, sed etiam per literas, libellos, nutus & signa, quemadmodum teste Ambros. lib.3. Offic. cap.9. Iesabel subornauit falsos testes, missis lite-
3.Reg.21. ris contra Naboth, cuiusmodi deberent strangulari, vt habetur lib.3. Rub.1. Ordinationum Imperialium ac statutorum
Mat.26.& 28 Regalium. Et perfidi Iudæi polliciti sunt se pecunias testibus daturos, qui falsissimo testimonio perhiberent Christum tumuli penetralibus Apostolorum præsumptuosa audacia ex-
Actor.6. tractum. Haud dissimili astu insidias tetenderunt Stephano prothomartyri. Qui omnes rei sunt huius præcepti & pecca-
Falsum testimonium graue peccatum. ro læthifero obnoxij, quia falsi testes grauissimè Deum offendunt, proximum intolerabiliter lædunt, aliquando morti occasionem subministrantes, aliquando exilium, vincula, carceres temporalium iacturam, famæ diminutionem, confusibilem ab officijs amotionem, quæ omnia obligantur restituere. Decipiunt quoque iudices, qui secundum audita & probata causam decidere compelluntur, secundum beatum Ambros. epistola 20. ad Horontianũ, propterea dicitur, quod
Prouerb.12. testis falsus non erit impunitus. Et: Testis mendax peribit, vt
Prouerb.21. perspicuum cuique fieri conceditur, ex 13. cap. Danielis. Quin & cõmunioni ecclesiasticæ censetur retrahendus, oncil. Elibert. cap.74. & Agaten. cap.37. & talionis pœna apud
Deuter.19. priscos patres, plectendi emendabantur, Non misereberis mendacis, sed animam pro anima, oculum pro oculo, dentem pro dente, manum pro manu, pedem pro pede exiges.

Quod

Quod quanquam hodie non per omnia obſeruetur, Iudices tamen ſeculares rigida punitione ſecundum morem regionum, teſtes falſitatis conuictos emendare coguntur ac infames declarare. Appellatur autem falſus teſtis qui deliberato animo, dataque opera in alterius detrimentum falſitatem deponit. Idcirco nulla ratione debet certo teſtimonio id adfirmare, cuius certitudinem euidẽtiorem non habet, ſed ambigua, ambiguo eloquio reſoluere, teſte D. Thom. 2.2.q.76. art.4. Qui autem ſint qui teſtificari valeant, diſcere nõn fuerit indignum ex Concil. Lateranen. ſub Alexandro tertio celebrato, Titul. de teſtibus, & C. de teſtibus: Item Panormitano ſuper cap. Cum eccleſia, de cauſis poſſeſſionum & proprietatum, & cap. Cum nuntius, de teſtibus, necnon Gratiano, 2.quæſt.cap. Præſul, & 2.quæſt.5. per totum. Summatim hic recolligendum eſt hoc mandato vniuerſam damnari maledicentiam, non tamen obiurgationem, quæ fit caſtigandi ſtudio, non accuſationem, aut iudiciariam denuntiationem, qua remedium malo quæritur, non publicam reprehenſionem, quæ ad incutiendum cæteris peccatoribus terrorem conducit, non manifeſtationem apud eos, quorum intereſt, ſed odioſam criminationem quæ ex malignitate & obtrectandi petulantia naſcitur. Quin & huc quoque mandatum extenditur ne ſcurrilem vrbanitatem affectemus, qua aliorum vitia ſub imagine luſus mordaciter perſtringamus, qualiter ſolent nonnulli, qui facætiarum laudem cum aliorum rubore, ac etiam gemitu captant, quando ex huiuſmodi procacitate non leuiter interdum fratres proximique ſuggillantur. Quare ſi verus eſt timor Dei & amor in nobis, demus operam, quoad licet & expedit, & quantum fert charitas, ne maledictis & amaris ſalibus, falſis teſtimonijs, litigijs, vel linguam, vel aures præbeamus, nec obliquis iudicijs temerè alijs iniuriam inferendo nos lædamus, ſed æqui erga omnium dicta & facta interpretes, tum iudicio, tum auribus, tum lingua, ſaluum illis ſuum honorem candide ſeruemus. Quod mihi miſero peccatori, omnibuſque nobis concedere dignetur gratia & miſericordia Domini noſtri Ieſu Chriſti, qui viuit & regnat cum Patre & Spiritu ſancto Deus, per omnia ſecula ſeculorum.

AMEN.

Falſus teſtis quis?

Qui teſtimonium perhibere queant?

NONVM PRÆCEPTVM.

Non cõcupiſces vxorem proximi tui.

DECIMVM PRÆCEPTVM.

Non domum, non agrũ, nõ ſeruum, non ancillam, non boue͂, non aſinum, & vniuerſa quæ illius ſunt, non cõcupiſces, Exod. 20. Deut. 5.

Origo mali vnde? CAPVT I.

Lib. 1. cõt. Iulian. cap. 3. & tractat. 96. in Ioannem.

MANICHAEVS malũ exiſtimauit eſſe ſubſtantiam nõ à Deo bono profectam, ſed ei coæternam, vt teſtatur præ fulgidum eccleſiæ ſpeculum D. Auguſt. Sed plurimum deſipit, inquit, quia nullo modo eſt ſubſtantia, ſed potiùs ab immutabili ſubſtãtia mutabilium ſubſtantiarum quidam defectus. Quod nõ ſit ſubſtan-

Malum non eſt ſubſtantia.

tia, nec res, nec natura, duplici ratione colligitur, vna ab Auguſtino deſumpta; altera à Dionyſio Areopagita. Sic autem

Lib. 12. de ciuit. Dei, ca. 2. Cap. 11.

colligit Aug. Et quod ſumma eſt & fons omnis eſſe nihil eſt contrariũ, niſi non ens, ſed malum eſt Deo cõtrarium. Igitur ſicut habet ibide͂ c. 9. Mali nulla eſt natura; Sed amiſſio boni vſurpat nomenclaturam mali. Hinc in Enchrid. dicit: Quid eſt malum aliud, niſi priuatio boni? & ſimilitudine probat: Nam ſicut corporibus nihil aliud eſt morbis & vulneribus affici, quàm ſanitate priuari, ita etiam quæcunque ſunt vitia, naturalium ſunt priuationes bonorum; Quia verò ſublata natura locum non habet priuatio: Hinc fit vt nullum poſſit eſſe malum, ſi nullum fuiſſet bonum, quemadmodum proſe-

Cap. 13. Lib. de diuinis nominib. ca. 4. 1. parte quæſt. 48. art. 1.

quitur Aug. in Enchirid. Altera ratione colligit ſanctiſſimus pater, & Pauli Apoſtoli diſcipulus Dionyſius Areopagita, & poſt eum D. Tho. malum nihil eſſe. Bonum eſt, inquit, quicquid eſt appetibile, ſed omnis res naturaliter ſe diligit & cõſeruat, ergo eſt bona, nec malum aliquid agit, nec deſideratur niſi ratione boni adiuncti. Nota etiam quod voluntas mala, vſque adeo eius in quo eſt faciat qualitate͂, vt vel angelus vel

homo malæ volũtatis, potius dicatur, malus à voluntate mala, quàm bonus à natura bona, vti perspicuis docet verbis Aug. Quò autem manifestius intelligamus, vnde sit malum, & quæ sit illius causa, an aliqua natura bona creatrix, id est, Deus bonus, siue bona creatura vel natura aliqua mala, scilicet malus Deus, profuerit consuluisse, D. Aug. lib. 12. de ciuit. Dei ca. 6. Si natura, inquit, est causa volũtatis malæ, quid aliud cogimur dicere, nisi ex bono fieri malum? Ex natura enim incepit esse malum, non quia natura est, sed quia de nihilo facta est, & ca. 7. eiusdem lib. Nemo quærat efficientem causam malæ voluntatis, non est efficiens, sed deficiens: Deficere namque ab eo quod summum est, ad id quod minus est, hoc est, incipere habere malam voluntatẽ. Ex quibus Aug. verbis responderi potest ad quæstionem, qua inquiritur quæ sit mali causa, scilicet primi mali causam non esse naturam aliquam malam (quemadmodum impij Manichæi docuerunt) sed esse naturam bonam, non quatenus natura est, sed quatenus ex nihilo est, nec quatenus bona est, sed quatenus non summè bona est, quatenus commutabilis, & à summo & incommutabili bono deficiens est. Dicitur, inquam, primi mali causa esse natura bona, quia malæ voluntatis quæ primum malum est, causa fuit. Sunt autem alia mala quæ malam sequuntur voluntatem, vt opera mala, siue actus exteriores mali, qui pro immediata causa habent voluntatem malam, pro mediata autem & originali habent naturam bonam: Opera namque se habent ad voluntatem, bona ad bonam, mala ad malam, vt fructus ad arborẽ. Nec obstat quod dicitur. Non potest arbor bona fructus malos facere, nec arbor mala fructus bonos facere, quia actus internæ voluntatis bonus, nequit opus externum producere malum, quia operatio externa nõ potest esse bona, nisi interior sit bona, quemadmodum docet Aug. Falsum est igitur quod Manichæi ex prælibata sententia concludere nituntur, videlicet duo principia esse æterna, quia malum nõ procedit à bona voluntate, ex qua non nisi bonum oriri potest, vt habet Aug. lib. 1. contra Iulia. ca. 3. Si autem malum sit in voluntate, vt manifestum euasit ex Aug. & D. Thom. 1. parte. Ergo Deus videbitur iam causa & author mali, quia quicquid est causæ causa, est etiam causati causa. Respondendum est negatiuè, quia non eodem modo causat Deus voluntatem, quo volũtas malum, quia Deus causat voluntatem effectiuè, voluntas autem malum defectiuè, ideoq; mutatur medium, diciturque fallacia accidentis. Præterea plures possunt concurrere causæ ad vnum effectũ secundum Tho. principalior & secundaria, tũc prima causa aliquid potest causare actum ita quod defectus

veniat

Lib. 1. contra Iulia. ca. 3. & lib. 2. de nupt. & cõcup. c. 28 li. 11. de ciuit. Dei, ca 9. lib. 12. primis nouem capitibus, lib Ench. c. 11 cum tribus seq. & ca. 23. 24. & 81. Lib. 1. Retract. ca. 30.

Mali causa est à bono defectus

Matth. 7.

Obiectio ex scriptura.

Ench. cap. 15.

Quest. 48 ar. 5. & 49. art. 1. necnon 1. 2. q. 74. art. 1.

Alia obiectio. Deus an causa mali?

In scripto 2. distinct. 37.

veniat à sola causa secundaria, sicut in animali, prima causa motus est virtus progressiua, quæ facit actũ ambulandi. Secũdaria est pes seu tibia. Si iam claudicatio accidit in ambulatione, illa non attribuitur virtuti progressiuæ, sed pedis defectui. Quò autẽ enucleatius aperiamus Deũ non esse mali authorem contra Florinũ & Blastum, teste Euseb. Cęsarień. & Aug. lib. ad Quoduultdeũ cõtra varios hæreticos, qui dixerũt Dauidis adulterium, Iudæ proditionẽ non minus esse opus Dei quàm Pauli vocationẽ intenta mentis cogitatione cõsiderandũ est, quædam esse quorũ Deus est tota causa per voluntatẽ, vt sunt creaturæ Dei, earumque creatio. Qui creauit te sine te non saluabit te sine te. Aug. ser. 15. de verbis Domini. Secundo quædam sunt quorum non Deus, sed creatura est tota causa per voluntatem deprauatam, vt sunt peccata, Perditio tua ex te Israël. Tertio quædam sunt quorum Deus simul & creatura sunt tota causa, quanquam Deus sit principalior, vt sunt bona moralia, & virtuosa opera, quæ Deus nobis cooperantibus in nobis operatur. Pro manifestiori tamen prædicti erroris refutatione, non ignorandum est, secũdum Ioannem Damascenum, duplicem esse mali speciem, Culpæ videlicet & Pœnæ: Horum duorum simul malorum meminit scriptura, Hiere. 18. Si pœnitentiã egerit gens ista à malo suo, agam & ego pœnitentiam super malo quod loquutus sum contra illam vt facerem. Et iterum 3. Regum 9. Dereliquerunt Dominum; propterea adducet Dominus super illos malum. Hic derelinquere Dominum est malum culpæ, puniri est malum pœnæ. De priori malo culpæ scilicet & peccati, seorsum habet scriptura alia: Sensus & cogitatio humani cordis ad malum prona sunt, id est, peccatũ, quod malum duo in se complectitur, diuersionem à summo bono, & conuersionem ad commutabile bonum: Hinc dicitur Hierem. 2. Duo mala fecit populus meus, me dereliquerunt fontem vitæ, & fecerunt sibi cisternas dissipatas. Huius peccati & mali Deum non esse authorem, non solùm perspicuum est ex Platone lib. 2. Reipub. qui iussit huiusmodi criminatores ciuitate extrudi, sed clarissimè ex sacris literis. Videns, inquit, Deus quod multa malitia hominum esset in terra, pœnituit eum quod hominem fecisset. Auferte malũ cogitationum vestratũ ab oculis meis. Odio sunt Deo impius & impietas eius: Iniquos odio habui. Perditio tua ex te Israël, Deus intentator malorum est. Idẽ comprobant prisci patres ex prælibatis scripturis varijs in locis, quomodo patet quod causa peccati in nos nõ in Deum sit deuoluenda, quippe qui hisce legibus & præceptis decalogi iniquitatem vniuersam procul abesse iussit, secundum Aug. lib. 22. ciuit. Dei, cap. 1. lib. 1. contra epistolas Pelagianorum, cap. 6.

Hæreticorum iniquitas.
Lib. 5. eccles. hist. cap. 20.
Hæres. 66. cõt. Gnosticos hæres. 6. Cerdonianos hæres. 21. Manich. hæres. 46. Seleucianos, Hermianos hæres. 59. Caluinistas lib. 1. Institutionis, ca. 18. sect. 2. et 3
Efficaciter docet Deum non esse mali causam.
Li. 4. Orthodo. fidei, c. 20.
Duplex mali species.
Genes. 8.
Malum culpæ duo in se complectitur.
Genes. 6.
Scripturis dilucidat Deum non esse mali authorem.
Esa. 1.
Sapien. 14.
Psalm. 118.
Oseæ 13.
Iacobi 1.

cap.6. De ecclef.dogmat.cap.57. tract.42.& 44.in Ioannem, lib.3.de lib.arb.cap.8.epift.20.cap.19.ad Honoratum.Theodoretum lib.5.Græcarum affectionum,Thom.12.quæft.79. art.1. & beatus Athanafius oratione contra idola, non prorfus incongruum, ad idem adftruendum profert exemplum. Nullum malum, inquit, nec à Deo,nec in Deo,nec ab initio extitiffe,neq; vllam eius effe fubftantiam conftat.Sed homines comminifci cœperunt,finxeruntque pro libidine ea quæ non erant: Vt enim fi quis fole præfente & vniuerfum hemifpherium noftrum fuo iubare illuftrante conniueat oculis claufis, ac inde tenebras quæ nullæ funt animo fingat, ac poftmodum quafi in tenebris ambulans oberret, vt nunc lapfante gradu procidat, nunc ad præcipitia fefe incitet, arbitratus interim non lucẽ effe,fed tenebras,fefeq; intueri cùm nihil videat. Ita quoque mens humana claufis oculis,quibus Deum contemplari poterat, effictis fua imaginatione malis, in ijs fefe agitet,infcius interim fe nihil agere,dũ fe maximè negotiofum præbet: Non enim qualis in principio condita fuit permanet,fed qualem fe contaminando reddit. Præterea tria potiffimùm requiruntur, vt Deus alicuius caufa dici queat,fecundum Hugonem de fancto Victore. Primò voluntas mouens, fecundo fcientia difponens, tertio fententia operans. Vnde liquidò conftat Deum non effe authorẽ mali, quanquam actus peccatorum à Deo effe nõ diffiteamur,fcriptura nos docente: Omnia per ipfum facta funt. Et: Diligis omnia quę funt,&c. Certùm namq; eft furem & latronẽ non poffe abfq; concurfu diuinæ operationis & permiffionis extendere brachium ad actum furãdi vel interficiẽdi,nec adulter actum carnalem perficere poteft,nifi Deo, tãquam caufa vniuerfali cooperante. Impoffibile, inquam,eft creaturã aliquid agere non cooperante creatore,fecundũ Tho. Iam ferupulus nafcitur,Si Deus talis actus eft caufa,quare ergo punit quod ipfe in homine & per hominẽ operatur? Dicendũ quod iuftè puniat propter deformitatem actui annexam, & non propter actum pofitiuum, inquantum eft huiufmodi: Nam fi quis facit actum homicidij, abfq; hac peccati deformitate, puta occidendo reum iufto & publico iudicio,non puniretur à Deo propter talem actũ homicidij. Similiter fi quis faciat actum carnalem fine hac deformitate, nempe cum propria vxore,non puniretur, quia propter deformitatem damnatur adulterium. Et: Propheta fe fornicatrici copulauit,& Ifraëlitæ Aegyptios fpoliauerũt, qui tamen Deum in his non exafperârunt,quin potius obfequuti funt,fecundum Aug. contra Fauftum Manich. & Bernard. lib. de præcepto & difpenfat. Sed huic obijci poteft; Si Deus perficiat actum & illi coope-

D. Athanafii fimilitudo.

Tria adfint oportet vt Deus caufa alicuius dici queat.

Lib. 2. de facramẽ.is, parte 2. cap.6.

Ioan 1.

Sapient. 11.

Actus peccatorum à Deo, quomodo?

1.2. *quæft.* 79. *art.*2.

Deus quare punit actum quem adminiftrat?

Oze.3.

Exod.3.

*Lib.*22. *c.*37

Replica super priori argumento. cooperetur, videtur necessariò sequi, quod etiam faciat ipsam deformitatem, quia quando inter aliqua, talis est habitudo, vt ab inuicem separari nequeant, tunc perficiens vnum, perficit & reliquum, sed sic se habet deformitas ad actum, ergo Deus est author mali & deformitatis constituendus? Respondendum est, quod quanquam realiter non distinguantur, tamen actus vt actus, & deformitas inquantum deformitas, secundum rationem formalem, separantur atque separatim intelliguntur, præsertim cùm actus sit quid positiuum, deformitas, quid priuatiuum proficiscens à mala hominis voluntate non ab increata & diuina, nisi permissiuè. Hinc dicitur: Oculi tui malum respicere non possunt. Et Aug. Deus, inquit, in rebus est causa essendi, non deficiendi. Secundum malum dicitur pœnæ; huius generis sunt mors, tribulatio, & id genus aliorum. De hoc malo dicitur: Sufficit diei malitia sua. Huius causa effectiua dicitur Deus, cōtra Collurianos, qui negārūt Deum huius mali pœnæ authorem, secundū Aug. Et Isidor. cùm apertè istud doceret scriptura: Ego Deus creās malum. Et: Non est malū in ciuitate, quin faciat Dominus. Et: Bona & mala, vita & mors, paupertas & honestas à Deo sunt.

Abacuc 1. Lib. 83. q. 3. 4. & 21. Alterū malū dicitur pœna. Matth 6. Hæres. 25. Lib. 8. Etymol. 5. Esa. 45. Amos 3. Eccles. 11.

Adam quomodo ad peccatum defecit?

CAPVT II.

QVANQVAM primos parentes legem Dei præuaricatos, manifestius sit, eheu, quàm vt probatione egeat, nihilominus in præsentiarum exactius paulò inquirenda est ratio, & transgressionis origo. Nemo quippe operatur, nec aliquid desiderat, nisi sub specie boni, vt patet in Cleombroto & Catone Vticensi, teste August. qui licet sibi mortem consciuerint, boni tamen aliquid, vel quod erat, vel quod fingebant, respiciebant. Propterea perspicuè cernens diabolus, quod non posset mulierem in peccati voraginem præcipitare, nisi proponeret aliquod bonum in pręcipitio appetibile, proposuit fraudulēter, id quod omnis homo desiderat naturaliter, nimirum fœlicitatē & excellētiam: Nam teste Aug pollicetur eos deos futuros, quo audito orta est quędam superbia in homine, deinde in appetitu scientiæ boni & mali orta fuit auaritia. Tertio in gustatione ligni gula, & sic liquet secundum Greg. lib. 40. homil. Et Thom. quod peccatum mulieris inchoatum sit superbia, Eccle. 10. Initium omnis peccati superbia. Progressum verò habuit in auaritia, quā gula consummauit. Nec diabolus vnquam præualuisset, nisi Euam aliquis inordinatus elationis motus inuasisset. Quod igitur habet D. August. Diabolū occulto instinctu adiuuisse intrin-

Lib. 1. de ciui. Dei cap. 22. Lib 3. de ciui. Dei ca. 5. et 6 Homil. 16. 2. 2. q. 163. art. 1. Lib. 11. de Gene. ad lit. c. 27

intrinſecus, quod extrinſecus egerat per ſerpentem, non eſt
accipiendum quaſi ante peccatum potuerit hominē interius
adoriri, excitando in interioribus eius partibus motum ali-
quem rationi repugnantem, quo eum ad tranſgreſſionem al-
liceret, quia quamdiu mens recta ſtetit, nulla pars inferior
Deo reluctari potuit. Sed hanc illuſionem tuuc primum effi-
cere potuit, quando deſerto creatore, ſuperbo propriæ pote-
ſtatis amore intumuit: Formata namq; voce per ſerpentem,
auditaque præcepti mentione ſuperbiuit, diſplicuitque Euæ
præceptum tanquam quæ nollet præcepti vinculis ligari, ſed
mallet propriæ & liberæ eſſe poteſtatis, qua cogitatione in
corde eius admiſſa, tum demū verſipellis inſtigauit eam ad
comeſtionem fructus intrinſecus, ad quā extrinſecus intra-
uerat vox ſerpentis, quemadmodum docet Aug. Approbare, *Lib. 3. de lib.*
inquit, vera pro falſis, non eſt in natura hominis inſtituti, ſed *arbit. cap. 18.*
pœna damnati, nec certè diabolus aduerſus eum præualuiſ-
ſet, niſi ipſe à rectitudine defeciſſet. Et expreſſius de Geneſi Lib. 11. ca. 5.
ad literam: Nec arbitrandum eſt, inquit, quod hominem de-
iecturus eſſet iſte tentator, niſi præceſſiſſet in anima hominis
quædam elatio comprimenda. Item contra Aduerſarium le- *Lib. 1. ca. 15.*
gis: In occulto mali eſſe cœperunt, vt in apertam inobedien- *& lib. 14. de*
tiam laberētur; Non enim ad malum opus perueniretur, niſi *ciui. Dei, c. 13*
præceſſiſſet mala voluntas. Porrò malæ voluntatis initium, Eccleſ. 10.
quid potuit eſſe niſi ſuperbia? Ex his perſpicuū fit, quod tu- Prouerb. 16.
mor animi, origo fuerit peccati; Cupiebat ſiquidē homo eſſe
vt Deus, ſciens bonum & malum, nullius legi ſubdi, non ab *Quomodo cu-*
alterius dependere arbitrio, ſed ſibi ſufficiēs & dux eſſe, ſicut *pineruͤt paren-*
Deus à nullo dirigitur. Sciendum eſt tamen duplicem eſſe ſi- *tes noſtri ſimi-*
militudinē; Vna dicitur Aequiparantiæ, quam parentes no- *les eſſe Deo?*
ſtri non appetierūt, quia talis ſimilitudinis homo nullatenus
poteſt eſſe capax: Diuina enim natura omniū hominū æſti-
mationem & dignitatē longè antecellit. Altera eſt ſimilitudo
imitationis, qua ſuo modo aliquid homo participat de ſimi-
litudine ipſius Dei. Verùm hęc tripliciter poteſt conſiderari:
vna eſt enim naturæ, quæ homini & angelo ab ipſo creatio-
nis principio fuit impreſſa, dicitur de homine: Faciamus ho- Geneſ. 1.
minem, &c. de angelo: Tu ſignaculum, &c. Secunda eſt cog- Ezech. 28.
nitionis quam etiam angelus in ſui creatione ſuſcepit, quia
fide plenus ſapientia, &c. hanc homo actu non erat adeptus,
ſed tantum potentia. Tertia ſimilitudo conſiſtit in poteſtate
operādi, quam neuter, nec homo, nec angelus acceperat; ho-
mo tamen etiam peccauit contra ſecundum modum, id eſt,
ſecundum ſimilitudinem, qua propria authoritate determi-
nare voluit inter bonum & malum, voluit & præcognoſcere,
ſicut Deus, futura contingentia. Deinde peccauit contra
tertiam

tertiam similitudinem,qua concupiuit potestatem quæcunque operandi,proprio marte vsurpare,teste August. Quando his verbis crederet mulier à bona atque vtili re diuinitus se fuisse prohibitos, nisi iam inesset menti amor ille propriæ potestatis,& quædam de se superba præsumptio,quæ per illam tentationem fuerat conuincenda,nec vnquam potuisset decipi,si non in se exaltato corde à Deo recessisset? Hic iam inquirendum est an eadem in viro fuerit mentis elatio,quæ in muliere præcesserat? Quod autem vir desiderauerit esse vt Deus,liquet ex 3.c.Gen.vbi loquitur Deus, hoc modo de Adam sermonem faciēs: Adam factus est quasi vnus ex nobis,quæ verba sunt Dei,non tam huic insultantis, quàm cæteros,ne superbiant,deterrentis,propter quos ista conscripta sunt,secundum Aug. Replicatum est in caput superbi, quo exitu concupierat,quod à serpēte suggestum est: Eritis sicut dij; quibus verbis quid intelligit nisi persuasum esse, vt sub Deo esse nollent,sed in sua potestate potius seipsos regentes, non indigētes illius æterno lumine,sed vtentes propria prouidentia, quasi oculis suis ad dinoscendum bonum & malū, vt Deo illos non regente beati essent ac Deo pares.Item 14. de ciuit.Homo ideo deiectus est,quia superbia Deus esse cupiebat. Ex quibus cōstat primos parentes appetiuisse nullius imperio subdi,aut præceptorum vinculis ligari, sed vt haberent aliquid Deo simile, nempe propria virtute fœliciter viuere,& suæ vitę sibi principium esse,quemadmodum signatur in illa prodigi parabola.Sed huic sententiæ Aug. videtur obuiare Paul.inquiens:Vir non est seductus vt crederet verbis serpentis(Eritis sicut dij,sed mulier; neganda est consequentia,quia elatio in muliere seductionem præcessit,vt cōpertum est ex sententijs August.memoratis,nunquam enim potuisset decipi,nisi prius mentem eius occupasset amor propriæ potestatis.Quocirca nihil mirum,si elatio etiam in viro fuerit, quanquam similis seductio non sit in eo subsequuta, fuit tamen quodammodo seductus,nimirum amicabili quadam beneuolentia,qua plerunque fit vt offendatur Deus, ne amicus fiat inimicus,teste Aug.Deinde ne delitias suas mœrore afficeret, potissimùm cùm aduerteret nihil mali ipsam Euam incurrisse,vnde sociali necessitudine fuit illi obsequutus,quia arbitrabatur solùm veniale fore peccatum Adam,secundum Aug.Idcirco Apostolus non dicit,non peccauit,sed, non est seductus: Nam ipsum grauissimè peccasse docetur, Ro.5. Per vnum hominem intrauit peccatum in mundum. & apertiùs pauló post,In similitudinem,inquit,præuaricantis Adæ. Imò grauius fuit eius peccatum,quia minori pulsatus tentatione cecidit, & facilius reluctari potuit. Secundo quia

De Genes.ad literam ca.30

Li.11.de Genes.ad lit cap. 39.& de Gen. cōtra Manich. lib.2.cap.15.

Cap. 13. & lib.13. de Trinit.ca.18. necnon Thom. 2. 2. quæst. 163.art.2. Lucæ 15. 1.ad Tim. 2.

Li.11.de Gen. ad lit.cap.42.

Li.14.de ciu. Dei. cap. 11.

quia plures lęsit: Nullum enim peccatum tot hominibus nocuit. Rursus aliorum peccata possent esse grauiora, quantum ad speciem peccati: Maius namque est Deum negare & blasphemare, quàm inordinatè similitudinem Dei appetere, secundum Tho. Adam etiam grauius quodammodo ipsa Eua peccauit, propter cumulatiora dona, quæ à Deo perceperat, tum etiam quia maritali authoritate Euam compescere debuerat. Nihilominus mulier simpliciter viro grauius peccauit, quia credidit diabolo, tum etiam quia virum incitauit & occasionem præuaricandi subministrauit.

2. 2. quæst. 163. art. 3.

Per Adam in omnes homines peccatum pertransijt.

CAPVT III.

TRIPLICES super hoc doctrinæ capite erepserunt errores; quorum duo ex Diametro secū pugnant; Tertius quasi ab vtroque exorbitando vagus aberrat: sicut namque Pelagius & Lutherus sibi mutuo sunt cōtrarij, dum Pelagius legis impletionem viribus liberi arbitrij attribuit, teste August. Lutherus autem nihil libero arbitrio, sed totum gratiæ Dei tribuit. Sic Lutherus dogmatizat paruulos, etiam iam baptismo percepto esse peccato originali obnoxios: Pelagius verò ipsos nec quidem ante baptismum censet esse obnoxios, quia adseuerat solis Adę & Euę nocuisse originale peccatum, & paruulos ab omni labe peccati nasci immunes, teste Aug. Huius errori propemodum conformis est sententia Manichæi, dicentis: Infantes quidem non trahere peccatum à protoplasto Adam, sed à carne authore malo creata. In hoc consentiens Pelagiô, quod non à parentibus trahant, quanquam non absolutè confiteatur eos innoxios, vt Pelagius, secundum Aug. nequaquam tamen Pelagius eos fraudare voluit baptismo, non propter peccatum abluendum, sed vt introitus regni cælorum illis pateret, fuissent sine baptismate (vtpote secūdùm illum nulli peccato obnoxij) in æterna vita, sed regnum cælorum non obtinuissent. Et hunc errorem habet communem quodammodo cum hierarchitis, hæres. 47. apud Aug. quasi vita æterna alia sit, quàm regnum cælorum, & quasi vita æterna sit extra regnum cælorum. Sed quisquis, inquit Aug. ad regnum cælorum non pertinet, ille pertinet haud dubiè, ad damnationem, quia nullus est locus medius vbi ponere queas infantes: Dominus enim venturus faciet duas partes dexteram & sinistram. Et qui non est in dextera, id est, æterna vita & regno cælorum, erit in sinistra; Cùm autē scripturarū testimonia, quæ contra ipsum proferebantur nimis essent credibila, nec cōtraire valeret, hactenus

Li. 9. ad Quoduultdeū. hæres. 46. & 88. li. 1. cōt Pelag et Cælest. c. 47. li. 4. cōt. Iulia. c. 4 epist. 46. ad Valentinū, & li. 2. de pec. mer. & remiss. cap. 18.

Lib. ad Quoduultdeū, hæres. 88. epist. 91. & 92. ad Innocentiū papā, Et epist. 106. ad Paulinum.

Lib. 4. cōt. 2. epist. Pelag. c. 4 lib. 2. de anima Christi, cō. Pelag. c. 2. & 3. seq. & li. 2. de anima & eius orig. c. 12. Sermo. 14 de verb. Apost. 'i.

Asilum Pelagij. cessit reprehensioni, vt infantes contrahere peccatum adseueraret, non quidem propagatione, sed imitatione. Verum tum illi opponitur; Si peccatum in paruulis sit morum imitatione, quem imitatus est diabolus, vt prȩuaricaretur qui inuenitur primus malorum inuentor? Quia si de Adam interrogaretur, forsitan diceretur quod sit diabolum imitatus, quod tamen non legitur in sacris literis: Sed Cain primogenitus eius, quem est imitatus quando fratrẽ interemit? Igitur non morum imitatione, sed seminis sparsione contrahitur:
Rom. 5. Constat namque per vnum hominem peccatum intrasse in mundum, & per peccatum mortem, atque ita in omnes homines pertransiuit, in quo omnes peccauerunt. Cain siquidem primus peccatum in vtero matris contraxit, & tertius homo natus est peccator, & mente paterno peccato iam captiuata, à diabolo inductus est in zelum, atque indȩ inuidiam habuit, & liuorem concepit. Quocirca non morum imitatione fratricidium, sed voluntate præcipitatus admisit, teste August. Necnon scriptura vniuersa clamat nos omnes originale peccatum contrahere. Ecce in iniquitatibus cõceptus sum, &c. Et graue iugum, Omnes nascimur filij iræ, Marci vltimo, Baptizati saluantur. Ergo ab originali peccato cùm infantes actuale non habeant. Istud constanter docent vniuersi veteres & recentiores, Clemens. Recognitionum, ad Iacobum Fratrem Domini, August. de peccator. merit. & remiss. Thom. & concil. Mileuitanum, & ei per omnia simile, concil. Trident. Si quis, inquit, hoc peccatum, Adȩ sibi soli, & non eius propagini adserit nocuisse, aut inquinatus ille per inobedientiæ peccatum mortem & pœnas corporis tantum in omne genus humanum transfudisse, nõ autem peccatum quod est animæ, anathema sit. Cùm autem constiterit omnes in Adam propagatione esse corruptos, inquirendum est an proprio nomine dici queat peccatũ: Cùm nihil sit peccatum, secundum August. nisi sit voluntarium; Infantes non habẽt voluntatis vsum, ergo non videntur proprij nominis habere peccatum, sed tãtùm obligationem ad pœnam (vt Durandus necnon Albertus Pigius, controuersia prima quæ est de peccato originis) existimauerunt. Et hi sunt de quibus tertio loco dicere pollicebamur. Sed hæc opinio est falsa, cùm impiũ sit aliquem damnare sine culpa. Constat autem infantes non regeneratos damnari, Ioannis 2. Nisi quis renatus, &c. Ergo non solam pœnam habent, sed aliquam culpam actualem, non ergo origiualem, apertissimè ita Paulo docente, Per vnum hominem, inquit, peccatum intrauit in mundum, & per peccatum mors, vbi clarè discriminat culpam à pœna, quia non solùm mors, quæ est pœna, intrauit in mundum; sed pec-

Lib. 2. cõt. artic. sibi falsò impositos in principio. Et lib. 1. cõtra Iulianũ, ca. 2. Psalm. 50. Ecclesiast. 40. Ephes. 2. Lib. 3. Lib. 1. Cap. 9. epist. 89. ad Hilariũ Lib. 4. cõt. 2. epist. Pelag. c. 4. lib. 1. cõtra Iulianũ, ca. 2. lib. 3. de lib. arbit. ca. 20. lib. de eccle. dogm. ca. 35. & 37. Thom. 1. 2. q. 81. ar. 1. et 3. Cap. 12. Seff. 5. cap. 3. Peccatũ quid? Lib. 1. retract. cap. 13. & de vera religione cap. 13. lib. 2. dist. 30 quæst. 2. & 5. Roman. 5.

ſed peccatum, quod mors tanquam pœna cõſequitur, ſecundum Auguſt. Dicit etiam eo loci; Omnes in Adam peccaſſe, & in vno Adam peccatores conſtitutos eſſe multos, Et: Omnes naſcimur filij iræ. Nemo autem in ſcripturis filius iræ dicitur, niſi cui debetur æterna damnatio propter culpam perpetratam, aut contractam. Horum opinionem erroneam & quaſi Pelagianam reprobat, Auguſt. de peccator. merit. & remiſſ. Et concil. Arauſicanum 2. ca. 2. Si quis, inquit, ſoli Adæ præuaricationem ſuam, & non eius propagini adſerit nocuiſſe, aut certè mortem tantum corporis, quæ pœna peccati eſt, nõ autem & peccatum, quod mors eſt animæ per vnum hominem in omne genus humanum tranſiſſe teſtatur, iniuſtitiam Deo dabit, contradicens Apoſtolo dicenti: Per vnum hominem peccatum intrauit, &c. Et idem habet concil. Trident. Ex quibus luculenter apparet peccatum originale non ſolum eſſe pœnam aut obligationem ad pœnam, ſed veri nominis culpam. Nec obſtat quod infantes nõ habeant voluntatis vſum, vel quod nihil ſit peccatum niſi voluntariũ, quia reſpondet, Aug. Quod Adæ peccatũ modo quodam dicitur alienum, & ruſſus quodam modo reperitur & noſtrum. Alienum quippe eſt proprietate actionis; Noſtrum verò contagione propaginis: Adam ſiquidem non conſideratur ſolùm vt ſingularis perſona, verumetiam vt totius humanæ naturæ principium, à quo alij per generationẽ deſcenderũt. Quemadmodum homicidium manu factum dicitur voluntarium, à voluntate quæ eſt, non in manu propriè, ſed in mente; Sic ſuo modo carentia iuſtitiæ originalis in poſteris dicitur voluntaria, à voluntate, non propriè quæ eſt in nobis, ſed quæ fuit in Adam. Ad authoritates autem Aug. dicitur, quod non oportet, vt peccatum immediatè ſit voluntariũ, ab eo in quo eſt, nec ſic intelligit Aug. præfatis locis, ſed ſufficit cõtra Manichæos, vt quoquo modo ſit voluntarium, tum quia eſt in voluntate animæ, vbi ſubiectiuè ſunt omnia peccata. Tum etiam quia Adam voluntariè peccauit, ſecundum Auguſtinum, à quo originale eſt contractum.

Lib. 13 de ciuit. Dei, ca. 14. Et ſerm. 34. de verb. Apoſt. Epheſ. 2. Li. 1. c. 3. li. 3 ca. 4. & 8. li. 3. cõt. Iulianũ, cap. 12. lib. 6. cap. 12. Seſſ. 6. cap. 2. De corrept. & grat. cap. 6. & lib. 6. cont. Iulianum, cap. 4 Li. 1. Retract. ca. 13. & 15.

Filij actualem parentum culpam non contrahunt vt Adæ. CAPVT IIII.

CVM quæritur vtrum peccata commiſſa poſt primam Adæ tranſgreſſionem generatione tranſeant in poſteros, perinde eſt atque quæratur; vtrum ſola prima prçuaricatio naturam hominis in deterius mutârit. Profectò apud Aug. cõtra Iulianum: & concil. Arauſic. 2. diſertè docetur, quod prima dũtaxat Adæ trãſgreſſio trãſierit in poſteros, *Lib. 3. ca. 26.*

quia illo peccato primo, vniuersa natura, tam secundum animam quam secũdum corpus est corrupta, ex qua fuerat propagatio ducenda, propterea non sequitur: Peccauimus in Adam, quando primò peccauit, ergo peccauimus in eodem quando secundò peccauit; Quia paruulus cùm nascitur habet originale peccatum, non quia homo, nõ quia persona, non quia fuit in lumbis Adæ, nec etiam quia fuit in Adam peccante, sed quia fuit in Adam primo peccante, & naturam humanam in posteros propagandam vitiante. Infans siquidem habet naturam per voluntarium Adæ peccatum corruptam, & originali iustitia destitutam; Destitutam, inquam, per primum Adæ peccatum, non per secundum aut tertium, atque ita non oportet si peccauerimus in Adam peccante, quod idcirco peccauerimus in parentibus nostris, in quorum lumbis, quando peccauerunt, fuimus: Nam primum Adæ peccatum corrũpit naturam humanam, corruptione cum natura propaganda in posteros transeunte. Peccata verò aliorum hominum non corrumpunt naturam vlla corruptione transeũte in posteros propagandã, tametsi corrumpant corruptione quadam in persona peccante, teste Chrisost. in Acta Apostolorũ. Aug. & Tho. qui putat impossibile aliqua peccata proximorũ parentum, vel etiam primi parentis præter primũ peccatum, origine traduci, quia homo, inquit, generat sibi similẽ in specie non in indiuidui ratione, & ideo quę directè ad indiuiduũ pertinent non traducuntur. Non enim grammaticus in filio generat scientiam grammaticæ, quam summo sudore comparauit, sed ea quæ pertinent ad naturam speciei à parentibus in filios traducuntur. Sic oculatus generat oculatum, bipes bipedẽ nisi defectus sit in natura, qualis potuit esse (quanquã & aliæ addantur ab Arist. causæ) in parentibus illius monstrosæ femellæ infantis, anno restaurationis humanæ, supra 1566. mẽsis Ianuarij die 27. circa horam vndecimam, in pago Hannoniæ diocœsis Cameracẽsis Semri nuncupato in lucem editæ, quæ in superioribus corporis partibus, duplex erat homo, in inferioribus autem simplex; habebat siquidem (instar illius, de quo Aug. Et in vita D. Gregor. item Ioãnes Scotus) duo capita optimè disposita, atque inter vtrasque scapulas, brachium extensum duabus manibus portentosum, præter alias duas à lateribus dependentes. Reliqua verò exteriora simplicia, ita tamen, vt simplicitas illa vtrique capiti corpulentia & crassitudine esset proportionata; Interiora erant duplicata: Nam vtrumque corculum intestinis geminatis, necnon pulmonibus atque renibus vno vtrisque iecore existente, mirabili Dei optimi maximi opificio (nihil enim fit quod non de interiori aula summi illius Imperatoris egrediatur

Paruulus à quo Adæ peccato contrahit peccatum?

Homil.41.
Lib.14 de ciuit. Dei, ca.12

Exẽplo demõstrat quomodo filij contrahãt parentum peccata.
Lib 2. Physicorum cap.81. & 82.
Monstrum humani corporis.

Lib.16. de ciuit. Dei. ca 8.
Lib.4. sentent. dist.6. quæst.2

diatur secundum suam ineffabilem iustitiam) proportionabatur,& obstetricis industria aquis petennibus abluta,migrauit ad astra. Sed contra hæc obijcitur : Ecce in iniquitatibus conceptus sum,& in peccatis concepit me matet mea . Ergo paruuli contrahunt etiam aliorum parentum peccata quàm Adam , quia alioquin dixisse suffecisset, Ecce in iniquitate conceptus, & in peccato concepit me mater mea in singulari. Respondendum est quod istud argumentum dilui queat per Numeri Enallagen,scripturis diuinis admodum familiarem, vt docet D. August. Sic Numer.2. ponitur singularis numerus pro plurali,quando dicitur:Ora igitur Deum vt aufetat à nobis serpentem,non ait serpentes, quos patiebatur populus. Et contra,pluralis exprimitur pro singulari: Mortui sunt qui quærebant animam pueri,non mortuus est , cùm loqueretur de Herode. Item: Fecerunt deos aureos,cùm vnum fecerint vitulum.

Obiectio. *Psalm. 50.* *Lib.Enchirid. cap.44.* *Matth.2.* *Exod.32.*

Qualem sustineant pœnam paruuli in peccato originali decedentes? CAP. V.

HIC non vulgaris restat quæstio proponenda; An videlicet paruuli sine baptismatis lauacro decedentes, sustinere cogantur post hanc vitam aliquam pœnam sensus , & aliquos cruciatus sensibus perceptibiles, vel solùm pœnam damni (quam vocant scholæ) id est, an solùm priuatione visionis diuinæ puniantur ? Et quod pœnam sensus sustinere cogantur & iusto Dei iudicio , gehennalibus cruciari flammis , videtur scriptura docere vniuersaliter omnes filios nasci denuntians æternæ damnationis & iræ Dei. Per vnum delictum omnes in condemnationem.His & eiusdem farinæ scripturis est consentanea Augustini sententia , de peccator. merit.& remiss. Manifestum est,inquit, paruulos ad damnationem pertinere, nisi illis baptisma collatum fuerit. Verùm hæc damnatio potest vtrique opinioni esse communis,quia si dicamus paruulos duntaxat pœnam damni sentire,id est,priuationē visionis diuinæ, profectò non modica est damnatio, à diuino conspectu reijci , nec vnquam ad illam dulcissimam suauissimæ fruitionis diuinæ contemplationem admitti,cùm August.de spir.& anima. & Chrisost.de compunct.cordis. Et homil.ad pop.Antioche.dicant, quod solùm excidere illi gloriæ,& illa beata visione priuari,mille gehēnis grauius sit. Nō ergo ex præfatis scripturis aut similibus efficaciter probari potest,paruulos pœnam sensus sustinere,nec huic opinioni quæ præfert pœnam sensus,multum astipulatur Aug. quanquam ab aliquibus in mediū ad istud stabiliendum proferatur,quia tam variè loquitur , vt nemo vix ipsius mentem cognoscere queat,

Ephes.2. *Roman.5.* *Lib.3.cap.4.* *Cap.56. & Enchi. c.112. serm.181. de temp. Lib.1. Homil.35.& 47.* *Graue est excedere & priuari æterna Dei visione.*

D. August. diuersimode sentit super pœnis paruulorum nō renatorum. queat, nec aliquid certi ex ipso elicere. Nam in hoc argumento quatuor reperitur diuersas ad minus habere opiniones, quarum prima est vt existimet paruulos baptismatis remedio non sanctificatos, gehennalibus cruciari flammis, hanc habet ad Valentinum de nupt. & concupisc. contra Iulia. & de fide ad Petrum. Firmissimè tene, inquit, & nullatenus dubites, nō solum homines ratione vtentes, verumetiam paruulos, qui siue in vteris matrum viuere incipiunt, & ibi moriuntur, siue iam de matribus nati, sine sacri baptismatis sacramento de hoc sæculo transierint, igne æterni supplicij puniendos, qui etsi actuale non habeant, originale tamē traxerunt: & in calce eiusdem libri habetur. Hæc quadraginta capitula ad regulam veræ fidei firmissimè pertinentia fideliter crede, fortiter tene, veraciter patienterque defende, & si quem contraria his dogmatizare cognoueris, tanquam pestem fuge, & tanquam hæreticum abijce. Verùm ista huius libri loca, parū videntur efficere, tum quia plura arguunt ipsum librum non esse Augustini, tum etiam quia ignis vocula quęlibet solet significari pœna, secundum Aug. Et Tho. in scripto, quod ex sua natura maximè sit actiuus & afflictiuus. Quod autem attinet ad reliqua Aug. loca pręmissa nihil efficiunt, cùm alibi aliter idem sentiat, quia de li. arb. medium locum constituere videtur pro infantibus istis; Medium, inquam, inter præmium & supplicium æternum. Sed nec eius opinio veritatem habet, quum hanc sententiam ceu Pelagianam reijciat & damnet, quia, Pelagius opinabatur paruulos non baptizatos extra regnum cælorum habere æternā vitam sibi paratam, de peccat. merit. & remis. Tract. 67. in Ioan. Et ser. 14. *Deinde etiā quia prędictum librum de lib. arb. fatetur se laicū Romæ incepisse, & se presbyterum in Aphrica explicasse, & proinde nō esse eius standū, in hoc libro, sententiæ: Quia nemo est tam iniustus & inuidus, inquit, qui me proficere prohibeat, lib. de bono perseuerant. Rursus asserit eos mitissima pœna & in leuissima dānatione omnium futuros infantes sine baptismo decedētes. Mitissima sanè omnium pœna erit eorum qui peccato, quod orignale traxerunt, nullū insuper addiderunt. Sic de peccat. merit. & remis. vbi sic habet: Quis dubitauerit paruulos non baptizatos in dānatione omniū leuissima futuros? Sed quomodo pœna erit mitissima, si igne æterni supplicij sint puniendi? Cùm Chrys. ad popu. Antioche. & Ancel. de imagine mundi, dicant ignē infernalem non solùm esse grauem, sed nostrum materialem ignem, illius comparatione vmbræ habere rationē. Et Cyrillus episcopus Hierosol scripsit August. ea quæ audiuerat à quodā meritis gloriosi Hieronymi resuscitato, vt habetur epist. 206. ca. 3. inter Aug. epist. Si omnes quæ

Margin notes: Epist. 47. — Lib. 1. ca. 20. — Lib. 6. cap. 4. — Cap. 3. & 27. — Cap. 43. — Super Psalm. 65. tract. 10. super Ioannē. 2. dist. 33. q. 2. art. 1. ad solut. 1. — 2. Opinio. — Lib. 3. ca. 23. — Lib. 1. ca. 28. — *De verbis Apostoli. Cap. 11. & lib. 1. retract. cap. 9. — 3. D. Augustini opinio. — Enchir. cap. 9. — Mitissima pœna quæ? — Lib. 1. ca. 16. & lib. 5. cōtra Iulian. cap. 8. — *Grauitas ignis infernalis. — Homil. 49. — Lib. 2. ca. 21.

quæ in mundo sunt cogitari possent pœnæ, tormenta, afflictiones, minori quæ illic habētur pœnæ compatentur, solatia erunt: Mallet enim quilibet viuentium vsque ad finē mundi omnibus, simul sine remedio, pœnis cruciari, quas omnes homines ab Adā hucusque sigillatim pertulerunt, quàm vno die in inferno, siue in purgatorio minori, quæ illic habetur *Epist. 28.*
pœna torqueri. Propterea quartam habet sententiam Aug. *Ca. 11. & 12*
ad Hieron. & de bono perseuer. vbi sic habet: Quum ad pœ- *4. Diui Augu-*
nas ventum est paruulorum, magnis mihi crede coarctor an- *stini opinio.*
gustijs, & quid respondeam, prorsus ignoro. Ecce nihil hinc certi habere valemus ex Aug. qui tā variè sensisse reperitur. Vbi locorum ergo istos miserrimos infantulos relinquemus? Profectò apertæ scripturæ contraire nefas ducimus, quæ docet quod ipsis nūquam patebit ingressus regni cælorum. Qui crediderit & baptizatus fuerit, saluus erit, Marc. 16. A cōtrario sensu, Qui non est baptizatus, vt expresse habet Ioannes cap. 3. dicens: Nisi quis renatus fuerit ex aqua & spiritu sancto non intrabit in regnum cælorum, quia carent iustitia & spiritus sancti gratia qui est pignus hæreditatis nostræ. Quocirca priuantur æterna Dei visione; Propterea autem quod sit quædam in ipsorum carne fœditas, relinquentur in locis infernalibus, non tamen sentiēt ignis acerbitatem, quia non habuerunt actualem in carne delectationem. Hæc sententia est ab vniuersis scholasticis approbata; hæc etiam visceribus misericordiæ Dei nostri est consentanea. Hanc quoque com- *Receptissima*
probat Ambros. de Abraham, & cōmentans in 5. ca. ad Rom. *sententia.*
dicit: Paruulos quidem sub peccato natos, & vita indignos, *Lib. posteriore,*
dignos autem vt moriantur. Sed illa, inquit, est dissolutio *cap. vltimo.*
corporis ab anima. Et protinus subdit: Est & alia mors quæ secunda dicitur in gehenna, quam nō peccato Adæ patimur, sed eam proprijs peccatis acquirimus. Quibus verbis apertè declarat, paruulos supplicio ignis in gehenna neque cruciari neque affligi. Idem comprobat summus Pontifex Innocen-
tius tertius, cuius sententia non est temerè aspernanda, de *Cap. Maiores.*
baptismo & eius effectu. Pœna, inquit, originalis peccati, est *§. Si adhuc.*
carentia visionis Dei; Actualis verò peccati pœna, est perpetuæ pœnæ cruciatus, A qua nos liberare dignetur inclitus ille Saluator mundi Christus Iesus, qui in trinitate perfecta viuit & regnat Deus, per omnia secula seculorum, Amen.

Quid Concupiscentia & peccatum originale?

CAPVT VI.

Non ignorādum est peccatum originale passim à doctoribus accipi bifariam, seu duo esse in peccato originali consideranda: Materiale videlicet & formale.

Duo sunt in peccato originali consideranda.

Dicitur autem formale in peccato originali iustitiæ originalis priuatio. Materiale eius dicitur concupiscentia. Quemadmodũ enim in peccato læthifero. Formale est auersio à Deo, & Materiale conuersio inordinata, ad creaturas, ita in proposito, formale peccati originalis est auersio à debita iustitia originali. Materiale dicitur illa cõcupiscentia inordinata, qua terrenis & carnalibus nimis inhæremus. Hic iam difficultas est non vulgaris, vtrum horum in nobis rationem habeat culpæ; Manifestum est siquidem, ipsam priuationem iustitiæ originalis, secundum se nõ habere rationem culpæ: Non enim dicitur peccatum esse in aliquo ex hoc quod careat iustitia, quia tunc lapis diceretur peccatum habere quod est absurdum. Præterea certum est ipsam priuationẽ iustitiæ originalis, secundum se non habere rationem culpæ, cùm sit à Deo, qui nullo modo est causa peccati. Nec in peccatis læthalibus priuatio gratiæ habet rationem culpæ, sed pœnæ cùm directe sit à Deo. Nec etiam concupiscentia habet rationem culpæ, vt videtur potissimum si accipiatur pro actu concupiscibilis appetitus, quia talis nequit dici culpa originalis, cùm non sit in paruulis actu, sed solùm aptitudine. Sicut aptitudo est in catulis venandi quàm primùm nati sunt. Respondendo igitur dici potest, peccatum originale in paruulis non vniuocè, sed analogicè rationem habere culpæ, hoc est, denominatione extrinseca, sic quod si in paruulis cõsideretur secundum se priuatio iustitiæ originalis; habebit rationem pœnæ, non culpæ. Si verò ea considerentur quæ sunt in paruulis, & maximè appetitus sensitiuus destitutus, relatus tamen ad ipsum Adam, qui per peccatum actuale remouit, prohibẽs huiusmodi deordinationes, non solùm pro se, sed etiam pro posteris habent rationem culpæ, secundum Tho. Et Bonauent. Formaliter autem describitur ab Ancelmo de conceptu virginali. Peccatum originale est carentia debitæ iustitiæ per inobedientiam Adæ facta, per quam omnes filij Adæ nascũtur filij iræ, vel sic: Peccatum originale est carentia iustitiæ originalis debitæ in primis parẽtibus acceptæ, & amissæ ex trãsgressione legis diuinæ, ab eisdem deriuata in omnes naturaliter propagatos, secundum legem communem obligans ad pœnam damni & cæteras, ad talem carentiã sequentes. Istud peccatum originale non est in homine aliquid positiuum secundum esse formale, sed priuatiuum; Vnde nec definiri potest, nec sciri nisi per habitum oppositum quem priuat. Hinc Anselmus loco prælibato dicit: Istud peccatum in ipsis paruulis intelligere nequeo aliud, nisi ipsam per inobedientiam Adæ, iustitiæ debitæ nuditatem, & carentiam. Quæ iustitia originalis importat habitum supernaturalem alicui vnius

Difficultas.

1.2.q.82.ar. 4.& in scrip. 2. distinct. 30 q.3.art.1. Art.2.quæst.1 eiusdẽ distinct. Lib.1.ca.27. Originale peccatum describitur.

Iustitia originalis quid?

vnius generis creaturæ condonatum, pro sua posteritate à Deo qui vires animæ inferiores rectificaret rationi, & rationem Deo. Liquet hac præmissa descriptione, quod peccatum originale paruulorum non fuerit in Adam originale, quia ab origine illi non fuit obnoxius, & immediate post animæ infusionem. Sed illi fuit actuale, quia non traxit ab alio, sed omnes tanquam ab origine per illum. Dicitur autem in descriptione (deriuata in omnes naturaliter propagatos) qua particula excluditur Christus, qui peccatum non contraxit, sed supernaturaliter operatione spiritus sancti in vtero virginis est conceptus. Deinde additur (lege communi) propter Deiparam virginem, quæ (vt pium est) creditur lege speciali præseruata, & à communi lege exempta, secundũ concilium Tridentinum. Et extra de Reliquijs & veneratione sanctorum, oportet vtrumque Canonem legere. Vnde Augustinus de natura & gratia, De virgine Maria propter honorem Domini, nullã prorsus cùm de peccatis agitur, habere volo quæstionem. Vltimo additur (obligans ad pœnam damni) id est visionis diuinæ, & reliquas pœnas de quibus in sequentibus. Aliquando etiam describitur secundum suum materiale; sic Paulus: Concupiscentiam nesciebam esse peccatum, nisi lex diceret. Quia concupiscentia est inordinatio, qua terrenis & carnalibus nimis afficimur, teste Thoma in scripto, vbi suprà.

Adam non habuit peccatum originale instar paruulorum.

Maria nobiliori sanctificationis genere præuenta.

Seß. 6. in fine.

Cap. Cùm præexcelsa. & ca. Graue nimis.

Cap. 36.

Rom. 7.

Concupiscẽtia.

Concupiscentia & peccatum originale an sit in carne vel anima & quomodo?

CAPVT VII.

CVM Anima nõ sit sicut caro propagata à patre & matre, vtpote existens supernaturalis forma à Deo infusa, nec sit de corpore vel potentia materiæ educta, quemadmodum aliæ formæ, cùm sit separabilis & per se subsistẽs, difficultas oritur non modica, quomodo anima cõtrahat peccatum originale? Respondendum videtur, quod licet anima non sit de parentibus propagata, nec ex carne causaliter educta, est tamen occasionaliter, quia Deus statuit vt per generationem parentum, facta in carne organisatione debita creando statim infunderet rationalem animam, quæ quia corpori vnitur, ab Adam corrupto, tali vnione contrahit peccatum originale per consensum naturalem. Sicut clericus quantumcunque ex se est regularis, efficitur irregularis si matrimonium contrahat cum corrupta, vt habetur extra de Bigamis. Omnes autem homines fuerunt in Adam quando peccauit, fuerunt quidem in illo, sed tamen nondum erant ipsi, teste August. Nec idcirco vanum aut falsum est, quod dicitur;

Cap. Nuper.

Omnes homines quomodo fuerint in Adam?

Lib. 13. de ciuit. cap. 14.

Omnes homines, quomodo fuerint in Adam?

Omnes fuisse in Adam, antequam essent ipsi, quia fuerunt in illo secundum causam seminalē & propagandi virtutem: Transmisit namq; Adam post peccati commissionem & naturę corruptionē, aliquid in primū filium, quod fuit toti corpori filij cōmistum, nec aliquam erat signare partē ipsius filij in qua non esset aliquid illius corruptionis quod à patre traxit; Sic filius ille primus quando generando aliquid discindebat de suo corruptionis inquinamento, necessarium fuit vt aliquid transmitteret de eo quod à patre Adam sumpserat. Sic omnes dicuntur consequenter fuisse in Adam. Quemadmodum si quis haberet fermentum quod commistione perfecta, toti massæ commisceret, nihil fieret de totali illa massa fermentaria, quin diceretur fieri de illo fermento. Et si illa massa maiori commisceretur rursus, quasi innumerabiles panes fermentari possent, &c. Constat autem naturam humanam in Adam primitus fuisse vitiatam & vnà cum semine propagari in posteros. Necnon originale peccatum vnà cum semine & natura humana traduci in omnes filios ex Adam propagatos. Ne autem paralogisemur huiusmodi sermonibus, & arbitremur in semine deciso humanam esse naturam aut culpam, & ita consequenter cum eodem semine traduci rationalem hominis animam, operæpretium est considerare quod dicentes naturam humanam aut latere in semine, aut cum eo traduci; non intelligamus, quòd virtus formatiua naturæ humanę aut rationalis animę lateat in semine hominis, perindeatq; virtus formatiua animæ irrationalis, in semine latet bruti animalis: Rationalem enim animā ad solius Dei imaginem & similitudinem conditā, nō ab Adam, sed à Deo solo accepimus. Sed intelligamus quod ibi lateat virtus naturæ dispositiua, & humani corporis formatiua ad accipiendum desuper rationalem animam quam solus Deus creando infundit & vnit carni, per causas naturales in differētijs partium atq; membrorum præparatę atq; dispositæ. Et ad istum sensum interpretandæ sunt illæ sententiæ, quibus dicimus, naturam humanam in Adam vitiatā propagari in posteros, eamq; nō actu, sed virtute latere in semine, quemadmodum arbor latet in semine, sed virtute non actu, sic in semine non est actus videndi, sed est ibi virtus generatiua visum habentis hominis; tali modo in semine, neq; est rationalis creatura, neque natura humana, neq; originalis culpa, quia omne peccatum quid spirituale est, vnde non subiectatur in corporali materia, sicut nec opposita iustitia. Nec obstat sententia Iob: Quis potest facere mundum de immundo conceptum semine? quia appellat semen immundum non quòd in eo velut in subiecto sit culpabilis immundities, sed quòd in eo seu

Apta similitudo.

Iob 14.

causa

causa instrumentali ab Adam decisa sit originalis immunditia. Quod autem est in aliquo vt in causa instrumentali, non est in eo vt in subiecto, sed ab illo fit, ac in illo producitur, perinde atque omnes vires animales & sensus sunt in semine latentque in eo, quod tamen nequaquam est subiectum harum virium ac sensuum. Solent hic variæ adferri similitudines, sicut de pomo mundo in manu immunda posito, & de vino bono transfuso in vas acetosum, quod suum naturalem perdendo saporem, contrahit alienum; Non secus anima quando carni incipit esse vnita, suum etiam naturalem amittit vigorem: Caro tamen in se absque anima, quantumlibet praua vitietur dispositione, aut scindatur, aut lædatur, neque dolet, neque memoratur aut obliuiscitur, nec aliquibus passionibus angustiatur, vt patet in cadauere, secũdum August. sed anima carni mortali iuncta, secũdum varias carnis dispositiones dolet, memoratur ac obliuiscitur. Istud autẽ clarius fiet exemplo: Caro de se non dolet, nec est in ea passio doloris, ante animæ aduentum, quamuis possit inesse incisio. Ponamus ergo animam vniri carni incisæ & læsæ, statim cùm ei vnitur habet dolorem, & dicimus dolorem nasci in anima, non in incisione. Si carnis incisio queat animam facere dolentem, quare nõ similiter carnis quædam fœdatio facit animam lasciuam? Non tamen credendum est, quod ipsius concupiscẽtiæ carnalis causa sit in sola anima, aut etiã in sola carne: De vtraq; enim fit, ex anima videlicet, quod sine illa nulla delectatio sentiatur. Ex carne autem, quod sine illa carnalis delectatio non cognoscatur. Ex iam dictis, vtrumq; constare potest, quomodo per carnis contubernium, anima contrahat peccatum, ac etiam malum in carne habitans, (modo quodam contrario ei secundum quem incipit esse in nobis) originem sumpsisse. Nam in Adam peccatum illud ex Adam descendit in carnem, & membra, ac vires, quibus ipsa Adæ voluntas vsa est, actualiter peccando, atque ita ratio corrupit partem sensualem, & voluntas carnem. In nobis autem originalis culpa, corruptioque animæ & virium eius redundat ex consortio carnis, atque ita est in nobis & in primo Adam contrarius processus. Sed his obijciet aliquis: Artifex sapiens thesaurum non reponit in corrupto vase vbi rubiginem contrahere posset, præsertim si mundum ad manum habere queat; ergo non rationabiliter anima innoxia coniungitur carni vitianda. Respondendum est: Statutam esse à Deo primitus legem qua anima ipsi infunderetur corpori. Cùm autem Adam iustitiam originalem pro se & sua posteritate recepisset, per præuaricationem iusto Dei iudicio destituimur illa, & obnoxij efficimur, non primordiali institutione, sed

Matth. 9. Marc. 2.

Lib. 10. de Genes. ad lit. cap. 12.

Pulchra similitudo.

Opposito modo quàm in Adã nobis inest peccatum originale.

Obiectio.

Solutio.

ſed Adæ peruerſa voluntate. Potuiſſet quidē Deus poſt peccatum Adæ impedire generationes, & creare alios homines de terra, qui naſcerentur innocentes, ſed hominis malitia non

Alia obiectio qua triumphabat Iulianus.

debuit præiudicare æterno diuinæ ordinationis decreto. Deinde concedatur quod paruuli contrahant peccatum originale ab ijs qui contraxerunt. Sed nemo poteſt dare quod non habet, aut inquinare qui eſt mundus. Ergo baptizati, vtpote mundi, non generāt filios peccato aut damnationi obnoxios.

Lib.2.ca.28.

Iſtud fuit argumētum Iuliani, teſte Auguſt. de nupt. & concupiſ. hoc modo opponentis, Non peccat qui naſcitur, non

Lib.3.de peccat.mer.& remiſſ.cap.8. ac li.6.cōt.Iulianū,ca 3.& 9. Plus lucis afferunt exempla quàm verba.

peccat qui genuit, nec ille qui condidit, per quas igitur rimas originale ingreditur peccatum? Cui quibuſdam ſimilitudinibus reſpondet Auguſt. Sicut palea, inquit, quæ à tritico ſeparatur, humana induſtria, naſcendo exurgit in agro tritici, quod mundiſſimum fuit ſatum, ita peccatum originale trahitur à iuſtis & baptizatis parentibus. Simili fermè comparatione declarat ad Sixtum. Sicut, inquit, agricolas nō impedit quominus ab eis inſerendi cura in oleas conuertantur oleaſtri, ſiue de oleaſtris, ſiue de oleis oriantur; Ita in agro Chri-

Epiſtola 105.

ſti non impedit operarios, quominus ab eis in remiſſionem peccatorum baptizentur infantes: Nam & hoc ſi ruſtico proponatur vt reſpondeat, quæ ſit cauſa, vt cùm ſit aliud olea, aliud oleaſter, non tamē niſi oleaſter de ſemine vtroque naſcatur; non omittit inſerendi curationem, etiā ſi nequeat hanc

Lib.1.ca.19. & li.2.c.34.

ſoluere quæſtionem. Idem habet Aug. de nupt. & concupiſ. Sicut inquit, gignitur ex oleaſtri ſemine oleaſter, & ex oleæ ſemine non niſi oleaſter, cùm inter oleaſtrum, & oleum plurimum diſtet, ita gignitur & de carne peccatoris, & de carne iuſti vtrinque peccator, quamuis inter peccatorem & iuſtum plurimum etiam diſtet; Proles ſiquidem iuſti vel iuſtorum, non per ſpiritalem ſed per carnalem ſeminatur concupiſcentiam. Et quod parentes ſint iuſti ac timorati, hoc non eſt ſecundum carnem, quæ nondum per nouitatem perfectam reliquias totius vetuſtatis cōmutauit. Sed iuſti ſunt ſecundum animam & ſpiritum, quo filium non gignunt. Vnde conſequitur, vt quiſquis ex hac parte vetuſta & infirma naſcitur,

Lib.2. cap.9. & 27. Seſſ.5.can.5.

neceſſum ſit vt ipſe etiam infirmetur, teſte Aug. de peccator. merit. & remiſſ. Et concil. Trident. Si quis paruulos recentes ab vteris matrum baptizandos neget, etiam ſi fuerint à baptizatis parentibus orti, Anathema ſit. Poteſt & alia ſimilitudo ad idem adſtruendum proferri: Ciuitas namque vel progenies poteſt eſſe Regis ſeruitio, propter aliquam infidelitatem obligata, iam ſi Rex condat legem, qua quemcunque militiæ Regiæ aſſcripſerit, liberum in propria perſonā efficiat, profectò filij vteri eius manebunt nihilominus ſeruitio obſtricti;

Sic ſe

Sic se res habet in proposito. Potest item & alia ratione probari, quia infantes à iustis etiam generati, mox vt sunt geniti, habent ignorantiam & cæteras infirmitates quæ sunt peccati pœnæ. Quia immediatè quo vniti sunt corpori, contrahant pœnam, sequitur quod naturali ordine intelliguntur habere culpam, quia alioquin pœnæ præcederent culpam, quod esset iniustum. Denique quemadmodum habet Aug. de nup. & concupis. & de peccator. merit. & remiss. Christus pro omnibus mortuus est, infantes non habent actualem impietatem, quomodo pro omnibus impijs esset mortuus, si à baptizatis parentibus orti non contraherent culpam originalem? Quamquā humanus intellectus assequi non sufficiat qualiter ista impietas contrahatur, ab eis qui illā non habent; Scripturę tamen magis creditur, quàm clarè intelligatur. Miris quidem modis fit, sed tamen fit, & quia haud facilè ratione indagatur, nec sermone explicatur, ideo ab infidelibus nō creditur, secundum Aug. qui nec in hoc argumēto sibi etiam satisfacere potuit. ad Hier. de baptismo paruulorum. Nequaquam tamē dubitat, quin fides catholica sacris scripturis confirmata, teneat verissimè omnes contrahere peccatum. Ecce in iniquitatibus conceptus sum. Omnes nascimur filij iræ. Per vnum hominem peccatum intrauit, &c. Omnes in Adam moriuntur. Et ad amputandum omne ambiguitatis malum, August. epistola prælibata, non incongruum de illo qui lapsus est in puteum adducit paradigma, quem alius accedens & eo viso adiurando, ait, quomodo huc cecidisti? At ille. Obsecro, inquit, cogita quomodo hinc me liberes, non quomodo huc ceciderim quæras. Sic quia fatemur & fide catholica imbuti firmissimè tenemus, quod de reatu peccati, tanquam de puteo paruuli infantis animā baptismatis lauachro liberemus, satis sit nobis quod quomodo salua fiat cognoscamus, etiamsi nunquam quomodo in malum illud deuenerit, nouerimus.

Lib. 1. ca. 20. *Lib. 1. ca. 18.* *Lib. 6. contra Iulianū, ca. 2. lib. 1. de nupt. & concupis. cap. 20. Epist. 29. & lib. 3. cap. 4.* Psalm. 50. Ephes. 2. Roman. 5. 1. Corint. 15. *Paradigma D. Augustini.*

Concupiscentia circa quæ versetur?

CAPVT VIII.

NONNVLLI (quorū de numero est Gregorius Ariminensis) arbitrantur concupiscentiam circa venerea duntaxat versari, vt nomenclatura concupiscentiæ libidinem solum importet; Rei veritas autem cōcupiscentiam circa eas versari voluptates ita existimat, vt circa etiam omnes omnino res quæ contra legem diuinam & rationis rectæ dictamen militant, locum habeat. Siquidem D. Paulus Apostolus hoc docet Galatas, quando scribit, Carnem concupiscere aduersus spiritum. Et carnis opera recensens (quæ manifesta

Cap. 5.

manifesta esse pronuntiat, magnam vitiorum catervam producit, quorum de numero sunt infidelitas, odium, desperatio, iniustitia, superbia, quæ sanè non tantum concupiscentiam venereorum concernunt, verumetiam cuiuscunque peccati. Hinc docens vatijs scripturarum ambagibus, omnes esse sub peccato, non vnum peccatorum genus, sed plura commemorat; Peccatum, inquit, operatum est in me omnem concupiscentiam. Non igitur tantùm voluptatem & carnis desideria. Huic est consentaneus B. Aug. contra Iulianum, vbi concupiscentiã versari manifestat circa vniuersa, quæ sensibus sunt subiecta. Quin & hanc sententiam Paulinam: Mortificate membra vestra super terram, de concupiscentia intelligendam censet; cùm tamen libido, vtpote concupiscentiæ pars, ad omnia membra se non extendat, & lib. 14. elucidat quid sit caro, quidque secundum carnem viuere, atque omnes illos secundum carnem viuere describit, qui secundum seipsos, non secũdum Dei beneplacitum, cum Epicureis corporis voluptates sectantur non secundum rationem Spiritus sancti vitam traducunt. Vel maximè istud docent duo vltima decalogi ista præcepta, quorum concupiscentia, non vni peculiari rei, sed omnibus videtur esse præscripta, quando est vitium quo impellimur ad aliquid duntaxat voluptatis percipiendæ causa. Ex quibus omnibus perspicuum est, quodnam sit concupiscentiæ subiectum: Est enim præcipuè in intellectu & voluntate. In intellectu quidem inquantum libertatis particeps est, in appetitu verò sensitiuo participatiuè; siquidem idem appetitus quodammodo rationis & libertatis est particeps. Præmissis obijci posset D. Aug. qui sex libris contra Iulianum, præcipuè disputat de concupiscentia venerearum voluptatum, hancq; paruulis inesse dicit ex feruore libidinis. Cui difficultati facilè fiet satis, si sentiamus ipsum in ijs libris potissimùm disputare de concupiscentia genitalium, ostendens eam malam esse ac frenandam, contra Iulianum. Concupiscẽtiæ verò generaliter acceptæ vt etiam alia complectatur vitia, meminit quidem, sed ratius. Cuius ratio est, quòd hanc genitalium concupiscẽtiam manifestius apparet omnibus, in quibus rationis aliqua scintilla superest, esse vitiosam, fœdam & erubescẽdam. Quoniam ex hac vna omnes intelligunt omnem concupiscentiam esse vitiosam & malam, per hanc quoque veneream concupiscentiam, peccatum quod omnibus inest, propagatur; Profectò & ipse Moyses genitalium concupiscentiam istam expressit, cùm dicit, primos parẽtes, quum se nudos vidissent, erubuisse & fecisse sibi perisomata. Quamobrem D. Paulus generalem concupiscentiam ex hac pręcipuè genitalium declarat, cùm, inquit, Video

Concupiscentia quàm generalis?

Roman. 3.

Roman. 7.

Lib. 2. cap. 8. & lib. 4. c. 14

De ciuit. Dei, ca. 23. & 24

Quid caro, & secundum carnem viuere?

Obiectio.

Diluit argumentum propositum.

Video aliam legem in membris meis. Et: Mortificate membra vestra super terram. Quibus in locis, de omnibus quidem membris loquitur, quæ concupiscentiæ subiecta sunt, potissimùm tamen aspicit membra genitalia, quæ alio loco propter immodicum libidinis appetitum appellat inhonesta. Hinc August. tametsi apertè nomine cõcupiscentiæ omnem concupiscentiam comprehendi velit, iustis tamen rationibus adductus, de parte eius vna duntaxat præcipuè verba fecit, & concupiscentiæ vitium ex vna eius specie declarauit. Insuper hic reijciendi sunt, qui nomine concupiscentiæ in scripturis & Augustino existimant significari appetitum sensitiuum, quo sanè nihil potest esse absurdius: Nemo siquidem tam est rudis, qui appetitum naturæ bonum, ab authore naturæ nobis insitum, quem & ante peccatum habuit homo, & in resurrectione habiturus est, & Christus Dominus, tãquam perfectioni naturæ necessarium, assumpsit, originale peccatum esse decernit. Nam quemadmodum in scripturis, carnis nomen non semper accipitur pro substantia quã creauit Deus, sicuti cùm dicitur: Non omnis caro eadem caro, sed alia est piscium, sed plerisq; in locis pro vitio & corruptione hominis sumitur, cuiuscunq; partis sit animæ; ita concupiscentię nomine, nõ sensus seu appetitus, qui est creatura Dei bona, sed eius vitium est accipiendum. Ex his etiam illorum liquidò constat vanitas, qui ad hunc argumentantur modum: Concupiscentia in brutis non est peccatum, ergo nec in homine peccatum censeri debet. Ratio diuersitatis facilè elucescet, quia concupiscentia in brutis animantibus supremum est; nec debet rationi parere. At homo non sic est institutus, vt causa voluptatis percipiendæ tantum appetitu sensitiuo in obiecta moueatur, verùm vt rationis imperium appetitus ille per omnia sequeretur: Indignum prorsus Theologo argumentum, quo & olim Pelagianos vsos esse, testis est D. August. In brutis concupiscentia non est peccatum, inquit, ergo nec in nobis. Quod idcirco sequi negat D. August. quia longè præstantior est hominis natura, quam pecoris, adeò vt natura pecoris virium sit hominis; Sicut Imperatori vitio datur, si ea quæ sunt plebei adimpleat. Aduertunt aliqui & istud: Pulchritudo mulieris libidinosos, aurum auaros, vinum ebriosos, diabolus omnes prouocat ad peccatum, nec tamen hæc peccata sunt, ergo concupiscentia, tametsi prouocet ad peccatum, nequaquam tamen est peccatum. Respondeo primùm de diabolo, quod longè aliter ad malum prouocet, quàm concupiscentia, nempe forinsecus proponendo ea quibus moueamur; Concupiscentia verò prouocat intrinsecus nos turbando, & efficiendo, vt nosipsi illicita & mala

Marginal notes: Roman. 7. — Coloss. 3. — 1. Corint. 15. — *Alia obiectio.* — *Responsio.* — *Pelagianorum cauillum* — *Lib. 2. de peccato orig. cap. 40. & lib. 4. contra Iulianũ ca. 12. & 14.* — *Aliud.* — *Concupiscẽtiæ operatio.*

mala concupiſcamus, quod diabolus tentando nunquam efficeret niſi concupiſcentia nos prius inuaſiſſet. Neque enim aliena eſt à nobis, ſed noſtra & in nobis eſt concupiſcentia, quę vitioſa deſideria ſic in nobis excitat, vt noſmetipſi aliqua noſtri parte vitioſè contra legem Dei moueamur. Similiter aurum, forma, vinum, & ſimilia, quę Deus creauit bona, non per ſe prouocant ad malum, nec propriè hoc agere dicuntur, ſed ratione concupiſcentiæ nobis inhærentis, à qua ſi plenè eſſemus expurgati, nulla omnino re propoſita ad vitia moueremur, ſed omni contemplatione ad Deum laudandum & amandum excitaremur, prout hoc ipſum fusè proſequitur D. Aug. vt intelligas hæc argumenta noua non eſſe, ſed olim fuiſſe Pelagianorum. Qui eo loci ita diſcernit inter eas res quas Deus creauit, & concupiſcentiam, quòd res illæ ſemper bonæ ſint, ſiue abutaris, ſiue non: Concupiſcentia verò, ſiue conſentias, ſiue non, ſemper mala eſt & vitioſa.

Lib. 4. contra Iulianũ ca. 14

Concupiſcentia eſt in paruulis non renatis peccatum. CAPVT IX.

BIFARIAM nituntur aliqui probare cõcupiſcentiam in paruulis non eſſe peccatum. Priori modo ſic: Concupiſcentia paruuli, non eſt cõtra legem, ergo non eſt peccatum. Poſteriori: Non eſt voluntarium, ergo non eſt peccatum. Priori dicendum eſt concupiſcentiam paruulo innatam, non eſſe directè contra legem Dei, diſponẽtem de actibus, velut eſt ea quæ mœchari furtumq́; perpetrare vetat, ac quæ parentes honorare præcipiat, ſed eſt contra legem Dei & ordinationem de habitibus diſponentem, quæ Dei ordinatio eſt in legibus Dei occultis. Eſſe autem huiuſmodi aliquam ſiue legem ſiue ordinationem, quatuor modis probari poteſt: Quorum primus eſt, quod Deus peculiarem ſingularemque hominis curam gerat omni tempore, teſte D. Greg. vt ne ad momentum quidem dormitet, aut noſtris intendere deſinat, quocunque loco, aut ætate ſimus conſtituti. Quo conficimus ipſum approbare bonum hominis habitum, vitioſumque reprobare: Hoc enim niſi concedatur, fatendum erit ipſius nihil intereſſe, an homo poſſideatur à Deo, ſiue à diabolo, cùm operationem ſuam, qua hominem in officio intertenet, nõ exerat, cõtra illud: Ego ſum Deus zelotes. Quod ſi illi id curæ ſit, vicioſus quidem habitus, ergo diſplicet, placet probaturque bonus. Secundo probatur idem ex opere diuinæ prouidentiæ, videlicet punitione & præmio: Nam habitus malus à Deo punitur, & bonus remuneratur, igitur bonum habitũ aliqua ſua ordinatione probat, & malũ ſimiliter aliqua

Primo probatur Deus iugem noſtri gerit curam.
Lib. 16. Moral. cap. 15. & lib. 17. cap. 2.
Exod. 20.
2.

aliqua ordinatione improbat. Antecedēs probatur ex infantibus non renatis, qui iustè puniuntur priuatione regni cœlestis, quo fruuntur regenerati. Et confirmati maiori potiuntur gloria quàm tantùm baptizati, ob maiorem, quæ per sacramentum infunditur, gratiam. Cur autem bonus habitus remuneratione, & viciosus punitione dignus est, nisi quia ille diuinæ legi est consentaneus, iste vero non item. Insuper homo cēsetur bonus aut malus, ab habitu, etiam cùm se non exerit, vti in documento contingit secundum beatum Aug. contra Iulianum. Atqui homo non dicitur bonus aut malus, nisi ex comparatione regulæ, cui si conformis offenditur, bonus censetur, sin autem malus, ergo aliquam esse regulam & constitutionem Dei, necesse est etiam ad habitus pertinere. Adde quarto, arborem & fructus eius non eiusdem esse naturæ quam in moralibus etiam habere locum ex euangelio edocemur, cùm dicitur: Aut facite arborē malam & fructum eius, &c. Et: Nunquid colligunt de spinis vuas, aut de tribulis ficus? Sed omnibus in confesso est, Concupiscentiæ proprium fructū esse viciosum, & spiritui sancto aduersum, ac concupiscentiæ bonæ seu charitatis proprium fructum esse non nisi bonum, ergo illa concupiscentia quæ malos parit fructus, viciosa est. Quod si mala sit illa, necesse est aliquā constituere regulam, ex qua talis iudicetur, quia in moralibus nihil est malum, nisi ab aliqua exorbitet regula, sicuti Deus non punit malum, nisi iuxta aliquam suam ordinationem. Punire siquidem, & remunerare actus sunt legislatoris: Quod igitur punitur legi aduersatur; Quod autem obseruans est legis, remuneratur, Concupiscentia igitur habitualis lege hac præceptorum & ordinatione prohibetur. Neminem quoque latere arbitror id quod sua sponte calcar præbet, & quod per se est viciosum, malum esse. Exemplo adducto res dilucidior euadet. Quia homicidium est citra controuersiam per se malum, ideo malum censendum est odium, quo in proximi necem inflammamur; Sic quia malum non ambigitur adulterium, idcirco impudicus oculus nō dubitatur malus: quòd illo perducat ac inuitet. Et generatim quicquid ad vitia natura sua nos incitat, hoc per se malum sit, necesse est, atque talis est concupiscentia, quæ parit in nobis desideria viciosa, est igitur ipsa peccatum & mala. Sicut è regione quæ in nobis parit desideria sancta, bona & sancta est. Ex hoc principio tanquam per se noto collegit, D. Aug. concupiscentiam esse malam, adeo vt insaniæ sit nedum demētiæ id inficiari. Sed & Apostolus, ad eum videtur collegisse modum, cum ait: Peccatum vsque ad legem erat in mundo, sed peccatum non imputabatur, cùm lex Moysi scilicet non

[Margin: 3. — Lib. 6. cap. 7. — 4. — Matth. 7. — Matth. 5. — Lib. 6. cōt. Iulian. cap. 5. & Lib. 4. cap. 4. — Roma 5.]

Pp esset.

esset. Lege igitur veniente, vbi per eam peccatum cœpit cognosci, cœpit etiam imputari. Cœpit autem per legem agnosci peccatum, etiamsi in omnes transierat, quia lex peccatum prohibebat, per quod cœperunt homines agnoscere, furta, adulteria, homicidia, & eius generis alia esse peccata. Idem adseuerat, dicens: Quod ergo bonū est, factū mihi est mors? minimè, sed peccatum quod in me latebat, praua illa inhærens mihi concupiscentia, vt appareret cuius esset ingenij & naturæ per bonam legem reddidit me deteriorem, sic me incitauit vt vicerit, sic impulit vt subuerterit, sic inuasit vt occiderit. Ex quo mihi planè concupiscentiæ natura suspecta est, ex talique fructu colligere non dubito ipsam malam & vitiosam. His coniungendum est quod habet concil. Triden. inquiens, Hanc concupiscentiam quum aliquando Apostolus peccatum appellat, Sancta Synodus declarat ecclesiam catholicam, nunquam intellexisse peccatum appellari, quod verè & propriè in renatis peccatum sit, sed quia ex peccato est & ad peccatum inclinat, Si quis autem contrarium senserit, sit Anathema. Quibus omnibus luculenter apparet, Concupiscentiam cum qua nati sumus vitiosam & malam esse, quòd paruulum habilem concupiscere faciat. Sicut enim in oculo cæci, teste beato Aug. in nocte vitium cæcitatis est, sed non apparet nec discernitur inter videntem & cæcum nisi luce veniente, sic in puero vitium esse non apparet, donec ætatis prouectioris tempus occurrat. Alterum argumentum vt sit, contra legem Dei, hæc concupiscentia, non est tamen voluntaria, quod requiritur ad rationē peccati, teste D. Aug. Respondendum occurrit concupiscentiam in paruulo non esse voluntariam, actuali paruuli voluntate: Nec enim cogitat, nec vult, nec quicquam agit, sic Paulus de Iacob & Esau pronuntiat, quod in vtero matris cùm essent, nihil egerunt boni vel mali: sed sicuti peccatū est habituale, ita habitu est voluntariū, quod rationi habitualis peccati sufficit. Est autem habitualiter & virtualiter aliquid voluntarium, cùm volūtas sic affecta est, vt oblata occasione, parata sit illud perficere; Velut qui proximum odio prosequitur, etiam hac hora, hoc die, de eius nece nil cogitet, tamen voluntarium est odium in illo, quia sic est affectus, vt si proximus occurreret inermis, eum trucidaret. Hanc latentem affectionem cernit Deus, etiamsi nemo mortalium animaduertat. Sicut è regione patientiæ vel obedientiæ, virtus in nobis latet, etiamsi id minimè cogitemus. Sic in sancto Iob virtus patientiæ eluxit, quia veraciter sic erat affectus, vt æquo animo quālibet afflictionē perpeti & sustinere vellet, de manu Domini, piam hanc in eo virtutem aspiciebat & amabat Deus, quæ vbi per tētationem excitata

Cap. 7. eiusdē epist. ad Rom.

Sess. 5.

Lib. 6. contra Iulianū cap. 7. Similitudine probat infantes concupiscētiā habere licet se non exerat.

Li. 1. Retract. cap. 13.

Posterius argumentum.

Roman. 9.

Nil est peccatū nisi volūtariū.

Virtualiter voluntariū quid?

excitata se prodidit,tandem ab illo cognita est,in quo latuerat. Sic & de Abrahæ obedientia iudicandum est quæ fuit vsque ad proprij filij immolationem,etiam si id eum lateret, in quo erat,nec se exerceret,donec diuinitus vt vnicũ filium immolaret, mandatum haberet:vti docet D. Ambros.& Aug. contra Faustum Manich.& contra epistolam Gaudentij. Ad similem modum paruulus quoniam sic affectus nascitur, vt quamprimum ad annos peruenerit,ratione vtentis ætatis,sectaturus sit,prætermisso diuinæ legis ordine,quæ sibi cõmoda videantur, concupiscentiam inhærentem habet voluntariam habitu,non actu. Hinc D. Aug.dicit nasci omnes cum impia volũtate,quia videlicet cum habitu adeo prauo & malo,vt virtualiter Deum contemnant,illi credere, illum timere,nolint. Et lib. de natura & gratia,omnes nasci docet carni subditos;quod nõ vult intelligi actu mentis vllo fieri,sed habitu animique præparatione,prauaque, sed latenti affectione. Huic suffragatur concilium Arausicanum, inquiens: Si quis per offensam præuaricationis Adæ,non totum (id est secundum corpus & animam) in deterius dicit hominẽ commutatum,sed animę libertate illæsa durante,corpus tantummodo corruptioni obnoxiũ credit, Pelagij errore decipitur.

Genes. 22. *Li. 1. de Abraham, cap. 8.* *Lib. 12. c. 25* *Cap. 23.* *Lib. 1. cõt. aduersar. legis, et prophe. ca. 22.* *Cap. 66.* *Cap. 2.*

Concupiscentia post baptismum non est peccatum.

CAPVT X.

MANIFESTVM vtcumque euasit ex præfatis,omnes ab Adam seminatos contrahere peccatum originale & concupiscentiam. Ita conformiter scripturis docente nos Aug. Quæ triplex reperitur apud eundem lib. 2. de nupt.& concupis. cap. 10. Sapientiæ scilicet,spiritus,& carnis,de qua hic potissimũm agere intendimus: Hæc namque motus habet non voluntarios,nec fuit in paradyso,vel si fuerit aliqua carnis concupiscentia,talis nõ fuit, qualis post peccatum extitit,vt legi mentis nimirum repugnaret. Nunc autem talem illam sentimus esse, vt repugnans legi mentis, etiamsi nulla sit causa generandi stimulos ingerat coeũdi, vt si ei cedatur peccando satietur,sin minus dissentiendo frenetur,quæ duo à paradyso aliena fuisse quis ambigat? Nõ enim caro in paradyso concupiscebat aduersus spiritũ, nec erat ibi ista pugna,vbi erat pax summa. Sed facta trãsgressione postquã homo noluit Deo obsecundare,caro cœpit aduersus spiritũ cõcupiscere, quæ cõcupiscentia ante baptismũ in nobis est necessariũ peccatum,item & voluntarium,vt habet Aug. Traxit reatum paruulus, inquit, ante baptismum ab Adam, quia vnus erat cum illo, & in illo,à quo traxit, quãdo id quod

Lib. 1. ad Simplic. cap. 6. & lib. 1. de nupt. & cõcu. c. 27. lib. 13. de Trinit. ca. 18. & lib. 2. retract. cap. 1. *Epist. 23. ad Bonifacium.*

traxit admissum est, post baptismum autem, quando homo sua propria vita viuit, non trahit ab altero alter personaliter effectus ab eo qui genuit, ideoque peccato alterius sine proprio consensu, non tenetur obnoxius. Vnde ante baptismum peccatum Adæ nocet paruulo; post baptismum autem non nocet paruulo, etiamsi pater eum sacrificaret dæmonio. Hic aperte eliditur, Zvvinglij error opinantis peccatum originale ante baptismum tantum fuisse morbum, non culpam aut reatum, quia Aug. clarissimè habet esse peccatum in paruulo proprij nominis, & concil. Arausica. can. 2. cuius sententiam ad verbum secutum est concil. Trident. Nihilominus post baptismum potest concupiscentia, teste Aug. contra Iulianũ, dici morbus quidam in nobis relictus, talis tamẽ morbus qui non sit peccatum, sed certamen exercitiumque iustorum secundum eundem contra Iulianum, & de peccat. merit. & remiss. Relinquitur, inquam, ne homo otio deditus & exercitio destitutus, infletur elatus, lib. 4. contra Iulianum: Quicquid enim est culpæ in infante, aut adulto, extinguitur per baptismum adeo vt plenissima omnium fiat remissio delictorum, cogitatorum, originalium & actualium, teste D. Clemente, ad Iacobum fratrem Domini, Et B. Aug. de nupt. & concup. concil. Mileuit. ca. 2. & Trident. Deletur, inquã, concupiscentia per baptismum non omnino vt non sit, sed vt non sit peccatum, lib. 1. de nupt. & concup. Nec raduntur peccata, & ea quæ rationẽ habent peccati, vt Lutherani volunt, existimantes peccatum manere post baptismum, sed efficacia eius non imputari. Verùm Esaiæ 43. facilè diluitur ipsorũ argumentum Lutheranorum, quod ex diametro pugnat cum ipsius Zvvinglij supradicto cauillo, non enim dicitur: Ego sum qui non imputo, sed ego sum ipse qui deleo iniquitates tuas propter me, & Ioan. 1. Ecce agnus Dei, qui tollit peccata mundi; tollit, inquit, non, qui nõ imputat. Nec aliquid roboris habet scriptura, quã obijciunt ex Psal. 31. Beatus cui non imputauit Dominus peccatũ, quia lõgè alio sensu, prælibata posuit Dauid verba, quàm vt putaret peccata deleri, non vt non sint, sed vt non imputentur, quin illorum potiùs memoriam ita voluerit extinctam, quasi nunquam fuissent admissa. Videtur siquidem climax esse in verbis prophetæ: Tegere namq; aliquid amplius includit, quàm remittere. Prius dixerat: Beati quorum remissæ sunt iniquitates, & rursus maius quiddam non imputare, quàm tegere, quemadmodum discere licet ex Euthimio super eundem versum. Et Orig. in epist ad Rom. paulò post exordium, vbi sic habet: Quando mens hominis ad perfectum venerit, ita vt omnis malitiæ radix eo vsq; pœnitus ex ea amputetur, vt nullum in eo nequitiæ vestigium possit

Zwinglij error refutatur.
Lib. 1. retract. cap. 15.
Sessio. 6. §. 3.
Lib. 6. cap. 7.
Lib. 4. ca. 10.
Lib. 2. ca. 33 & 34.
Baptismatis energia.
Cap. 5. & 7.
Li. 3. recognit.
Lib. 2. ca. 27.
Lib. 3. cõtra 2 epist. Pela. 63.
Sess. 5. §. 5.
Quomodo deleatur cõcupiscẽtia in baptismo?
Non raduntur peccata vt Lutherani volũt.
Cap. 23. 25. & 26. & li. 6 contra Iulianũ, cap 6. & 7.
Argumentum Lutheranorũ.
Climax.
Psalm. 31.
Libr. 4.

possit inueniri, vbi iam summa perfectæ beatitudinis promittitur, tum nullum possit Dominus imputare peccatum. Sed perplexa videtur difficultas, quomodo habitus concupiscentiæ, qui ante baptismum est peccatum, post baptismum idem permanens non sit peccatum? Certè respondendum est secundum Aug. quod concupiscentia non substantialiter maneat, sicut aliquod corpus aut spiritus, cùm sit quædam affectio malæ qualitatis, & quidam languor in homine perseuerans, qui non est post baptismum peccatum, nec precandum pro eo; dimitte nobis debita nostra, vt testatur Aug. ad Aselicum, nisi consentiamus. Vnde non ignorandum est, istum languorem seu concupiscentiam aliquando regnare in nostro mortali corpore, vt habetur Rom. 6. adeò vt faciat obedire quamdiu talis est, vtiq; peccatum est. Sed vbi per baptismum vetus noster homo sic est crucifixus, vt vltrò non seruiat peccato, sed mente legi Dei, tunc ista concupiscentia nihil damnationis habet in ijs qui non secundum carnem ambulant: Sed rursus obijcitur: Concupiscentia ista etiam sanctos lacessit inferendo mala desideria, legi Dei repugnantia, ergo, &c. Respondetur non solum ipsam, sed eius quoque desideria legi Dei repugnare, vnde nec sine peccato placere possunt. Sed tamen quia iustis displicet, & illis inuitis insurgunt, ideo non habent rationem peccati iuxta illud: Iam non ego operor illud, sed quod habitat in me peccatū. Verùm quomodo Apostolus appellat peccatum si non sit peccatum? Dicēdum quod vocatur peccatum, non vtique quia proprij nominis peccatum sit, sed quod peccato facta sit, per Methonomiam, quemadmodum tenor verborum dicitur lingua; Vnde lingua Latina, lingua Græca, lingua Hebræa dicitur, cùm lingua sit propriæ membrū ori inclusum. Sic scriptura manus alicuius dicitur. quòd manus eam fecerit, teste Aug. de lib. arbit. de nupt. & concupis. Non secus peccata sunt, quæ secūdum carnis concupiscentiam vel ignorantiam fiunt, dicuntur, vel cogitantur, quę transacta etiam reos tenent si non remittantur. Quemadmodum namque adulterium transit actu & manet reatu, donec per sacramenta remittatur; Sic versa vice cōcupiscentia manet actu & transit reatu, quando baptismi sacramento soluitur quo sic dimittitur, vt quanquam tracta sit à nascentibus, nihil noceat renascentibus, ex quibus si filij carnaliter gignantur, rursus trahitur, rursusque & nocitura nascentibus, nisi eadem forma renascentibus, remittatur, & nihil obfutura vitæ æternæ inest, quoniam reatus eius generatione tractus regeneratione est dimissus. Potest etiam dici quod peccati nomenclatura trifariam accipiatur; Primò vt sit aliquod dictum, factum, vel concupitum, contra legē Dei, vt

Concupiscētia quomodo est peccatum & non peccatum?

Lib. 2. de pecc. mer. & remiss. ca. 28. li. 1. de nupt. & cōcup. cap. 29. lib. 2. cōt. Iulia. col. 3 & lib. 6. contra eundem cap. 7. & 8.

Epist. 200.

Rom 8.

Alia difficultas.

Nota.

Roman. 7.

Quomodo Apostolus concupiscentiam vocat peccatum, si nō sit?

Lib. 3. ca. 19.

Lib. 1. ca. 22. & lib. 1. cōt. 2 epist. Pelag. cap. 13.

Reatus oppositio se modo habet in peccato actuali & concupiscentia.

Peccati nomēclatura trifariam accipitur.

Lib.22.c.27 superbia, luxuria, teste Aug. contra Faustum, Altero modo dicitur peccatum, quod offertur pro peccato. Sic leguntur Osee 4. Leuitæ & sacerdotes comedere peccata populi, id est, oblationes pro peccato factas. Simili modo fecisse dicitur Christus Roman.8. peccatum: vt de peccato, damnaret peccatum, &: Qui nõ no- 2.Corint.5. uerat peccatum, pro nobis fecit peccatum, id est, seipsum oblationem pro peccatis. Harum acceptionum meminit Aug. Cap.15. lib. contra Mendacium ad Consentium. Et contra Faustum Lib.14.ca.5. Manichæum. Tertio modo peccatum accipitur, pro eo quod remanet, & quod factum est peccato, Sicut pallida mors dicitur ab Horatio, quòd pallidos faciat. Et huiusmodi est concupiscentia in baptizatis, quæ relinquitur, vt habeant cum qua pugnent, eamque adiuuante Domino superent: Si gratiam in vacuum non acceperint. De hac loquitur scriptura, Iacobi 1. quando dicitur: Vnusquisque tentatur à concupiscentia sua, abstractus & illectus. Hæc, inquam, non est peccatum, quin potius subinde coronæ occasio, Beatus est quippe qui suffert tẽtationem, quoniam cùm probatus fuerit, accipiet coronam vitæ. Porrò hæc concupiscentia, cùm conceperit, parit peccatum: concipit enim delectando, qua quidem re iam offendimus, sed lapsum tamen mortis nondum incurrimus. Est itaque iam hic secundus stimulus, qui & ipse cõcupiscentia vocatur: Nam primus stimulus est leuis quidam punctus sensuum, & incentiuum vitiorum. Secundus stimulus est cogitatio, quæ concipit peccatum delectationis; Hos duos stimulos docet Hieron. Deum in nobis non punire, quòd sine illis nullum hominem esse posse existimet. Cæterùm peccatum cum consummatum fuerit, id est, cum quis cogitata perficere decreuerit, aut cùm opere perpetrauerit, tum demum generat mortem. In hoc igitur quod caro concupiscit aduersus spiritum, nihil est peccati, contra Caluinum: Nam & spiritus concupiscit aduersus carnem. Suggerit caro, fac adulterium: Spiritus è regione suggerit; noli acquiescere carni. Luctam, (inquit, Aug.) video: Et Gregor. victum non video.

Varij stimuli ad rationẽ requiruntur peccati. in Ezech. 18. *Lib. 3. Inftit. Christ. cap. 3. sect. 13.* *Homil. 43. de verb. Domini.* *Li. 18. Moral. cap. 5 & lib. 32. cap. 16.*

Erronea Lutheri de concupiscentia eliditur sententia.

CAPVT XI.

AXIOMA reputatur apud Lutherum & eius farinæ homines, concupiscentiam post baptismum manere peccatum, sic enim cauillantur: Concupiscentia renatorũ siue ea sit actualis siue habitualis, contra legem est, ergo peccatũ, collectio neganda est, cuius ea est ratio, quòd ad peccati rationem, non id sufficiat vt contra legẽ sit, verumetiam requiritur vt sit voluntarium, vsque adeo, vt nullus omnino motus

motus quàmlibet natura malus & vitiosus, si volūtarius non sit, peccatum omnino sit, seclusa etiam Christi gratia quę interponenda non est, cùm quid peccatum sit, inquirimus. Inique sane ageretur cum homine, si propter eiusmodi motus puniretur, neq; lex in summo rigore accepta propterea quēquam damnat: Ostendit quidē lex esse vitiosos, nec sibi consonare, sed non punir, quia peccata non sunt. Atque in eo statum controuersiæ existimo situm esse, quæ inter catholicos & hæreticos versatur, quod catholici doceāt, nullam omnino cōcupiscentiam quæ omnino inuoluntaria sit, secundum legem Dei puniri posse, malum etiam inuoluntarium. Quoniam igitur in eo positus est controuersiæ status, catholicorū sententia approbāda est, quo simul hæresis confutetur, nempe illud confirmando, nullum malum prorsus inuolūtarium esse peccatum, etiam consistendo in rigore iustitiæ, & præueniendo gratiam Christi. Neque hic quicquam interesse arbitramur inter concupiscentiam actualem & habitualem vti diximus, quod ad rem attinet, sed de vtroque istorum secundum proportionem idem est iudicium, vt videlicet cōcupiscentia actualis voluntaria sit actu, habitualis habitu voluntaria, vel inuolūtaria, Et illud peccatum actuale, si actu voluntarium, Nullum peccatū, si actu inuoluntarium, Hoc peccatum habitu, si habitu voluntarium, Nullum peccatum, si habitu inuoluntarium. In huius sententiæ catholicæ confirmationem scripturarum adducenda sunt testimonia, cùm Moyses diligentissimè haud dubiè nobis diuinam legem expresserit nullibi, tamen si eius quinque libros percurras vigilanterque expendas, inuenies motibus vel actibus inuoluntarijs supplicium vllum esse propositum, sed solis voluntarijs malis comminari, velut: Si audire nolueris & audire contempseris: proposui tibi hodie vitam & mortem, bonum & malum, elige quodcunque volueris, si auersum fuerit cor tuum, &c. Illi quoque prophetæ qui Moysen tempore sequuti sunt, in eandem quasi pedibus eunt sententiā; sic namque loquitur Esa. Si volueritis & audieritis me, bona terræ comedetis. Si autē nolueritis, & ad iracundiā me prouocaueritis, gladius deuorabit vos. Dominus etiam pronūtiat ea coinquinare hominem, quæ de corde exeunt, ea autē de corde exeunt, quæ de voluntate procedunt seu voluntaria sunt. Quam Saluatoris nostri sententiā Apostolus Paulus studiosè sequutus, dilig ēter eandem rem adstruit: Si quod odi malum, inquit, hoc facio, iam non ego operor (id est, nō coinquinor) illud, sed quod habitat in me peccatum. Vnde apertè concludit: Nihil ergo dānationis est ijs qui sunt in Christo Iesu, qui non secundū carnem ambulant. Nulla punitione dignū esse, illud iudicat, qui sit in Christo

Hæretici vero hoc sentiunt, si in rigore iustitia consistatur, puniri posse malum etiā in voluntarium.

Semper voluntarijs malis lex minatur.

Deuteron. 28.
Ibidem 30.
Cap. 1.
Matth. 15.
Roman. 7.
Cap. 8.

Christo renatus, nec propter prȩterita, nec propter præsentia. Non propter præterita, quia est in Christo Iesu, ex quo per baptismum renatus est. Non propter præsentia, quia non secundum carnem ambulat, id est, quia non acquiescit vitiosis carnis motibus. Si nihil damnationis, nihil ergo peccati: Deus enim iudicat secundum veritatem, vt nec peccatum patiatur impunitum esse, nec possit punire quod peccatum non sit. Secundò idem confirmatur ratione à scripturis desumpta: Nam iuxta sententiam scripturæ, minus voluntarium minus est peccatum, quàm illud quod est magis voluntarium, ergo vbi nullum est voluntarium, nullum est peccatum. Antecedens probatur per illud: Seruus qui nescit voluntatem domini sui, & non facit, vapulabit paucis, quia videlicet minus peccauit. Cur minus peccauit; nisi quia minus voluntarium fuit quod fecit? Contra cum quis prudens volensque peccat, quia plus de voluntàrio est, plus quoque peccati sit, necesse est; Consequutio ex logica manifesta est, nec requirit theologica munimenta. Idem stabilitur ex opposito actu bono per consequẽtiam in ipso: Quãlibet enim aliquis actus aut motus in homine bonus, nisi tamen voluntarius sit, laude vel præmio nequaquam est dignus; Exemplo quod dicitur dilucidum fiat; Iudas sua proditione magnum nobis attulit bonum, nostri videlicet redemptionem, sed illi bonum non fuit, quia nec voluntarium. Non enim de redimendo genere humano cogitabat, sed explere auaritiam satagebat. Diabolus quoque prodest plurimis, sed quia inuitus, & præter intentionem, inde laudem non reportat, sed pœnam sibi accumulat. Actus siquidem malus secundum D. Thom. rationem peccati obtinet, ex eo quod sit voluntarius: Actus verè bonus, quia voluntarius est, laudem meretur. Nunc patrum testimonijs res eadem comprobanda est. D. August. itaque sub finem. lib. de perfectione iustitiæ, negat preces effundendas, si concupiscentiæ nunquam consentiamus; Dimitte nobis debita nostra. Si peccata essent illi motus, quos sustinemus inuiti, venia pro illis restaret petenda, & cõtra duas epistolas Pelagianorum, negat dici debere; Dimitte nobis debita nostra, propter cõcupiscentiam, sed duntaxat propter consensum; Sic homilia 50. lib. 50. homil. Distinguit concupiscẽtiam renatorum à non regeneratorum, quòd illa superata & contempta iaceat, nisi cõsensu illicito in regnum proprium reuocetur: hæc verò dominetur, quod virtute placeat; Libro verò 14. de ciuit. Dei, cap. 27. comparat concupiscentiam ante peccatum dominantem febri; Eam verò quæ in renatis est, languori, qui remanet in corpore, pulsa & febri curata. His consentaneus est D. Ambrosius, lib. de arca & Noë, cap. 9. D. Hie-

Lucæ 12.

Probat idem et alia ratione. Iudas nobis benefaciendo grauissime peccauit.

1. 2. quæst. 21 artic. 2.

Lib. 1. ca. 13. & lib. de Gen. cõtra Manich. cap. 14. & de peccat. mer. & remiss. lib. 2. cap. 28.

Concupiscentia renatorũ & nõ renatorũ quomodo distingui tur

D. Hieron. super 5. cap. Matth. Beatus Cyrillus, & Concil. Trident. Manere autem in baptizatis concupiscentiam, vel fomitem hæc sancta Synodus fatetur, & sentit, quæ cùm ad agonem relicta sit, nocere non consentiẽtibus, & viriliter per Christi Iesu gratiam repugnantibus, non valet: quinimo, qui legittimè certauerit, coronabitur. Hanc concupiscentiam, quum aliquando Apostolus peccatum appellat, Sancta Synodus declarat Ecclesiam catholicam nunquam intellexisse peccatum appellari, quod verè & propriè in renatis peccatum sit, sed quia ex peccato est, & ad peccatum inclinat, Si quis autem contrarium senserit, Anathema sit. *Lib. 4. in Io-annem ca. 55. Seß. 5. cap. 6.*

Concupiscentiæ venenum & externi operis malum, quando plura peccata? CAPVT XII.

IN præsentiarum sedula mentis attentione inuestigandum occurrit; Vtrum diuersa sint peccata; Interior voluntatis ratio in rem malam; Et eiusdem exequutio in opere exteriori. Ei respondendum, quod si loquamur comparando actum exteriorem ad aliquem actum interiorem, à quo non causatur talis actus exterior, tum non sunt vnum peccatum, sed plura, quia discrimine circunstantiæ temporis distinguuntur, ita quod quamuis circunstantia finis sit eadem, quia tamẽ sunt secundum aliud & aliud tempus, alium atq; alium locum, diuersa nascuntur peccata, propter diuersas auersiones. Si namque hodie quis fornicari voluerit, sed oportunitas actum recusat, quo minus perficere queat quod mente conceperat, cras tamen iterato in voto habet fornicationem, quod nacta occasione externo opere perficit, vtique iam plura sunt ibi peccata, pluribusq; plectuntur supplicijs: Si autem causetur & originem trahat actus exterior ex interiori, tunc proculdubio sunt vnum peccatum: quanquam enim sint duo actus in esse naturæ, sunt tamen vnum in esse morali, cùm ambo sint circa idem obiectum formale, fiantq; ambo ex vno contemptu. Quod autem plus puniatur malum opere perpetratum, quàm si in sola persistat cogitatione, non ideo est quòd diuersa sint peccata, sed quia ex pluribus hoc procedit peccatũ, teste Thom. Nec obstat si quis dicat; Duobus præceptis prohibentur, ergo sunt duo peccata, quia actus exterior prohibetur illa parte legis; Nõ furaberis, Non mœchaberis. Interior, Non concupisces rem vel vxorem proximi. Dicendum est quod hoc dictum non concludat, quia dicendo (non mœchaberis, nõ furaberis) prohibetur tam actus exterior, quàm interior. Sed ne existimet aliquis actum duntaxat exteriorem esse prohibitum, expressè addita sunt alia *1. 2. quæst. 20 art. 2. & 3.*

præcepta prohibentia etiam actum iuteriorem & maligni cordis officinam, de quo exeunt cogitationes malæ, homicidia, adulteria, fornicationes, furta, falsa testimonia & blasphemiæ, quæ coinquinant hominem & separant à Deo. Vnde Propheta: Quousque morabuntur in te cogitationes noxiæ? Quemadmodum enim ante hominum conspectum, peccati habet rationem male factum opere perpetratum; ita ante oculos omnia videntis mala cogitatio, secundum August. & Ambros. potissimum si protinus ei nō resistatur: Sicut namq; tunica diu sanguinolenta difficilè abstergitur, secundum D. Aug. & vipera matris viscera corrodendo, si diutius includatur, enecat, ita cogitatio nimis impressa, animā trucidat, eodē teste lib. contra epist. Petiliani. Tria autē (secundum Bernar. serm. de triplici genere cogitationum, & D. Greg.) occurrunt genera cogitationum, à quibus multa solicitudine cauere necesse est: Sunt enim interdum penitus otiosæ, quas haud difficulter anima super sui custodia consistens propulsare posset. Sunt & aliæ cogitationes violentæ magis & fortius inhærentes, quæ videlicet ad necessitates naturæ pertinent: sæpè enim sic afficiunt cogitationes carnales de cibo, potu, vestibus, &c. vt vix de cordibus nostris eradicari queant, quod non aliunde fit, nisi quia ipsæ limosæ & viscosæ glutinosam inuenerint terram. Quid igitur clamandum? Planè dicendum, quod legitur de Iacob: Ruben primogenitus meus non crescas, ascendisti enim cubile patris tui. Rubea siquidem & carnalis est huiusmodi concupiscentia, quæ tunc cubile nostrum ascendit, cùm non solùm memoriam tangit cogitatione, sed & ipsum voluntatis stratum ingreditur, & praua delectatione polluit, secundum August. contra Iulianum, & Thom. Tertium genus cogitationū immundum & fœtidum est quod tota virtute propellere debemus inuocātes suspirijs & lachrymis spiritum vt adiuuet infirmitatem nostram.

Math 15. Sapient. 1. Hieremiæ 4. *Serm. 49. de tempore. Lib. de Esau vel fuga seculi, cap. 1. Simile. Serm. 76. ad frat. in eremo. Vipera matrem enecat. Cap. 19. Lib. 4. Moral. cap. 25.* Genes. 49. *Lib. 6. cap. 5. 1. 2. quæst. 15 & quæst. 74.*

Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris.

CAPVT XIII.

CHRISTIANA charitas non quærit quæ sua sunt, sed quæ aliorum, secundum Apostolum. Sui amor eo vesanit, vt etiam Deo quod Dei est detrahat, & proximus quod est proximi auferat, secūdum August. & Ambros. Hinc peruerso nostro amori abrenuntiemus, oportet. Et magni certè est profectus, vt nostri penè obliti, ac ratione nostri posthabita, Deo eiusq; mandatis fidele studium nostrum impendere conemur: Cùm enim priuatam nostri rationē omittere iubeat scriptura, non modò habendi cupiditatē, potentiæ affe-

1. Ioan. 3. 1. Corin. 3. *Lib. 14. de ciuit. Dei, c. 28. Epist. 80. ad Hesichium. Lib. 1. de Cain cap. 4.*

affectationem, hominum gratiam, ex animis nostris eradit, sed ambitionem quoq; & omnē gloriæ humanæ appetitum, aliasque secretiores pestes eradicat. Ita sanè compositum & comparatum esse conuenit hominem Christianum, vt sibi in tota vita negotium cum Deo eiusq; voluntate esse reputet. Hac ratione, vt omnia sua ad arbitrium calculumq; eius reuocabit, ita quoque totam mentis intentionem religiosè ad eum referet: Nam qui Deum in omni re agenda intueri didicit, simul ab omni vana cogitatione auertetur. Hæc est illa nostri abnegatio, quam discipulis suis à primo tirocinio mandat tanta diligentia Christus, quæ vbi semel in animo obtinuit principatū; neq; superbię, neq; fastui, neq; ostentationi, deinde neque auaritiæ, neque libidini, neque luxutiæ, neque mollitiei, neque alijs (quæ ex amore nostri contra Dei præcepta generantur) malis vllum locum relinquit. Contra vbicunq; non regnat, illic vel spurcissima vitia, sine pudore peruagantur, vel si quę est virtutis species, praua gloriæ cupidine vitiatur: Ostende enim hominem si potes, qui (nisi sibi renuntiârit secundum pręceptum Domini) rapere aliena, facibus auaritiæ succensus, si possit, noluit; concupiscere saltem si non possit? Nam quicunq; non fuerunt hoc sensu occupati, laudis saltē gratia virtutem sequuti sunt. Qui autē vnquam ex philosophis virtutem propter se expetēdam maximè contenderunt; tanta arrogantia inflati fuerunt, vt appareat non ob aliud virtutem expetijsse, nisi vt superbiendi haberēt materiam. Porrò prælibatis præceptorum verbis, iubemur perspicere, & obtutus mentis dirigere ad proximos eorumque possessiones. Cùm enim sic nos cum hominibus gerere iubet scriptura, vt illos honore anteferamus, vt procurandis eorum commodis totos nos bona fide impēdāmus, ea dat mandata, quorum minimè capax est animus noster, nisi ante naturali sensū euacuatus, & diuinæ gratiæ sustentaculo fuerit suffultus. Nam qua cæcitate omnes in amorem nostri ruimus, sibi quisque iustam causam habere videtur, se efferendi, alios autem omnes præ se contemnendi, Si quid in nos cōtulit Deus non pœnitēdum; eo freti, protinus animos tollimus, nec tantum intumescimus, sed penè superbia rumpimur, vitia quibus abundamus, & occultamus apud alios, sedulò & nobis leuia minutaque esse blandiendo fingimus, imò interdum pro virtutibus osculamur. Easdem, quas in nobis admiramur dotes, si in alijs appareant vel etiam superiores, ne cogamur illis cædere, nostra malignitate carpimus. Si quæ sint vitia seuera acrique animaduersione ea obseruare, odiosè amplificamus. Hinc illa concupiscentiæ insolentia, vt quisque nostrum ceu communi lege exemptus supra reliquos velit

Matth. 16.

velit eminere. Cædunt diuitibus pauperes, plebei nobilibus, serui dominis, literatis indocti, imò nemo est, qui nõ aliquid præstantiæ opinione intus alat. Ita singuli sibi adulando regnum quoddam in pectore gerunt, sibi enim atrogantes, quo sibi placeant de aliorũ ingenijs & moribus censuram agunt: Si verò ad contentionem ventum fuerit, illic erumpit venenum, & latẽs in herba anguis emergit. Nam multi sanè nonnullam mansuetudinem præ se ferunt, quamdiu blanda omnia & amabilia experiuntur; At verò qui eundem seruet modestiæ morem, vbi punguntur quorusquisque est? Rursum iubemur, quæcunque in alijs bona Dei respicimus, sic reuereri ac suspicere, vt eos quoque penes quos resident, honoremus: Nam magnę improbitatis foret eum illis quo ipsos honore dignatus est Dominus adimere. Ad vitia autem docemur conniuere, non equidem vt adulando faueamus, sed ne illorum causa insultemus ijs, quos beneuolẽtia & honore fouere conuenit. Ita fiet vt cum quocunque mortalium negotium nobis sit, nõ tãtùm moderatè nos & modestè, sed comiter & amicè etiam geramus, teste Ambros. Quemadmodum ad veram mansuetudinẽ nunquam alia via peruenies, quàm si & tui deiectione & alterius reuerẽtia imbutum pectus habueris; Ita nunquam æternæ vitæ apicem attinges, nisi plenitudine legis dilectione, & fine præcepti charitate. Augus. & D. Bonauent. Teipsum lucratus fueris & proximum ad meliorem vitæ frugem induxeris. Quod si feceris, & te, & ipsum seruaueris, vt cùm nouissimus vitæ articulus apparuerit, immarcessibilem gloriæ coronam quam timentibus se repromisit, recipies.

Lib 2. offic. cap. 19.

Roma. 13. 1. ad Tim. 1. *Serm. 39. de tempore.* *Lib. 2. dist. 38*

Animum his duobus vltimis mandatis, nedum manuum opera exactissima restringere incumbit.

CAPVT XIIII.

HISCE mandat Dominus præceptis, vt nulla nobis cogitatio irrepat, quæ noxia in alterius detrimentum vergente concupiscentia animos nostros commoueat. Constitutum igitur sit, non ad externam honestatem modo, sed ad interiorem spiritualemq; iustitiam hominis vitam in lege informari. Quod cum inficiari nemo queat, paucissimi tamen ritè animaduertunt. Id fit quia in legislatorem non respiciunt, à cuius ingenio, natura quoque legis est æstimanda. Si quis rex edicto, scortari, occidere, furari prohibeat, sanctione fateor non tenebitur. Si quis scortandi, occidendi, furandi, cupiditatem animo conceperit, tamẽ nihil eorum perpetrarit, nempe quia legislatoris mortalis prouidẽtia non nisi ad ex-

Ratione probat quod docet.

ad externam ciuilitatem protenditur. Nec violantur interdicta nisi pattatis flagitijs. Deus autem (cuius oculum nihil fugit, & qui externam speciem non tam moratur, quàm cordis puritatem) sub scortationis, homicidij, furti interdicto, libidinem, iram, odium, alienæ rei appetẽtiam, dolum & quicquid tale est, vetat: Nam cùm sit spiritualis legislator, animæ non minus quàm corpori loquitur, leges ciuiles quæ extra emerserunt, quo animo vnumquodque facinus editum fuerit expendunt, sed arcanas cogitationes non scrutantur. Proinde illis satisfactum fuerit, vbi quis duntaxat à trãsgressione continuerit. Contrà autem, quia animis nostris lata est lex cęlestis, animorum refrenatio ad iustam eius obseruationem cumprimis est necessaria. At vulgus hominum, etiam dum legis contemptum fortiter dissimulat, oculos, pedes, manus, & omnes corporis partes in aliquam legis obseruationẽ componit. Cor ab omni obedientia alienissimum interim retinet, ac se defunctum putat, si probè homines celauerit quod gerit in conspectu Dei. Audit; Non occides, Non mœchaberis, Non furaberis; gladium ad cædem non exerit, corpus suum meretricibus non commiscet, manus alienis bonis non inijcit; hæc omnia bene hactenus, sed cædes totis animis spirat, feruet in libidinem, omnium bona retortis aspicit oculis, & cupiditate deuorat. Iam verò deest quod præcipuum erat legis. Vnde, quæso, tam crassus stupor, nisi quod omisso legislatore, iustitiam suo magis ingenio accommodat? His fortiter reclamat Paulus, adfirmans legem esse spiritualem, quo significat non modò animæ, mentis voluntatis obsequiũ exigere, sed requirere angelicam puritatem, quę omnibus carnis sordibus abstersa, nihil quàm spiritum sapiat. Hũc legis sensum adfirmantes non nos ex nobis interpretationem ingerimus, sed Christum sequimur optimum legis interpretem: Cùm enim Pharisæi peruersa opinione populũ imbuissent, legem perficere quæ externo opere, nihil aduersus legẽ perpetrassent; hunc periculosissimum errorem arguit & impudicum mulieris aspectum, scortationem esse pronuntiauit, homicidas testatus est, quicunq; fratrem oderint, Facit enim reos iudicio, qui vel iram animo conceperint, reos consilio qui murmurando aut fremẽdo aliquam offensi animi significationem dederint; reos gehennæ ignis, qui cõuitijs ac maledicentia in apertam iram prosiluerint. Cùm igitur manifestum euaserit præfatis mandatis legislatorem sine ambiguitate manum suorum repressisse, ne violentam in proximum officioso seruitio prosequendum manum iniecerint, & linguam compescuerint, ne aliquem falso testimonio circumuenirent, aut mœrore afficerent, iam hiscè duobus vltimis

animi

Lib. 1. Instit. de Iure naturali, lege Iustitia.

Hebr. 4.

Matth. 5.

animi motus refrenare conatur. Quod licet prius factum fuerit, quia per (Non mœchaberis) & (Non furaberis) etiam inordinata hominis mœchari aut furari voluntatis cohibetur affectio, tamen sic adnectuntur duo præcepta, ne quis tergiuersandi aut excusandi occasionem prætendere queat. Nec ratione caret, quod nulla habeamus præcepta, quibus de praua ta occidendi aut peierandi voluntas interdicatur: Nam nostra corrupta natura, inquit D. August. & Ambros. mirabili modo pascitur, quando carnis illecebris oblectatur, adeo vt sensualitatis motibus, quàm diuinæ voluntati obaudire malit, iisq; quibus caro deliciatur (vt sunt bona temporalia) consolatur. Porrò homicidium & periurium ab ijs quibus vel parum humanitatis inest, ipso primo abiuratur intuitu, nec aliqua ratione ad illud mens humana inclinatur, sic falsum testimonium nemo est qui etiam solius dictamine rationis non abhorreat. Quo fit vt hæc aut similis farinæ mãdata duplicem non habeant prohibitionem, operis & cordis. Verùm hic scrupulus haud dissimulandus, ex dist. 40. lib. 3. Sententiarum Petri Lombardi emergit; Cùm enim hic prohibeatur concupiscentia alienæ vxoris, & alienæ rei, quare dicitur lex reprimere manum non animum? Cui respondendum. Quia etsi foris proposita sit nobis per comminationem pœnæ, iniuncta tamen absq; adminiculo gratiæ nequit, auersam mutare voluntatem quia ex corruptione primordialis naturæ odio habemus iustitiam, & obuijs vlnis amplectimur iniquitatem. Sed hoc duntaxat efficere potest lex, vt hæc deprauata in nobis voluntas per exteriorem actum foras non prodeat. Ideoq; quod ex lege ac viribus naturę iusti euadere nituntur, præualent quidem externam quandam ostendere in moribus ac corporis gestibus honestatis laruam, qua iusti coram hominibus reputentur, sed non coram Deo voluntatis inspectore. Quarè non immeritò rei habentur, secundum August. quia non est ipsis coram Deo in voluntate, quod coram hominibus apparet in opere. Et sicut in præsentiarum non solum prohibetur voluntas concupiscendi vxorem proximi, mœchandiq́ue, sed etiam inuidentia qua ægrè ferimus, proximum talem nactam vxorem quam nobis, si vlla permitteret occasio, optaremus coniunctam, etiamsi nostram conthoralem proximi vxori posthaberemus; Ita etiã non solùm inhibetur nudãdi proximum facultatibus suis iniustis quibusdam rapinæ velamentis, vel rationibus manifestè iniquis, sed etiam hoc præuaricantur mandatum, qui quocunque modo cum aliena iactura seu incommodo se locupletare desiderant vel alieni seruitij obsequium, cum alterius detrimento, concupiscunt.

Occurrit tacitæ obiectioni.

Lib. 2. de nup. & concu. c. 22. Lib. de Isaac, & anima, c. 7

Difficultas ex Magistro Sententiarum.

De spiritu & litera, cap. 8.

Quam

Quàm grande piaculum sit ignorare præceptorum decalogum? CAPVT XV.

MVLTIPHARIAM multisq; modis vsurpatur in sacra scriprura ignorantiæ nomenclatura, siue scientiæ carentia. Quædam namque dicitur naturalis vtpote cordium nostrorũ penetralibus infusa, & ingenita conditione insita; Multa siquidem sunt, quorũ notitiam natura recusat, quod aut naturæ debilitate, aut sacratissima diuinæ ordinationis dispositione fieri, nulli non est cõtestatissimum. Sicut enim aliqua animalcula nascuntur oculis capta, actuq; videndi destituta, vt sunt talpæ, canes, lupi, vulpes, &c. ita nos huic inserti mundo, multorum sumus ignari. Sic Adam permulta eorum quæ super se futura erant, ignorabat, & Salomon dicit: Ego sum puer paruulus, ignorans egressum & ingressum meum, meritorum qualitatem scilicet, futurorũ veritatem, mortis propinquitatẽ & indeclinabilem iudicij extremi rigorem. Altera est virtualis se, suos, suaque ignorantium, se quidem secũdum illud: Si ignoras te ô pulcherrima mulierum, egredere & abi à peccato; Recedendo suos ignorant, qui carnali affectione neminem agnoscunt. Dixit patri suo & matri, nescio vos, & fratribus ignoro vos. Qui non reliquerit patrem vel matrem, non est me dignus. Sua ignorant illi, qui cor diuitijs non apponũt, imò ipsas despiciũt, & contemptui habent. Tertia est criminalis, qua ignoramus quorum scientiam adamare debemus, Censetutq; duplex, iuris & facti ignorantia: Iuris est, qua ignoratur iuris constitutio, seu lex aliqua cùm humana tum diuina, veluti cùm quis illicitum ignorat, ratione mutuatæ pecuniæ vsurarium extorquere lucrum, connubia inter consanguineos contracta, seu diem Dominicum prophanandum, vel etiam sacrum præceptorum decalogum posthabendum. Quicunq; hæc, & huius generis alia ignorat, quæ scire obligatur, illicita ignorantia iuris delinquere conuincitur. Ignorantia autem facti nuncupatur, cùm quis probè cognoscit actum aliquẽ reprehensione dignum, atqui ipsum latet eum, quẽ peragit, esse veritum ac malum. Vt si quis ignoret nuptias inter istas personas cõtractas, aut hunc cibum esse mortiferum, siue hãc rem esse alienam furtóve subreptam, vel cognoscens adulterium esse peccatum, alienum inuadit thorum, existimãs esse suum, quemadmodum Iacob ad Liam, quem D. August. contra Faustum excusat à peccato: Nequaquam tamen excusatur Lamech ab huiuscemodi peccato, secundum eundem, quia licet fortè rei licitæ operam nauârit, non tamen debitam vitandi malum diligentiam adhibuit; Rursum hæc ignorantia quadripartita

sectione

Multiplex ignorantiæ vsurpatio.

3. Reg. 3.

Cantic. 1.

Deuter. 33.

Ignorantia iuris quid?

Ignorantia facti quid?

Lib. 22. cap. 47. 50. et 52.

Lib. 15. de ciuit. Dei ca. 21

sectione diuiditur, nempe in ignorãtiam affectatam, quæ est in his, qui nolunt intelligere vt bene agant, quales sunt, qui ambulanr in tenebris, absque conscientiæ remorsu, carnis il-
Iob 21. lecebris habenas laxantes. De quibus dicitur: Recede à no-
4. Reg. 17. bis, viam scientiarum tuarũ nolumus, instar Samaritanorum negligentium legittima Dei terræ. O quot sunt ad hanc redigendi classem, qui data opera liminibus se templorum subducunt, ne viuæ vocis prædicatorum energia infrunitus ipsorum animus pœnitudinis dolore percellatur? Quot sunt huius farinæ, nescio an homines dicendi, qui magis terrenis fecibus inhiare probantur, quàm cælestibus bonis sacrari nitantur? O curas hominum quantum est in rebus inane? O præpostera obcæcatorum cordium industria? O grandis diabolicæ fraudis astutia, lutum versipellis præbet, vt aurum auferat, delitias qualescunque suppeditat, vt regnum adimat. Quomodo obsecro res finet, eius fieri participes, cuius commemorationem nisi cum tædio sustinemus? semitamque ad illud ducentem, sacra videlicet diuinæ maiestatis præcepta, tanquam importabilem sarcinam humeris excutimus. Quibus profectò satius foret secundum doctrinam D. Petri posterioris epistolæ cap. 2. non cognouisse viam iustitiæ, quàm post agnitionem retrorsum conuerti ab eo quod illis traditum est sancto mandato, & Luc. 12. Seruus voluntatis Dominicæ non ignarus, quam si adimplere non satagat, vapulabit multis, quia teste Ose. cap. 4. Repellens repelletur, & quia non habuit scientiam captiuus ducetur, sicuti docet sanctus Esa. ca. 5. suæ prophetiæ. Hæc nunquam excusat, quin potius
Lib. de natura peccata, secundum B. August. suis circunstantrijs aggrauat.
& grat. ca. 17 Secundò, Ignorantia dicitur crassa & supina, quæ est in his,
Ignorantia qui desidia addiscere ea quæ scire oportet, credere, agere, aut
crassa. cauere negligunt, hæc à tanto, non à toto excusat, hoc est aliquantulum, quod non sit tam grande piaculum, perinde atq; si aliquis malitia dataque opera delinqueret: Nequaquam tamen à mortali excusat, præsertim si sit de præceptis legis, aut
Part. 1. cap. naturæ, vti docet beatus Gregorius, re & nomine Magnus.
1. Pastoralis Tertiò dicitur ignorantia cuius causa est probabilis, vt quan-
cura. do quis probabili ratione persuasus, opinatur ægroto vtile fore, quod tamen noxium est, & quod noxium esse posset, discere, itaq; ignorãtiam illam studio vincere. Quartò, Ignorantia inuincibilis est, quam quis faciendo etiã quantum potest vincere aut superare non potest, vel quæ manet post omnem diligentiam possibilem & debitã. Hæc excusatur à peccato, etiamsi fuerit ignorantia articulorum Christianæ fidei,
1. 2. quæst. aliorúmve quæ ad capessendam salutem sunt necessaria, se-
76. art. 2. cundum angelicum doctorem B. Thom. Propterea pagani,

gentiles,

gentiles, & infideles, teste Ioanne Driedone, de Christiana libertate, secundum infidelitatem purè negatiuè acceptam, qui nunquam aliquid mysteriorum fidei perceperunt, neq; habuere à quo addiscerent, non condemnabuntur propter vllum infidelitatis peccatum, sed propter alia crimina, quæ etsi absque fide in Christum remitti nequeant, vtique tamen per lumen rationis internæ, ea euitare potuerunt, cuiusmodi sunt homicidia, adulteria, falsa testimonia, &c. Hæc tamen sententia non videtur intelligenda secundum diuum Augustinum, quasi non ardeant in inferno, sed quia minores pœnas dare cogantur. Seruus siquidem nesciens voluntatem domini sui (inquit Christus) vapulabit paucis, seruus sciens voluntatem domini vapulabit multis, hoc est, magnis affligetur tormentis. Vt cognoscamus autem quæ ignorantia à peccato excuset, quæque diminuat, haud dissimulandum est ignorantiam, quæ est causa actus, qui alioqui esset peccatum, estque inuoluntaria, eiusque rei, quam quis scire non obligatur, in totum excusare à peccato. Reliquæ verò ignorantiæ omnes per se diminuunt peccatum, in quantum faciunt minus esse spontaneum, ita vt nulla ignorantia per se peccatum aggrauet, nisi ex propria culpa originē sumpsisset, quia tunc nō excusat à toto, sed à tanto, sicuti liquet de ebrietate Loth: qui non excusatur ab incæstu, quod propria acciderit culpa, secundum sanctum Augustinum, contra Faustum Manich. Atqui Noë de eadem ignorantia, excusationis prætextum adducere præualet eodem, teste. Vbi etiam docet Noë nuditatem, significasse Christi passionem. Deinde non est ignorandum quod ex infirmitate aliqui delinquāt, vel etiam malitia, in quibus est quædam ignorantia, iuxta sententiam Sapientis: Errant omnes qui operantur malum: Non tamen hi proprie dicuntur ex ignorantia exorbitare, quippe qui ex infirmitate vel passione peccant, quamuis actum esse malum non ambigant, obnubilata tamen per passionem mente, iudicant illum actum prosequendum, propter bonum delectationis, quam in peccatis vel fingunt, vel credunt, & proinde passio est prima causa peccati, non ignorantia.

Li. de grat. & lib. arbit. ca. 3.
Pœna gētilium infernalis qualis?
Luc. 12.
Genes. 19.
Loth peccauit quomodo?
Lib. 22. Ca. 41. *& sequentibus.*
Li. 2. de peccatorū merit. & remiss. cap. 10. *& li.* 12. *cōtra Faustū ca.* 23.
Prouerb. 13.

Quanta industria iussa Dei capessenda?

CAPVT XVI.

QVANDOQVIDEM non solùm in acie constituti sumus, vt validum cum vigili hoste faciamus conflictum; verum etiam in vinea, vt vberrimum vuarum turgentium fructum adferamus, quod ardenti præstandum est desiderio, flagrantiq; animo faciundum. Ignis siquidem

male incensus, voracem flammam recusans, haud difficulter extinguitur: Quocirca graphice dixit Hieremias, maledictũ esse qui faceret opus Dei negligenter: Seruus quoque talentum terræ finibus recondendo, pœnas alibi dare cogitur. Vel mundanorum igitur attendamus sagacitatem, qui omnem mouent lapidem, vt temporalis lucri emolumenta comparare valeant: Discurrunt per mare, per terras, per mille discrimina rerum, quatenus per fas per nefas diuitias corruptioni obnoxias corradant, abdomẽque insaciabile pascant: Atqui veras æternæ beatitudinis delicias, quotusquisque tali, imo aliquali, animi propensione requirit? Leoni pabula falce decisa: si porrexeris, non curat; quod carnibus saturari soleat, sic isti terrenis saturo fecibus, frustra æternæ beatitudinis præmia proposueris? Sicut feruenter ita & celeriter sunt præcepta Dei ob temporis irreuocabilis breuitatem amplectenda, vnde Ioannes. Operamini dum dies est; Hoc est, dum humanas carpitis auras, saluti operam detis, quia veniet nox, id est mors, postquam hoc ipsum erit illicitum. Si equum aliquis accommodato, vt glebas rudium camporum proscinderet, accepisset, instantissimis conatibus cõtenderet, ne Dominus eum repetendo tempus agriculturæ anteuerteret: Sed forte procrastinandum ad prouectiores annos præfers, vt interea temporis intrepidè iuuentutis florem, concupiscentiæ motibus, carnisque illecebris laxes habenas, quod esset perinde, atque ferrum in teipsum stringeres, vt postliminio chirurgum accersas, qui haud dubie argueretur magnæ stultitiæ, sicut ille, cui quatuor essent asini deputati, debiliori tamen cęteris otio torpentibus totum onus imponeret. Quomodo quæso pœnitentiam aget recubando, qui nec membra mouere poterit? Qui dignos pœnitentiæ fructus præceptorumque Decalogi obseruantiam custodiet, qui senio cõfectus recumbit? cum maledictus legatur: debile offerens Domino? Cui consentanea est diui Augustini sententia, quoniam non raro percutitur peccator hac animaduersione, vt sicuti est Dei oblitus, ita eius Dominus tum non reminiscatur. Quemadmodum enim frondes arboris decisæ, illuc corruere efficiunt, quo maxime propendent illi affixæ, ita passim quales fuerint cogitationes, loquutiones, operationes, talem quoq; sortiuntur finem. Etsi Adam laborârit in sudore vultus vt panem comederet materialem, quanto magis summis conatibus est adnitendum, vt cæli pabulo refocillemur? potissimum cum paterfamilias vberrimum omniũ arborum præstoletur fructum, quem si minus producant, succider, & in ignem eas mitter, simulatque hortulani industria excultæ maneant infrugiferæ. O bone Iesu, nõ tribus annis, sed iam quadraginta annis

Cap. 48.

Cap. 20.

Malach. 1.

Serio in via mandatorum Dei est procedendum.

Serm. 10. de Sanctis.

Matth. 7.
Lucæ 13.

annis & vltra in hortulo Christianę religionis educatus sum, sed eheu timeo vitem meam pro vuis hactenus produxisse labruscas, nec ita adamussim sanctissima benignitatis tuæ placita operi mancipaui, nec ad illa tanquam lydium lapidem imperfectionis meæ miseriam ac paupertatis meæ insufficientiam applicui. Da mihi misero peccatori Domine Iesu, da quod iubes & iube quod vis, vt ex diuo Augustino prælibauimus. Da, inquam, manibus meis gratiam instanter operandi, quia nec opus, hoc est, tempus operandi, nec ratio excusandi, nec scientia defendendi, nec sapiētia allegandi, post mortem valebunt, quo incessanter mihi properandum non ambigo; vbi non quod legi, non quod scripsi; sed quod feci requiret iudicium Christi.

Opera præceptis obseruandis necessaria, quales requirant circunstantiarum conditiones?

CAPVT XVII.

VNIVERSA ista & singula sacrosancta Decalogi mandata, saluti credentium non dubitantur necessaria: Si vis ad vitam ingredi (inquit legislator Christus Iesus) serua mandata: quasi dicat, Si nō seruaueris ea omnia, vel eorum vnum præuaricatus fueris, ad vitam ingredi nequaquam valebis, vti scriptura innuere videtur: quando omnia pronunniat in mensura, pondere, & numero disposita. Si omnia, dubio procul & ipsa præcepta, in mensura disposuit, quæ protendi debet à sublimibus cælorum, ad ima vsq; tartarorum: Qua conditione, apostatici spiritus sunt de gloria beatorum deturbati, quod supremæ maiestati se æquare conari sint, ac prompta seruitute obsequi grauati. Similiter prothoplastes Adam in paradysi amœnitatibus constitutus, diuinis monitis non acquiescendo transgressionis pœnam non euasit: Deus siquidem vult suum honorem vbique locorum seruari integrum, nec hac in parte cognoscere cupit (qui dicit, Gloriam meam alteri non dabo) participem: O bone & dulcissime Domine, quoties iram indignationis tuæ incurri? quoties vltricem manū quæ hoc anno 1573. super Belgicam regionem extenta adhuc manet, commerui? Si namque hic vno transgressionis opere, illi autem vna præuaricationis cogitatione demersi sunt, in profundum inferni; quid de me misero, qui etiam in fastigio religionis vtroque modo innumerabiliter offendo, in corde paterni pectoris futurum reseruatur? Omnia ô Domine interiora mea contremiscunt, ac imbres lachrymarum erumpere non cessant, quando impressa animi consideratione præfata iudicia contueor. Tamē

Matth.19.

Sapient.11.

 illi ali-

illi aliqualem excusationis prętextum fortassis habere potuerunt, innitentes dotibus tam præclaris sibi primordiali creatione diuinitus concessis; Locus etiam multiiuga pulchritudinis varietate circumornatus, calcar maiora ambiendi fortè administrauit; Sicut Adam delicias suas mœrore afficere noluit, quin potius Deum posthabendo, illius votis acquiescere maluit. Quarè iusto Dei iudicio de paradyso repulsam simul passi, illi de gaudijs æternis profligati, ad extremam calamitatis desolationem sunt redacti. Plenam autem mensuram nobis præscriptam offendimus, in oratione Dominica vbi dicitur; Fiat voluntas tua, sicut in cælo & in terra. Quod licet à regno eius dependeat, neque possit ab eo disiungi, nulli siquidem aduenit regnum nisi voluntatem patris implenti, non frustra tamen seorsum additur propter nostram ruditatem, quæ non facilè nec ilico apprehendit, quid sit Deum in mundo regnare: Hac ergo histologia absurdum non erit tunc fore Deum in mundo regem vbi se omnes voluntati eius subijcient. Porro non agitur hic de arcana Dei voluntate, qua omnia moderatur, & in finem suum destinat, quamuis enim tumultuose Sathan & sequaces eius etiamnum hodie in Hollandia & Zelandica nostra tellure contra ipsum omnia sacra loca prophanando ferantur, nouit tamen incomprehensibili suo consilio nō solum flectere illorum impetus, sed in ordinem dirigere, vt per eos faciat, quod decreuit, pro huius impletione nequaquam precamur, quia perpetuum
Iob 9. habet successum nec aliquis resistere ei præualet: Consilium
Esa 46. inquit meum stabit & omnis voluntas mea fiet. Sed hic notatur alia Dei voluntas nempe cui respondet voluntarium obsequium, ideoque nominatim confertur cælum terræ, teste diuo Hieron. Augusl. & Gregor. Quemadmodum enim beati spiritus supernorum mandatorum obseruantissimi, diuinam perficiunt voluntatem, ita & hominum est diuino iussui obtemperare. Iubemur ergo oprare sicut in cælo nihil angeli tentant aggredi, nisi ex Dei nutu, recteque ad omnem rectitudinem compositi sunt, sic terram omni contumacia & prauitate extincta eiusmodi imperio subigi: Atque id quidem postulantes carnis nostræ desiderijs renuntiamus, quia nisi affectus nostros Deo resignemus ac permittamus eius voluntati quantum in nobis est, se opponit, quando nihil nisi vitiosum ex nobis prodit: Natura enim nostra ad malum prona est: Quocirca nō docuit nos supremus instructor: Faciam voluntatem tuam, sed fiat voluntas tua, vt cognoscamus nos non solum non perficere posse, absque Dei adminiculo, sed nec velle quidē, quia operatur in nobis velle & perficere, pro sua bona voluntate, secundum Apostolum: Istud luculenter demon-

Super Matth. lib. 2. ser. Domini in monte, ca. 11. epistola 121 cap. 11. quæ est ad Probam. Li. 3. Moraliū cap. 15.

Genes. 6.

Ad Philip. 2.

demonstrat diuus Augustinus, concil. Mileuitanum, & Arausicanum 1. Hoc insuper modo ad nostri abnegationem informamur, vt Deus pro suo arbitrio nos regat, in semitis mãdatorum suorum deducat, neque id solum, sed etiam vt nouas mentes, nouosque animos, nostris in nihilum redactis creet, ne quem sentiamus in nobis cupiditatis motum, sed merum cum eius voluntate consensum, vt humilitas sit in conuersatione, stabilitas in fide, verecundia in verbis, in factis iustitia, in operibus gratia, in moribus disciplina, iniuriam illatam promptè tolerare posse, facere non posse, cum hominibus pacem habere, Deum toto corde diligere, sacra eius iussa capessere, amare in illo quod pater est, timere quod Deus. Nomenclatura siquidem voluntatis, totum hoc intelligimus, quod Deo placere non ignoramus: Ista igitur mensura à summo cælo vsque ad profundum inferni laudatur vbique nomen Domini: Deinde mensura debet ita esse coagitata, & completa, vt suam dilatet amplitudinem, ab exordio creationis mundi, vsque ad nouissimum diem: Nunquam enim videre licebit, Præcepta Decalogi abolita, adeo vt etiam gentes naturaliter ea quæ legis sunt, quodam naturæ instinctu perfecerint, etiam priusquam digito Dei lapidi essent impressa, viuæ vocis oraculo prædicata, ac demum calamo exarata: Altera proprietas est, vt pręcepta, sint iusti ponderis: Nisi enim nummus quantumuis aureus, sit iusti ponderis, non immeritò repudiatus contemnitur: Cuiusmodi colligimus fuisse quosdam inanes Domini verbi precones: quos tanquam sua gratia indignos contemptui habet: Si, inquit Apostolus, fidem habuero, ita vt montes transferam, charitatem autem non habuero, vana est fides, euanida est religio: Pari modo nisi præcepta ex radice charitatis pullulẽt, nullius reputationis apud Deum sunt censenda: Ex qua sententia euadit perspicuum, pondus præceptorum esse charitatem. Complura autem sunt, quæ præceptis debitam subtrahunt iusti ponderis grauitatem, Primo si eorum obseruantes simus, ad captandam auram humanam, nempe cœlibem vitam præferendo, limina templorum frequentando, largas eleemosynas erogando, bona quidem ex se hæc sunt opera, sed intentionis ratione debita frustrantur mercede, quando laudem hominum, quam hic amauerunt, obtinuerant: Qui facit iustitiam vt videatur ab hominibus, ab ijs etiam præmium, non à Deo, cuius honorem non prætulerunt, reportabunt, Alij spe lucri temporalis quod expectant, mandata obseruant. Alij pudore suffusi aliqua perficiunt, nisi enim illos timor retraheret, ad omnes carnis illecebras defluerent, nisi etiam aliquos tenacitatis puderet, egeno stipem coram alijs

Li. de gratia, et li. arbit. ca. 16. epistola 122. ca. 31. ad Honoratum. Cap. 4. & 5. Cap. 22.

Præcepta iusti ponderis sint oportet.

Matth. 7.

1. Corinth. 13.

Matth. 7.

mendicanti, non raro denegarent. Hi profectò, quia parce seminant, parce etiam & metent, quod iustum pondus operibus recusent. Vltima proprietas seu conditio vice Colophonis sit, vt completum habeant præcepta numerum: Si enim vniuersis Simboli articulis, vno dempto fidem adhibeam, nil illa ad salutem proderit credulitas, teste sancto Augustino: Qui in primam (inquit) de Trinitate personam non credit, in secundam credidisse ad salutem non proderit: Haud secus, Quicunque totam legem seruârit, offendat autem in vno, factus est omnium reus: Quemadmodum namque vnum crimen læthiferum contrariatur charitati, ita vnius præcepti præuaricatio, totum religionis decorem euertit: Eodẽ quippe recidit, siue vnico palmo aquis subsidam, siue decem pedibus, modo obruentibus aquarum gurgitibus mortem incurram, æternamq; damnationem reperiam. A cuius faucibus, nos liberare dignetur legislator Christus optimus maximus, qui viuit & regnat cum Deo patre in vnitate spiritus sancti Deus per immortalia secula seculorum,

Obseruantia mandatorum requirit numerum.

Sermone 131 de tempore.

Iacobi 2.

AMEN.

INDEX

INDEX RERVM MEMORABILIVM LOCVPLETISSIMVS.

A

B

C

E

L

Male-

N

O

Ope-

Præ-

Sacer-

Verbum

SCRI-

SCRIPTVRÆ SACRÆ LOCA HOC OPERE EXPOSITA, QVÆ *Concionatori magnam conferre poterunt commoditatem.*

GENESIS.

ECCLESIASTES.

Omnes

Venite

Qui

FINIS.

ERRATA.

Pagina 23.linea 6.lege Apostolum 25.2.l.1.Mach.2. 31.l.22.illuc. 49.37.arbustorum.64.34.vero.81.30.Et Gregor.Niss. 108.32.gallina.111.20.l.ex quo caeterisq. 119.32.vides.142.16.Minus. 13.42.esse.172 15.fonte.176.7.sigillatim. Ibidem 28.ridicula. 183.11.precatores. 193.29. pro labeium lege lateralis. 205.1.habuisset. 220.16.Sed & Naluzar. 225.24.virium. 237.42.diruptas. 244.35.Sed & alibi.245.3.vbi in calce,redundat.247.34.abusu.250.35.hinc. 263.11.testatur,deest. 266.4.Adulatores. 280.1.maiori honore,deest.305.5.est, redundat.310.1.nec cogitabãt de nobis,deest.343.15.ieiuniũ.345.7.In Clemẽt.&. 390.4.Nec non 402.39.qui.403.16.Et,redũdat.404.41.patres.433.39.quia. 472.24.acquiritur. 480.23.qui, deest. 547.27.adseuerant. Ibidem 33.quo, redundat. 585.17.volo. 589.12.Quanquam.606.3.volentis.

EPIGRAMMA F. IOANNIS PELLENS, LEODIENSIS, Franciſcani, in libri commendationem & Autoris.

I Liber, efficies iter vt pertentet Olympo
Quem tenuit vita ſordida cura malæ.
Autoriſq; tui ſuper & Garamantas & Indos
Fama volet, ſiquidem claſſica ſancta canit.
Et duce eo lucem carpunt documenta decoram
Optima, quæ calamus non reſerare poteſt.
Multa Sophocleo ſcribit ſatis apta cothurno,
Quæ ſunt Dulichijs anteferenda viris.
Virtutis nectar transfundit dulce per orbem,
Ambroſiaq; malam ſtinguit vbique ſitim:
Queis non vina vllus præponat Chia, Phalerna,
Non Lica, non Gazæ, ſatq; ſuperq; ſcio.
Solatur miſeros, ignes ſcintillat amoris,
Hæreticis laqueos, frenaq; dura facit.
Γνῶμαι *præſtantes, nitidæ documenta Paleſtræ*
Prætendunt canam Catholicamq; fidem.
Quid moror? Ingenium mire ſe prodit acutum.
Dum DONARE DEO *verba vetuſta* DECEM:
VERBA *vetuſta* DECEM, *Chriſto renouante, docere*
Pergis, Chriſtiadum ſtringere poſſe genus,
His Reuerende PATER *Cæli volitabis ad aulam*
Hiſq; tuum nomen tendet ad aſtra Poli.
Candide quin etiam, hæc, lector, monimenta reuoluens
Doctus, facundus, relligioſus eris.

Quare age, rumpe moras, quisquis macerare labella
Doctrina affectas, & pietate pari.
Sordeat, impensè rogito, hoc præ munere magno
PAVPERIS ASSERTOR, *flaua moneta tibi.*
Lurida despiciens fluidi spectacula mundi,
Lumina pasce lubens, hocce labore, tua
Hic est firma fides, hic spes, hic feruor amoris
Quem quisque in Summum debet habere DEVM.
Quæ tibi si teneas memori sub mente reposta
Oedipus euades, sis nisi Dauus iners.

LOVANII.
Typis ac impensis Christophori Plantini excudebat Ioannes Masius Typog. Iurat.
M. D. LXXVI.